






florerent, at
ultra mille ju
Neque adeo c
res, quorum r
quam nec rec
jus Catechis
et praecipuor
ties opus esse
quas vocat *Ec*
tinitate dona
cum germani
inscripsit: Ca
visse autem s
quae e *Sandi*
scriptis *Faust*
gni Ducatus
qui solidæ pie
cœtui adjung
Arriani atq
Christophoru
tung etc. *Rac*
scripto suo
Koenigreich
Regno Polon
suas, certe s
scripsissent, in
Ne veritatis
quae forte u
late suam se
suorum ho
existimandi
Captiose
hic omnia
erat ea mul
gelicis Ref




ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE





w/5


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE






1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE




16

374 **Poland: Socinian Churches.—[Moskorzewski (Hier.)]—Oederus (Ge. Lud.)** Catechesis Racoviensis, seu Liber Socinianorum primarius, ad fidem editionis anno 1609. Recensuit Socinianam vero impietatem et hoc libro traditam et a recentioribus assutam accurate profligavit G. L. Oeder. 8vo, Rom. type, with Greek and Ital. pass., 1 l. with engr. portrait of Socinus, (4) ll., inclu. curious engr. front. of a genealogical tree showing the development of Unitarian literature, (3) ll., 1046 pp., (9) ll. with index, good large copy, half calf, with large engr. portrait of Socinus inserted, 18s.
Joa. Adam Schmidt, Frankfort-on-Main & Leipsig, 1739

Estreicher, IX, p. 174. Graesse, II, 77. A copy in the Brit. Mus.







Dan. Brenius.
Dan. Zwicker.
Io. Nimogevius.
Hugo. Grotius.
Florā. CRUSII, US.
Bened. WISSOWATI,
Andr. WISSOWATI,
Simō. Episcopius.
Mart. RUAR,
Gg. Enjedinus.
Christop. Osterod
Ion. SCHLICHTING,
Io. Volkeli,
Franc. Davidis
Io. CRELL, Fr.
Sam. PRZIPCOWI,
Hieron. MOSCOROV.
Io. Lud. WOLZOGEN.
Val. SMALCIUS.
Iacob. Palæologus.
Faustus SOCINUS, Lælii consanguine.
Lael: SOCINUS, Serveti assecla.
Inv. C.B.P.M.

CATECHESIS RACOVIENSIS,

SEU,

LIBER SOCINIANORUM PRIMARIUS,

AD FIDEM EDITIONIS ANNO MDCIX.

RECENSUIT,

SOCINIANAM VERO IMPIETATEM ET HOC LIBRO TRADITAM ET A RECENTIORIBUS ASSUTAM ACCURATE PROFLIGAVIT

GE. LUD. OEDERUS,

ANTISTES FEUCHTWANGENSIS ET EJUS DIOECESEOS DECANUS.

Jo. XX. 31.

Hæc autem scripta sunt, ut credatis, JEsum esse CHristum, Filium DEI, & ut credentes vitam habeatis in Nomine ejus.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ,

APUD JOANNEM ADAMUM SCHMIDT.

MDCCXXXIX.



PRÆFATIO.

F*Austi Socini & ejus Sociorum impietas, qua ipsa sanctissima religionis fundamenta convellere ausi, nescio quam puritatem reddi ab se christiano orbi absurde credidere, non fuit sane nova, cum ipsi rem male gerere immani conatu inciperent: neque hodie desiit infestare Ecclesiam, cum prob dolor! in ipsis christianis lateant, sæpe etiam nec velint latere, sed potius impune emergant, qui Christo Domino nostro & Divinitatis gloriam nefarie detrahunt, & satisfactionem ejus per λύτρον*

proterve negant, atque adeo unam omnium potissimam & dulcissimam doctrinam pessimis conviciis proscindunt, aut de reliqua labe Sociniana, (nam longa est injuria,) aliquid trahunt & simplicioribus quasi aurum commendant. Itaque si unquam ex usu fuit tueri & asserere veritatem evangelicam, atque ab imposturis gregem Domini defendere, potissimum adolescentes studiosos præmunire, ne facile sibi imponi patiantur: nostro certe tempore id strenue fieri maximopere est necessarium. Id cum abhinc aliquot annis pro virili parte agere animum induxissem, commodissimum ratus sum, uno libro TENEBRAS, *quas veritatis hostes nobis offundere conati sunt, & ipsam* EVANGELICAM LUCEM *complecti, hoc est, classicum*

librum Socinianorum, CATECHESIN RACOVIENSEM, a me summa fide repetitam, adjecto tamen quæstionum numero, qui in Racoviensi editione deest, penum pessimarum opinionum, cum perpetuo antidoto, simul edere. Ita videbit Lector, quanta lucis nostræ dulcedo claritasque sit, qua istæ tenebræ dispelluntur; nec poterunt, quod subinde factum est, conqueri, qui alienata a nobis mente sunt, sileri argumenta adversariorum validissima. Contra, cum tota Panoplia Socinianorum hic explicata prodeat, ingenue secum agi vel infensissimi hostes cogentur fateri. Et, cum omnia solidis responsionibus prosternantur & retundantur, quæ ex illa parte in aciem producta sunt, non jam poterit dubitari, ab utra parte stet veritas. Ceterum

terum nihil est, quod præmonendus porro sit lector, ad ipsum potius librum illico admittendus, nisi hoc, culpam moræ aliquot annorum, in edendo libro dudum promisso, dudum confecto, in me nullam esse. Faxit Deus, vineæ suæ custos, ut opusculum pio consilio, libris adversariorum multis perlectis, & ipsis indagatis errorum fontibus, quantaque a me fieri potuit, cura elaboratum, Ecclesiæ Domini nostri JEsu Christi commodo sit, & triumphatrix veritas subinde magis enitescat. Sanctifica nos, Sancte Pater, in veritate tua; verbum tuum est veritas. Amen. Scrib. Feuchtwanga, d. 9. Jul. MDCCXXXVIII.

NB. Effigies Socini ponitur ad pag. 1.

Cate-



CATECHESIS
ECCLESIARUM,

quæ

in Regno Poloniæ, & Magno Ducatû Lithuaniæ, & aliis ad iſtud Regnum pertinentibus provinciis, affirmant, neminem alium, præter Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, eſſe illum unum Deum Iſraelis: Hominem autem illum Jeſum Nazarenum, qui ex virgine natus eſt, nec alium præter aut ante ipſum, DEI Filium unigenitum et agnoſcunt & confitentur.

Ante annos quatuor Polonicè, nunc vero etiam Latinè edita.

Oſe. 14, 10.

Rectæ ſunt viæ Jehovæ, & Juſti ambulabunt in eis: Prævaricatores verò corruent in eis.

RACOVIÆ,

Anno Domini 1609.

Notae.

Publicum hoc ſcriptum eſt, unde fas erit, *Socinianorum*, nam hoc vocabulo, eos, qui *Unitarii* dici malunt, de praecipuo ipſorum Doctore *Fauſto Socino* appellari moris eſt; mentem cognoſcere, tum editum, cum horum hominum res

florerent

florerent, atque *Racoviense Gymnasium*, narrante S. ultra mille juvenes literarum caussa ibi degentes: Neque adeo opus, ubi hoc profligatum sit, privatos a res, quorum nimia copia, sigillatim omnes insectari, q quam nec recentiorum et subinde auctarum editionu jus Catechismi, sed ob id ipsum ignobiliorum illa p et praecipuorum aliquot in Socinianis Magistrorum. ties opus esse censebo, mentionem facturus sum. Ve quas vocat *Ecclesias Moscorovius*, qui hanc Cateche tinitate donavit, *Smalcius* triennio post, h. e. *anno* eum germanice a se versam edidit, *Ecclesiam* vocat, si inscripsit: Catechismus der Gemeine derer Leute etc. visse autem sub ista tempora coetum eorum, praet quae e *Sandio* modo observavi, gloriatur Auctor lib scriptis *Fausti Socini* collecti; *Quod Regni Poloniae* gni *Ducatus Lithuaniae homines, vulgo Evangelici qui solidae pietatis sunt studiosi, omnino deberent se il coetui adjungere, qui in iisdem locis falso atque im Arriani atque Ebionitae vocantur. Racoviae Christophorus Ostorodus* autem, in libro suo, Unte rung etc. *Racoviae* an. 1612. edito, praefatur, cor scripto suo fast die ganze Confession der Gemein Koenigreich, h. e. *fere totam confessionem Ecclesia Regno Poloniae &c.* Multos igitur contulisse syn suas, certe suo adsensu comprobasse, quod unus p scripsissent, indubitabile, sed in ipso limine observand Ne veritatis nostrae adversarii, vel affingi sibi crimin quae forte unus alterve sensisset, vel conquerantur late suam sententiam proponi, quoniam et *com* suorum hominum opinionem, et *plene* docuisse ho existimandi sunt Sociniani.

Captiose autem, ut solent aucupari gratiam lect hic omnia posita esse, Lector facile videt. Quid enim erat ea multis verbis in fronte libri ponere, quae et al gelicis Reformatisque, quin ipsis Pontificiis in Poloni

ter credi praeclare noverant. N
non docet creditquè, Patrem Do
Deum Israelis, et Christum eju
vero non ponunt, quod toto lib
non esse illum unum Deum Israe
erat nimium in aditu offendend
runt *Phœbadii*, doctissimi viri,
pulcherrima verba in *libro cont*
dor. Beza, an. 1570. primum e
sic alloquitur: *Quid venenatum*
borum velamine tegitis? Nos,
nostris constanter predicamus
patrum vestrorum deserere noli
Deum gloriæ cœlestis non Deum
Dei perfectam, esse dixerunt.
abrupta blasphemiæ verba vita
decipiendos simplices & incauto
Filium, non Patris vel Filii nom
dicit Ecclesia, sed, ut supra dix
profitemini, Dicentes enim, cum
ter subjecit, Patri Filium esse
creaturarum ordine quæ ex tem
ratis? Nihil enim secundum vos
bet Deus & Dominus noster, ni
est, nisi quod ei etiam illa servi
Quo jure vocat Catechesis Jesum
quem ex Deo *vere genitum* Sc
Oseæ XIV. 10. lego in fronte ejus
rentia verbi divini, sed humanae
nio regnat, varie afficior. Vide
re, quid sibi acciderit. Nam,
pulus Israëliticus ad seriam poen
ctus ea dignos ferant, et maxime
neantur, abjectis idolis, ex ipso D

rus esset, fructus expectare, h. e. spirituales: quid hoc aliud, quam, quicquid boni in homine fit, Spiritus S. virtute fieri, ex se nihil boni posse homines gignere. Verum praevidit *Oseas*, hoc monitum frustra fore in plurimis, qui nollent hac via à Spiritu S. duci, sed suam potius justitiam Deo opponere, *Rom. X. 3.* collapsuros ergo misere. Quales certissime sunt Sociniani, qui, negato originis peccato, asserto contra libero arbitrio etiam in spiritualibus, satis pollere viribus sibi videntur ut sanctitate vitae peccata forte admissa deleant, vitaque aeterna potiantur; Christo non opus esse *satisfactore*, sed duce tantum et monstratore viae, nisi quod et regia sua auctoritate regere pios et propulsare hostes soleat. Itaque una illa divinitus monstrata via ad salutem per fidem in Christi satisfactione positam, abjecta operum nostrorum fiducia, proh dolor! ab his contemnitur.

Serenissimo atque Potentissimo Principi et Domino,

DOMINO JACOBO,

Magnae Britanniae, Franciae et Hyberniae, etc. etc. Regi, *Domino meo clementissimo. 1.)*

QUemadmodum omnibus, Rex Serenissime! quæ veri specie & probitatis æmulatione imponere volunt, lux est invisa & examen omne formidolosum, ne fuco detecto fraudeque deprehensa repudientur: Ita eorum, quæ vera & sincera sunt, ingenium est, ut luce gaudeant, omnium oculis inferri, omnium examini subjici vehementer gestiant, quo talia omnibus, qualia natura sunt, reipsa appa-

ituales : quid hoc
it, Spiritus S. vir-
gignere. Verum
fore in plurimis,
suam potius ju-
ipsuros ergo mi-
qui, negato ori-
o etiam in spiri-
itur ut sanctitate
ue aeterna poti-
sed duce tantum
sua auctoritate
Itaque una illa
n in Christi sa-
rorum fiducia,

Principi et

OBO,
etc. etc. Regi,

Serenissi-
tis æmu-
sa & ex-
detecto
: Ita eo-
ium est,
inferri,
estiant,
, reipsa
appa-

appareant, & nativæ genuinæque
sinceritatique meritam apud omnes a
tatem vindicent & asserant. Res ha
testata est & antiquitatis & vitæ pr
exemplis, ut nullam probationem re
Ex omni tamen antiquitatis memo
omni annalium vetustate, ex omni vit
tidianæ consuetudine, nihil erui, nih
nihil depromi potest, quod sacris literi
præsertim Fœderis, eo in genere confer
videatur. 2.) Ab ipsis primis initiis, u
aspexere, illico instar splendoris matuti
in omnes mundi partes diffundentis in
omnium & examen quam rigidissimum
voluere, quo veritatem & probitatem
ab omni fuco & impostura quam alienis
omnibus patefacerent & approbarent
que pedem ab instituto retulere, done
ratissime examinatæ, exploratæ, appr
& pro divinis prorsus agnitæ, in summa
Majestatis sede, unanimi omnium ho
& temporum consensu, collocarent
Adeo divina veritas luce crevit, adeo e
vires collegit, radices egit & est propag
Unde, quid de iis scriptis, quæ summa v
tuntur, ut legantur ab omnibus, dijudi
ab omnibus, omnium etiam ultro exam
vocent, statuendum sit, indicium habet
dentissimum. 5.) Atque hæc quiden
nobis, qui Deum unum Israelis, patrem

ni nostri Jesu Christi, & Filium ejus unigenam Dominum Jesum Nazarenum profitemur, unice proposita fuit, in omnibus scriptis, quæ hactenus in lucem de rebus divinis dedimus, huicque insistendum nobis summo studio existimavimus, & adhuc existimamus: Hinc factum est, ut nunc etiam ecclesiæ nostræ eadem ratione permotæ, Catechesin hanc latinitate donatam, Augusto nomini S. R. M. T. inscribendam & dedicandam per me duxerint. Prout etiam ego, earum nomine, S.R.M.T. inscribo & submisse dedico. Etenim, si lux quærenda fuit, ubi ea major, quam tanti Regis & Principis vultus? Si examen expetendum, à quo accuratius, quæso, institui poterit, quam à S. R. M. T. quæ religionis purioris suscepto patrocinio, divinis literis ipsam divinam veritatem perfectissime contineri agnoscat, ob idque de scriptis in religione Christiana controversis, ex sacrarum literarum decretis, non hominum, quicunque tandem sint, placitis 5.) esse statuendum censeat? Nec vero id examen indignum S.R.M.T. censeri debet. Nam, si veritate divina nihil præstabilius, si Dei gloria & Christi Domini nostri honore nihil illustrius, si hominum salute sempiterna nihil pretiosius, ne cogitari quidem potest: Certe nihil erit tam regium, tam sublimi persona S. R. M. T. & excelso, atque res humanas despiciente animo ipsius, dignum, quam ea scripta exquisitissi-

ctissime rimari, & perscrutari, quæ Dei gloriam & Christi Domini nostri honorem, ac ipsam nostram salutem, ab omni traditionum humanarum labe, ipsa divina veritate literis sacris comprehensa, repurgare nituntur, & expeditissima explicandæ Dei gloriæ, honoris Christo Domino nostro asserendi 6.) & salutis consequendæ ratione, è sacris literis excerpta ac omnibus proposita, eam ipsissima sacrarum literarum authoritate sancire & stabilire conantur. Excipe igitur hanc opellam regio vultu, Rex Serenissime! & animum offerentis munus, exiguum mole, at virtute & pondere in magnis jure connumerandum, intuitus, in his oris, à S. R. M. T. amplissimis regnis, longe lateque distantibus, in aliorum numero me etiam unum esse patere, qui pietatem, prudentiam, justitiam, fortitudinem, ceterasque regias virtutes S. R. M. T. quarum fama per Christianum orbem diffusa, ad nos etiam permanavit, à longe colat, miretur & veneretur. Quod, si à S. R. M. T. factum fuerit, etiam aliqua ex ea re (ut alia taceam) ad æquitatis & humanitatis regiæ laudem, qua S. R. M. T. omnes oras complevit, fiet dubio procul accessio. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, ille solus clementiæ & consolationis Deus, S. M. T. R. conservet incolumem, & Ecclesiæ suæ, & amplissimis regnis, quibus S.

 R. M. T.

R. M. T. Dominus præesse voluit. E Prædio meo Czarkoviano.

S. R. M. T.

addictissimus

Hieronymus Moscorovius
à Moscorow.

Notae.

1) Quomodo accepta sit a *Iacobo* Magnae Britanniae Rege dedicatio *Moscorovii*, equidem ignoro, nisi quod traditum legi, multis annis post, nempe *anno 1653*, cum dudum diem suum non *Jacobus* modo, sed et hujus filius *Carolus I.* securi quidem hic percussus, obiisset, rerum summa potito *Oliverio Cromvvello* publice exustam hanc Catechesin esse. Suspicor idem factum, quod de libello supplice Pontificiorum, eidem *Iacobo*, cum ad rempublicam Angliae anno 1603, accessisset, oblato, *Thuanus* narrat, *libr. 129 p. m. 999.* Visa pro libertate supplicantium nimiae plena fiduciae oratio, et accepta nec „exaudita est. Spemque de novo Rege etiam a Pontifi„ce conceptam non parum imminuit confessio Fidei, sub „id Londini evulgata, qua Pontifex ipse tanquam Anti„christus proscindebatur, Sacramentorum numerus con„trahebatur, Missale sacrificium, Ordo hierarchicus, „et Concilii Tridentini decreta, tanquam sanguinarii et „erronei, verbis contumeliosis damnabantur. Quod „non tam primis regni initiis fieri indignabantur in occul„to Catholici, quam sub eo Principe dici, qui literis et „doctrina egregie instructus, cum nihil in eo genere, nisi „ipso consulto, fieret, rei quoque invidiam in se unum „recipiebat, nec in ministros et praesentem rerum statum „ad se exonerandum transferri patiebatur.„ Haec *Thuanus*, „qui paullo ante dixerat; „Magnam de novo Rege spem con„ceperant, majorum religioni, (h. e. secundum *Thuanum*

pon-

„pontificiae) addicti, aequitate ejus a longo tempore per-„specta, et quia, dum adhuc in Scotia esset, cum *Phi-„lippo*. scil. *Philippo II.* Hispaniae Rege) clam consilia com-„municare dicebatur, et plerisque persuasum fuerat, „*Annam Danicam*, uxorem ejus, quamvis Lutheranae „doctrinae domi innutritam, in occulto Catholicis favere, „et a majorum cultu non alieno esse animo.„ Cum excidisse spe sua Pontificios Sociniani viderent, et regem, in traditiones humanas, Antichristum, errores de Sacramentis, etc. acriter invehi intelligerent, in spem adducti sunt gratiae *Iacobi* impetrandae, quod in plerisque idem se ducere contenderent. Hinc praedicant purioris doctrinae patrocinium a *Jacobo* susceptum. Eodem consilio Lutheranis, et in his celeberrimae Academiae Wittebergensi, a *Valentino Smalcio*, versio ejusdem Catecheseos Germanica anno 1608. d. 1. Maj. dedicata est, ubi blandis verbis favorem aucupatur publico sociorum nomine *Smalcius*, *Lutheri* operas in expurgandis erroribus vehementer laudat sed superesse aliquid fermenti, in cujus expurgatione sui homines graviter exerceantur, perhibet. Sed et a Wittebergensibus rejecti sunt, quorum jussu ac nomine aliquot annis post *Fridericus Balduinus*, Theologus clarissimus, refutationem Catecheseos edidit.

2.) Nescio quid sibi velit tot cumulatis verbis et frigida tamen oratione *Moscorovius*. Laudat Scripturam, quod luce gaudeat, et omnium oculis inferri gestiverit. Intelligi vero non potest, quid hoc ad laudem librorum sacrorum praecipue conferat. Quamquam enim libri sacri eo consilio scripti sunt, ut sint lux in via ad aeternitatem ambulantium, et *sapientia*, h.e. Christus, Dominus noster omnes ad se vocat, *Prov. VIII. 1, 2.* idem tamen fere omnes librorum auctores vulgo quaerere videmus, volunt enim se legi et quamplurimis probari gestiunt. Quando autem, quid factum sit, non quid debuerit fieri, quaeritur, dubito vehementer, utrum a pluribus lecti olim

sint *Mosis* libri, an *Homeri*? Et, quamquam de scriptis N. T. potissimum loquitur *Moscorovius*, dicere tamen non potest, aliud consilium fuisse in scribendis prophetarum libris. Itaque haec omnia, quibus laudare vult Scripturam, cujus laus longe praestantioribus rebus continetur, nihil sunt.

3.) Cum noster Scripturas Sacras *non retulisse pedem ab instituto* narrat, donec accuratissime examinatae, exploratae, et pro divinis prorsus agnitae, in summa majestatis divinae sede unanimi et hominum omnium et temporum consensu collocarentur: multipliciter et graviter errat. Nam, quid hoc rei est, examinatas accuratissime esse Scripturas, quae nec opus habuere examine, nam auctores se divinitus missos miraculis demonstrarunt, nisi quod consensus scriptorum N. T. cum prophetis explorandus erat a piis et exploratus est: nec sane ullo consessu Judicum illud examen institutum est. Non humanis sententiis, sed divina sua et insita virtute verbum Dei auctoritatem obtinet. De *unanimi consensu omnium hominum & temporum*, vix videtur serio locutus homo Socinianus, neque enim ignorare potuit, ut ipsum Christum, ita et verbum ejus fuisse et esse σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Et quamquam merito praedicatur invicta dignitas et auctoritas scripturae; tamen, qui consensum omnium hominum et temporum in approbanda scriptura jactitat, vel studio irridere, vel, quid dicat, ipse non intelligere censendus est. In *divinae majestatis sede* non sunt unquam Scripta Sacra collocata, quae dignitas ad Christum hominem solum spectat, et, si fuissent collocanda, id sane non faciendum fuisset hominum consensu, seu approbatione. Ergo absone haec dicta sunt omnia. Ceterum novimus, divinam virtutem Spiritus S. Scripturae Sacrae inesse, qua possint et soleant corda hominum moveri et ad fidem perduci, eam vero virtutem nec majorem facit maximus approbantium numerus, nec minorem, si paucissimi eam receperint, horum paucitas.

4.) scrip-

4.) *Scriptura S. seu divina veritas luce crevit, examine vires collegit, radices egit, & est propagata?* Quod de propagatione dicitur, poterat ferri. Reliqua, hem, quàm inficeta! Nam non crescit Scripturae S. dignitas, quae, cum sit ab ipso auctore Spiritu S. profecta, eadem semper est. Lectorem autem meum probe velim haec considerare, quid de Scriptura S. videatur Socinianis, quae quidem infra explicabuntur latius, hoc loco e praefatione, quam an. 1665. latinae, an. 1666. Belgicae, an. 1680. rursus latinae sed auctiori editioni Catecheseos praefixerunt, aliqua enotabo, ad quae, cum agetur de Scriptura S. lectorem possim ablegare. Sic ajunt. p. 4. „ Quod „donum (prophetandi et abditos Scripturae sensus eruen„di.) etsi sit eximium, longe tamen infra dignitatem et „excellentiam illius prophetiae doni subsistit, quo Apo„stolorum tempora nobilitata fuerunt. Ad illud enim „laboris & solertiae humanae accedebat minimum: ad „hoc plurimum requiritur. Illo, qui praediti erant, in „eo, quod Dei proferebant nomine, errare non pote„rant: hoc qui pollent, neutiquam sunt ab errandi pe„riculo immunes. Ratio est, quia illi eorum, quae pro„loquebantur, non erant caussa principalis, sed Spiritus „Sanctus, qui ipsis res; et interdum verba quoque ipsa, „dictabat, adeo ut illi nihil nisi instrumenta Spiritus S. „essent, et os suum ac linguam Spiritui Sancto commo„darent, etc.

5) *Ex sacrarum literarum decretis*, utinam serio vellent sapere Sociniani! sed ubique praefidens opinio sapientiae propriae regnat, quod non modo misera perversio tot locorum Scripturae, in eam, quam mente praeceperunt, sententiam docet, sed et ipsi interdum Scripturarum contemtum satis produnt, cujus rei in exordio opusculi mei luculentum exemplum attulisse juvabit. *Faustus Socinus, de Jesu Christo servatore. libr. III. cap. 2.* sic scripsit: „ Ad haec, si Deo illud, quod isti dicunt, pro„positum fuisset, (nempe ut Christus satisfaceret pro „peccatis hominum) certe eam peccatorum nostrorum

„punitio-



Welcher, so jemand gehorsam gewesen, hat er wohl und recht gethan, wo aber nicht, hat er drum nicht alsobald wider Mosis Gesez gesündiget. De *Syracide* nihil moneo, sed quae de *Salomone*, e cujus *Ecclesiaste* aliqua laudaverat, perhibet, sunt indignissima. Ceterum quae *Moscorovius* de *rejectis traditionibus humanis* praedicat, *pellis ovina* est, quam praeclaro libro nuper *J. J. Rambachius*, Theologus clarissimus, Socinianis detraxit. Suas enim nobis traditiones, non hausta e Scriptura S. dogmata ubique obtrudunt.

6.) Mira confidentia se ajunt Christo Domino nostro asserere honorem suum, quem quantum in ipsis est, in rerum creatarum classem detrudunt. Sed de his deinceps. Nunc monendus est lector de praefatione, quam posterioribus editionibus Catecheseos praefixerunt Sociniani. In ea initio damnare videri volunt morem catecheses et fidei confessiones edendi, nam esse eas fere jugum hominibus Christianis impositum, qui jurare in verba et sententias hominum cogantur. Suam tamen saepius se edere non eo consilio, ut cuiquam quidquam praescribant. *Cuique*, inquiunt, *liberum esto suae mentis in religione judicium; dummodo & nobis liceat, animi nostri sensa de rebus divinis, citra cujusquam injuriam atque insectationem depromere.* Qua in re mihi videntur Sociniani, quid sibi velint, nescire. Neque enim unquam Catechesis aliique Symbolici libri editi sunt, ut alterius religionis professores ad hanc adigantur, sed, ut constet, quid doceant hi, quorum perhibetur Catechesis esse. In fine autem ipsi dicunt: *Ex hac, quam modo publici juris facimus, de nostro in religione sensu, judicari volumus.* Quaeret lector non immerito, cur posteriores Sociniani sibi sumserint facultatem, multa addendi multa demendi majorum suorum Catechesi? et sane non video quid responsuri sint, cum eodem crimine condemnandi ipsi, id in quodam suorum sociorum acriter reprehenderint. Sic ajunt: „ Ac-

„cessit et haec caussa Catechesin hanc recudendi, quod „nuper nonnemo, (factum hoc fuerat an. 1659.) forte „non malus, sed in rem alienam nimium sibi juris usur„pans, eam Belgico idiomate ediderit interpolatam ac im„mutatam pro l ubitu. „ Quid vero fecerunt ipsi? De se „ita confitentur: „ Unum adhuc est, quod Te monere „volumus, benigne lector! de hac catechesis nostrae „editione; eam nunc non tam novam prodire in publicum, „quam renovatam. Est enim eadem aliquo modo illa, „quae anno salutis MDCIX. edita, et Serenissimo Regi „Magnae Britanniae Jacobo dedicata fuit: sed jam pluri„mis in locis aucta est et locupletata, quin & correcta at„que immutata, à praecipuis ecclesiae nostrae luminibus, „Joanne Crellio, Jona Schlichtingo, et Martino Ruaro. „Non enim erubescendum putamus, si ecclesia nostra in „quibusdam proficiat. Non ubique clamandum, cre„dimus, sto in filo, hic pedem figo, hinc me dimo„veri ne tantillum quidem patiar. Stoicorum enim est, „omnia mordicus defendere, et in sententia praefracte „atque obstinato animo permanere. Christiani Philosophi, „seu sapientiæ illius superne venientis candidati est, „εὐπειθῆ esse, non αὐθάδη, persuaderi facilem esse, non „pertinaciter sibi placentem, paratumque cedere senten„tia, ubi alia vicerit melior. Hoc animo semper nostra „edimus, & nunc scito, Lector, Catechesin hanc subjici „tuo judicio et examini. „ Mihi sic videtur, nisi velis perpetuo Scepticus esse, eum qui ausit catechesin edere, vel debere certum esse, vel saltem esse videri de fidei capitibus, alioqui non tuetur cordati viri personam, ea se credere professus, quae fortasse refutari illico possint, eoque facto se cedere adhuc creditis velle. Haec fortasse modestiae speciem apud aliquos habebunt, apud bonos omnes levitatis coarguentur summo jure. Nam quid vis de tuo in religione sensu judicari, e rebus illico, si monstrentur alia, à Te abjiciendis? Verae modestiae est, si ita loquaris in rebus nec necessariis ad fidem, nec à Te

aliis-

aliisque satis exploratis. Ceterum *Tertulliani* pulcher locus, quo frontem Catecheseos an. 680. editæ, ornarunt, hic quoque repetatur; nam hunc virum in iis capitibus, quae *Arrius* & *Photinus* deinde perverterunt, maxime de Divinitate Domini nostri Jesu Christi recte sensisse, ita procedente opere nostro potissimum è libro adversus *Praxeam* demonstrabimus, ut sol lucet in meridie, quidquid *Sandius*, *Zvvikerus* aliique incredibili audacia, contradixerint. Ita vero *Tertullian*: De *Virgin*: *velandis Cap. I.* „ Regula fidei una omnino est, sola immobi-„ lis & irreformabilis, credendi scilicet in Unicum Deum„ Omnipotentem, mundi conditorem, & Filium ejus„ Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum„ sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, re-„ ceptum in Cœlis, sedentem nunc ad dextram Patris, „ venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam„ resurectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam„ disciplinae & conversationis, admittunt novitatem cor-„ rectionis, operante scilicet & proficiente usque in finem„ Gratia Dei.„

Interpres Lectori Candido & Benevolo.

Catechesin, Lector! Ecclesiarum nostrarum, è Polonico Idiomate in latinum sermonem traduximus. Expressere id nobis vota multorum, multæque etiam è remotissimis orbis partibus ad nos transmissæ preces. Ut verba & sententias fideliter redderemus, annisi sumus. Quocirca stilo simplici & familiari utendum fuit. Id tamen significandum tibi putavimus, paucissima quædam à nobis mutata esse. Si vero etiam animum tuum id offendat, quod adversas sententias

refu-

refutandas duxerimus, facile illud in lectione missum facere poteris: a nobis vero summam purgandi nos apud alios necessitatem id extorsisse scias. Vale pie & candide lector! & Deum pro nobis deprecare, ut conatus nostros ipsius gloriæ & Christi ejus, & utilitati multorum dicatos, fortunet & promoveat.

H. M. à M.

Notae.

Paucissima a se mutata dixit *Moscorovius*. Verum, qualia sint ea, quae in Polonica prima editione mutarit, me fateor nescire. Non placet libris publice scriptis aliquid a privatis addi demique: Mihi tamen, quod jam monui, video necessitatem impositam, ad editionem genuinam anni 1609. quam integram exhibeo et ad cognoscenda Socinianorum dogmata sufficere arbitror, conferre cum *Smalcii* germanicam versionem an. 1612. in paucis a *Moscorovio* abeuntem, tum potissimum locupletiorem editionem latinam an. 1680.

De Scriptura Sacra.

1. Quænam sit Religio Christiana, velim abs te doceri?

Religio Christiana est via patefacta divinitus vitam æternam consequendi. 1.)

2. At ubi ea patefacta est?

In literis Sacris præsertim Novi Testamenti.

3. Extant igitur aliæ sacræ literæ præter literas Novi Testamenti? 2.)

Prorsus.

4. Quæ-

4. *Quænam sunt?*

Scripta Testamenti veteris. 3.)

Notæ.

1.) *Religio*, quam vocem ab latinæ linguæ auctoribus Ethnicis accepimus, non tam viam consequendi quamcunque felicitatem significat, quam modum colendi placandique supremum Numen. Ita *Cicero* sæpe verba facit de *Religionibus Deorum Immortalium*. v. g. initio *orationis pro domo sua ad Pontifices*. Igitur minus perfecta est Sociniana hæc *Religionis* definitio; nec oportuit omitti, esse eam rationem placandi & colendi Deum. Sed de placando Deo, quem perhibent, nulla satisfactione præstita acceptave, hominibus propitium esse, altum apud hos homines silentium. *Serviendi Deo rationem* esse *per Christum traditam*, addiderunt Recentiores.

2.) Cave credas, Novi Testamenti Scriptis Sacris tantum prærogativam aliquam concedi à *Racoviensibus*, quod ob claritatem reliquasque virtutes fas esset, sed non uno loco negant, veteribus promissiones vitæ æternæ esse factas, quamquam salvatos aliquot, sed sine promissione, largiri volunt. Itaque si ipsis credas, nulla plane ratio vitæ æternæ consequendæ è Scriptis V. T. hauriri potest, ut quæ de ea vita nihil doceant. *Faustus* autem *Socinus*, quid de libris V. T. sentiat, abunde prodidit, libro de *Scripturæ S. auctoritate*, cujus alteram editionem *Racoviæ*. an. 1611. cum multo ante *Hispali*, ficto nomine *Dominici Lopez Societatis Jesu*, præfante nescio quo, prodiisset, possideo, p. 73. sic ait: „Jam quæ de Novo Testamento disputavimus, ut ostenderemus, si ejus historia vera esse credatur, necesse esse, doctrinam quoque veram esse, credere, disputari similiter „possent de Vetere Testamento. Sed, ne longiores simus, „

„satis erit de Novo Testamento ista disputasse. Namque „ut alibi supra, & porro ab ipso initio diximus, si Novo „Testamento auctoritas adjungatur, necessario quoque „Veteri Testamento auctoritas adjungitur, præterquam „quod, si concedatur, ipsam modo Veteris Testamenti „historiam esse veram, hoc satis esse debet iis, qui ajunt, „utrique istorum librorum fidem adhibendam esse. Qui „enim Novum Testamentum recipit, habet in ipso, „quicquid sibi est opus, quod attinet ad doctrinam. „Quod si tamen interdum in rebus ad doctrinam spe„ctantibus est, quod Vetere quoque Testamento uta„tur, ea doctrinæ pars tunc aliud nihil, nisi historia cen„senda est, qualia sunt præcepta, quæ Deus per Mo„sem dedit.„ Omitto hic dicere, quæ idem *Socinus p.* 16. & 36. ad deprimendam librorum, quos Veteris Testamenti, cujus nominis ratio deinceps explicabitur, appellamus, auctoritatem disseruit. A nobis vero absit negare antiquioribus Scripturæ libris vim demonstrandi, quam si non haberent, quid *testari* eam de se Christus dixisset? *Jo. V. 39.*

3.) Frigide utique in libro publico, quo fidei suæ professionem edituri erant, & de ipsa Scriptura S. incipiunt, Scripta V. & N. T. laudantur, neque additur eorum Catalogus. Sed in libro de *auctoritate Scripturæ S.* ostendit *Socinus* sibi cùm Evangelicis de numero librorum biblicorum penitus convenire.

CAPUT. I.

De certitudine Sacrarum Literarum.

3. *At unde constat tam Novi quam Veteris Testamenti literas certas esse nec suspectas?*

Hinc; quod non solùm caussa sit nulla, cur de

de iis dubitari queat. Verum etiam evidens argumentum, quantùm ea fert materia, 1.) appareat, cur eis fidem adhiberi oporteat.

Notæ.

1.) *Quantùm ea fert Materia.* *Socinus* nequaquam Scripturæ Sacræ & traditarum in ea veritatum eam credit esse certitudinem, ut non supersit ratio dubitandi. Lectoris mei interest nosse, quem in modum disputet de gravissimo argumento, quamquam eadem infra recurrent ipsi à me excutienda. Nunc sola hominis verba recitasse contentus ero: *De auctor. Scr. S.* p. 78. seqq. „Jam, tametsi, quæ huculque scripsimus, satis fortasse„ esse debeant, ad id efficiendum, quod ab initio propo-„ sueramus; tamen visum est nobis, antequam huic nostræ,„ scriptioni finem imponamus, monere Lectorem, eos,„ qui, ut iis fidem adjungant, quæ scripta sunt, in Vetere,„ Novóque Testamento, ejusmodi argumenta & rationes„ postulant, quibus nemo sese opponere, aut repugnare„ queat, quæque unicuique ejus rei certam & indubitatam„ fidem faciant, hos, inquam, ostendere, se Religionis na-„ turam parùm attente considerasse; quæ ea est, ut, quem-„ admodum multi loquuntur, fidei meritum requirat, sit-„ que hominum probitatis tamquam lapis quidam Lydius;„ præsertim vero ejus religionis, quæ Novo Testamento continetur, de qua una, ob eam caulam, quæ sæpius dicta est, satis est nos loqui. Dico igitur, si Novi Testamenti Scripta ejusmodi essent, ut nemo ulla ratione negare posset, ea esse veridica, neminem etiam fore,„ qui non modo religionem non profiteretur, in eis com-„ prehensam, id est, se esse Christianum; Verum etiam,„ talis re ipsa non esset, hoc est, Jesu Christo non obe-„ diret. Præmium enim in illis propositum iis, qui,„ Christo obedierint, adeo magnum est, adeoque desi-„ derabile, ut nemo sit, qui ejus consequendi gratia, ma-„

„jora etiam iis non faceret, quæ Jesus Christus præcepit (si modo majora fieri possunt) ubi compertum haberet, se præmium istud adepturum, ut certe haberet, si verissima esse crederet ea omnia, quæ in Novo Testamento sunt scripta. Ita nullum inter malos & bonos discrimen existeret; nec ulla causa bene ac male agendi eoque nec virtutis remunerandæ & vitii puniendi: Quandoquidem ex eo, quod præmium, cum ab initio proponitur, incertum est, fit, ut mali à bonis internoscantur, qui enim bonus, id est, probus est, & cogitatione ac voluntate ad ea facienda propensus, quæ justa & honesta sunt, atque ejusmodi, qualia Jesus Christus præcipit, aut saltem ab eis animo non est alienus, facile credit, quæ audit de ingente præmio, iis proposito, qui ista fecerint, quamvis id aperte non videat; modo de eo spes aliqua appareat, & ita credens omnibus viribus aggreditur ut ista faciat, &c.-- Et idcircò nequaquam fecit, ut Novi Testamenti scripta, in quibus ejus præmii apertissima fit mentio, quæque de eo constanter affirmant, ejusmodi essent, ut nullo modo quisquam se eis opponere posset. Sed satis esse voluit, si & hæc scripta, & alia, quæ sunt, ejus præmii argumenta, ejusmodi forent, quibus jure, & possit & debeat fides adhiberi, talia demum, ut ei, qui probus est, aut ita comparatus, ut probus facile evadere queat, sint satis: ei vero, qui improbus est, & præ malitia sua, probus fieri nequit, non sint satis.„ Hæc *Socinus*, cujus impietatem infra p. 470. sqq. accurate refellemus.

6. Quî vero docebis, nullam esse caussam, cur dubitari queat de iis scriptis: primum vero de Scriptis Novi Testamenti?

Quatuor de caussis, ut apparet, jure de veritate librorum dubitari potest, è quibus nullam hîc deprehendere licet.

7. Quæ

7. Quænam sunt illæ caussæ?

Prima est, cum de auctore libri nihil prorsus constat. Secunda, cum auctor est suspectus. Tertia, cùm apparet alicunde, librum esse corruptum. Quarta, cum Testimonia supersunt idonea, quæ Fidem libro derogent.

8. Cedo, quî prima caussa hic locum non habeat?

Quia ab ipsa religionis Christianæ origine Christiani omnes, etsi multum inter se diversi sententiis, in eo tamen concordes & consentientes fuere, auctores scriptorum N. T. eos fuisse, quos scripta præ se ferunt: Adeo, ut, qui tam unanimi tot ætatum & hominum consensui repugnare vellet, hunc justissimam caussam ejus rei afferre oporteret.

9. Nonne à veteribus de quibusdam horum fuit dubitatum?

Sane. Sed, cùm nullam dubitandi justam caussam afferrent, dubitatio hæc prorsus exolevit.

10. At secunda, quî hic deprehendi nequit?

Auctor suspectæ fidei censetur, si rem, quam scribat, non exacte teneat, aut aliter scribat, quam rem noverit: aut denique ejus rei aliqua extent in scripto indicia. Tale vero nihil in istis auctoribus deprehendas, ut sigillatim audies.

11. Quî vero hic primum deprehendi nequit?

Ad eum modum, quod de iis auctoribus

nulla suspicio animo obrepere possit ejusmodi, eos rem, quam scripserint, non exactè tenuisse: Cùm quidam spectatores & auditores fuerint rerum, quas scripserint; alii vero ab iisdem ipsis plenissime easdem edocti fuerint, & accuratissime perceperint.

12. Quî secundum?

Cùm Christiana religio mendacium etiam in re minima vetet, apparet eos auctores, qui non solum Christiani, verum etiam Religionis Christianæ primi doctores fuêre, mentiri nullo modo potuisse; præsertim in re tantâ, quæ ipsum terrarum orbem in errorem pertraheret.

13. Quî tertium?

In his Scriptis omnibus nulla repugnantia, nulla falsitas revera apparet, quod accurata discussione locorum omnium, qui tale quid præ se ferunt, demonstrare non difficile esset. 1.)

Notæ.

1.) Longe melius hic Cathechesis disputat, verba saltem sunt tolerabiliora iis, quæ *Socinus* de *Auctorit. Scripturæ* dixit, ubi non uno loco errores in Scriptura esse, certe esse posse, largitur, quamquam in minimis tantum rebus. Oportet ipsa viri verba exhibere. p. 14. „Repugnantiæ porro aut diversitates, seu veræ, seu, „quæ videri tantum possint, quæ in rebus sunt parvi mo- „menti, eæ sunt, quæ pertinent ad historiam. Qua in „re aliud nihil est opus, nisi ea videre, quæ scripsit Jo- „annes qui Chrysostomus est dictus, in Procemio com- „mentariorum suorum in Evangelium Matthæi. Ubi, „si

si recte memini, plenè huic quorundam objectioni,, respondet, contra auctoritatem nominatim quatuor,, Evangelistarum & fidem eorum narrationibus adjun-,, gendam; Summa est, eos nihil prorsus inter se dis-,, sentire, in iis historiæ partibus, quæ alicujus sint mo-,, menti. Et quod in quibusdam rebus minimis inter se,, differant, hoc non solum illis non minuere, sed augere,, etiam debere auctoritatem & fidem. Hinc enim ap-,, parere eos non scripsisse quidpiam ab ipsis communi,, consensu confictum, reque vera diversos Scriptores,, fuisse, qui rei gestæ veritate impulsi, idem reipsa aperte,, scripserunt. Quamvis in quibusdam paucis rebus,, quæ nullius sunt ponderis, cum fieri possit, ut alius,, alio talium rerum veritatem melius tenuerit fortasse,, aliquantum, aut etiam multum diverse alius ab alio scri-,, pserit. Verum hac de re aliquid dicendum reservabi-,, mus in altero capite universæ quæstionis nostræ; ubi,, non ponetur pro concesso, Christianam religionem esse,, veram, quemadmodum ponitur in hoc primo capite.,, Et sane, hoc posito, nullo modo est verisimile, quem-,, quam ex varietate quapiam, aut etiam repugnantia, quæ,, in rebus admodum levibus reperiatur, in Scriptoribus,, qui adeo antiquitus, adeoque communi sensu, à Chri-,, stianis sunt approbati, caussam arrepturum de fide aut,, scientia illorum dubitandi in iis rebus, ubi inter se con-,, veniunt, & in eo, quod reipsa quilibet eorum narrat,,, nisi aliunde ipsi constet, eos in his rebus interdum id,, scripsisse, quod minime sit verum. Quamobrem ad,, ea venientes, quæ per se ipsa falsa appareant, hic simi-,, liter dicimus, aut nihil tale inveniri, aut, si quid ejus-,, modi invenitur, id adeo parvi momenti esse, ut scripto-,, rum istorum nihil prorsus fidem imminuere debeat in,, iis rebus, quæ alicujus sint ponderis.,, Luculentissime arbitror hinc patere, nullam creditam esse θεοπνευστίαν Scripturæ Sacræ infausto nostro *Fausto*. Nam quod Deum Opt. Max. auctorem habet, non modo non magnos, sed nullos errores habet. At constat Apostolos,

v. g. *Paullum* non aliqua modo potiora dogmata, v. g. illud de *Sacra Cœna*, 1. *Cor. XI. 23.* è suggestione divina accepisse, sed *Rom. XV. 19.* virtuti Signorum & prodigiorum, virtuti Spiritus S. tribuit, illique virtuti, quam Christus in ipso operatus esset, quicquid in cunctis gentibus sermone Evangelii effecisset. Cumprimis me movet Christi gravissima promissio, *Matth X. 19. 20 Quando vos tradent, nolite soliciti esse, quomodo aut quid dicatis. Datur enim vobis ea hora, quod dicatis Neque enim vos estis qui loquuntur, sed Spiritus Patris vestri, is est in vobis loquens.* Hic probe vellim considerari, cum suggerendorum verborum certa spes sit facta Apostolis quando singulis, v. g. præsidibus Romanis, aliisve Magistratibus exponendum erat testimonium de veritate Christi; non esse idem factum, cùm Apostoli ea scripserunt, quæ non huic illive, sed universæ omnium temporum ecclesiæ perpetuum testimonium essent, sitne ullo modo probabile? Equidem, ut humanæ voluntati non tribuenda sunt vaticinia antiquorum Prophetarum. 2. *Petr I. 21.* Sed Spiritui Sancto; ita factum idem esse in Apostolorum libris, nefas esse arbitror ab homine Christiano dubitari. Sed audire placet *Socinum* denuo de eodem argumento *p. 71.* „Aut, quæ docent, ad res quasdam spectant, quæ omni„no fieri credive debeant; & hæc verè doctrinæ pars est, „nec ullo modo fieri potest, ut, si isti tales sunt, quales „in Historia sunt descripti, hic errare potuerint: aut ea, „quæ docent, ad explanationem pertinent aliquorum „Jesu verborum ad res faciendas vel credendas minime „spectantium, qualia isthic fere sunt, vel ad interpretati„onem aliquorum locorum Veteris Testamenti, & ad „explicationem argumentorum inde ductorum, aliave „ratione ab ipsis in medium allatorum. Et hæc minus „propriè doctrinæ pars est, sed potius, vel additamen„tum, ut sic dixerim, vel probatio Doctrinæ; quod huc „attinet, fieri posset, ut verissima ea omnia essent, quæ

„de

„de ipsis historia affirmat, & tamen ipsi nonnunquam „hac in parte leviter erraſſent.„ Hinc non est mirandum Scripturæ Sacræ oppido exiguam prærogativam præ aliis libris hominum concedi à *Socino*, quod pariter è libello *Socini*, nunc ſæpius laudato, enarrabo p. 62. „Sed dicet fortaſſe quispiam, quicquid hactenus diximus, vim forte habere poſſe probandi, libris Veteris, & Novi Teſtamenti eam fidem adjungendam eſſe, quæ, communiter aliis libris adjungitur, non tamen majorem, quam ceteris omnibus, atque ejusmodi, ut dubitare non liceat, de re ulla in eis ſcripta, qualem illis, adjungi debere communiter affirmant, quicunque Christianam Religionem profitentur. Ad hoc ſic primum, respondeo: Utinam tanta fides adhiberetur libris Veteris aut Novi Teſtamenti, præſertim vero novi, quanta communiter multis aliis libris adhibetur. Hoc enim, ſatis foret, quo homines in veros Chriſtianos evaderent, hoc eſt, ſecundum ipſius Novi Teſtamenti præcepta viverent„ &c. In ſequentibus præferri quidem vult Sacra Scripta, externis, ſed non ob divinam Originem, quæ ſola huc, certe potiſſimum, pertinet, ſed ob alias non firmiſſimas rationes, v. g. quod Apoſtoli rebus à ſe ſcriptis propius interfuiſſent, quam *Thucydides*, *Salluſtius* & alii, iis rebus, quas exponunt geſtas.

14. Oſtendiſti, quî cauſſæ duæ è quatuor hic nihil habeant loci, oſtende, quî tertia non poſſit admitti?

Omnino, ſi tertia cauſſa hîc locum haberet, oporteret hæc ſcripta vel ex toto vel ex parte eſſe corrupta. Ex toto corrumpi non potuere; nec enim jam ii auctores eſſent, horum ſcriptorum, quos paullo ante eſſe docuimus. Sin vero ex parte corrupta fuiſſent,

 certe

certè aut in iis rebus, quæ sunt magni momenti, aut in iis, quæ non sunt magni momenti, corrupta fuissent. In illis, quæ sunt magni momenti, ea scripta depravari non potuisse, hinc apparet: quod pars depravata latere non posset, eo quod incorruptis non responderet. In rebus vero non magni momenti, si depravatio aliqua existat, ea non tanti ponderis est, ut fidem libri ullo modo vocet in dubium.

15. Nonne posses etiam alia ratione idem docere, Scripta Novi Testamenti depravata non esse?

Omnino. Etenim incredibile prorsus est, Deum, cujus bonitas & providentia est immensa, ea scripta, in quibus seipsum voluntatemque suam & viam ad salutem proposuerit, & quæ ab omnibus piis tot temporum decursu pro ejusmodi scriptis excepta & approbata fuerunt, depravari ullo modo permisisse. 1.)

Notæ.

1.) *Smalcius* in germanico habet clarius: Dafs Sie irgend auf eine Weise verfälschet würden. Nam in latino possunt voces: *ullo modo*, ad *permisisse* referri. Recentiores hæc subjungunt: „Adde, quod tot exemplaria librorum istorum statim ab initio descripta & in diversis locis habita, inque tot linguas conversa, nunquam „in unam eandemque lectionem consentire potuissent, si „eorum facta fuisset depravatio. Unde etiam iis in lo-

„cis,

cis, in quibus aliqua, quamquam exigua facta est mutatio, lectiones variant.,,

16. At vero quartam qui hinc summovebis?

Id quidem jam ipse poteras advertere; cum nulla sint apta & idonea testimonia fide dignorum hominum, quibus ea scripta premi vel impugnari constet.

17. Quandoquidem docueris, nullam esse caussam, cur de Scriptis Novi Testamenti dubitetur doce etiam, cur iisdem fides sit adhibenda?

Etsi hoc ipsum, quod nulla sit justa de iis dubitandi caussa, magnum argumentum suppeditet, cur iis fides sit habenda, afferam tamen caussam adhuc longe gravissimam, quæ fidem iisdem conciliet necessario.

18. Quænam ea est?

Religionis Christianæ veritas. Quæ cum iis tantum, nec ullis aliis libris comprehensa sit, apparet, iis libris necessario propterea habendam esse fidem. 1.)

19. At quanam re fidem facies mihi, religionem Christianam esse veram?

Ipso religionis Christianæ auctore, qui fuit homo divinus: ac ipsa religione quæ etiam divina est.

Notæ.

Quamquam subinde aliquid monendum fuisset: Tamen, quæ adhuc dicta sunt, & à Nostratibus Reformatisque pro Auctoritate Scripturæ S. passim accuratius disputantur

sputantur, sine censura dimitti poterant. Nisi quod, cum de libris N. T. solis hic sermo sit, male dicitur, nullis aliis libris fidem Christianam contineri. Continetur sane etiam libris V. T. quos nimium contemni à *Socino* paullo ante observavimus. Porro, hoc parum consultum videtur, integritatem & auctoritatem Scripturæ è veritate religionis Christianæ, demonstrare velle, cum hæc, nonnisi illa demonstrata & posita, ostendi queat. Itaque committitur ὕστερον πρότερον saltem vitiosus circulus à Socinianis. Rectius ergò factum foret, primum V. T. librorum, cumprimis *Mosis*, demonstrare veritatem. Tum, non modo consensum librorum Novi Fœderis cum illis, sed maxime impletionem vaticiniorum veterum accuratissimam in Novo docere, de quo altum apud Socinianos hic silentium; Denique miraculorum indubiorum, quibus scriptores horum librorum legatos Dei se demonstrarunt, fide niti; quibus ultimo loco agmen argumentorum, quæ *Signa credibilitatis* vulgo vocantur, subjungendum fuisset.

20. At, unde constat, Religionis Christianæ auctorem fuisse hominem divinum?

E miraculis vere divinis, quæ idem fecit: Et, quod idem, cùm religionis à se traditæ caussa mortem acerbissimam adiisset, à mortuis sit à Deo excitatus. 1.)

Notæ.

Quod dicunt, Christum *Religionis à se traditæ caussa mortem acerbissimam adiisse*, quamquam poterat recte explicatum concedi, nam doluit Judæis, quod Christus traditionibus humanis neglectis, legem divinam ab impuris additamentis mundasset: Non hoc tamen volunt Sociniani, sed legem novam Mosaica longe sanctiorem a Christo datam, quam, qui studiose sequeretur, eum salute

lute potiturum æterna, cujus nulla olim facta fuisset promissio, atque, ut exemplum virtutis & patientiæ homines haberent, ipse autem Christus ingredi gloriam sibi destinatam, eoque facto hominibus imperare posset, adiisse acerbos cruciatus, & ipsam mortem. Quæ verum, saltem primarium scopum mortis Christi non ferire, procedente hoc opusculo, demonstrabitur.

21. Qui scis eum fecisse miracula, eaque fuisse divina?

Eum fecisse miracula hinc manifestum est, quod non solum, qui in eum crediderant; verum etiam professi ipsius hostes, quales sunt Judæi, 1.) id fateantur. Ea vero fuisse divina, hinc facile agnosces, postquam docuero, eum fuisse à mortuis à Deo excitatum. Nam, cum is affirmaret, se miracula virtute divina fecisse, perspicuum est, postquam is mortuus vitæ restitutus est, verissimum fuisse, quod affirmârat, nempe miracula ipsius fuisse divina.

Notæ.

1.) Poterat catechesis cautius loqui. Nam, quamquam ex *Actis Apostolorum* v. g. *IV. 16* liquet, non habuisse Judæos, quod miraculis Christi Apostolorumque objicerent, spernent tamen Judæi, qui nunc sunt, hæc testimonia. Antiquorum vero Judæorum testimonia rara erunt. Nam in tota *Mischna* verbum de Christo non haberi, in *Gemara* haberi quidem nonnulla, quæ possint à perito Interprete in nostræ religionis commodum converti, doctissimus *Wagenseilius*, in epistola dissertationi *Rud. Mart. Meelfuhreri de Jesu in Talmude* præmissa, testatus est. Sed hæc ipsa *Gemaræ* loca ad alium, nescio quem,

quem Jesum pertinere, viri docti sunt, qui perhibent. Hoc saltem constat, ab istis Rabbinis miraculorum Christi nusquam fieri honorificam mentionem. De *Josephi* loco, *Antiquitt. XVIII. 4.* notum est eruditorum divortium, &, quanquam affirmantibus genuinum esse illud testimonium facile accedo, & hi ipsi tamen, aversum *Josephi* à caussa Christiana animum sibi videntur animadvertisse. Ceterum non diffitendum locum esse præclarum, qua de re præter ceteros, luculento libro, *Non-Christianorum de Christo testimonia* an. 1725. egit Vir cl: *Tobias Ekhardus*. Quod superest, probo Socianos, cum, demonstrata resurrectione Christi, divinitatem miraculorum ejus simul demonstratam esse ajunt. Sed & hoc placet, quod recentiores addiderunt: „Ea vero (miracula) fuisse divina „hinc facile cognoscitur, quod alioqui Diabolo adscribenda „forent; hoc autem summa doctrinæ Christi quæ mi„miraculis istis confirmabatur, sanctitas, Diaboli consiliis „penitus adversa, inque illius dedecus & maximum de„trimentum, in Dei vero summam gloriam comparata, „nullo pacto statuere permittit.

22. *Doce igitur eum fuisse à mortuis à DEO excitatum.*

A mortuis eum à Deo excitatum esse, hinc apparet: Primum, quod fuerint multi illico post mortem ejus, qui constantissime adfirmarunt, quod eum à mortuis excitatum vidissent: Et propter hoc ipsum, quod eum excitatum à mortuis adfirmarent, multas calamitates pertulerunt: quidam vero etiam vitæ discrimen adierunt. Deinde, innumerabiles alii, à prioribus idem accipientes, & ingentes calamitates & mortes longe acerbissimas

firmas ejusdem rei caussa subierunt. 1.) Ex quo efficitur necessario, aut Jesum à mortuis excitatum esse, aut illos idcirco, quod tanta constantia asseverabant rem, quam falsam esse noverant, tot calamitatibus sese implicare, ac mortes etiam longe tristissimas perferre voluisse. Posterius fieri nulla ratione potuit. cum ipse communis sensus id abunde refellat. Quare prius omnino verum esse apparet. 2.)

Notæ.

1.) Frigide hic caussam optimam actam esse à Socinianis, exprobratum ipsis est in solida refutatione à *Balduino*, clarissimæ memoriæ Theologo Witebergensi, huic Catechesi opposita, p. 17. neque immerito. Multitudo enim eorum, qui affirmarent, se vidisse Christum, eoque testimonio defungentes non detrectarent omnis generis cruciatus subire, argumentum quidem est ceteris junctum bonum, & cum fructu adhibetur, neque tamen conficit rem. Extant sane exempla hominum, in tuenda superstitione consentientium & gravia quoque passorum. Quin ergo utimur palmario argumento, quo usi sunt primi resurrectionis Christi testes? Vidisse se Christum narrant vitæ restitutum, neque hoc modo, sed ita fieri oportuisse, laudatis vaticiniis V.T. demonstrarunt. *Act. II. 24. sq.* Itaque solidissime demonstrata necessitate resurrectionis, potuit *Petrus* subjicere *v. 36. Certo sciat tota domus Israel,* &c. Ita etiam convicti sunt animi *v. 37.* Testium Christi simplicitas, integritas, fuga voluptatum, patientia cruciatuum & summa constantia cum ceteris virtutibus hoc jure impetrant ab omnibus, qui veritatis volunt studiosi videri, ut serio examinent, quæ à talibus viris perhibentur. Verum, ut fidem statim habeant dictis, nondum fas est poscere. Miracula & copiosa & stupenda &

pala in

palam facta augere debebant admirationem, atque affectum amoris in doctrinam amplissime testatam & per se quoque pulcherrimam, excitare. Sed, neque sic nullo dubio relinquendum locum fuisse censeo, cum constet *Deut. XIII. 1. 2. 3.* neque ipsis miraculis, si sola sint, nisi verbum divinum consonet, fidendum esse, multo minus externæ, honestissimæ licet speciei eorum, qui docere incognita volunt. At summus consensus Scripturæ indubitatæ à tot seculis certissimis characteribus comprobatæ, ad quem se testes resurrectionis Christi recipiunt, hoc impetrare debet, ut fides addatur certa, ut excludantur jam dubia omnia. Nam, cum antea saltem hoc potuisset dubii in bona quoque mente esse; fieri posse, ut phantasiæ vi obripiantur integri licet & honestissimi testes, quod accidisse legimus *Festo Act. XXVI. 24.* quando palam fit, probe eos vaticinia antiquissima explicare, atque ita explicare, ut nulla arte ostendi possit, eorum vaticiniorum alium sensum esse; tum & hæc dubitatio cadit, ac sobrie & sapienter testes ejusmodi loqui fatendum; compescendum labellum fidemque habendam esse ipsa ratio dictitat: quamquam ratio corrupta nostra ita comparata est, ut, tametsi non habeat, quod objiciat, sibi relicta credere non possit Evangelio: cui, ut sincera fides adhibeatur, lumine divino opus est. Fas tamen esse, ut credatur, h. e. nihil esse, quo minus credatur, agnoscit ipsa ratio. Ceterum huc conferendum, *1. Cor. XV. 3. 4.*

2.) Deinde monendi sunt Sociniani, quod & factum in *refutatione Wittebergensi* cum ipsi hic primariam veritatem ceterarumque omnium basin, non ipso verbo divino, sed consecutionibus probare nitantur, non esse, quod catholicum dogma, de Sacrosancta Trinitate eodem modo & longe quidem clarius, quam ipsi h. c. instituerunt resurrectionem probare, à nobis demonstratum, ipsi vituperent; Quod fecit v. g. *Ostorodus*: Unterrichtung c. 4. p. 28. Und obwohl die Theologi

sich

sich bemühen mit mancherley Collectionibus und Consequentiis, das ist Folg- und Schluss-Reden solches zu bevveisen, so ist doch (vornemlich, so viel unsere Proposition betrifft) alle ihre Mühe und Arbeit vergebens, und umsonst, dann solch eine grosse Sach, die sie für den Haupt Articul ihres Glaubens, und für das rechte heilsame Erkänntnis GOttes halten, ohne vvelches Erkänntnis man nicht könne selig vverden, muss nicht auf Consequentiis und Schlus-Reden, sondern auf den hellen klaren und ausgedrückten Wort GOttes gegründet seyn. Ita obliviscuntur sui homines.

23. *Quod alterum argumentum habes hujus rei?*

Id nimirum, quod incredibile prorsus fuerit, eam religionem, quæ nullum vitæ hujus splendorem, nulla commoda, nullas voluptates, cultoribus suis afferat; verum etiam eadem illa omnia prorsus eisdem detrahat, & in multas vitæ hujus angustias variasque afflictiones compellat, à tot nationibus recipi, nisi Jesu Christi à mortuis suscitatione confirmata fuisset. 1.)

Notæ.

1.) Non est contemnendum & hoc argumentum ceteris junctum, sed palmarium, ut supra ad quæstionem præcedentem monui, male est à Catechesi omissum.

24. *Demonstrasti Christianæ religionis auctorem fuisse hominem divinum: demonstrari etiam mihi velim, ipsam hanc religionem esse divinam.*

Id quidem ex ipso auctore ejus divino jam perspicere potuisti: Attamen & ex iis rebus, quibus constat hæc religio, docere in promtu

est, è præceptis nimirum atque promissis: deinde ex omnibus ejusdem religionis circumstantiis. 1.)

Notæ.

1.) Admittunt hæc commodam interpretationem, itaquè non est animus vituperare; sed quanto perfectior meliorque Catechesis nostra est? Duo nos profitemur religionis Christianæ capita esse, *Legem* & *Evangelium*. Ex illa nos discere, cum, quid fas nefasque sit, tum esse nos miseros peccatores, & hujus seculi æternisque pœnis dignissimos; ex Evangelio, quæ sit Dei in nos voluntas, & qua ratione oporteat nos salutem consequi.

25. *At qua ratione è præceptis & promissis colligitur hanc religionem esse divinam?*

Ea quidem ratione, quod & præcepta perfectam vitæ sanctimoniam, & promissa summum atque perfectissimum bonum comprehendant.

26. *Quænam sunt religionis hujus circumstantiæ?*

Initia, progressio, denique vis & effecta.

27. *Quomodo ex initiis ipsius docebis eam esse divinam?*

Hoc nullo negotio animadvertes, ubi expenderis, quinam fuerunt, qui primi hanc religionem fundaverunt: nempe homines viles, & apud omnes contemti; ac simul consideraveris, eos id fecisse, nulla potentia, nullis opibus, nulla sapientia, nulla auctoritate mundi subnixos. Verum simplici solum prædicatione & persuasione usos, in hominibus ad sententiam suam pertrahendis.

28.

28. *E progressione vero quemadmodum id docebis?*

Ad eum modum, quod brevissimo tempore ea religio mirum in modum creverit; & innumeræ nationes atque homines, docti, indocti, nobiles, ignobiles, sexus utriusque, religionibus, quas à patribus atque majoribus hauserant, abjuratis, eam religionem amplexi fuerint, nullis commodis vitæ hujus allecti, nec ullarum calamitatum, quæ hanc religionem comitari solent, mole deterriti.

29. *E vi porro atque effectis qua ratione id planum facies?*

Primo, quod nullo consilio, nec astu; nulla vi, nullaque hominum potentia supprimi potuerit: Deinde, quod omnes priscas religiones sustulerit, excepta Judaica 1.) quam illa pro ejusmodi agnovit, quæ à Deo profecta, ad certum tempus erat duratura.

Notæ.

1.) Hæc sunt cum grano salis accipienda. Nam, neque dici potest actu sublatas esse omnes religiones h. e. superstitiones, neque intacta mansit religio Judaica, in quantum Judæi sua commenta verbo Dei alleverant; neque ad tempus tantum duratura erat Judaica religio, quantum attinet ad capitales veritates, quæ reipsa eædem sunt, quas hodie profitemur, etsi Ceremoniæ Leviticæ, ut umbra venienti corpori, merito cessere.

30. *Quam certa & firma sint Novi-Fœderis scripta, hactenus docuisti; doce etiam veteris fœderis non minus esse firma?*

Id quidem brevissime doceri hinc potest, quod scripta N. T. certa esse illa testentur. Cum igitur testes ipsi sint veri & certi, ut hactenus docuimus, apparet, eorum testimonium certum verumque esse. 1.)

Notæ.

1.) Carpserunt alii, hæc de omnibus libris V. T. nimis parcè dicta esse; nos addimus, sufficere hunc modum demonstrandi auctoritatem V. T. posse, iis, qui Christiani jam sunt, vel potiùs hos non multum opus habere demonstratione. At, quibus demum persuadenda est Christiana fides, hos consultius videtur primum de V. T. librorum divina auctoritate convincere. Neque tamen damnabo, si quis alia via ad eundem scopum pervenerit, nam, cum sit veritas una, non est una eam docendi ratio.

CAPUT II.

De Sufficientia Scripturæ Sacræ.

31. *Scripta divinarum literarum esse certa & firma satis probasti; doceri amplius velim, an etiam sint ita sufficientia, ut in rebus ad salutem necessariis iis solis acquiescendum sit?*

Prorsus sufficientia sunt ad eam rem: Eo quod fides in Dominum Jesum Christum, & obedientia mandatorum ejus, sit in iis scriptis N. Fœderis sufficientissime tradita & explicata, quam ex Dei promisso vita æterna consequitur. 1.)

Notæ.

Notæ.

1.) Fides & obedientia mandatorum Christi Socinianis plane unum idemque est, quod deinde accipiemus, ubi & evincemus, hoc ipso everti fundamentum religionis. Neque enim ullis operibus nostris, sed potius sola gratia Dei vitam æternam nanciscimur. Ceterum, quæ recentior editio addidit, non sunt magni momenti.

32. *Si res ita habet, quid igitur traditionibus opus est, quas ad salutem necessarias in Romana Ecclesia ajunt, & scripturam non scriptam vocant?* 1.)

Bene rem percipis, eas prorsus ad salutem non esse necessarias.

33. *Quid igitur de iis sentiendum est?*

Eas non solum sine causa & justa necessitate confictas & inventas esse, verum etiam summo cum discrimine fidei Christianæ. 2.)

Notæ.

1.) Quantum mihi constat, nemo Pontificiorum traditiones vocat *Scripturam non scriptam*, quæ vox absona foret, *sed verbum non scriptum*: Video autem in recentiori editione errorem hunc correctum.

2.) Traditiones humanas in rebus fidei nihilo nos majoris facimus, quam Sociniani, verum indigna res est, in harum censum referri sanctissima dogmata in ipsa Scriptura S. solis radiis, quamquam non vocabulis technicis, scripta, ut de tribus personis in una essentia divina. Agetur hac de re deinceps ex instituto. Nunc ut gustum aliquem dicendorum lector habeat, non Antichristo sed antiquissimis Ecclesiæ & Sanctissimis Doctoribus creditum esse S. S. Trinitatis dogma, fas erit uno loco *Irenei*, sed pulcherrimo, ostendere, *L. IV. c.* 37. *edit. Erasmi p.* 230.

"Semper dicimus, quoniam est tantus Deus, & ipse est, "qui per semet ipsum constituit & fecit, & adornavit, & "continet omnia, in omnibus autem & nos, & hunc "mundum, qui est secundum nos. Et nos igitur cum "his, quæ continentur, ab eo facti sumus. Et hic est, "de quo Scriptura ait; Et plasmavit Deus hominem, li-"mum terræ accipiens & insufflavit in faciem ejus fla-"tum vitæ. Non angeli fecerunt nos, nec nos plasma-"verunt, nec angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec "alius quis præter verbum Domini, nec virtus longe ab-"sistens à patre universorum. Nec enim indigebat ho-"rum Deus ad faciendum, quæ ipse apud se præfinie-"rat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest "enim ei semper verbum & sapientia Filius, & Spiritus, per "quos & in quibus omnia libere & sponte fecit, ad quos "& loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem "& similitudinem nostram, ipse à semet ipso substantiam "creaturarum, & exemplum factorum, & figuram in "mundo ornamentorum accipiens: Bene ergo Scriptura "dicit: Primo omnium crede, quoniam unus est Deus, "qui omnia constituit, & consummavit, & fecit ex eo, "quod non erat, ut essent omnia, omnium capax, & "qui à nemine capiatur, &c. *paullo post*: Et quoniam "verbum, id est, Filius, semper cùm patre erat, per mul-"ta demonstravimus. Quoniam & sapientia, quæ est "Spiritus, erat apud Deum, ante omnem constitutionem, "per *Salomonem* ait: Deus sapientia fundavit terram, &c. "Unus igitur Deus, qui verbo & sapientia fecit, & apta-"vit omnia, hic est autem Demiurgus, qui & mundum "hunc attribuit humano generi, qui secundum magnitu-"dinem quidem ignotus est omnibus his, qui ab eo facti "sunt, secundum autem dilectionem cognoscitur semper, "per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic "verbum Dominus noster Jesus Christus, qui in novissi-"mis temporibus homo in hominibus factus est," Hæc Sanctus *Ireneus*, & similia alia sæpissime. Qui nec

Pon-

Pontificius fuit, & *Socinianis* in faciem contradixit. Fuit enim verbum, antequam fieret homo, item *Arrianis*; Nam, cum primo dixisset, Deum per *semetipsum* & constituisse & fecisse & adornasse & continere omnia, paullo post subjungit verba meditatione dignissima: *Nec indigebat Deus horum angelorum, ad faciendum, quæ ipse apud se præfinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Filius & Spiritus.* Sunt ergo Spiritus & Filius *Deus ipse*, alioqui non dixisset *Irenæus*, quod per hos factum est, Deum fecisse *per semetipsum*, & pulchra est similitudo *manuum*, tametsi nulla similitudine tantum mysterium exhauritur. Quemadmodum enim *manus* nostræ à nobis non sunt diversum aliquid sed quod ad substantiam nostram pertinet, ita Filius non extra essentiam Patris est. Denique contradicit *Irenæus* & *Sabellianis*, quamquam hoc vocabulum tum nondum innotuerat. Allocutus enim est Pater mundum creaturus Filium & Spiritum Sanctum, & hoc verbum fecit imaginem Dei, & Filius à Patre distinguitur. Quæ omnia docent non unam esse sed tres personas. Hæc hoc quidem loco satis erunt, ne quis arbitretur veri aliquid esse in commento Socinianorum, cum dogmata gravissima ad traditiones humanas referunt, & cum summo discrimine salutis conjuncta esse comminiscuntur. *Sandio*, *Zvikero*. *Souverainio*, *Clerico*, & quantum ad sanctissimam doctrinam de justificatione per solam fidem attinet, *Poireto* & *Dippelio*, sive *Democrito*, nam hi duo Christi divinitatem, quod sciam, non negarunt, infra accurate respondebitur, & quanta confidentia negarunt ipsi, veteres Doctores primæ Ecclesiæ, idem quod nos hodie, docuisse; tanta claritate ad animorum convictionem ostendetur contrarium. *Stanislai* vero *Lubienicii* incredibilis audacia hoc loco refellenda videtur, qui *Histor. Reformat. Polon. an. 1685.* edita p. 8. *Eusebii* narrationem

de *Artemonitis*, *libr. V. H. E.* ita repetit, quasi vere gloriati essent *Artemonis* discipuli, ipsos apostolos suam sententiam fovisse. Audire placet primo *Lubienicium*, tum *Eusebium*. Sic ille: *Quos inter*, *Episcopos Asianos à Victore Episcopo Romano damnatos*, & *Theodotus Byzantinus. vir multæ doctrinæ fuit, qui Christum à Deo divina potestate donatum, ante Matrem extitisse, multis id post tempora Apostolorum affirmare ausis, constanter negavit, quod & Artemas vel Artemon circa eadem tempora magna fecit fiducia, & non exiguum sequacium numerum, scindente se in partes Ecclesia, habuit. Quorum etiam protestatio Actis Hist. Ecclesiasticæ Eusebii l. 5. cap. ult. quamvis ab adversariis conscriptæ, inserta est, eos scil:, ita de antiquitate hujus sententiæ gloriatos fuisse ut Majores omnes, etiam ipsos Apostolos, eadem sensisse ac docuisse, que illi, servatamque eam prædicationis veritatem usque ad tempora Victoris magno animo dixerint & asseruerint* Hæc qui legit non potest non arbitrari, fassos *Artemonitarum* adversarios esse, *asseruisse* hos antiquitatem doctrinæ suæ. Nunc fas est audire *Eusebium. H. E. V. cap 28.* Τούτων ἔν τινι σπουδάσματι κατὰ τῆς Ἀρτέμωνος αἱρέσεως πεπονημένῳ, ἣν αὖθις ὁ ἐκ Σαμοσάτων Παῦλος καθ' ἡμᾶς ἀνανεώσασθαι πεπείραται, φέρεταί τις διήγησις, ταῖς ἐξεταζομέναις ἡμῖν προσήκουσα ἱστορίαις. Τὴν γὰρ δεδηλωμένην αἵρεσιν ψιλὸν ἄνθρωπον γενέσθαι τὸν σωτῆρα φάσκουσαν οὐ πρὸ πολλοῦ νεωτερισθεῖσαν εὐθύνων ἐπειδή. σεμνύνειν αὐτὴν ὡς ἂν ἀρχαίαν οἱ ταύτης ἤθελον εἰσηγηταὶ, πολλὰ καὶ ἄλλα εἰς ἔλεγχον αὐτῶν τῆς βλασφήμου ψευδηγορίας παραθεὶς ὁ λόγος ταῦτα κατὰ λέξιν ἱστορεῖ. Φασὶ γὰρ τοὺς μὲν προτέρους ἅπαντας καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀποστόλους παρειληφέναι

φέναι καὶ δεδιδαχέναι ταῦτα ἃ νῦν οὗτοι λέγουσι, καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν τοῦ κηρύγματος μέχρι τῶν Βίκτωρος χρόνων ὃς ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος. ἀπὸ δὲ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ζεφυρίνου παρακεχαράχθαι τὴν ἀλήθειαν. ἦν δ' ἂν τυχὸν πιθανὸν τὸ λεγόμενον, εἰ μὴ πρῶτον μὲν ἀντέπιπτον αὐτοῖς αἱ θεῖαι γραφαί. καὶ ἀδελφῶν δέ τινων ἐστὶ γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας καὶ πρὸς τὰς τότε αἱρέσεις ἔγραψαν. λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου καὶ Τατιανοῦ καὶ Κλήμεντος καὶ ἑτέρων πλειόνων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός. Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν. Hæc & pauca alia quæ præterea adjiciemus *Wolfg. Musculus* sic vertit: „Inter hosce „libros, (quorum ab orthodoxis quidem sed sibi inco„gnitis auctoribus scriptorum *Eusebius* mentionem fece„rat) volumen quoddam est, contra *Artemonis* hæresim, „quam *Paullus Samosatenus* nostris temporibus renovare „conatus est, elaboratum; in quo narratio continetur „historiis nostris, quas undique conquisivimus, non in„commoda. Dictam enim hæresim, quæ servatorem „nudum hominem esse dicit, nuper temere inductam, „liber ille redarguens, & quoniam auctores illius de ea „quasi antiqua gloriabantur, post alia multa ad repre„hendendum blasphemum eorum mendacium inducta, ista „ad verba subjiciens, sic scribit; Dicunt enim majores „omnes, etiam ipsos Apostolos ea sensisse ac docuisse, quæ „ipsi nunc dicunt, servatamque eam prædicationis veri„tatem usque ad tempora *Victoris*, qui tertius decimus à „*Petro* Romanorum Episcopus fuit: Per Successorem „vero hujus *Zephyrinum* fuisse corruptam. Esset au-

C 5 „tem

,,tem hoc forsan verosimile, nisi reclamarent illis pri-
,,mum divinæ Scripturæ, deinde & fratrum quorundam
,,scripta temporibus *Victoris* antiquiora, quæ illi contra
,,gentes pro veritate, & adversum illorum temporum
,,hæreses, conscripserunt (de *Justino* loquor & *Miltiade*
,,& *Tatiano* & *Clemente* ac pluribus aliis) in quibus o-
,,mnibus Christus Deus pronunciatur. Etenim *Irenæi* ac
,,*Melitonis* & reliquorum libros, Christum & Deum
,,& hominem confiteri quis ignorat? Denique, quot
,,sunt Psalmi & Cantica ab initio à fidelibus fratribus
,,scripta, quæ Christum Dei verbum tanquam Deum
,,celebrant & laudant? Quomodo igitur possibile est
,,majores ad *Victoris* usque tempora sic prædicasse, sicut
,,ipsi dicunt, cum Ecclesiastica sententia per tot annos sit
,,pronunciata ac vulgata. Et quomodo non pudet eos
,,ad hunc modum de *Victore* mentiri, quum exactè
,,sciant, *Victorem* hunc coriarium *Theodotum* ducem ac
,,Patrem apostasiæ hujus, quæ divinitatem Christi
,,negat, à communione rejecisse, eo quod primus Chri-
,,stum nudum esse hominem dixerat? Lectori meo tri-
buo tantum, ut non sit monendus, ab utra parte stet
veritas, & quam turpiter se *Lubienicius* dederit; contra,
quam præclarum sit hoc *Eusebii* pro nostra Catholica
doctrina, adversus *Socinianos* primum, sed & *Arrianos*,
testimonium. Sed paucis quid *Danieli Zvikero* de eodem
argumento in mentem venerit, narrabo. *Is. Irenic. p.* 32.
,,Tertio, antiquissimus scriptor apud *Euseb. Hist. Eccles. l.* 5.
,,*c.* 28. id quoque docet, dum *Artemonitarum* sententiam
,,refutaturus simulque sententiam eam non inde ab Apo-
,,stolis in Ecclesia durasse, quemadmodum illi quidem vo-
,,lebant & docebant, ostensurus, nullum prorsus *Justino*
,,antiquiorem in Ecclesia Doctorem citat, citareque po-
,,test, qui Christum Deum & hominem dixisset; sed
,,sententiæ hujus professionem à *Justino* tantum inchoat.,,
Hic merito quæras, quo mens abierit *Zvikero*, nam quos
aucto-

auctores laudaret scriptor ille antiquissimus? neque enim multi antecessisse videntur *Justinum* antiquitate, qui quidem de hoc argumento scribere animum induxerint. Cur vero non sufficit *Zvikero*, *Eusebii* testimonium, qui Theopneustos scriptores adversari huic errori claris verbis dixit, antiquosque fratres laudat, qui hymnos de divinitate Christi cecinerint?

34. Quodnam id esse potest discrimen?

Id, quod caussam istæ traditiones subministrent hominibus, à veritate divina ad mendacium & humana commenta deflectendi.

35. Veruntamen è scriptura istas traditiones asserere videntur.

Ea testimonia, quæ ad probandas traditiones è Scriptura proferunt, demonstrant quidem, Christum & Apostolos locutos fuisse & fecisse quædam, quæ literis divinis non sunt comprehensa; Verum nulla ratione ostendunt, illa fuisse ab iis, veluti de manu in manum, ad servandum temporibus perpetuis tradita, aut ea, quæ literis divinis sunt consignata, ad religionem & salutem non sufficere. 1.)

Notæ.

1.) *Smalcius* addit: Welches denn beydes die Päbstischen affirmiren. Sed & nos pungit, nam dogma de S. S. Trinitate ex Antichristiano cœtu nos accepisse criminantur Sociniani. Recentiores, contra Pontificios, non male addiderunt: Quamquam aliqua ab Apostolis tradita sint, non scripta, non tamen constare ea esse, quæ nobis Romana Ecclesia obtrudere conatur, quædam & certis hominibus, & ad certum tempus tradita.

CA-

CAPUT III.

De Perspicuitate Sacrarum literarum.

36. *Et certam, & sufficientem Scripturam docuisti hactenus; An vero eadem perspicua sit omnibus & facilis, ostende.*

Etsi difficultates quædam in ea occurant: Est tamen Scriptura Sacra, præsertim novi foederis, facilis & perspicua, in iis, quæ ad salutem prorsus sunt necessaria.

37. *Qua ratione id demonstrabis?*

Primum, cum Deus eo fine atque consilio Scripturam Sacram hominibus tradi voluerit, ut ex ea voluntatem ipsius cognoscerent, incredibile prorsus est, ejusmodi scripta tradi voluisse, è quibus voluntas ipsius perspici atque cognosci ab omnibus non posset. Deinde, quod ipsis religionis Christianæ principiis, Apostoli, epistolas suas, in quibus præcipua Christianæ religionis mysteria continentur, ad homines simplices scripserint. 1.)

38. *At unde tot dissidia in eruendo Scripturæ sensu emergunt?*

Hinc, quod homines scripturam vel negligenter legant, aut cor non afferant sincerum, & ab omnibus impedimentis, & cupiditatibus solutum; aut auxilium illud divinum, donum nempe Spiritus Sancti, quod DEUS promisit dies noctesque eum invocanti-

cantibus, non, quo par est, studio implorant. 2.)

Notæ.

1.) Non equidem aspernor rationem, qua probatur perspicuitas Scripturæ, concedo potius esse validam, deinde & ad inductionem exemplorum seu doctrinarum recipere me soleo, & jubeo demonstrare Pontificios vel unicum sanctissimæ nostræ fidei dogma, quod non possimus ex uno & item altero Scripturæ clarissimo dicto adstruere: Sed hoc jure miramur in Socinianis, qui consequentias nolunt admittere, cur hoc probandi genere per consequentias hic potissimum uti voluerint, cum ipsius Scripturæ de sua perspicuitate testimonia extent; *Luci* enim & *Lucernæ* comparatur.

2.) Quæ de dono Spiritus Sancti ad intelligentiam Scripturæ necessario hic narrant, sunt sane bene dicta. At qui conspirent cum *Ostorodi* verbis, non intelligo. Is, Unterrichtung *cap. 1, p. 12.* sic ait: So kan denn nun der Mensch von GOtt und seinem Willen nichts wissen, nur was ihm GOtt selber offenbaret, nemlich *äusserlicher Weise.* Welche Offenbarung, wann sie vorhanden ist, so kan der Mensch nicht allein die göttliche Sachen verstehen, und begreiffen, sondern er wird auch drum gestrafft werden, wann er sie nicht begreifft. Wie aus den Ort Paulli, welcher erst erkläret worden, (*Rom. 1. 19. 20,*) bezeuget wird. Welches dann nicht geschehen könnt, sintemal GOtt gerecht ist, wo es nicht in des Menschen Macht wäre, Göttliche Sachen, wenn sie ihm äusserlicher Weise von GOtt offenbahrt werden, zu verstehen, und zu begreiffen. Weil denn nun diesem so ist, und der Mangel, von welchem wir reden, nicht am Menschen ist; so müst folgen, dass er an der Heiligen Schrifft selber wäre. Dahero dann abermahl aus zweyen eines folgen muss, nemlich, dass entweder die Heil. Schrifft so tunckel, und

unverständlich geschrieben wväre, dass man sie ohne sonderliche Offenbahrung, wvie fast alle Schrifften der Propheten, und sonderlich ein gross Theil der Offenbahrung Johannis nicht verstehen könne. Oder, &c. Atque hanc *Ostorodi* sententiam receptam Socinianis esse, tum alia docent, tum, quod recentiores editiones Catecheseos hæc bene posita loco moverunt. Sic enim reposuerunt: *aut auxilium divinum, eo, quo parest, studio, non implorant*, omissa mentione Spiritus Sancti & promissionis divinæ, ut adeo in aprico sit, intelligere hos homines, qui & in ceteris *Ostorodo* plane consentiunt, auxilium divinum in naturalibus tantum, v. g. viribus ingenii suppeditandis. Hæc, inquam, conciliari cum *Catechesi Racoviensi* non possunt. Catechesis enim non potest *externam* revelationem Spiritus S. intelligere, per illud *auxilium* & *donum*, ponit enim librum Scripturæ atque adeo externam revelationem jam præ manibus esse. Sed *interna* revelatione opus esse negat *Ostorodus*. In quo & hoc damnandum, quod *fere omnia Prophetarum scripta*, cum maxima parte *Apocalypseos* sine nova revelatione contendit intelligi non posse, qui *cap. 40. p. 372. ex 2. Petr. 1. 20.* evincere conatur, qui non habeat Spiritum propheticum, qualem ipsi Prophetæ habuerint, non posse Prophetas intelligere, immo vehementer in eos invehitur, qui cum non sint ipsi Prophetæ, *Apocalypsin*, & *Prophetas* explicare audent. Procurritur adeo, quod non putes facile fieri posse, in duo extrema à Socinianis simul, qui credere nos jubent, in Novi Testamenti scriptis hominem sine Spiritus S. illustratione, omnia præter *Apocalysin* capere rectissime, & salutariter posse, Prophetas autem, nisi sit ipse Propheta, plane non posse intelligere. Observabit etiam lector a *Ostorodo* Scripturam S. opponi prophetarum fere omnibus scriptis & magnæ parti *Apocalypseos*, quos adeo

adeo libros non refert in Scripturæ librorum numerum. Unde confirmantur, quæ supra de contemtu librorum V.T. observavimus. Quanto satius est, cum Evangelicis utrumque præcipitium evitare, qui norunt posse aliquem ordinario lumine Spiritus S. qui quidem & externis subsidiis, v. g. linguarum cognitione, nos uti jubet, prophetam intelligere, etiamsi ipse non sit Propheta, ut (*andaces* Reginæ Dynastes intellexit. *Act. VIII. 31.*) & sine eo ne clarissima quidem dicta N. T. salutariter agnoscere. *1. Cor. II. 14.*

39. Quis igitur est Doctorum usus?

Ut homines ad ea, quæ percipere ipsi possunt, tuenda & servanda stimulent, & in difficilioribus percipiendis, eosdem adjuvent.

DE VIA SALUTIS.

CAPUT I.

De caussis patefaciendæ salutis viæ.

40. Quoad Scripturam Sacram, agnosco mihi abs te satisfactum; veruntamen, cum initio dixeris, hanc viam, quæ ad immortalitatem ducat, esse divinitus patefactam, scire velim, cur id abs te dictum sit?

Propterea, quia ut homo natura nihil habet commune cum immortalitate, ita eam ipse viam, quæ nos ad immortalitatem duceret, nulla ratione per se cognoscere potuit.

41. Cur vero nihil habet commune homo cum immortalitate?

Idcirco, quod ab initio de humo formatus,

tus, propterea que mortalis creatus fuerit: 1.) Deinde vero, quod mandatum Dei ipsi propositum transgressus sit, eoque, decreto Dei ipsius in mandato expresso, æternæ morti necessario 2.) subjectus fuerit.

42. Qui vero id conveniet iis Scripturæ locis, in quibus scriptum extat, hominem ad imaginem Dei creatum esse, & creatum ad immortalitatem & quod mors per peccatum in mundum introierit? Gen. I. 26. 27. Sap. II. 23. Rom. V. 12.

Quod ad testimonium attinet, quod hominem creatum ad imaginem Dei pronunciat, sciendum est, imaginem Dei non significare immortalitatem (quod hinc patet, quod Scriptura eo tempore, quo homo æternæ morti subjectus fuerat, agnoscat in homine istam imaginem. *Gen. IX.* 6. Qui effuderit Sanguinem hominis, per hominem effundetur sanguis ipsius, etenim ad imaginem suam fecit hominem Deus. *Jacob. III.* 9. Lingua benedicimus Deo & Patri, & eadem maledicimus hominibus, qui ad imaginem Dei facti sunt.) 3.) Sed potestatem hominis & dominium in omnes res à Deo conditas supra terram, designare: ut idem locus, in quo de hac eadem imagine agitur. *Gen. I.* 26. aperte indicat. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Et dominetur piscibus maris

ris & volucribus cœli & jumentis & universæ terræ & omni reptili, quod reptat super terram. 4.)

43. At vero de secundo testimonio quid censes?

Primum, ex eo libro allatum esse, qui inter Apocrypha recensetur: 5) quare certum argumentum ex eo peti non potest. Deinde, quod in eo loco transfertur: Deus creavit ad immortalitatem hominem, hoc, in incorruptione, vi sermonis græci reddi potest. Porro integritas & incorruptio non solum ad naturam hominis, verum etiam ad conditionem & fortunam, ejusque cursum felicem, ad vitæ terminum extremum, 6) referri potest: atque hîc omnino referendum esse, sequentia verba, per antithesin antecedentibus opposita demonstrant, quæ sunt: Verum invidia diaboli mors intravit in mundum, & tentant (inferre) eam, qui illius partis sunt.

44. Quid porro ad tertium respondebis?

Apostolus eo in loco non agit de mortalitate, verum de morte ipsa: 7) mortalitas vero à morte multum dissidet: Siquidem potest quis esse mortalis, nec tamen unquam mori.

45. Quæ igitur est horum verborum sententia, quod mors per peccatum introierit in mundum?

Hæc, quod Adamus ob peccatum, decreto & sententia Dei, æternæ morti subjectus

est: proinde omnes homines, eo quod ex eo nati sunt, 8) eidem æternæ morti subjaceant. 9) Rem ita esse, collatio Christi cum Adamo, quam Apostolus eodem capite à ℣. 12. ad finem instituit, indicio est.

Notæ.

℣. 1.) Mortalem creatum esse hominem, omnes, quos Pelagianum fermentum infecit, quod in Socinianis regnat, in Pontificiis tantum non regnat, uno ore contendunt: Itaque & *Bellarminus*, cum dixisset, *de gratia primi hominis, libro unico. cap VIII p. m. 31.* Pelagianos affirmasse, hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset, ipse, ut Semi-Pelagianus, *cap. IX. p.* 33. negat primi hominis immortalitatem *naturalem* fuisse, potius *supernaturalem* esse contendit. Atque hoc requirit peccati originalis vel negatio, vel saltem extenuatio. Prout & idem *Bellarminus l. c. cap. VI. p. 24.* non veretur dicere *Concupiscentia carnis nunc quidem pœna peccati est, tamen homini conditó in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectus, & quasi morbus quidam naturæ, ex conditione materiæ consequens.* Nam cum velint multum tribui hominis operibus & sanctitati, interest vindicare homini vires naturales, & extenuare peccatum originis. At, non posset adeo extenuari, si concedendum sit infantes propter peccatum originale mori: Itaque contendunt Sociniani, hominem mortalem esse conditum. Extat *Fausti Socini* cum *Francisco Puccio*, de hoc argumento disputatio, per scripta habita, an. *1578.* quam idem *Moscorovius*, cui hanc latinam Catechesin debemus, *Mauritio Landgrafio Hassiæ* dedicavit *Racoviæ an. 1610* editam, usus in præfatione confidentissimo dicendi genere, & suos homines præser-

tim

tim *Socinum* invidendis laudibus onerat, ut qui demum expurgassent traditiones humanas. De eo libro mihi sic videtur, *Puccium* bonam caussam non egisse optime, *Socinum* caussam malam haud ignave quidem, sed quod necesse est, infeliciter. *Puccius* in ipso limine impegit, quod non humano solum generi ante lapsum, sed rebus creatis omnibus assertum ivit immortalitatem, quæ res multis absurditatibus implicavit hominem, deinde & aliqu.t argumentis levioribus usus est. v. g. hominem in Paradiso, seu deliciarum horto, esse positum, sinceram autem nullam voluptatem esse si mortis immineat expectatio. Cui similibusque rationibus, facile invenit, quod regereret, *Socinus*. Antequam vero nos de re ipsa videamus, ambiguitas vocabuli tollenda est. *Mortalis* potest dici, quicunque, ut accepit à Deo vitam, ita mori posset, si quidem Deus vellet: Hoc modo certum est, nullam rerum creatarum immortalem dici posse, nec in ipsa beata vita homines. Nam, etsi certissime nunquam futurum est, ut velit Deus eos mori; omnipotentiæ tamen divinæ derogaretur, si non potuisse Deum velle horum mortem contenderes. Potuisset utique velle, nisi se, nunquam hoc vel voliturum vel facturum libere promisisset. Nec ipsi angeli & reliqui Spiritus sunt eo sensu immortales, nam licet non possunt in partes dissolvi, quas nullas habent, possunt tamen, ut aliquando nihil fuerunt, siquidem hoc vellet Deus, desinere esse, quod fuerant, & vivere desinere, h. e. possunt mori. Altero & usitato sensu, *mortale* dicitur, quod ita est comparatum, ut aliquando, nisi peculiari divino decreto præservetur, moriturum est; *immortale*, quod sua natura non esset moriturum, nisi accedat divinum decretum, quod mori jubeat. Ita nos tuemur *Adamum*, primum hominem, anima & corpore immortalem fuisse, nec nisi decreto divino ob peccatum mortalem factum esse. Contrarium vult Catechesis, unica utens levicula ratione:

Mortalis, inquit, *creatus est homo, quod ab initio de humo creatus.* Sed quæ consecutio? Hominem miraculo creatum esse, nefas est dubitare, nam tota creatio est miraculum: At, quæ miraculo fiunt è materia, eane habent naturam ejus materiæ, qua uti Deo in miraculo faciendo placuit? Falsum, nam vinum Canæ in Galilæa ex aqua sane factum, sed minime aqueæ naturæ. Porro, filii, quos Deus *Abrahamo è lapidibus* non condidit quidem, sed condere, teste Christo, potest, si accideret condi, putaresne tu de lapidum natura aliquid tracturos? Deinde, quis demonstrare poterit in humo esse principium mortalitatis? Tota terra sane non interit, nec in se habet quidquam, quod eam faciat interire, ergo, nisi caussa externa, h. e. voluntate divina cogente, interitura nunquam est. Singulæ partes terræ dissolvi sane possunt; interire, nisi volente & cogente Deo, non possunt. Sed & in his aliquæ sunt, ut durissima genera metallorum, & lapidum, quæ, nisi accedat foris vis maxima, non sunt unquam dissolvenda, h. e. nunquam moritura, quoniam harum rerum mors, in dissolutione partium quærenda est. Hinc invicta ratione colligo; quoniam nec terra in se habet mortis, immo ne mortalitatis quidem principium, nec, si haberet etiam, id, quod è terra per miraculum factum est, eandem naturam trahere oporteret: frivole aliquis hominem mortalem esse, inde demonstrare conabitur, quod ex humo est creatus. Quæ ideo disputavi, ut ii, cum quibus mihi hic negotium est, quique sua ratione confidentissime nituntur, intelligant, se neque his in rebus multum intelligere. Itaque non ex ratione discendum est, mortalisne an immortalis homo primus fuerit, sed è revelatione, quæ cum nos doceat, *Gen. III 19.* mortis sententiam dictam Adamo esse ob peccatum demum, h. e. mortalem (factum nam reapse non illico ad pulverem rediit, sed rediturus tantum certissime erat:) sequitur eundem hominem non fuisse antea talem, qui esset in pulverem rediturus, h. e.

non

non fuisse mortalem, eo significatu, quem supra exposuimus. His addo, *Adami* resuscitati vel resuscitandi corpus, non desinere esse ex humo. Sed illud ipsum tamen post resurrectionem immortale futurum, quamquam tergiversantur Sociniani, caussati aliud corpus redditum iri resuscitatis, quod suo loco explicabimus, necesse tamen est fateri. Quemadmodum & Christi corpus, non quidem statim post resurectionem, saltem tamen post ascensionem in cœlos, immortale factum, vel docent, vel docere coguntur. Restat ergo fateri, non prohibere originem corporis ex humo, quominus immortale sit ita volente Deo. Hic quidem minime ignoro commenta maxime inficeta Socinianorum, qui corpora beatorum negant carnem & sanguinem habitura, quod & de Christi corpore negant, qua de re, qui volet *Ostorodi* Unterricht *cap 41. p. 388.* & p. *394.* item quæ infra dicentur, legere poterit. Tamen, quia fatentur esse *corpus*, quamquam sanguinis carnisque expers, & cum resurrectionem videri volunt serio credere, *idem* corpus post resurrectionem esse; hoc argumento ita urgentur, ut respondere nequeant. Nam, si habent *Adamus* ceterique *corpora* in vita æterna, qualiacunque sint, *corpora* tamen & immortalia, & corpora olim ex humo facta; frustra negatur immortalitas ob istam de terra originem; Immo ipse *Socinus*, verbis in responsione B. *Balduini* laudatis, quæ & in libro adversus *Puccium* extant, intercedit huic argumento. Sic ait: *Cum nego hominem à Deo immortalem fuisse creatum, non intelligo, eum ab ipso creationis initio, morti penitus fuisse obnoxium, adeo, ut ei omnino moriendum esset: Sed tantummodo sui natura morti fuisse subjectum, & non nisi divina gratia, qua in ipsa creatione donatus non fuerat, à morte immunem perpetuo esse posse.* Sic ille *l. c. p. 41.* Quocum in præsenti non discepto, sitne gratia immortalitatis in ipsa creatione an deinceps facta? Sed hoc colligo:

creatio de humo, non demonstrat hominis mortalitatem. Pugnant præterea aliis etiam sed nulla parte melioribus argumentis *Ostorodus Unterricht: cap.* 33. & recentiores Catecheseos editores, v. g. Primos homines gignere debuisse liberos, usuros fuisse vel usos etiam cibis; fuisse hominibus destinatam arborem vitæ, qua, si fuissent per se immortales, non fuisset opus: neminem posse negare eam fuisse corporum humanorum rationem, ut confodi & suffocari, & igne exuri & ruina opprimi possent, extitisse adeo mortalia. Frustra hæc omnia disputantur. Nam quod liberis gignendis destinati protoplasti erant, docemur noluisse Deum omnes homines simul creare; Sed, ideo pereundum fuisse primis, ut locus vacuefieret sequentibus, temere colligitur. Ciborum vero plane non facienda fuerat mentio. Quasi vero necesse esset, ut, qui sit nunquam moriturus, nullis mediis utatur? Quod si ponamus, cibos necessarios nunquam defuturos fuisse, nunquam intervertendos, nunquam hominibus eam mentis perversitatem, ut consulto abstinerent. Quæ omnia ponere licet, si peccatum nullum fuisset; morti certe non fuisset locus. De *arbore vitæ* cum B. *Sebastiano Schmidio* sentio, originem hujus nominis impostori diabolo deberi, qui homini persuasisset eam virtutem in arbore quærere, ut vel invito Deo, gustatis ejus fructibus, vivere posset. Sed fac fuisse peculiarem facultatem in ista arbore; si destinavit eam Deus ad conservandam hominum vitam, certe non erat defutura huic Dei consilio. Casus autem, quales hodie accidunt humanæ vitæ exitiosi, abfuissent, si absque peccato esset. Itaque homo non fuisset moriturus. Nam non potuisse mori, si vel jussisset Deus, nemo dicet.

2) Agnoscunt Sociniani & veram caussam mortalitatis *Adami*, nempe *transgressionem legis*, sed ita agnoscunt, ut illico ad alia dilabantur, ajunt enim decreto Dei ipsius in mandato expresso, *æternæ morti necessario* subjectum

subjectum fuisse Adamum. Improvide hæc omnia. Cum de immortalitate *Adami* sermo sit, ipsique Sociniani ex transgressione legis divinæ argumentum petant, & recte quidem, quo illa immortalitas negetur: necesse est dicta illa lege mortem temporalem propositam fuisse; Male ergo transsiliunt ad *mortem æternam*, cujus quidem reus factus est *Adamus* peccans, sed de hoc nunc non agitur. Mortem vero temporalem (non exclusa quidem æterna) hic intelligi, voces: *in pulverem redibis*, abunde demonstrant: quæ adeo non agunt de morte æterna, ut hanc subire possit, qui nunquam in pulverem redit, quod de omnibus impiis, quos occupabit dies extremus vivos, futurum est, & de *Corah Dathano* & *Abiramo* factum multi credunt. Porro, non capio, quid sibi velit vox *necessario*? æternæ morti ajunt hominem *necessario* subjectum fuisse, ob peccatum: *Necessitatem consecutionis*, ut, qui peccavit, pereat æternum, ni redimatur, lubens agnosco & præclare, si hoc volunt Sociniani, dictum esse fateor, sed palam est reliquis, in hac Catechesi, & alibi expositis dogmatibus, contradicere, nam contendunt Deum & posse & velle peccata, nemine licet satisfaciente, remittere, posse & hominem se emendare ipsum, ut Deo placeat. Quæ si vera sunt, non necessario æternæ morti subjectus est peccator sed impunitus a Deo potest dimitti. Quodsi intelligant *necessitatem consequentis*, quæ vocatur, multo minus dici potest è Socinianorum mente, peccatorem necessario æternum mori, nam a *decreto Reformatorum absoluto* alienissimi videri volunt, neque immerito. Forte agnovit hoc *Smalcius*, nam in germanica versione est: dem gewissen und ewigen Todt unterworffen. Recentiores vero hæc de *necessaria morte* plane resecuerunt.

3.) Immortalitatem hominis primi ex imagine divina, ad quam creatus est, recte nostrates demon-

ſtrant, maxime collata explicatione *Paullina*, nam *Epheſ. V. 24. Colloſſ. III. 10.* novus homo deſcribitur, i. e. qualis incipit fieri in renovatione Chriſtiana, juſtus, ſanctus, purus; Is naſcitur divina virtute ad imaginem ejus, qui ipſum condidit, non nunc demum, ſed, qui condidit in prima creatione, quod ad docet vox *renovamini*, cui voci nullus locus eſſet, ſi ſermo eſſet de imagine Dei nunc primum accepta. At, ſi imago Dei primum creantis hominem, fecit, ut homo ſanctus & juſtus eſſet, Deumque ſuum agnoſceret, caruit, quod illam imaginem geſſit, peccato, caruit & morte, quæ peccati ſtipendium eſt, fuitque adeo immortalis, h. e. non, qui mori nulla ratione poſſet, ſed, qui non eſſet moriturus. Nunc videamus, quid Sociniani in hac demonſtratione carpant. Imago, inquiunt, divina in homine, eo etiam tempore fuit, quo jam erat morti æternæ obnoxius. *Gen. IX. 6. Jacob. III. 9.* Verum hæc exceptio non eſt idonea. Nam, quod ad alterum pertinet, de iis maxime loquitur *Jacobus*, in quibus reſtaurari cœpta eſt Dei imago, h. e. veris Chriſtianis, qui potiſſimum injuriis malorum hominum petuntur. In *Geneſi* vero non dicitur ſane homines habere hodie imaginem divinam, ſed *Adamum* eſſe ad imaginem divinam conditum, cujus cum ſint homines omnes poſteri, ejus, inquam, hominis poſteri, cui Deus olim imaginem ſuam impreſſerat, vult Deus magni æſtimari ſanguinem humanum, nam etſi periit imago divina in homine, non periit tamen ea natura, quæ iſta imagine olim ornata fuerat, & amiſſi theſauri eſt tamen aliqua memoria ut *Ieſabelis*, quæ exciderat quidem regia dignitate & perierat miſera, natalium hactenus recordatus eſt *Jehu*, ut ſepeliri eam honeſtius, quam cuivis alii factum eſſet, curare vellet, *2. Reg. IX. 34.* Præterea probe obſervandum, ita periiſſe in homine imaginem divinam, ut reſtaurari debeat conſilio divino, conſiderandique adeo homines omnes ſunt, ut vitæ æternæ non participes quidem, ſed qui debeant eſſe participes.

4.) Perſ-

4.) Persvadere nobis conantur Sociniani, imaginem divinam constitisse in dominio super res creatas, sataguntque hoc demonstrare è *Gen. I. 26.* ubi vero adeo non extat imaginem Dei in isto dominio consistere, ut potius contrarium colligi posit. Nam, quod *Gen. I. 26.* narratur consilium divinum, executioni legimus datum *v. 27. 28.* At hic distinctissime narratur, primum hominem ad imaginem divinam conditum, & quidem marem & femellam, tum, accedente benedictione divina concessum esse imperium orbis terrarum & rerum creatarum. Quæ res docet aliud esse hoc dominium, aliud imaginem divinam. Nec contemnenda est altera ratio, *feminam* non minus esse ad imaginem divinam conditam, quam *marem*, ut hoc loco *Geneseos* extat; esseque adeo id, quod imagini huic debetur, eodem modo in mare & in femina: Verum, si ista imago complectatur, & potissimum quidem dominium, non posse eodem modo in utroque esse, nam femina, quantum ad dominium attinet, sequioris conditionis est. *I. Cor. XI. 7.*

5.) Locus è libro *Sapientiæ*, qui in canone Ebræorum numquam fuit, laudatus, non meretur quidem auctoritatem canonicam, sed hoc saltem debetur antiquissimo Scriptori, ut Catechesin Judaicam, seu dogmata prisca antiquissimorum Judæorum tradere censendus sit, quæ sine gravi ratione respuere non decet.

6.) Non satis consulunt laudi eruditionis, quam plerique Sociniani affectant, quod versioni vulgari *Sap. II. 23.* contradicunt. *ἀφθαρσίαν* ajunt non modo *immortalitatem* significare, sed & referri ad *fortunæ cursum felicem usque ad extremum vitæ.* Falso; neque poterunt ullo facile exemplo fidem hujus versionis facere. Nec sufficeret, si *de quacumque alia re*, quæ non interierit, fortasse alicubi, quod tamen haud puto, vocem invenerint. Sed de *homine* haberi necesse esset. Ita *immortalem* laudem

dicimus, voce *immortalis* in tropum versa, at naturalis sensus manet, quando hominem dicimus immortalem. Quod contendunt, sequentia verba: *Et qui illius partis sunt, tentant eam* (inferre) sensum ab ipsis effictum postulare, non video, cur dictum sit. In latina vulgata editione est; *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* In græco est: Πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. Quæ minus bene à Socinianis vertuntur: *Tentant eam*, (mortem) *inferre.* Nihil est, quod significet *inferre*, nec potest hæc vox, sine qua sensus, quem volunt, minime elici potest, subintelligi. Deinde, quid diceret vir sapiens impios, sive, qui sunt à partibus diaboli, tentare mortem inferre, quam dudum illatam invidia diaboli, modo dixerat? ἐπ' ἀφθαρσίᾳ autem significare, *ut sit immortalis*, sive *corruptionis expers*, frustra est, qui negat. Quod lexica, voce ἐπὶ & frequentissimus usus unumquemque docebunt. Itaque frigida est observatiuncula *Smalcii* à *Moscorovio* in latina versione, fortasse, quod videret futilitatem, omissa. Ita ille: Und endlich ist viel ein anders, dass jemand unsterblich geschaffen sey, und, dass jemand zur Unsterblichkeit geschaffen sey. Sintemal auch der da sterblich geschaffen ist, hat können zur Unsterblichkeit geschaffen seyn, nemlich nach GOttes Rath, so Er seinen Geboten gehorsam seyn vvürde. Paucis dico, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ (nam è græco textu non è Germanica versione: Zur Unsterblichkeit, quæ poterat in alienum sensum abripi, sapiendum est) certissime significat, *ut immortalis sit*, sive, *cum immortalitate:* Sic *Act.* IV. 28. ἐπὶ τῷ ὀνόματι non significat aliquando nomen Christi accepturos fuisse discipulos, sed jam in nomine Christi loqui. Verum concedit ipse *Smalcius* imprudens, quod volumus, nam, si eo con-

filio Deus creavit homines, ut essent à corruptione immunes, si observarent legem, quod facile potuissent facere; non erant sane morituri, ex consilio Dei creantis h. e. erant immortales. Ultima verba *Smalcii* nimis arguta sunt, sæpe enim dicimus esse aliquem ad hoc illudve creatum vel ordinatum, quod non aliquanto post demum nacturus est, sed accipit illico. Ita *Curtius Darii* filium *in spem regni genitum* dicit, non ut acciperet aliquando eam spem, sed ut haberet confestim. Idem & recentioribus Socinianis cum *Smalcio* sentientibus responsum esto.

7.) Invictum est argumentum *Rom. V. 12.* Adamum non fuisse moriturum, nisi peccasset. Ergo, ut creatus erat, fuit profecto immortalis, h. e. non moriturus. Frigide distinguit hic inter mortalitatem & mortem *Moscorovius*, quæ distinctio in se quidem bona, huc nihil facit. Nam, si mortalitatem intelligunt, qua possit aliquis, alias non moriturus, volente ita Deo, interire, nescio contra quem disputent; ita enim ab omnibus negari hominem immortalem esse, supra observavimus. Sed ea mortalitas, de qua & sermo est, h. e. quæ facit, ut moriendum aliquando sit, quicquid agatur, secundum Apostolum, non fuit in homine primo integro. Alioquin haud tribueret peccato legem mortalitatis, quæ, si Sociniani verum tuentur, ante peccatum jam fuerat.

8.) Observatu dignum est, quod hic fatentur Sociniani: *Omnes homines æternæ morti subjacere, eo quod ex Adamo nati sunt.* Hoc ne intelligi quidem potest, nisi concedatur, dari peccatum originis, quod tamen, ut deinde videbimus, claris verbis negant. Hic sufficiat *Ostorodi* verba describere: Unterrichtung. *Cap. 33. p. 272.* Gleichwie es geschehen, dass der erste Mensch, ob Er wohl nicht corrumpirt, noch dieselbe Erbsünde in ihm war, dennoch gesündiget hat, also kans geschehen, dass die andern Menschen sündigen, und zwar schwærlich, denn

Adam

Adams Sünde ist sehr schvver gevvesen, ob sie schon nicht corrumpiert, noch die Sünde ihnen angeerbet ist. Negant peccatum hereditate acceptum esse, & ponunt tamen ideo æternæ morti omnes homines subjacere, quod essent ex Adamo geniti. Hæc nemo poterit in concordiam redigere. Sed non vidit contradictionem *Ostorodus* ipse, nam *l. c. p. 270.* dixerat: Welcher Wohlthat Er sich und seine Nachkommen durch seine Sünde beraubet hat, (locutus fuerat, de beneficio Adami, quo potuisset vel à morte præservari vel, si esset mortuus, vitæ restitui) nicht darum, vvas seine Nachkommen betrifft, als hätte ihnen Gott die Sünde ihres Vatters zugerechnet, sondern NB. vveil sie von ihm herkommen. Derhalben, vvo nicht eine neue und besondere Gnade GOttes vorhanden vväre, müsten vvir alle kurzum sterben, und in Evvigkeit verlohren vverden. Sed nec recentiores Sociniani satis cauti fuerunt. Nam sic quærunt: „*Quæ est altera caussa, ob quam ho-„mo morti est obnoxius?* & respondent: „ Hæc quod „primus homo apertum Dei mandatum, cui adjuncta „fuit mortis comminatio, transgressus fuerit. Unde por-„ro factum est, ut universam suam posteritatem secum „in eadem mortis jura traxerit: accedente tamen cujus-„vis in adultioribus proprio delicto, cujus deinde vis per „apertam Dei legem, quam homines transgressi fuerant, „aucta est„ Quæ si vera sunt, de peccato originali nullo modo dubitandum. Quicquid enim augetur demum proprio delicto, id etsi non tanta, aliqua tamen, magnitudine jam adfuerat *Traxit Adamus omnem posteritatem secum in mortis jura.* Qui sic? forte quod ejus exemplum omnes imitarentur? Omitto dicere, mori & infantulos, qui nondum imitari quemquam possunt; prætereo etiam dici nulla ratione posse, qui fiat, ut nemo in tot millenis millibus hominum existat, qui ab imitando primo parente abstineat: *Ostorodi* potius & *Racoviensis Catecheseos* verba considerari velim, qui posteritatem Adami ideo morti implicari ajunt: Weil Sie von ihm

her-

herkommen, sive, quod originem & genus ab Adamo ducunt.

9.) De æterna morte intempestivè hic verba fieri, supra jam est monitum, cum sermo nunc sit de immortalitate primi hominis.

---

46. Animadverti hominem cum immortalitate nihil commune habere, verum quomodo hoc doceri potest, eum viam ad immortalitatem per se cognoscere non quivisse?

Ad eum modum doceri potest, quod ea cognitio rationem humanam longe excedat, 1.) uti Apostolus diserte ait: Homo animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. 14. per ea vero intelligit, de quibus paullo superius egit. ℣. 9. & 10. Quæ oculus non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus se. Et nobis revelavit per Spiritum suum. 2) Quod & de immortalitate & via ad eam tendente accipi, res ipsa aperte monet.

47. At hoc idem potesne alio Scripturæ testimonio planum facere?

Prorsus: & illo quidem, Rom. 1. 19. 20. 3) ubi Apostolus sic scribit: Nam quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Etenim invisibilia ipsius à creatione mundi factis intellecta conspiciuntur, ipsaque sempiterna ejus virtus & divinitas, ad hoc, ut sint inexcusabiles.

48. At

48. At, qua ratione ex eo testimonio id planum fit?

Ad eum modum, quod ea Apostolus, quæ Deus per Evangelium patefecit hominibus, ejusmodi esse affirmet, quæ ab ipsa mundi creatione invisibilia fuere, unde ab hominibus nulla ratione indagare potuerint. Etenim ipsa materia, quam sibi hoc loco Apostolus tractandam proposuit, indicio est, ea facta, ex quibus invisibilia Dei cognita fuere, de factis, quæ sub Evangelio extiterunt, omnino accipi debere.

49. Verum eum locum aliter vulgo interpretantur?

Non me id fugit; verum ideo fit ab iis, quod locum aliter legant, quam ab Apostolo scriptus sit. Etenim quod Apostolus scripsit: A creatione mundi; illi legunt, Ex creatione mundi. 4) Deinde, hæc eadem verba, quæ cum prioribus: Invisibilia ipsius, jungi debent (qualis est conjunctio in loco simili, Matth. XIII. 35. aperiam in parabolis os meum, pandam abscondita à constitutione mundi) cum posteriore: conspiciuntur, conjungunt. 5)

Notæ.

1.) Caveat sibi hic lector à pelle ovina! Docebit tota nostra opella, & ipsa Catecheseos lectio, nihil admitti à Socinianis, quod captum rationis humanæ superet, neque nulla admittunt mysteria: Itaque cum ajunt revelatione

opus

opus esse, non aliud volunt, quam si dixeris: De *Augusto Cæsare* multa nobis non fuisse constitura, si nihil scripsisset *Suetonius*, nam æque parum necesse credunt esse lumen Spiritus S. ad Scripturæ S. intelligentiam, ac ad legendum *Suetonium*. Huc pertinent quæ recentiores editores Catecheseos habent, qui omiserunt, quicquid *Rakovienses* de rebus rationem humanam longe excedentibus posuerant, ejusque loco hæc reposuerunt: „Patere „id potest ex eo, quia & tantum præmium & certa illud „consequendi ratio ex solo Dei arbitrio ac consilio pe„pendit. Dei autem consilia ac decreta ipso non reve„lante, quis hominum indagare ac certo potest cogno„scere? Tanto autem minus cognosci possunt, quo ma„gis ab hominis animalis cogitationibus dissident, qualia „ista esse, quæ ad nostram salutem spectant, Apostolus „docet, *1. Cor. II.* ubi hac tota de re fuse disseruit.„ Item *Ostorodi* Unterrichtung: *cap. 34.* Qui, cum hominem posse sua natura velle servare Dei legem, dixisset, *p. 284.* sic ait: Woraus denn zu ersehen, in vvas gefährlichem Irthum fast alle Evangelische stecken, sonderlich die Calvinisten, Schvvenkfelder, Perfectisten, und ein grosser Theil der Wiedertäuffer, vvelche es darfür halten, dass aus dem Gehör des äusserlichen Worts Gottes, der Mensch gar keine Hülffe haben könne, vvo ihn nicht der Heil. Geist invvendig auf eine sonderliche verborgene Weise lehre, und den Glauben sammt dem Gehorsam also in ihm vvürcke. Toto lecto capite apparebit, non Fanaticos, sed nos peti, qui internam operationem Spiritus S. in corde convertendi hominis ab externo verbo lecto auditoque minime sejunctam necessariam dicimus. Ceterum pulcherrimum dictum. *1. Cor. II. 14.* neutiquam à Socinianis intelligitur. *Paulli* hæc mens est: Nunc quoque, cum Scriptura Sacra dudum extat, & legitur auditurque homines sine gratia Spiritus Sancti non posse salutariter illud agnoscere. At Sociniani hoc tantum

tum volunt, si non extaret Scriptura de Christo, nihil nos scituros fuisse, ceterum, postquam extat, esse utique in hominis potestate, eam salutariter intelligere. Nisi quod, ut supra observavimus, de plerisque prophetarum Scriptis & *Apocalypsi* in alterum extremum procurrunt, eaque negant intelligi posse, nisi quis ipse sit Propheta.

2.) Quæ modo observavimus de Socinianorum dolo, qui videri volunt omnia revelationi tribuere, cum rationi suæ tribuant omnia, confirmantur eo, quod *1. Cor. II.* 14. ajunt respici ad verba *v 9. & 10. Quæ oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. Hoc volunt, munera vitæ æternæ ignota humano generi mansura fuisse, si non essent scripti libri Sacri, at nunc posse ab hominibus, quæ scripta sunt, facile capi. Non est instituti nostri, copiosius locum. *1. Cor. II. 14.* interpretari. Sed facile videbit lector, Apostoli hanc esse mentem; etiam, cum scriptæ lectæque jam sunt res spirituales, ab homine animali capi non posse.

3.) Videntur studio arripuisse *Racovienses* Sociniani qualemcunque occasionem pervertendi locum *Rom. I.* 19. 20. Nam ad causam, quam nunc agunt, plane non pertinet; meritoque adeo totam hanc disputationem in Catechesi resecuerunt recentiores. Nos, eadem occasione, majori & jure, & ut spero, fructu, utemur, eundem locum sobrie explicandi *v. 18.* ita Apostolus: Revelatur ira Dei de cœlo, adversus impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem injustitia detinent. Hinc palam est, verbo, quod *Paullus* gentibus revelatione adhuc destitutis, prædicavit, exponi iram Dei ob neglecta beneficia divina, ante hanc revelationem accepta, quemadmodum eadem revelatione etiam ratio adipiscendæ salutis docetur: ut *v. 16. 17* dictum fuerat. Quænam illa impietas, qua detenta est veritas, porro, quænam illa veritas, quæ detenta est? Toto capite, maxime à *v. 21. ad finem*, accusat Apostolus flagitia ethnicorum, Philo-

Philosophorum etiam & cultiorum, ut sibi videbantur, gentium, quales *Græci* erant; eam vero impietatem, non evangelio demum revelato, sed multo ante cœpisse, & historia omnium temporum docet, & Apostoli dictio; namque hic narrat eas gentes propterea in reprobum sensum traditas. Veritas, quam detinuerunt, non est evangelica in revelato verbo Dei manifestata, sed, quam ipsa ratio hominem docet, prædicat enim eos agnovisse Deum; Christum vero agnovisse & Evangelium agnovisse, non dicit. Porro, etsi Deus invisibilis sit, agnitum tamen esse *factis* quæ *facta* qui de miraculis à Christo & Apostolis patratis explicat, non videt miracula, quibus Dei omnipotentia demonstraretur, etiam antiquissimis temporibus facta, non nunc demum initio N. T. fieri cœpta; *miracula* autem Novi Testamenti incommodissime ποιήματα dici, cum contra *res createæ* commodissime & propriè hoc vocabulo appellentur. Ex his omnibus probè consideratis intelligitur certissime sermonem esse de *rebus prima creatione conditis*, quibus Deus in se invisibilis prodiit, suamque ostendit majestatem: has creatas res ipsa ratio humana potest adspicere sapientiamque & potentiam creatoris mirari, atque ita moveri, ut quærat propius invenire voluntatem tam mirifici Domini. Quæ vestigia rationis cum non sint secuti ethnici, excusationem nullam habere merito dicuntur. Sanius vocem Ποιήματα & totum locum interpretatus est Socinianorum fere doctissimus, *Joan* [illegible] *rellius Commentar. incboato in Ep ad Rom. cum* [illegible] *ommentario in Evangelii Mattbæi aliquot capita, Racoviæ an.* 1636. edit. p. 66. sic scripsit: „ Vox ποιημάτων seu operum non „actiones aliquas, quas vox operum apud Latinos non„nunquam significat, (qua in parte respondet græco no„mini ἔργων, quod & actiones & opera per eas pro„ducta notat) sed opera per actionem effecta, & post eam „relicta denotat. Qualia sunt, res à Deo conditæ &

 „in

„in oculos nostros incurrentes, de quibus loquitur Da-„vid, cum ait: *Cœli enarrant gloriam Dei &c.*

4.) Hic studio cavillantur Sociniani. Ajunt nos aliter locum legere quam ab Apostolo sit scriptus, cum non ignorent græca à nobis omnibus eodem modo legi, nempe, *ἀπὸ κτίσεως κόσμου.* In vulgata latina autem: *A creatura mundi.* Reliquum est dispicere, quidnam hæ græcæ voces significent? Quicunque græcarum literarum non sunt rudes, norunt ἐκ & ἀπὸ creberrime permutare vices, neque fere alterutra vocula adhibetur, ut non in simili caussa & altera legatur. Quod quidem & in latina atque vernacula nostra accidit. Ita, quod *Marc. VII. 4.* est, *ἀπὸ ἀγορᾶς Epictet. Arrian. III. 26. p. m. 399.* dixit: ἐλθὼν ἐκ τοῦ βαλανείου. *Veniens è balneo*, sic *Act. XVI. 8. Matth. V. 18.* similiter infinitis aliis locis, qualia conquirere esset otio suo abuti. Illustrandi loci nostri caussa *Balduinus* jam *Xenophontis* verba laudavit λαμβάνομεν δ' οὔτε ἐκ τῆς γῆς, οὔτε ἀπὸ τῶν οἰκιῶν, & *Matth. VII. 16. ἀπὸ τῶν καρπῶν, è fructibus agnoscetis eos. Caussam ob quam res fiat* significat ἀπο *Act. XI. 19. Ebr. V. 7.* & apud *LXX, Psalm. XII. 5.* occurrit etiam nunc *Herodiani* locus *III. 9. 22.* πάσας τε τιμὰς ἐψηφίσατο αὐτῷ καὶ προσηγορίας ἀπὸ τῶν ἐθνῶν τῶν κεχειρωμένων *Nihil non bonorum decrevit ei, & super his cognomina de devictis gentibus.*

5.) Jubet nos Catechesis conjungere voces ἀόρατα ἀπὸ κτίσεως, *hoc sensu: Quæ inde à creatione videri nequeunt.* Sed errant dupliciter. Nam Scriptura non dicere solet, si hoc intelligi vult, ἀπὸ κτίσεως, quæ vox non *tempus creationis*, sed vel *actum creandi*, vel *rem creatam* significat. Verum ἀπ' αἰῶνος *Act. III 21.* item ἀπ' ἀρχῆς

κτίσεως

κτίσεως, *Marc. X. 6. XIII. 19. 1. Petr. III. 4.* porro, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *Matth. XIII. 35.* quem locum imperite quasi nostro parallelum laudant, cum sit diversissimus. Deinde, non considerant adversarii rem ipsam. Quid enim ait invisibile esse Apostolus? τήν ἀΐδιον δύναμιν καὶ θειότητα. *Potentiam Dei sempiternam & Numen.* Hæc vero non demum in publicato evangelio apparuerunt. Nam esse Deum & esse potentissimum, contemplatio rerum creatarum & totius machinæ mundi facile docet. Vid. *Act. XIV. 17. XVII. 27.* Itaque sane philologiæ laudem hic non merentur, & alibi rarissime, Sociniani, in quibus tamen paullo meliorem esse *Crellium* jam observatum est.

CAPUT. II.

In quibus ea via Salutis consistat.

50. Percepi, eam viam nobis à Deo traditam & patefactam; quæ porro ea sit, demonstratum velim.

COgnitio Dei & Christi, ut ipse Dominus JEsus testatur: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te illum solum verum Deum & quem misisti JEsum Christum. Jo. 17. 3.

De cognitione Dei.

CAPUT. I.

De Dei Essentia. 1)

 Notæ.

Notæ.

1.) Abjecta voce *Essentia*, recentiores posuerunt: *Natura*. Præmiserunt etiam quæstionem, quid Dei nomine intelligatur? & responderunt, supremum rerum omnium Dominum, item exposuerunt, quid *supremum imperium* significet?

---

51. Expone igitur mihi, quibus in rebus sita sit Dei notitia?

In eorum, quæ ad essentiam ipsius pertinent, & voluntatis ipsius cognitione.

52. Quænam sunt, quæ ad essentiam ipsius pertinent?

Ea sunt duplicia: Primum genus est eorum, quæ prorsus ad salutem sunt necessaria; Alterum vero eorum, quæ ad salutem vehementer conducunt.

53. Quænam sunt, quæ ad essentiam pertinent, ad salutem prorsus necessaria?

Sunt ea: quod Deus sit: quod sit tantum unus: quod æternus; quod perfecte justus; perfecte sapiens: & perfecte potens.

54. Quid vero est nosse, quod Deus sit?

Agnoscere, aut certe firmiter persuasum habere, eum ex se ipso in nos divinum habere imperium.

55. Quid autem, quod unus tantum sit?

Agnoscere & certo credere, quod ipse tantum

tum sit; qui ex se ipso divinum in nos habeat imperium.

56. Quodnam hoc est divinum in nos imperium?

Est jus atque potestas summa, de nobis, quicquid velit, statuendi: etiam in iis, ad quæ nulla vis humana, nec alia quæcunque penetrare potest: ut sunt cogitationes nostræ etiam in intimis recessibus cordis nostri abditæ, quibus ille pro arbitrio leges ponere & præmia & pœnas statuere potest.

57. Quid est, quod ex se ipso imperium habeat?

Id est, quod à nemine prorsus illud acceperit.

58. Quid est, quod ipse tantum?

Non dixi simpliciter, quod solus tantum habeat; verum, quod à se ipso solus tantum habeat. Nihil enim prohibet, quo minus id imperium, eamque potestatem, quam alius nullus, præter eum, ex sese habeat, cum alio communicare possit. 1.) Licet Scriptura asserat, eum solum esse, qui sit potens aut Dominator. 1. Tim. VI. 15.

Notæ.

1.) Operæ pretium est, cognoscere, quomodo se hic implicent Sociniani. Fatentur hic posse Deum *potestatem eam*, quam ipse & præter eum nullus alius habet, *cum alio communicare*. Ea potestas est illimitata, nihil enim

 quod

quod limites habeat, est divinum attributum; Quamquam Socinianos constat eo adactos pondere argumentorum nostrorum, ut negarent Deo infinitatem potentiæ, præsentiæ, &c. vid B. *Abrab. Calovii Socinism. Profligatum p. 131.* & loca ibi laudata. Sed hoc ipso omnem religionem abjiciunt, nam ipsa ratio, nedum Scriptura, agnoscit in Deo nullos terminos esse posse. Pone ergo Deum communicare illimitatam potestatem suam cum alio; Erunt tum duo illimitata potestate prædicti, is, qui dedit & alter, qui accepit. Porro neuter alteri esset subordinatus, nam subordinatio tolleret illimitatam potestatem, quam ponimus communicatam esse. Jam vero connitere, quam potes maxima animi contentione, & conare respondere homini ethnico, qui dixerit binos illos, vel plurimos illos, quibus cum illa communicatio facta ponitur, esse totidem Deos. Hanc enim nobis ratio ideam ingeneravit, ut Deum credamus esse ens intelligens, illimitatum, nemini subordinatum; &, de quo hæc prædicari possint, eum vicissim credamus Deum. Hoc modo plures prodibunt Dii, & cum unitatem Dei tueri sibi videntur miseri *Racovienses*, hoc agunt, ut πολυθεότητα invehentibus nihil idonei responderi possit. Itaque sapientiorem ego arbitror hac in parte *Franciscum Davidis*, qui negavit cum Christo eam majestatem communicatam, cui cultus adorationis debetur. Saltem hic ejus error cum ceteris erroribus componi potest. At reliqui Sociniani, à quibus ille pessime habitus est, quando volunt cum Christo communicatam esse eandem, quam Deus habet, potestatem, nempe illimitatam, neminique adeo subordinatam, & tamen illum unum verum Deum esse negant, ita implicantur, ut expediri nulla ratione queant, quin fiant πολύθεοι. Porro, cum Deum posse suam potestatem cum alio communicare concedant, cur negant *generatione* communicari, quod factum esse Scriptura nos docet. Non sufficit.

dicere

dicere solum, eum, qui communicat, illam potestatem *habere ex seipso*. Nam hæ voces: *ex seipso* vel faciunt, eum, qui accepit, minorem aliqua parte & ratione, illo, qui dedit, vel non faciunt ulla ratione minorem. Quod si illud dixeris, non est communicata potestas eadem & illimitata illa, quam ponit Socinianus communicari posse. Nam, qui minor est altero, habet limites: si hoc placeat, neque is, qui accepit, propter τὸ μὴ ἔχειν ἐξ ἑαυτοῦ minor sit dante; quid cunctantur nobiscum fateri, patrem communicare æterna generatione cum filio, eandem, quam ipse habet, cum ipsa essentia, potestatem; porro, patrem & filium, cum Spiritu Sancto eandem? Nam filium & Spiritum Sanctum non habere divinam essentiam & majestatem *à seipso*, fatemur omnes, cum eo quidem, ut nulla ratione altera persona alteram excedat sive superet, sed summa sit æqualitas. Ita apparet Socinianos, cum sapere se putant, & de Deo è misera sua ratione disputare audent, palam desipere. O quanto satius esset, Scripturæ, nos de Deo ejusque filio, *Prov. 30, 4*, docenti, modeste credere, pieque rationem suam divinæ auctoritati subjicere!

59. Cur igitur ita Scriptura loquitur?

Propterea, quod omnis potestas & auctoritas non solum divina, verum etiam humana ejusdem dono cuivis eam habenti contingat.

60. Quid est nosse, quod Deus sit æternus?

Id, quod principio & fine careat.

61. Quid est nosse, quod Deus summe sit justus?

Hoc, quod ea sit ipsius natura, rectitudinem & æquitatem tueri. 1.)

Notæ.

1.) Vel nulla, vel clarior justitiæ definitio danda fuerat. Si obscurum est, quid justitia sit, non minus erit obscurum, quid æquitas sit & rectitudo. Quod si vero clarum, abstinuissent rectius explicatione. Est vero illa virtus Dei, qua suum cuique tribuit. Factum est autem hominum, quicquid Deus vel promisit boni ob Christum, vel comminatus est mali ob transgressionem legis. Ergo vi justitiæ, sicut hominibus in Christum credentibus, nullo quidem proprio merito, ut adeo gratiæ cuncta tribuenda sint, at hujus Christi merito per fidem applicato, debet salutem æternam: ita repudiantibus hoc Christi meritum, ob peccata debet damnationem; debet pœnam transgressoribus omnibus, neque sine idonea satisfactione remittit, præstita illa, & accepta, remittit. Fundamentum hujus justitiæ est interna & immutabilis rectitudo essentiæ divinæ. Hæc omnia satis quidem certa & clara sunt. Sed Sociniani, ut in capite de satisfactione Christi audiemus, cum videant veram ideam justitiæ sibi contrariari, noluerunt eam accurate hic describere, & fallere lectorem conantur.

---

62. Quid est nosse, quod Deus summe sit sapiens?

Quod omnia simul non solum noverit, verum etiam singula exactissime cognita habeat: nec quidquam sit, quod effugere ipsius notitiam possit.

63. Quid est nosse, quod Deus sit summe potens?

Quod omnia, quæ velit, 1.) facere possit.

Notæ.

1.) Hic observandum duxi, quod recentiores addunt.

Quæ-

Quærunt enim. Num Deus ea tantum facere possit, „quæ vult; & respondent: „Non dico, quæ vult, sed „quæ velit, h. e. quæ etiam velle possit. Potentia enim „Dei ad omnia extenditur, quæcunque aliquid sint, seu „contradictionem, ut loquuntur, non implicant.„

64. Cur hæc omnia nosse ad salutem est necessarium?

Propterea, quod sine horum notitia, 1.) in hac salutis via persistere ad extremum non possemus.

Notæ.

1.) Non hæc sola, sed præterea alia, & maxime hæc duo capita, quæ à Socinianis negantur, Christum esse verum Deum, porro, hujus satisfactione pro peccatis nostris & observatione exactissima legis divinæ salutem nobis partam esse; ad salutem hanc obtinendam, prorsus sunt scitu credituque necessaria. Vide *1. Jo. V. 5. Es. LIII. 5, 11.*

65. Doce de his omnibus sigillatim.

Quod attinet ad primum, quis non videt ad salutem esse necessarium, credere Deum esse? Cum, nisi crederemus Deum esse, ne viam quidem hanc ab eo esse traditam, credere possemus. Hinc etiam Auctor ad Hebræos ait: Ebr. XI. 6. Accedentem ad Deum credere oportet, quod Deus sit. 1.)

Notæ.

1. In hoc dicto. *Ebr. XI. 6.* inferunt Sociniani secun-

do loco vocem *Deus*, de qua in Græco nihil est. Sed, quoniam reliqui tantum non omnes Interpretes idem faciunt, disputare hoc loco nolo. Alibi autem docui, haud videri mihi probabilem hujus dicti vulgarem interpretationem. Nimis enim videtur leve, monere eum, qui ad Deum accessurus est, ut credat ante omnia existere eum, ad quem tendit. Mallem igitur sic intelligere: eum, qui ad Deum accedere velit more *Enochi*. quem *Moses* narrat familiari Dei consuetudine usum, oportere credere, non consumtum se iri igne divino, & majestate, sed *esse* aliquid, tametsi de eodem *Enocho* assumto ad Deum extet: איננו *non erat*. Sed hæc, ut dixi, alio loco, exposita a me sunt copiosius.

66. Quomodo secundum nosse ad salutem necessarium esse demonstrabis?

Nisi crederemus Deum unum tantum esse, tum animo distrahi nos oporteret, incertos prorsus, quisnam eam viam nobis præscripsisset 1.) Propterea sæpius Scriptura nos admonet ejus rei, Deum unum esse, ut apud Mosen videre est. Devt. VI. 4. Quod etiam ipse Dominus repetit apud Marcum. XII. 29. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et rursus apud Mosen: Videte quod ego solus ipse sum, nec est ullus Deus præter me Devt. XXXII. 39. Vide etiam, 1. Cor. VIII. 46. 1. Tim. II. 5. Ephes. IV. 6. Galat. III. 20. 2.)

Notæ.

1.) Hæc non est primaria, nedum unica ratio, cur ad salutem necessarium sit, certissimos nos esse de unitate Dei, quod alias distraheremur, inscii ab utro Deorum via

ad

ad ſalutem nobis præſcripta eſſet. Nam fac binos quidem eſſe Deos, ſed concordes, poterat utrique ſatisfieri obſequio. Potiſſima autem ratio, cur ſine agnitione unius Dei ſalus non ſit ſperanda, hæc eſt, quod ita colendus eſt Deus, ut ſe voluit coli h. e. ut *unum*. Nam eſſe ſe unum, cum ipſo rationis lumine, mentibus noſtris indito, tum clarius Scriptura Sacra nos docuit. Itaque cum non ſine ſumma contumelia vero unico Deo alii plures æquales putarentur, non poſſet, qui hoc ita crederet, non incurrere Dei veri indignationem, qui ſuam gloriam alteri concedere non vult. *Eſa. XLII. 8.* Itaque hanc primariam rationem non decuit ab iis omitti, qui fere ſoli tueri unitatem Dei ſibi videntur. Obſervarunt in Catecheſi hoc vitium recentiores, ſed non ſuſtulerunt penitus: ſic ajunt: „Niſi crederemus Deum unum tantum eſſe, tum plures colere cogeremur, quod cum ſalutis „via pugnat, ut infra patebit. Si enim non unus eſſet Deus, „non poſſemus eum diligere ex toto corde. &c.

2.) Iucundum nobis eſt ab incautis Socinianis ſaltem duo loca hic pro *unitate* Dei laudari, quæ non hanc ſolum, ſed & *pluralitatem perſonarum*, luculenter demonſtrant. *Devt. VI. 4.* יהוה אלהינו יהוה אחד *Jehovah, Deus noſter Jehovah, unum.* Sic, alios clariſſimos viros ſecutus, verto, atque ita intelligo: *Jehovam patrem, Deum noſtrum.* h. e. *filium*, qui peculiari ratione, redemto genere humano, id nominis meruit, denique *Jehovam*, h. e. *Spiritum S. 2. Cor. III. 17.* eſſe *unum Deum*. Hujus autem verſionis nunc invictam dabo rationem. Convenit inter eruditos, &, ſi non conveniret, poſſet multis locis, v. g. *1. Reg. XVIII. 21.* evinci, vocem יהוה non eſſe idem quod אלהים ſeu *Deum*, ſed eſſe veri Dei, conditoris cœli & terræ *proprium nomen*. vid. *Eſa. XLII. 8.* quo de loco infra fuſius agendum erit. Et *Exod. III. 18.* Agnovit hanc veritatem ipſe *Jo. Clericus*, alias

alias non idoneus harum rerum arbiter, dicit enim ad locum *Deuter: Vox* יהוה *proprie non significat Deum, quamvis sit nomen Dei.* Idem quoque recte negat sic verti posse: *Dominus, Deus noster, Dominus unus est.* Sed & ipse vehementer errat, cum in ea est opinione, significare voces Ebræas: *Nullum habemus Deum, præter unum Jehovam.* Vox אחד nusquam significat *solum*, sed *unum.* Et, cum unitas Dei tot locis Scripturæ vindicetur, non reperies unquam hoc vocabulo esse factum; qua de *Jacobus Gussetius* diligenter egit: *Commentar: de L. E. p. 26, 27.* vid: *Deuter: IV. 35. 1. Reg. VIII. 3 . & 60. 2. Reg. XIX. 15, 19. Psalm. LXXXV. 10. Deut. XXXII. 39. 1. Sam. II. 2. 2 Sam. VII. 22. 2. Reg. V. 15 Esa. XLVI. 9. Dan. II. 29. Joel II 27. 2. Sam. XXII. 32. Esa. XLIV. 8. Esa XLIII. 11. Esa. XXXVII. 20. Esa. XLV. 20. 21.* Quæ cum ita sint, si Moses vellet intelligi, quod vult *Clericus*, sic diceret: *Jehovah Elohenu, Jehovah Lebaddo.* יהוה אלוהינו יהוה לבדו. Hinc colligo, quoniam *Jehovah* est nomen proprium veri Dei, id vero cum voce אחד seu unus componi non potest; esset enim non magis commode dictum: *Jehovah Deus noster est unus Jehovah*, quam si dicerem: *Carolus Imperator noster est unus Carolus*; porro, quoniam vox אחד non significat *solus*, *Clericique* item *Aben Esræ* & Judæorum aliorum versio iniqua est, *Jehovah est Deus noster, Jehovah solus*: nihil superesse quam ut dicamus: *Jehovam, Deum nostrum, & Jehovam esse unum*: Quæ res, si ulla alia, attentionem doctorum hominum meretur, neque puto quemquam indolis ebraicæ linguæ gnarum, hic habiturum, quod desideret. Succedat alter locus, *1. Cor. VIII. 4, 5, 6. Commate 4.* Deum prædicat Apostolus *unum* esse oppositum Diis λεγομένοις.

ῥοις. Hos, sic dictos Deos, dari ait & in cœlis & in terris, v. 5. Immo multos ejusmodi Deos Dominosque dari in parenthesi monet eodem versu. Hic velim lector observet studiose, cui bono ista parenthesis posita sit, nempe ad illustrandum, dari aliquos, qui verbotenus Dii sint, sed ad hoc illustrandum nihil contulisset, si in parenthesi, voce *Domini* aliquid inferius, quam quod voce Dii indicatur, significasset. Itaque voce utraque *Dii & Domini* eandem dignitatem intelligit, & eosdem, qui Dii Dominique vocentur, nempe hoc versu λεγομένους. Neque vero sine caussa duabus vocculis utitur, nam unus idemque poterat Deus dici, ut significaretur ejus *dignitas absolute*, Dominus vero, ut *imperium* intelligatur, quod ipsi debetur. Quibus λεγομένοις Diis Dominisque cum v. 6. opponatur unus verus Deus Dominusque, pater nempe, ejusque filius, vi oppositionis & hic utraque vox supremam, qua major non datur, majestatem indicat. Porro observandum, quoniam Domini illi multi in cœlo terraque λεγόμενοι appellantur, non, quod nullum habeant *dominium*, sed quod non *supremum*; Is dominus, qui his contradistinguitur, supremum dominium habeat necesse est, quo non datur majus, quod, nisi sit Christus verus Deus, ne intelligi quidem potest.

67. Qui tertium?

Nisi Deum æternum crederemus, qui speraremus ab eo vitam æternam? quo nos hæc via ducit.

68. Qui quartum?

Credere, quod Deus summe justus sit, ad salutem necessarium esse, hinc patet: primo, ut

ut nobis persuasum sit, Deum nobis etiam quantumvis indignis, præstaturum promissa. Deinde, ut agnoscamus, tentationes omnes, quas in hanc viam ingressos subire oportet, vacare omni injustitia, cum eæ à Deo permittantur.

69. Qua ratione quintum, Deum nempe esse summe sapientem nosse, est ad salutem necessarium?

Hoc est propterea necessarium nosse ad salutem; ut nihil dubitemus, etiam cor nostrum, quò ad perscrutandum nihil est difficilius, illi prorsus & semper perspectum atque cognitum esse, è quo etiam obedientia nostra potissimum æstimatur.

70. Quî vero sextum?

Dubitari non potest ad salutem esse necessarium, nosse Deum esse summe potentem. Quî enim sperari posset à Deo, tanquam à primo Auctore, vita æterna, nisi persuasum nobis esset, illius potentiam nullis terminis finibusque esse circumscriptam? Tum, quis tot res adversas, quæ iis omnibus, qui Deum religione Christiana colunt, & imminent & usu veniunt, perferret, nisi animo infixum haberet, omnia in manu Dei sita esse, nec talia sine ipsius voluntate evenire, neque rem ullam esse, seu in terris, seu in coelis, quæ divinam ipsius potestatem, quo

minus

minus implere possit, quæ promisit, & quæ ab eo expectamus, inhibeat?

71. Exposuisti, quæ cognitu ad salutem de essentia Dei sunt prorsus necessaria: expone, quæ ad eam rem vehementer utilia censeas.

Id quidem est, ut cognoscamus, in essentia Dei unam tantum personam esse. 1.)

72. Demonstra hoc ipsum.

Hoc sane vel hinc patere potest, quod essentia Dei sit una numero, 2.) qua propter plures numero personæ in ea esse nullo pacto possunt, cum persona nihil aliud sit, nisi essentia individua intelligens. 3.)

73. Quænam est hæc una persona divina?

Est ille Deus unus Domini nostri JEsu Christi pater.

74. Qui istud planum facis?

Testimoniis Scripturæ evidentissimis; quæ sunt: Hæc est vita æterna, (ait Jesus,) ut cognoscant Te (Pater) illum solum verum Deum 4.) Jo. XVII. 3. Et ad Corinthios Apostolus scribit: Nobis unus Deus (est) ille Pater ex quo omnia, 1. Cor. VIII. 6. 5.) Et ad Ephesios: Vnus est Deus & pater omnium, qui est super omnia & per omnia & in omnibus Ephes. IV. 6. (6.

Notæ.

Notæ.

1.) Mirum est Socinianos & hic & passim alibi, v. g. in *libello suasorio è Socini Scriptis collecto*, p. 28. *Ostorod.* Unterrichtung, *Cap. III. p. 28.* & multis aliis locis, non in primariis fidei capitibus censere *unitatem personæ*. Nam, si verum est, quod ubique prædicant, tres personas esse tres essentias, adeoque tres Deos; vel ipsis ethnicis πολυθέοις pax danda est, neque amplius horum immanis error & quo divinum numen gravissimè & immediate læditur, pro capitali habendus: vel idem è Socinianorum doctrina de nobis, qui tres personas divinas credimus, censendum, si illi damnantur. Nobis minime videtur, incolumi religione hic errari posse. Colendus sane est Deus pio cultu, quem colere nemo potest, qui, unusne sit an plures, dubitari posse arbitratur. Neque nos, cum *unum* esse Deum firmiter credamus, ut adeo summa injuria sibi Sociniani *Unitariorum* nomen vindicent, salva fide coli posse concedimus Deum, ut personam unicam. Nam, qui filium non habet, nec patrem habet. *1. Jo. II. 24. B. W.* editioni Catecheseos an. 1680. p. 15. 16. hanc notam adjecit: „Num hoc non prorsus ad „salutem cognitu sit necessarium, & ex sequenti, quod è „*Jo XVII. 3*, adfertur testimonio clare pateat, & amon „statuendo plures in summo Deo, personas incurratur „in crimen polytheismi, ac proinde idololatriæ; etiam „atque etiam Christianis est circumspiciendum, qua de „re consulatur *Crellius* hanc materiam in Ethica Christia„na tractans. *Libr. III. c. 2.*„ Hæc homo Socinianus literis *B. W.* latens, qui in eo fallitur, quod *Crellium* hoc argumentum l. c. tractasse perhibet, abstinuit enim ille sententiam dicere de iis qui tres personas in divinitate colunt, saltem claris verbis hos non petit, quamquam cultum sanctorum in ecclesia Pontificia acriter castigat.

2.) Hem,

2.) Hem, quam frivole argutantur Sociniani! Rem à seculis omnibus, dum fuit ecclesia Christiana, creditam, negant, quia ipsis videtur, non posse esse plures personas, ubi non sunt plures essentiæ. Scripturæ dicto nullo utuntur, quod quidem in re gravissima, nunquam rationis nostræ modulo metienda, cumprimis decuit fieri. Non est quidem, quod Socinianis passim opponitur simile, prorsus simile, cum dicitur in humanis ejusdem essentiæ esse participes patrem & filium, plures personas tamen, nec alterum magis hominem, quam sit alter; Hic enim licet patrem & filium duos dici homines, at in divinis non licet dicere patrem & filium duos Deos. Non desinit tamen esse similitudo, unde assuefaciendi sumus dicere, cum in hominibus eadem humana natura non major aliqua, non minor, à patre communicetur cum filio, nihil absurdi esse, idem, quamquam ratione plane non assequenda, fieri posse in divinis: Porro, cum ratio facile agnoscat esse in Deo omnia infinitis partibus sublimiora, quam in mortalibus, decet nos ita modestos esse, ut illam generationem, quæ in hominibus facit, ut duo prodeant homines, divinæ naturæ eam communicationem inferre credamus, ut non Dii plures, at plures tamen, qui ejusdem divinitatis sint participes, existere dicendi sint, modo revelatione indubitata de mysterii veritate convincamur. Esse vero ea de re indubitatam revelationem, paullo post ostendetur.

3.) Fateor, *Personæ* definitionem vulgo dari commodam quidem & veram, sed quam intelligere difficile sit. Neque enim caret obscuritate, cum sic instituunt: *Persona est ὑφιςάμενον vivum, intelligens & volens* vid. *B. I. A. Scherzeri collegium Anti Socinian. p. m. 181.* Itaque videor mihi obscurioribus vocibus carere posse, quibus, quid *persona* significet, non tam explicatur quam implicatur. Utantur, qui volent, græcis vocibus Πρό-

σωπον & ὑπόςασις, compertum enim est Scripturæ Sacræ amantes tandem utroque vocabulo idem significasse & convenisse in re pulcherrime. Ego quidem observasse me puto, *personam* ab hominibus dici, si sit, cui actio aliqua imputari possit, ut bene maleve facta; *diversas personas*, si sint plures, quorum uni actio alterius non potest imputari. Ita in humanis distincta à patre persona est filius. Nam filii actiones, quæ, simulatque hic rationis usu gaudere coepit, imputari possunt, non sunt actiones patris. Merito ergo, cum distinctæ actiones de patre, de filio, de Spiritu S. in divinis, in Scriptura Sacra narrentur, pietas Christiana inde colligit, *personas* esse distinctas. Et, quoniam tota Scriptura cum ipsa ratione clamat, Deum esse unum, hoc ita credimus, ut illud non minus credamus, sed, qui fiat, ut utrumque simul sit verum, *unum esse, & tres personas esse*, ii non sumus, qui postulemus posse capere. Sufficit, in tota re, indubio Scripturæ Sacræ testimonio nos niti. Contradictio quam crepant Sociniani manifesta, non in re est, sed in arrogante hominum mente, quæ altius, quam datum est, evolare conatur.

4.) *Jo. XVII. 3.* à Socinianis nobis opponitur, quasi ibi excluderetur filius, & pater ita diceretur Solus Deus, cum, si vellent non claudere oculos, videre potuissent, non opponi sibi mutuo patrem, de quo loquitur Christus, & ipsum Christum, qui loquitur; Sed opponi hunc Solum verum Deum, fictitiis & à superstitione ethnicorum, quos potissimum vocibus πάσης σαρκὸς *v. 2.* complectitur, excogitatis Diis. Quid enim opponeretur filius, cujus cognitio æque necessaria ac patris est, ad vitam æternam accipiendam prædicatur, patri suo? Non probabit quisquam Socinianorum, si quis *1. Cor. IX. 6.* verba Apostoli ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας

οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν κ. τ. λ. ita exponeret, ut vellet *Barnabam* in illa caussa *Paullo* oppositum esse, quia huic vox *μόνος* addita est. Constat enim in toto illo argumento, nempe facultate, sine opera manuaria sumtibus ecclesiarum vivendi, utriusque eandem fuisse rationem. Opponitur certissime uterque & *Paullus & Barnabas* ceteris, qui adhuc, nemine contradicente, sumtibus ecclesiarum semet aluerant. Ita plane & nostro loco, pater cum filio sibi conjunctissimo, (non excludi autem Spiritum S. docebitur deinceps) opponitur, ut solus verus Deus, gentium convertendarum ad Christum Deastris. Nefas autem putare Ioannem hic negare Christum esse ἀληθινὸν Θεὸν, qui antea (nam videtur epistola antiquior scripto Evangelio) *1. Ioh. V. 20.* quo loco de cognitione Christi ad vitam æternam necessaria, pariter agit, disertis verbis Christum *verum Deum & vitam æternam* vocaverat. Ad quem locum moneri quidem aliqua à *Socini* discipulis, sed glacie frigidiora, suo loco observabimus. Porro opportune observatum est, eum, qui *1. Tim. VI. 15. 16.* appellatur *μόνος δυνάστης, μόνος ἔχων ἀθανασίαν, qui solus potens est, solus habet immortalitatem*, ipsum esse Christum, ut è parallelis locis, *Apocal. XVII. 14. XIX. 16.* clarissime apparet; Idem enim est utrobique *Rex Regum & Dominus Dominorum.* Dabitur etiam infra occasio, ex *Esaiæ* aliquot locis demonstrandi ipsum Christum esse *illum extra quem non sit Deus.* Quibus omnibus locis, ut iniquissimum esset patrem exclusum dicere; ita hoc *Ioannis* loco Christum excludi nemo bonus Interpres dixerit. Hoc addimus, pulchre objecisse *Balduinum* Catecheseos verba *Smalcii*, qui ad *Matth. IV. 10* scripsit ad verba: *Deo soli servies:* „Non se ipsum exclusit Christus, cum

„hæc verba ex lege citaret, „ item *Socini*.: Nomen „*solus* & particulæ idem significantes, cum de Deo „dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt subor- „dinati.„ Quanta ergo indignitas, Christum, qui cum patre unum est, exclusum dicere?

5.) De hoc loco paullo superius egimus, quæ huc repeti possunt.

6.) Si nobis opponere audeant Sociniani, *Ephes. IV. 6.* lubet quærere, an *v. 5.* cum unus prædicatur Dominus, nempe Christus, exclusum velint patrem, qui non sit Dominus? Si nolunt excludi, ut par est, quibus rationibus nos docebunt, *v. 6.* ubi unus narratur pater & Deus esse, filium esse excludendum.

75.] Verùm Christiani 1.) non solum patrem, verùm etiam Filium & Spiritum Sanctum personas esse in una Deitate vulgo statuunt?

Non me clam est, sed graviter in eo errant, argumenta ejus rei afferentes è Scripturis male intellectis.

Notæ.

1.) Bene est, quod *Christianos* hoc dicere agnoscunt, quibus cum ipsi contradicant, &, quod semper in Catholica ecclesia Christianorum creditum est, proterviter repudient, fatentur se non esse Christianos.

---

76. Quænam sunt argumenta, quibus eam rem probare nituntur?

Ea sunt præcipua: Primum, cum ajunt in Scripturis non solum patrem, verum etiam filium

filium & Spiritum Sanctum Deum vocari: & quoniam eædem Scripturæ asserunt, Deum esse unum tantum, hinc colligunt hos tres Deum illum unum esse.

77. Qua ratione hoc argumentum dissolvi debet?

Prius de filio, postea de Spiritu Sancto, responsum feres.

78. Quid autem de filio respondebis?

Ea vox, Deus, duobus potissimum modis in Scripturis usurpatur: Prior est, cum designat illum, qui in cœlis & in terra omnibus ita dominatur, & præest, ut neminem superiorem agnoscat: Ita omnium auctor est & principium, ut à nemine dependeat. Posterior modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet, 1.) aut Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus Deus Deorum vocatur. Psalm. L. 1. Atque ea quidem posteriore ratione Filius Dei vocatur Deus in quibusdam Scripturæ locis. 2.)

79. Qua ratione doces filium Dei hac posteriore significatione in Scripturis vocari Deum?

Ex ipsius filii Dei verbis: Si (inquit idem) eos vocavit Deos, ad quos Dei sermo factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Deus sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis,

quia blasphemas, quod dixerim; Filius Dei sum. 3.) Jo. X. 35. 36. His verbis apertissime indicat Christus, hanc vocem, Deus, etiam iis in Scriptura attribui, qui uno illo Deo multo inferiores sunt. Tum etiam, quod nullam aliam ob caussam majorem 4.) se ipsum Dei filium ac proinde Deum asseruerit, nisi quod à patre sanctificatus & in mundum missus fuerit.

Notæ.

1.) Supra studiose observavimus Socinianos dicere, *posse Deum id imperium eamque potestatem, quam alius nullus præter eum ex se habeat, cum alio communicare.* Hic dicunt, posteriorem modum esse, quo aliquis *Deus* appelletur, cum eum denotat, qui *aliquam sublimem* potestatem ab illo uno Deo habeat. Lubet ergo quærere, quo referant eum, qui acceperit non *sublimem aliquam* potestatem, sed ipsam illam quam nemo præter Deum unum ex se habeat? Referendus utique erit ad priorem modum, quo *Deus* dicitur, qui in cœlo & in terra omnibus ita dominatur, & præest, ut neminem superiorem agnoscat. &c.

2.) Confer obsecro, ea loca Scripturæ Sacræ, nec pauca numero, nec obscura, quibus Christus nomina accepit, nemini, nisi supremo Numini, debita. v. g. *Tit. II. 10. 13.* vocatur *magnus Deus & servator JEsus Christus.* Nam si velis *v. 13.* intelligere Deum patrem, qui appelletur *magnus Deus*, obstat *v. 10.* ubi palam est *Deum servatorem*, qui idem *v. 13.* Christus est, intelligi. Sic dicitur *Deus verus. 1. Io. V. 21.* *Deus Benedictus in secula. Rom. IX. 5.* Neque est, quod dicas

Socini-

Socinianos non concedere istis locis agi de Christo; nam exceptiones ita frivolæ sunt, ut in censum venire non mereantur, qua de re suo loco agetur. Et qua fronte negabunt Christum illis locis *Deum* appellari, cùm fateantur, ipsum alicubi vocari Deum, nullos autem alios locos, quam quos ego laudavi, hisque similes, laudare poterunt, quibus eo nomine appellatus sit. Quomodo porro tuebuntur, Christum ob *sublimem aliquam* potestatem Deum vocari, qui *non minus* coli vult, sed eodem cultu, quo pater. *Io. V. 23.* qui, ut pater habet vitam in seipso, ita & ipse *vitam habet in seipso*. Ad quem locum nihil dicit, qui vitam intelligere velit, qua quis ipse vivit Nam hanc in vivente esse non extra eum, quid opus fuit monere? Sed *vivifica virtus* intelligitur, quod nemo erit, qui non agnoscat è *v. 21.* conf. *Io. XI. 25.*

3.) Non sine gaudio pius & attentus lector observabit, tantum non omnia loca Scripturæ S. quibus adversus nos infeliciter depugnare satagunt Sociniani, tela nobis ministrare, quibus ista impietas juguletur. Objiciunt nobis hi homines: *Io. X. 35. 36.* & conantur elicere, Christum eadem ratione, qua magistratus olim, dictum esse Deum, h. e. non natura Deum, sed qui ob acceptam aliquam sublimem potestatem ita appelletur. Verum hic non sufficit nobis ostendisse, quod quidem omnibus, qui oculos non claudunt, patet, argumentum à minori ad majus duci, in quo argumentorum genere non par est ratio eorum, quæ comparantur, sed potius dissimillima, ut adeo nihil pulchrius sit, quam Catholica nostra interpretatio: Si ipsi merè mortales homines *Deorum* sive אלהים vocabulo ornantur, in ipsa Scriptura; multo minus mirandum, vel blasphemiæ loco habendum, Christum, æterni patris æternum filium, ex ejus essentia genitum, *Deum* vocari. Sed hæc nondum sufficiunt nobis. Nam, quoniam ad *Psalmum LXXXII.* ablegamur, cujus initio videmus graviter accusari principes populi,

puli, non cujuscunque temporis, sed eos maxime, qui, Christo in carne apparente, vixerunt; Id quod versus ultimus præclare docet, compellatur enim Deus, qui *gentes esset possessurus*, h. e. Christus, vid. *Psalm. II. 8.* Dulce est lectori videre totam triadem personarum. Spiritus S. loquitur & castigat principes nefarios. Nam hujus est castigare immorigeros *Ebr. III. 7.* porro appellat hos, morituros quidem ut vilissimos homines, filios *altissimi*, h. e. patris, *Marc. V. 7. Luc. I. 32. 35. XVIII. 28.* Denique appellat Christum, cui, tanquam sors, gentes ad ipsum convertendæ obtigerunt, ut ipse veniat & gregis sui curam agat. *Ezech. XXXIV. 10. 11.* conf. *Seb. Schmid Colleg. Biblic. posteriore. p. 10.* Hæc disputavi in gratiam nostrorum hominum, quibus genus dicendi in Prophetis familiare est, non Socinianorum, qui fere in Prophetis talpa cœciores sunt, eosque non intelligibiles esse, nisi ab altero propheta, perhibent. Facile enim video, hos subinde habituros, quæ excipiant, sed hos quoque ex aliis locis V. T. ita constringere possumus, quod & deinde fiet, ut hiscere non possint, quin fateantur in Deo esse plures personas.

4.) *Sanctificatum se & in mundum missum* Christus affirmat, atque e posteriori verbo colligere decuisset Socinianos, extitisse Christum, antequam mitteretur, h. e. Dominus noster ad maximum opus redemtionis destinatus est in consilio S. S. Trinitatis, & deinde, cum tempus præfinitum venit, missus in mundum assumsit carnem & satisfecit pro peccatis generis humani. Hæc, inquam, omnia Christus de se narrat. Verum, quod Sociniani mira confidentia perhibent, *quod nullam aliam ob caussam majorem se ipsum* D*ei filium ac proinde Deum asseruerit; nisi quod à patre sanctificatus & in mundum missus fuerit*; ejus rei nec vola nec vestigium extat, contraria potius omnia. Nam his verbis de *sanctificatione*

& missione

& *missione* sua ideo utitur, ut se opponeret sceleratis principibus populi, quos *Psalmo LXXXII.* appellari vidimus, ab his enim perdita ipse emendavit. Dixerat autem Christus *v. 30.* se cum patre *unum* esse, &, antequam de sanctificatione & missione verba faceret Dominus noster, collegerant Judæi, & recte quidem collegerant, profiteri ipsum se esse Deum. *Smalcius* in versione Germani addit: Welches ihn denn augenscheinlich von dem Vatter unterscheidet, und ihn auf eine andere Weise GOtt zu seyn bezeuget, als der Vatter ist, sintemal der Vatter auf solche Weise kan vveder geheiliget noch in die Welt gesandt vverden. Voces auf eine andere Weise, sive *alio modo*, sunt ambignæ, si recte intelligantur, possunt hæc *Smalcii* concedi, nam ita fugimus *Photinum*, ut ad *Sabellium* non accedamus. Habet filius divinitatem per *generationem*, pater non ita, sed alio modo. At, si voces *alio modo*, dignitatem inferiorem significant, negamus sequelam è *Joanne* ductam.

80. De Spiritu autem Sancto quid respondes?

Spiritus Sanctus nusquam in Scripturis vocatur expresse Deus. Quia vero quibusdam locis ea attribuit ipsi Scriptura, quæ Dei sunt, non eo facit, ac si ipse vel Deus sit, vel persona divinitatis; sed longe aliam ob causam, quemadmodum suo loco audies.

Notae.

1.) Quod illaudata temeritate negant Sociniani, Spiritum Sanctum vocari expresse *Deum*, in præsenti sufficiet duobus clarissimis locis refutare. *Esa. VI. 8.* Nam,

qui ibi אדני vocatur, eum esse Deum, non secundario sensu, quem dicunt, sed primario, versus 1. & totum caput docent; At hic est Spiritus Sanctus. *Act. XXVIII. 25. 26.* Nec possunt ulla idonea ratione respondere Sociniani. Ergo vocatur Spiritus Sanctus ipso expresso vocabulo *Dominus*, quod idem factum esse *2. Cor. III. 17.* plerique doctissimi viri arbitrantur, qua de re nos infra disputabimus. Alter locus sit *Act. V. 4. 5.* clarior, quam ut obscurari loquacitate Sociniana possit, Spiritus S. est, quem fallere conatur *Ananias*, & idem Spiritus S. diserte vocatur *Deus*. Nos, quorum animi veritatis lumine collustrati sunt, facile videmus, *Numer. VI. 26. Gen. XLVIII. 15.* de Spiritu S. sermonem esse, sed ea nunc quidem non opponimus Socinianis. Suo loco promittit Catecheseos auctor uberius se dicturum de hoc argumento, itaque & nos dicenda isthuc differimus.

---

81. Quodnam est secundum ipsorum argumentum, quo tres illas personas in una Deitate approbare nituntur?

Argumentum secundum sumunt ex iis locis, in quibus fit mentio patris Filii & Spiritus Sancti.

82. Quinam ii loci sunt?

Primus est, in quo JEsus mandat baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti Matth. XXVIII. 19. Secundus est, in quo Apostolus ad eum modum scribit: Discrimina donorum sunt, at idem Spiritus, & discrimina ministeriorum sunt, at idem Dominus, & discrimina operationum sunt, at idem est Deus, qui ope-

operatur omnia in omnibus, 1. Cor. XII. 4, 5, 6. Et inferius ad eum modum loquitur: ℣. 11. Omnia autem hæc operatur unus & idem Spiritus, distribuens unicuique, prout vult. Tertius est apud Joannem, ubi legimus: Tres sunt, qui testantur in cœlo, Pater & Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. 1. Jo. V. 7.

83. Quid vero de his testimoniis sentiendum est?

Generatim ad ea respondeo, ea testimonia tantum docere, Patrem Filium & Spiritum Sanctum esse, 1.) quod nos non solum agnoscimus, verum etiam constanter asserimus; ita, ut ne Christianum quidem eum esse posse, qui id ignoret, aut non credat, pronunciemus. 2.) Verum ea testimonia, quod controversum est, nempe, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tres personas in una essentia divina, 3.) non demonstrare planum est.

84. Attamen ex ejusmodi in locis citatis conjunctione istorum trium in operationibus divinis, tres esse personas in una divina essentia videtur posse colligi?

Nullo pacto. Nam, quod ad primum attinet, etiamsi Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint conjuncti in baptismo; effici tamen non potest, eos personas esse in una essentia divina. Nam in Scripturis minime novum est;

in aliis rebus, non minus, quam baptismus, divinis, Deo conjungi & personas & res, quæ ad essentiam Dei nullo modo pertinent. De personis exemplum habes in libro Regum. 1. Sam. XII. 18. Et timuit populus omnis Deum vehementer & Samuelem. 4.) Et apud *Mosem*, ubi juxta hebraicam veritatem legitur, Exod. XIV. 31. Et timuit populus Jehovam, & credidit in Jehovah, & in Mose servo ejus. 5.) Deinde de rebus: Commendo vos Deo. & verbo gratiæ ejus 6.) Act. XX, 32. & alibi: Confortamini in Domino & virtute roboris ejus. 7.) Ephes. VI. 10.

Notæ.

1.) Formula baptismatis ita clara, sancta & præstans est, ut ejus verum & nativum sensum nemo mortalium nobis rapere possit; Sociniani, ut vim sanctissimi sacramenti ignorant & elevant turpiter, ita & augusta hæc verba nolunt intelligere. *Generatim*, inquiunt, *respondemus: ea testimonia tantum docere, Patrem Filium & Spiritum Sanctum esse.* Palam est Christum ascensurum in cœlos & ecclesiam in gentibus collecturum instruxisse discipulos, quibus rebus istam ecclesiam constituere, auctoritate Magistri sui, possint debeantque; jubet ergo in disciplinam homines assumi, baptizarique in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti. Qui hic non videt, eos, qui ita in disciplinam assumuntur baptizanturque, huic Patri Filio & Spiritui Sancto quasi proprium populum commendari, nihil videt. Baptisma enim fœdus est, 1. Petr. III. 20. quo beneficiorum divino-

rum

rum homines fiunt participes. *Gal III. 26, 27.* At, cum quo fœdus initur, cujusque beneficia fide obtinenda sunt, eum non oportet modo *existere nosse*, nam hoc solum parum foret, & *personam* esse; h. e. à quo actiones proficisci possint, cum qualitatibus enim & attributis fœdus percutere nemo potest; Sed & hoc necesse est scire: *posse* eundem & *velle* beneficia tabulis fœderis dicta nobis concedere, quorum illud *vires*, hoc *voluntatem benignam*, utrumque vero *sapientiam* postulat eo majorem, quo præstantiora beneficia stipulamur, & quo majus obsequium majoremque cultum vicissim spondemus. Sine his rebus fœdus ne cogitari quidem potest. In tabulis fœderis autem, quibus Baptismatis Sacramentum veluti sigillum appensum est, beneficia nobis summa, h. e. remissio peccatorum & vita æterna spondentur. Porro a nobis cultus humillimus & obsequiosissimus cum summa fiducia poscitur. At vita æterna donum *divinum* est: illud obsequium, quod debemus fœderato huic nostro, cultus *divinus*; Fides, qua toti acquiescere in fœderati nostri promissionibus jubemur, res, quæ certissime soli Deo debetur. Is vero, cujus populus fiunt baptismate Christiani, à quo tam grandia expectant, cui vicissim, quæcunque habent, spondent, Pater est & Filius & Spiritus S. Neque solius Patris sed & Filii & Spiritus S. nomine nobiscum agunt legati divini, Apostoli; neque solius Patris sed & Filii & Spiritus Sancti nomine in fidem nos recipiunt. Ergo Deus sit oportet, seu persona divina, quæ & possit dare summa beneficia, & poscere obsequia, agere & recipere actiones, & consilio uti, non Pater solum sed & Filius & Spiritus S. Quæ nemo negare potest justæ demonstrationis vim habere, nisi aliquod horum jure inficiari possit: Baptisma esse fœdus; sponderi in eo fœdere beneficia Spiritualia; hæc à nemine dari posse, nisi qui consilio utatur & viribus polleat; posci à nobis de-

votis-

verissimam fidem, porro obsequia; hæc vero soli Deo deberi; Apostolos non attributorum sed Dei legatione fungi; quem illi recipiunt in fidem ejus, à quo se missos prædicant, cujusque nomine agunt, eum fieri proprium ejus, à quo recipiuntur. Verum horum omnium nihil est, quod non sit abunde demonstratum. Itaque tres personas esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum & divinas quidem personas esse, nefas est dubitare. Frigidum est, quod Sociniani hoc solum necessarium esse perhibent, credere, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse. Sed, quid sint, patiuntur aliquem ignorare. Ita enim *Ostorodus*, Unterrichtung, *Cap VI. p. 38.* Zu erkennen den Willen GOttes gegen uns, ist nicht vonnöthen, was da betrifft die ewige Seligkeit, dass man erkenne das Wesen Christi, sondern nur allein sein Amt. Quæ quomodo cum *Jo. XVII. 3.* quem locum subinde nobis quasi contrarium crepant, componi possint, ipsi viderint. Cogitet vero lector, quales hi Christiani sint, qui necessarium esse negant, quis sit Christus, scire, munus autem, quod ajunt esse scitu necessarium, non in satisfactione præstita sed in monstratione viæ bonorum operum, ponunt. Facile videbit *Socinianismum* in *Naturalismum* tandem abire, & præter solum vocabulum nihil habere Christianæ religionis.

2.) Quid de horum hominum *Christianismo* sentiamus, modo expositum est.

3.) Quod illi planum perhibent non posse demonstrari, tres personas, ejus rei contrarium nota 1.) demonstratum esse, & demonstratum porro iri, nos confidimus.

4.) Parum tempestive corraserunt aliquot loca Sociniani, quibus ajunt conjungi Deo personas & res, quæ ad ejus essentiam minime pertineant, quasi hoc cuiquam posset esse dubium. Neque est aliquid præcipui in *1. Sam. XII. 18.* Nam similia loca dantur plurima. Honorant

pii

pii Deum ejusque legatos & principes, suo quemque honore, quem cuique deberi aliunde constat. Nam, cum honor timorque voces sint latissimæ significationis, possunt aliqui gradus deberi creatis rebus, infinitus vero honor timorque soli Deo. At illi, quorum nomine legati gentem in fœdus recipiunt, non jam sunt considerandi, ut princeps & ejus administri, sed ut principes & summæ potestates. Quæ cùm in humanis certa sint; in divinis, è Scriptura constat, peccata remittere & vitam æternam donare, adeoque & promissis beneficiis his, fœdus facere, esse solius Dei. Itaque qui hoc fœdus, quod fit in baptismate, facit, Deus est. Facit vero non solus Pater sed & Filius, quem & novimus eodem honore afficiendum, quo Patrem, *Jo. V. 23.* & Spiritus Sanctus. Itaque & Filius & Spiritus Sanctus Deus est. Paucis, non ita argumentamur, quicquid quocunque modo in oratione cum Deo Patre conjungitur, est persona divina, quod esset absonum: Sed hoc modo: quicunque in opere NB. *certissime divino* & ita, ut discriminis in dignitate nullum addatur signum, Patri conjungitur, æque ac Pater est verus Deus.

5.) *Exod. XIV. 31.* incommode huc laudatur. Credere Numini supremo & ejus legatis, v. g. *Mosi* possumus, ut minime pares habeantur, sed quid hoc ad nostrum locum?

6.) *Act. XX. 32.* Hic accedo *Bibliis Vinariensibus*, ceterisque præstantissimis Interpretibus, qui per *verbum*, ipsum Christum Dominum nostrum intelligunt, quamquam alios non minus doctos viros, qui *evangelium* intelligere malunt, minime vitupero. Vide. Venerandi *J. C. Wolfii Curas ad h. l. p. 1313. 1314.* Hærere videas & hunc celeberrimum virum & reliquos in explicandis verbis: καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν κ. τ. λ. quæ & omittit explicare. Hæc verba non videntur mihi ad Evangelium referri posse, significant enim non instrumentum

mentum seu medium, quo hereditas accipiatur, sed judicem, à quo adjudicetur. Quam præclare autem hæc de Christo dicantur, qui judicaturus est vivos & mortuos, facile, me tacente, lector capiet.

7.) De *Ephes.* VI. 10. dicam, quid mihi videatur. Sociniani hoc loco imperite laudato, nihil obtinent. Cur enim non posset una cum Deo, virium, quas nobis porrigit, mentio fieri? &, quæ similitudo hujus cum nostro loco? Vide notam. 1.) Mea vero hæc est opinio, nescio an & aliorum, nam præeuntem neminem habeo, commata minus accurate esse divisa: Itaque sic legendum arbitror: Ἐνδυναμοῦσθε ἐν κυρίῳ *Corroboramini in Domino.* Καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ. *Et in hoc*, accepto, *robore virium ejus induite armaturam Dei* Vix dubito, multis, ubi hæc curatius expenderint, hanc divisionem commatum aliquanto commodiorem vulgari visum iri, sed nunc quidem nolo fusior esse.

---

85. Verumtamen ipsi statuunt, eum oportere prorsus esse Deum, in cujus nomen baptizamur?

Errant vehementer, 1.) nam legimus in Scripturis Israëlitas baptizatos fuisse in Mosen. 2.) & quosdam discipulos in baptisma Joannis. 3.) Licet nec Moses Deus sit, nec baptisma Joannis persona, nedum Deus. 1. Cor. X. 2. Act. XIX. 3.

86. Verum longe aliud videtur: In nomen alicujus baptizari, aliud vero, in aliquem baptizari?

Nequaquam. Etenim ex vi idiotismi Hebraici, idem sæpe in nomen alicujus facere, quod in aliquem

quem facere significare notum est: 4.) ut ea in re ipsa cernere est. Etenim, quod in quibusdam locis legitur, fuisse baptizatos in nomine Christi; hoc idem legimus in aliis scriptum simpliciter, fuisse in Christum baptizatos. 5.)

Notæ.

1.) Vehementer nos errare dicunt adversarii, qui non videntur meminisse verborum Apostoli. *1. Cor. I. 13.* Negat Apostolus graviter se *in suum nomen* quemquam baptizasse, indicatque adeo, ejus nos proprios esse, in cujus nomen baptizati sumus, atqui nos, seu ecclesia, non hominis nudi sumus peculium, sed Dei. *Act. X*... *28.* ejus, inquam Dei, h. e. Christi, qui nos sanguine suo acquisivit. Itaque, in cujus nomen baptizamur, Deus est.

2.) De toto *cap. X. prioris ad Corinth.* observandum, scopum esse Apostoli, deterrere homines à securitate exemplo antiquorum Iudæorum; quia erant nonnulli in Corinthiis, qui tametsi perversissime viventes, nihil mali sibi accidere posse rebantur, quoniam sacramentis & verbo divino uterentur, benignitatis divinæ clementissimis signis. Monet ergo, nec priscis illis defuisse clementiæ divinæ argumenta, nam, quod baptismate Corinthii glorientur, quo ingressi essent ecclesiam, antiquos illos non minus habuisse, quod gloriarentur cum per mare rubrum, sub ducente ipsos nubis columna perrexerint in terram promissam: habere novos homines mysticum epulum carnis & sanguinis Christi; habuisse veteres panem cœlo delapsum, h. e. Manna, & aquam è petra elicitam. Quæ cum ita sint, ut cœna S. novi Testamenti Sacramentum est, ita; pariter ad N. T. solum, non ad Vetus illud, baptisma pertinet. Itaque, quoniam non contigit *Mosis* tempore, baptisma

ptisma, sed signum aliquod clementiæ divinæ, ob analogiam & tropice baptisma dictum; pariter, quod *in Mosen baptizati* dicuntur, quæ phrasis proprie significaret *Mosis esse proprios factos Israelitas*, metaphorice explicandum est, h. e. omnes Israelitas ad *Mosen* ducem divinitus missum, pertinuisse. Sed hæc metaphorica hujus phraseos acceptio non minuit vim ejusdem phraseos, eum proprie accipi dubio caret. Est vero indubitatum proprie de Christo accipi. Hic enim Dominus est ejus domus, in qua *Moses* servus fuerat. *Ebr.* III. 3, 5. 6. Maneat ergo certum, eum, in cujus nomen, item in quem baptizati sumus, cujusque adeo facti sumus peculium, verum esse Deum.

3.) Scilicet corradenda sunt undique pessimæ caussæ subsidia. Quid, obsecro, huc facit *Act. XIX. 3*. Non est ibi phrasis, *in aliquem baptizari*, sed, *in aliquid baptizari*, nec quærit Apostolus, in quem essent baptizati, h. e. cujus se voluerint, cum baptizarentur, proprios esse, nam ipse testatur eos *credidisse*, utique in Christum, & *Lucas* v. 1. appellat eos μαθητὰς discipulos, cave credas alterius cujusdam, sed Christi. Hoc vero quærit: εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *In quid estis baptizati?* Illi respondent: *In Joannis baptisma*, h. e. narrant, se olim immersos in aquam, qua Joannes baptizaverat, deinde vero domum reversos ignorasse donorum Spiritus Sancti largam effusionem, Conf. si placet meum *Syntagma Observ. Sacr. p. 358. 359.*

4.) Noli tibi imponi pati à *Moscorovio* vel reliquis etiam Socinianis, quos hebraicæ linguæ nescio quam peritiam possidere dixeris. Idiotismum narrant hebraicum, quo, in *nomen alicujus facere* sit idem, quod *in aliquem facere*. Ego vero quid utraque phrasis *in nomen facere*, & *in aliquem facere*, significet, scio

cum

cum ignarissimis, fortasse nec recentiores Sociniani intellexerunt, omiseruntque adeo. Et, quem qualemve idiotismum ebraicum velint *Racovienses*, ne hariolari quidem possum. Quamquam illi vocibus: *notum est*, aliquem hujus linguæ non satis gnarum, terrere fortasse voluerunt. Sed palam agunt nugas. Forsan hoc volunt, *Baptizare in aliquem & in nomen alicujus*, esse idem, neque me hac in re habebunt refragantem. Sed in Veteri Testamento, h. e. Bibliis ebraicis, frustra vel hujus vel illius locutionis exemplum quæsiveris.

5.) Lubentissime concedimus duo loca Apostoli, *Rom. VI. 3. Gal.* III. *27.* esse parallela & utrumque parallelum tertio, *Act.* II. *38.* Sit ergo idem, quod hic dicitur ἐπὶ τῷ ὀνόματι Χριστοῦ, &, quod illic, εἰς Χριστὸν. Quid hinc lucrentur Sociniani, ne suspicari quidem possum. Nobis constat, divinam majestatem deberi ei, in quem, vel cujus nomine baptizamur.

---

87. Ad secundum testimonium vero quid respondes?

Id, quod etiamsi divinæ operationes attribuantur Deo, & illi Domino, ac Spiritui Sancto, 1.) hinc tamen ·ffici non potest, hos tres unius esse essentiæ: 2.) Immo hinc contrarium colligitur non obscure, eos nempe unius esse non posse essentiæ: cum apertissime hic à Deo ille Dominus & Spiritus S. distinguantur, 3.) quem alium non esse, nisi patrem Domini JEsu, evidenter superius docuimus. Quia vero hic, cum Deo, Domini & Spiritus Sancti fit mentio, ideo fit, quod Dominus sit ille, per quem Deus ista omnia

 opera-

operetur: 4.) Et Spiritus itidem Sancti, quod de ejusmodi rebus hîc agatur, quæ ad solos credentes pertinent, quas Deus non alia virtute sua, quam per Spiritum S. operetur & efficiat. 5.)

Notæ.

1.) Probe observanda est hæc confessio: Operationes divinas attribui Christo & Spiritui Sancto, quæ veritatis vi expressa usui nobis magno erit.

2.) Quod effici posse negant, age efficiamus! Si legerunt *Esaiam* Sociniani, invenerunt *cap. XL, XLI.* & pluribus locis, minime obscure veri Dei excellentiam præ Deastris & idolis demonstrari, cum è creatione rerum omnium, tum è prædictione rerum futurarum, h. e. ex operibus divinis. Quæ quidem vaticinationes maximam partem per homines editæ sunt. Quod si quis ethnicorum, quibus ista *Esaia* demonstratio opposita est, in eum modum respondisset, quo utuntur Sociniani: etsi operationes divinæ, qualis esset prædictio futurorum, huic Deo Israelis tribuantur, effici tamen non posse, verum Deum illum esse; quid obsecro, responsuri fuissent Sociniani ethnicis? Certissime nihil idonei, si tueri velint hanc longe absurdissimam opinionem, recte attribui alicui posse divinas operationes, qui tamen non sit Deus. Unde vero mi Sociniane! agnoscemus verum Deum, quem nemo vidit, nec videre potest, ut dignosci forma possit à falsis Diis, nisi ex operationibus divinis, h. e. quæ omnipotentiam, omniscientiam &c. postulant? Hoc quidem vix opus erit monere, si cui tribuantur operationes divinæ ut administro, seu instrumento, falso colligi eum, cui hæc tribuuntur, verum Deum esse. Ita prædictio futurorum prophetis tribui-

tribuitur, facultas remittendi peccata ecclesiæ ejusque ministris, ut alia plura taceam, neque tamen quisquam tam absurdus erit, ut his Deitatem aliquam, multo minus veram & summam adscribat. Sed nostro loco, 1. *Cor.* XII, palam est, non de instrumento administrove, sed de ipsa origine, de ipso principali largitore donorum divinorum sermonem esse. Quod qui non agnoscit è *versu.* 11. ei nescio quid faciam. *Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. Hæc omnia*, utique maxime divina opera, *unus idemque Spiritus*, Sanctus nempe Spiritus, à Deo Patre Dominoque nostro, Christo, diversus, *operatur*, non administrat, non jussu alterius facit, sed ut v. 6. extat, *operatur* summa sua auctoritate, dispertiens *privatim singulis*, *prouti vult.* Suo ergo non alterius voluntate & arbitrio.

3.) Cum hic Sociniani ipsi contendant, *apertissime Filium & Spiritum Sanctum à Deo distingui*, præcedente vero nota abunde demonstratum sit, & Patri & Filio & Spiritui Sancto ob divinas operationes tribuendam esse divinam naturam; Quid aliud prodit, quam in uno Deo, seu una essentia divina tres esse personas distinctas. Hæc omnibus, qui secum habitant, præconceptis opinionibus non indulgent, & e Scriptura malunt sapere, quam e cerebro suo, satis clara certaque sunt.

4.) *Dominus*, ut ipsa vox significat, non est minister aliquis, seu Instrumentum, per quod Deus operetur, seu caussa principalis, & quamquam alibi, nam hic non est factum, Pater *per Filium* operari dicatur, nefas tamen est inde statim colligere minorem Filii dignitatem: Nam idem Spiritus, *per quem* secundum *v.* 8. dona dantur, commate 11, ut vidimus, pro suo arbitrio dona dispensat, & ipse operatur omnia.

5.) Inveniemus postea, Socinianis Spiritum Sanctum plane non videri *personam* esse, sed virtutem item beneficium divinum. Quos mirum est sine pudore legere posse hoc *caput XII. ad Corinth.* quo *personam* esse Spiritum hunc, ne quidem clarius dici poterat.

---

88. Ad tertium quid respondes?

Primum, cum notum sit in Græcis exemplaribus vetustioribus, ac in Syriaco, denique in latinis versionibus antiquioribus ea verba non haberi, 1.) quemadmodum præcipui è nostr's adversariis id ostendunt, ex iis nihil certi effici potest. Deinde, etiamsi in Scripturis haberentur, ex eis tamen concludi non posset, tres Personas esse in una divinitate. Nam, is locus nulla alia de re agit, quam de testimonio ejusmodi, JEsum nempe esse Dei filium; hoc autem perhiberi posse etiam ab iis, qui personæ non sunt, 2.) sequentia verba apud Joannem indicant: Tres sunt, qui testantur supra terram, Spiritus, aqua & sanguis. Quia vero ait unum esse, eos uno testimonio, non autem essentia, dici, in sequenti versiculo, eadem prorsus verba addita, indicio sunt. 3.)

Notæ.

1.) Quamquam de hoc argumento vix ita dici potest, ut satisfiat lectori, & vel copiose vel nihil dicendum videtur

detur: Hoc saltem observandum, Socinianos mi
idoneos esse judices in hac caussa; Laudatissima verc
dustria hac de re egisse B. Jo *Gerbardum* & B. *Frid E*
stum Kettnerum, peculiaribus libris, vindicasseque
anni verba controversa. Brevius quidem, quam hi,
& ipse tamen satis fuse peroravit eandem caussam Jo.
lius in editione sua N. T. ad h. l. cujus verba mihi pla
fateor. *p* 584. *edit. an.* 1710.„ Et jam subductis u
„que calculis; allatis summa fide, quæ ad auctorit
„hujus textus elevandam, quæ ad stabiliendam facer
„deantur, Exemplarium MStorum & impressorum,
„sionum, Patrum denique Græcorum ac Latinorum t
„moniis; restat, ut quæ mea sit de hac re sententia,
„cis exponam. Dico igitur pericopen hanc, utcu
„postea disparuerit, in ipso certe *Joannis* avtographo
„stitisse, aliisque aliquot ad illud descriptis exemplarib
Movet me non tam *Tertulliani* locus *adversus Praxea*
m. 441. nam esse subobscurum negari nequit; q
Cypriani martyris ita clarum testimonium, ut, qui
spicioni contrariæ reliquum sit, non videam. Sic
vir Sanctus, *libro*, seu *epistola de Unitate Ecclesi*
m. 254. *edit. Antvverp. an.* 1568. *Dicit Domi*
Ego & pater unum sumus, & iterum, de Patre &
lio & Spiritu Sancto, scriptum est. Et hi tres unum
Ne quis autem suspicari queat, quoniam *Andr as R*
tus, Critici Sacri, L. II, cap. 14. *p.* 230. idoneis rati
bus docuit, hunc librum *Cypriani* aliquot locis inte
latum esse & inserta aliqua de primatu Petri, quæ i
riis Mstis exemplaribus non habeantur idque laudat
ste ipso *Possevino*; fortasse interpolationi hunc qu
locum deberi, non modo hoc observandum, summ
exemplarium consensum à viris doctis hac in parte re
tum esse, sed & extare *b Fulgentii Rupensis* illustre
stimonium de hoc *Cypriani* loco. *Fulgentius* enim,

 ipi

initium Seculi VI. illustravit, *Responsione ad objectiones Arrianorum, sub finem p. 47. 48. Hæresiolog. Basileæ an 1556. editæ*, sic scribit: „Beatus enim *Joannes* Apo-„stolus testatur dicens: *Tres sunt qui testimonium perhi-„bent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus. Et tres unum „sunt.* Quod etiam beatissimus Martyr Cyprianus in „Epistola de unitate ecclesiæ confitetur, dicens: *Qui pa-„cem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum „facit. Qui alibi præter ecclesiam colligit, Christi eccle-„siam spargit.* Atque ut unam ecclesiam unius Dei mon-„straret, hæc confestim testimonia de Scripturis inseruit. „*Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus*, & iterum: „*de Patre & Filio & Spiritu S. scriptum est: Et tres unum „sunt.*„ Hæc *Fulgentius*, quo testimonio patere arbitror, non esse, quod genuinum esse locum *Joannis* dubitemus ametsi de ratione, qua factum, ut in multis codicibus ea verba deessent, non ita expedita est disputatio. Commemorabilis vero & alter locus *Cypriani* est, non observatus, ni fallor, eruditis. *Epistol. ad Jubajanum, p. m. 182. b.*„ Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit. Si pecca-„torum remissam consecutus est, & sanctificatus est, & „templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si creato-„ris, non potuit, qui in eum non credidit: si Christi, „nec hujus fieri potest templum, qui negat Deum Chri-„stum. Si Spiritus Sancti, CVM TRES VNVM SINT, „quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Pa-„tris aut Filii inimicus est. Nihil addo, nisi in meis libris esse codicem vulgatæ versionis, an. 1489, nescio ubi, impressum, in quo sic extat: *1. Jo. V. quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus aqua & sanguis, & hi tres unum sunt.*

Vt

Vt adeo prius illud, *& hi tres unum sunt*, omittatur. Porro possideo codicem *Epistolarum & Evangeliorum*, ut vocantur, *Dominicalium & aliorum dierum*, qui aliquando *Iesuitarum Molsbemensium* fuerat. Hic *folio* CXI. sic extat germanice: Und der Geist ist, der gezeuget, vvann das Christus ist die Warheit. Wann es seind drey die Zeugniss gebent; auf Erden, der Geist und das Wasser und das Blütt, und drey sind eines die Gezeugknüss geben in dem Himmel, der Vatter und das Wort und der Geist, und die drey sind eines, conf. si placet, *Gilbert: Burnet, Voyage de Suisse &c. Epist. 1. p. 86. ss. Io. Clericum Art. Crit. Tom. II. p. 238. & 295. Bücbersaal 30ste Oeffn. N. I. Seelenii Meditat. Exeget. Tom. 1. p. 10. 11. Erasm. Roterod. Epistol. Tom II. opp. p. 592. Buddei Isagog. p. 1622. Pfaffii Primit. Tubingens. p. 80.*

2.) Observa hic lector! mirabilem imprudentiam Socinianorum. Sic ajunt: *Is locus nulla alia de re agit, quam de testimonio ejusmodi, Iesum nempe esse Dei Filium. Hoc autem perhiberi posse, etiam ab iis, qui personæ non sunt.* Non solum quæritur, an testes sint personæ, nam posse & solere tropico sensu testes dici, qui personæ non sint, quis dubitet? certe testes in terra, *aqua & sanguis*, h. e. ut nos quidem merito interpretamur, utrumque Sacramentum N. T. baptisma & cœna Domini, personæ à nemine dicuntur. Sed hoc etiam quæritur: an ille, de quo testantur, sit persona & quidem divina? Fatentur testimonium esse ejusmodi: Jesum esse Dei Filium; Filium vero à Patre diversam personam aude[...]ntne negare? Ita habemus alteram personam in divinitate, tertiam vero diserto vocabulo *Spiritus S.* additam, qua specie inficiabuntur? Sed & hoc certum, qui in cœlis sunt, testes, personas esse debere. Nam, *Epistolæ, sigilla*, aliaque hujus generis, quoniam inspici a nobis possunt, nobiscum-

 que

que adeo sunt & in terra, ponuntur testes dici. At, quæcunque in cœlo sunt, cum à nobis intelligi nequeant, nisi aliis signis nobis innotescant, personas esse oportet, quæ utantur consilio, quæque constitutis signis sua nobis testimonia patefaciant, quod & fit verbo atque Sacramentis: Ceterum quæ *Racovienses* incaute quidem, si decretum sit impietatem suam tueri, veritate autem victi, confessi sunt, testimonii horum testium scopum esse, ut agnoscatur Christum JEsum esse Filium Dei; ea callide expunxerunt Recentiores, credo, quod subolfacerent, argumentum nostrum confirmari, ut modo ostendimus; in eo vero persistunt, è voce *testes* non posse colligi *personas esse*, cui pariter ita satisfecimus, ut è nudo vocabulo nos argumentum ducere nolle protestaremur. Superest, Sociniani hominis *B. W.* notam recentiori editioni additam huc describere & excutere. p. 20. sic ait.,, ,,Pro concesso sumunt, per *verbum* JEsum Christum ,,Filium Dei hic denotari: quod plerosque asserere, ne- ,,minem vero hactenus probasse, video. Immo vero in- ,,conveniens est, (si locus genuinus est) ut per τὸν λό- ,,γον JEsus Christus hic intelligatur: tum enim JEsus ,,testaretur, JEsum esse Christum. Quid vero quæso ,,in eo absurdi, si per τὸν λόγον proprie absque tropo, ,,verbum, seu vox (f. vocem) Patris, (quo nomine ,,simpliciter posito, Deum illum designare, Joanni est ,,familiare, ut *Jo. IV. 23. 1. Jo. I. 2. II. 1. III. 1. 2. Jo. 4.*) ,,Filio suo testimonium dantis, intelligamus; prout in ,,baptismo, & in monte illo Sancto, ut alia nunc mit- ,,tam, patuit. In priori loco Spiritus etiam Sancti ex- ,,pressa fit mentio; in posteriori vero eundem, seu vim ,,illam altissimi adfuisse, nemini dubium esse puto. At- ,,que sic trium horum unitatem vides, quam per me li- ,,cet, si vel de strictissima, personali nimirum unitate, ,,intelligas.,, Respondeo paucis, inconvenientiam in nostra explicatione nullam esse, nam non hoc modo testan-

tur

tur tres cœlestes testes, Jesum esse Filium Dei, v. 5. sed & eundem venisse cum *aqua* & *sanguine* v. 6. h. e. utroque Sacramento baptismatis & cœnæ dominicæ beare ecclesiam suam; hæc vero omnia de se Christum ipsum testari hodie ad dextram Patris sedentem in throno gloriæ, pulcherime dicitur, quæ enim poterat esse clarior testificatio, quam quod ipse se, licet oculis corporis non videantur, tuenda, regenda, servanda, augenda, ecclesia, præsentissimum esse atque omnia numine ac beneficiis suis implere, frustra ringente Satana, demonstrat? Hic lectorem meum celare nolim, quid mihi de ultimis *commatis* 6. verbis videatur. Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Non sic intelligo quod multis placet, Spiritum testari de verbi divini, quod Spiritus dicatur, veritate, nam, licet verbum Dei commode dicatur πνεῦμα *Jo. VI. 63.* tamen duplex significatio eodem loco hic non placet, nec esset *Antanaclaseos*, qualis *Matth. VIII. 22.* est ulla gratia. Neque illud probo: Spiritum Sanctum de seipso testari; cur enim non potius, hoc si vellet, dixisset *Joannes: Spiritus veritatem suam testatur seu demonstrat.* Convenientius videtur; voculæ ὅτι relinquere significationem caussalem, verba autem, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστιν ἡ ἀλήθεια; in parenthesi poni, hoc sensu: Præterea, quod Christus per utrumque Sacramentum, aquæ & sanguinis, h. e. Baptismatis & cœnæ efficacissime de se testatur; Spiritus etiam est testificans, (Spiritus enim veracissimus est) Spiritus S. etiam cum per verbum, tum insignibus miraculis convincit homines divinæ veritatis. Hoc modo & nexus cum sequenti versu patet & genuinum eum esse agnoscitur. Pulcherrime enim sequitur; Tres esse qui ita testentur, ut pateat cur Christum primum deinde & Spiritum testes jam adduxerit. Nunc ostendendum Sociniani hominis cogitata esse utique absurda. Vult λόγον esse

verbum

verbum quo Deus Pater Filium suum renunciavit, v. 9. cum baptizaretur in Jordane. Spiritum vero nescio quam *vim altissimi* quæ etiam in illo actu baptismatis præsto fuerit. Frivole: nam quid Joanni sit λόγος absolute positus ipse abunde cum Evangelii tum epistolæ hujus initio, prodidit, nempe illud verbum quod homo factus est, quod viderunt, palparuntque discipuli. Et quam absonum, Spiritum Dei qui assumta columbæ figura apparuit in Christi baptismate pro attributo aliquo habere? Rideretur, qui in foro tres se testes prædicaret habere, deinde vero uno *Georgio* producto, duos reliquos *Georgii* diceret *sapientiam & veracitatem* esse. Pluribus verbis exagitare tantas nugas non est volupe.

3.) Patrem, Filium, & Spiritum S. *unum esse testimonio*, verba sunt, quæ quid sibi velint, vix dixeris. Nec puto ulla lingua, si velis dicere, testes rem uno ore perhibere, testimonium omnium congruere, seu, sententias concordes dici; moris esse ita loqui: *Testes sunt unum*. Saltem eorum est, qui hanc phrasin modo plane inusitato explicare audent, exemplis demonstrare bonorum auctorum, qui cum hoc vellent intelligi, ita locuti sint. Dum hoc fiat, quod vereor ut sit unquam futurum non licebit modo, sed necesse etiam erit, hanc locutionem intelligere, de unitate proprie sic dicta, h. e. essentiæ. Quod hic credunt credive volunt Sociniani, de *Spiritu*, *aqua*, *& sanguine* plane eandem phrasin legi, id præstantissimæ editiones docent falsum esse. Nam, hic non extat ἕν εἰσι sed εἰς τὸ ἕν εἰσι.

89. E superiore oratione unam esse in Deitate personam perspicio: 1.) Nam igitur cognoscere velim, qui hujus rei notitia ad salutem est admodum utilis?

Id facile cognosces, si, quam sit adversæ

partis perniciosa opinio, deprehenderis. Etenim ista opinio primum unius Dei fidem facile convellere & labefactare potest: idque dum unum Deum modo fatetur, modo tres personas, quarum unaquæque Deus sit, prædicat. 2.) Secundo gloriam unius Dei, qui tantum Pater Christi est, obscurat, dum eam ad alium, qui Pater non sit, transfert. 3.) Tertio, viam salutis facile potest pariter subvertere, dum inter primam & secundam salutis caussam discrimen tollit, & ; quis sit primus nostræ salutis auctor, & quemadmodum eandem Deus per Christum & Spiritum Sanctum operetur, recte agnoscere non permittit. Denique alienis à religione Christiana magno est ad eam amplectendam impedimento, dum ea, quæ veritati divinæ & rationi sanæ adversa sunt, tradit; quibus omnibus incommodis vacat ea sententia, quæ unam tantum personam in divinis asserit. 4.)

Notæ.

1.) Quam intempestiva est gloriatio, qua se jactant Socinani, demonstrasse unam esse in Deitate personam, cum nostra argumenta maximam partem ne attigerint quidem, &, quæ attigerunt, tollere nullo modo potuerint! Plena vero est Scriptura V. T. clarissimorum locorum, unde homo modestus, & qui nolit procaciter os suum cœlo ingerere, certus esse possit pluralitatis personarum divinarum. Recitabo aliquot testimonia non meis, sed *Tertulli-*

ani Secul. II. Scriptoris, verbis, ne, quod solent, criminentur heri & nudius tertius argumenta nostra nata esse, hominum esse, qui in *Nicænâ Synodo* opiniones suas ecclesiæ obtruserint, vel post *Nicænam* demum *Synodum*. Sic enim Anonymus auctor libri an. 1652. in 8. *Amstelodami*, ut videtur editi, quem *Jonam Schlichtingium* esse *Sandius* narrat *Biblioth Anti-Trin p. 129.* hoc titulo: *Confessionis Christianæ ad rogum damnatæ & combustæ manium à Cichovio lacessitorum sui vindiciæ*, p. 92. verba facit:,, ,,Nullus non apostolorum tantum, sed neque eorum, qui ,,per aliquot secula Apostolos secuti sunt, Patrum, etiamsi ab apostolicæ veritatis tramite jam deflexissent, eo ,,tamen progressus est, ut Filium summum Deum esse ,,crederet. Non *Ignatius*, qui contra tales aperte disputat, non *Irenæus*, non *Justinus*, non *Tertullianus*, non ,,*Clemens Alexandrinus*, non *Origenes*, non ipsum *Nicænum concilium* &c.,, Reliquos infra vindicabimus; nunc decretum est *Tertullianum* audire. Itaque is præclaro libro *adversus Praxeam p. m. 425. 426.*,, Accipe ,,igitur & alias voces Patris de Filio per *Esaiam*: Ecce ,,Filius meus quem elegi, dilectus meus, in quem bene ,,sensi. Ponam Spiritum meum super ipsum, & judicium nationibus annunciabit. Accipe, & ad ipsum: ,,Magnum tibi est, ut voceris Filius meus, ad statuendas ,,tribus Jacob, & ad convertendum dispersionem Israëlis. Posui te in lucem nationum, ut sis salus in extremum ,,terræ. Accipe nunc & Filii voces de Patre: Spiritus ,,Domini super me, quapropter unxit me ad evangelizandum hominibus. Item in psalmo ad Patrem de eodem. Ne dereliqueris me, donec annunciem brachium tuum nativitati universæ venturæ. Item in alio: Domine, quid multiplicati sunt, qui comprimunt me. Sed & omnes pene psalmi Christi personam sustinent, ,,ad Patrem, id est, Christum ad Deum verba

„facientem repræsentant. Animadverte etiam Spiritum „loquentem ex tertia persona de Patre & Filio. Dixit „Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, do„nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. „Item per *Esaiam*. Hæc dicit Dominus Domino meo „Christo. Item per eundem ad Patrem de Filio: Do„mine, quis credidit auditui nostro, & brachium Do„mini cui revelatum est? Annunciavimus de illo, sicut pue„rulus sicut radix in terra sitienti, & non erat forma ejus „nec gloria. Hæc pauca de multis, neque enim affecta„mus universas Scripturas evolvere, cum & in singulis „capitulis plenam majestatem & auctoritatem contestan„tes, majorem congressum in retractatibus habeamus. „His itaque paucis tam manifeste distinctio Trinitatis „exponitur. Est enim ipse, qui pronunciat, Spiritus, „& Pater ad quem pronunciat, & Filius de quo pronun„ciat. Sic & cetera, quæ nunc ad Patrem de Filio vel „ad Filium, nunc ad Filium de Patre vel ad Patrem, nunc „ad Spiritum pronunciantur, unamquamque personam „in sua proprietate constituunt. Si te adhuc numerus „scandalizat Trinitatis, quasi non connexæ in unitate „simplici, interrogo, quomodo unicus & singularis „pluraliter loquitur? Faciamus hominem ad imaginem & „similitudinem nostram; cum debuerit dixisse: Faciam „hominem ad imaginem & similitudinem meam, utpo„te unicus, & singularis? Sed & in sequentibus: Ecce „Adam factus est, tanquam unus ex nobis. Fallit aut lu„dit, ut, cum unus & solus & singularis esset, nume„rose loqueretur: Aut, numquid Angelis loquebatur, „ut Judæi interpretantur, quia nec ipsi Filium agnoscunt. „An, quia ipse erat Pater, Filius, Spiritus, ideo plu„ralem se præstans pluraliter sibi loquebatur. Immo, „quia jam adhærebat illi Filius, secunda persona, serm[o] „ipsius, & tertia, Spiritus in sermone, ideo plura[liter] „pronunciavit: Faciamus, & nostram, & nobis & „p. 427„ Sed & cetera utique idem fecit, qui &

„ora, id est, sermo Dei, per quem omnia facta sunt, „& sine quo factum est nihil. Qui, si ipse Deus est, „secundum Joannem, Deus erat sermo, habes duos, „alium dicentem, ut fiat, alium facientem. Alium au-„tem quomodo accipere debeas, jam professus sum, per-„sonæ, non substantiæ, nomine ad distinctionem; non „ad divisionem. Ceterum ubique teneo unam substanti-„am in tribus cohærentibus. Tamen alium dicam opor-„tet, ex necessitate sensus, eum, qui jubet, & eum, „qui facit. Nam nec juberet, si ipse faceret, dum jube-„ret fieri per eum. Tamen jubebat, haud sibi jussurus, „si unus esset, aut sine jussu facturus, quia non expe-„ctasset, ut sibi juberet. Ergo, inquis, si Deus dixit „& Deus fecit, si alius Deus dixit, & alius fecit, duo „Dii prædicantur. Si, tam durus es, puta interim, & „ut adhuc amplius hoc putes, accipe & in Psalmo duos „Deos dictos: Thronus tuus, Deus, in ævum, virga „regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, pro-„pterea unxit te Deus. Deus tuus, si ad Deum loqui-„tur & unctum Deum à Deo affirmat, sed hic duos Deos „pro virga regni tui (hæc *Tertulliani* sunt obscuriora & „fortasse corrupta) Inde & *Esaias*„ *Cap. XLV.* 15. ad quem locum videndus *Vitringa*, qui recte observat con-structionem ebraicam à Latinis non intellectam, postulare ad *urbem Sanctam*, h. e. Ecclesiam, referri sermonem)„ „ad personam Christi & Seboin, inquit, viri elati, ad te „transibunt, & post te sequuntur vincti manibus, & te „adorabunt, quia in Te Deus est. Tu enim es Deus no-„ster, & nesciebamus, Deus Israelis. Et hic etiam, „dicendo, Deus in te, &, tu Deus, duos proponit, qui „erant in Christum & Spiritum. Ipsum plus est, quod „in Evangelio totidem invenies. In principio erat sermo, „& sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo. Unus „qui erat, & alius penes quem erat. Sed & nomen Do-„mini in duobus lego. Dixit Dominus Domino meo,

,,sede ad dexteram meam. Et *Esaias* hæc dicit: Do-
,,mine, quis credidit auditui nostro, & brachium Do-
,,mini cui revelatum est? Brachium enim suum non di-
,,xisset, si non Dominum Patrem, & Dominum Filium
,,intelligi vellet. Etiam adhuc antiquior *Genesis*. Et
,,pluit Dominus super Sodomam & Gomorram sulphur
,,& ignem de cœlo, à Domino. Hæc aut nega scripta,
,,aut quis es, ut non putes accipienda, quemadmodum
,,scripta sunt. Maxime, quæ non in allegoriis, & pa-
,,rabolis, sed in definitionibus certis & simplicibus ha-
,,bent sensum. Quod si ex illis es, qui tunc Dominum
,,non sustinebant Dei se Filium ostendentem, ne eum
,,Dominum crederent, recordare tu cum illis scriptum
,,esse: Ego dixi, Vos Dii estis, & filii altissimi. Et,
,,stetit Deus in ecclesia Deorum, ut si homines per
,,fidem filios Dei factos, Deos Scriptura pronunciare
,,non timuit, scias illam multo magis vero & unico Dei
,,Filio Domini nomen jure contulisse. Ergo, inquis,
,,provocabo te, ut hodie quoque ex auctoritate istarum
,,Scripturarum constanter duos Deos & duos Dominos
,,prædices. Absit! Nos enim, qui & tempora & cau-
,,sas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maxime
,,paracleti, non hominum, discipuli, duos quidem de-
,,finimus, Patrem & Filium; & jam tres cum Spiritu
,,Sancto secundum rationem œconomiæ, quæ facit nu-
,,merum, ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse
,,credatur natus & passus, quod non licet credere, quo-
,,niam non ita traditum est. Duos tamen Deos & duos
,,Dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non,
,,quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus
,,Deus, & Deus unusquisque: Sed quoniam retro &
,,duo Dii & duo Domini prædicabantur, ut, ubi venis-
,,set, Christus, & Deus agnosceretur & Dominus vo-
,,caretur, quia Filius Dei & Domini.,, Hoc utut ver-
bosum testimonium *Tertulliani*, nondum *Montanistæ*,
non piguit me describere, neque opinor fore, qem le-

gisse pœniteat, quamquam stilus viri asperior est. Res sane, ita, ut vix quidquam desideremus, comparata est. Audiatur & hic, qui merito nobis in summo pretio est, *Ireneus L. III. c. 6. p. 143.* Inscriptio capitis hæc est: *Ostensio*, quod in Scripturis nemo alius Deus nominatur, nec dominus *nuncupatur, nisi solus verus Deus, Pater omnium & verbum ejus*,, Neque igitur ,,dominus neque Spiritus Sanctus, neque apostoli, eum ,,qui non esset Deus, definitive & absolute Deum nomi- ,,nassent aliquando, nisi esset verus Deus, neque Domi- ,,num appellassent aliquem ex sua persona, nisi, qui do- ,,minatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus, qui ,,dominium accepit à Patre suo omnis conditionis, quem- ,,admodum habet illud: Dixit dominus domino meo, se- ,,de à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ,,scabellum pedum tuorum. Patrem enim Filio collocu- ,,tum ostendit, qui & dedit ei hereditatem gentium, & ,,subjecit ei omnes inimicos. Vere igitur cum Pater sit ,,dominus, & Filius vere sit dominus, merito Spiritus ,,S. domini appellatione signavit eos. Et iterum in ever- ,,sione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus su- ,,per Sodomam & Gomorram ignem & sulphur à Do- ,,mino de cœlo. Filium enim hic significat, qui & Abra- ,,hæ collocutus sit, à Patre accepisse potestatem, ad ju- ,,dicandum Sodomitas propter iniquitatem eorum. Si- ,,militer habet illud; Sedes tua Deus in æternum, vir- ,,ga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam & ,,odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus ,,tuus. Utrosque enim Dei appellatione significavit Spi- ,,ritus, & eum, qui ungitur, Filium, & eum, qui un- ,,git, id est, Patrem. Et iterum, Deus stetit in Syna- ,,goga eorum. In medio autem Deos discernit, de Pa- ,,tre & Filio, & de his, qui adoptionem perceperunt, ,,dicit; Hi autem sunt ecclesia, hæc enim est Synagoga ,,Dei, quam Deus, hoc est, Filius ipse per semetipsum

„collegit. De quo iterum dicit: Deus Deorum Domi-
„nus locutus est, & vocavit terram. Quis Deus? de
„quo dixit: Deus manifeste veniet, Deus noster & non
„silebit, hoc est, Filius, qui secundum manifestationem
„hominibus advenit, qui dicit palam: Apparui his, qui
„me non quærunt. Quorum autem Deorum? Quibus
„dicit: Ego dixi, Dii estis, & Filii altissimi omnes.
„Hi scilicet, qui adoptionis gratiam adepti sunt, per
„quam clamamus, Abba Pater. Nemo igitur alius,
„quemadmodum prædixi, Deus nominatur, aut Do-
„minus appellatur, nisi qui est omnium Deus & Domi-
„nus, qui & Mosi dixit: Ego sum, qui sum, & sic
„dices Filiis Israel; Qui est, misit me ad vos, & hujus
„Filius JEsus Christus dominus noster, qui Filios Dei
„facit credentes in nomen suum. Descendit, inquit, eri-
„pere populum hunc.: Ipse est enim, qui descendit &
„ascendit propter salutem hominum. Per Filium ita-
„que, qui est in Patre, & habet in se Patrem, his, qui-
„bus est manifestatus, Patre testimonium præbente Fi-
„lio, & Filio annunciante Patrem. Quemadmodum &
„*Esaias* ait: Et ego, inquit, testis, dicit Dominus De-
„us, & puer, quem elegi, uti cognoscatis & credatis &
„intelligatis, quoniam ego sum. Cum autem eos, qui
„non sunt Dii nominat, non in totum, quemadmodum
„prædixi, Scriptura ostendit illos Deos, sed cum ali-
„quo additamento & significatione, per quam ostendun-
„tur non esse Dii.„ His sanctus *Irenæus* clarissima rati-
one non modo Christum ab improprie sic dictis Diis dis-
criminat, sed & Deum & Dominum super omnia as-
serit Patrique facit penitus æqualem, etsi a Patre acce-
pisse cum ipsa essentia majestatem, merito & secundum
Scripturam, affirmat. Vix mihi tempero, quin totum
caput sancti & orthodoxi viri huc describam, sed malo
legi apud ipsum Supersedeo etiam hoc loco aliqua *Cy-
priani*, qui *Tertullianum* studiose legit, recitare, ac po-

tius, ne in hac caussa liquida justo sim copiosior, lectorem amandabo, ad ipsos libros *Cypriani*, Testimoniorum adversus Judæos, unum laudasse contentus: *Libr. II. c. 8.* „ Quod, cum à principio Filius Dei fuisset, ge„nerari denuo haberet secundum carnem &c.„ Pudeat „ergo omnes Socinianos, et qui his favent, nostram sanctissimam doctrinam novitatis accusare, ac *Athanasium* & *Nicænos* Patres criminari, cum palam sit, antiquissimos Christianos, idem semper, quod nos hodie, docuisse et studiose usos esse testimoniis veteris Testamenti, non semper felicissime, nam defuit plerisque ebrææ linguæ peritia, plerisque tamen ita feliciter, ut contra dici, solide quidem, nihil possit.

2.) Inquissime nos calumniantur modo unum Deum fateri, modo tres personas, quarum unaquæque Deus sit prædicare, nam utrumque constantissime simul prædicamus. Ceterum de momento caussæ hoc certum, quoniam de ipso apice religionis, Deo, sermo est, fieri non posse, ut utriusque partis opinio, salva pietate, consistat, sed certissime, quando demonstrata est veritas, errore opposito, omnem pietatem et cultum Deo placentem, tolli. Huc referendus locus *Basilii Oratione adversus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos dicimus. p. 735. è Jani Cornarii* versione: „ Si Patrum fidem perse„quor, cur omissis Patribus me bello impetis? Si credo „in Patrem, si confiteor Filium, si non reprobo Spiritum „Sanctum. Si qui trinitatem confitetur, tres nominat Deos, „ignominia afficit baptismum, et impugnat fidem; cur „mea persona supposita, dominum bello impetis. Quis „reliquit baptizare in nomen Patris et Filii et Spiritus San„cti. Ego, aut Dominus? Cujus sunt verba, præco„nis, aut ejus, qui misit? Cur persona mea calumniis ex „facili exposita inventa, per me impugnas veritatem? per „me concutis fidei munimentum? Ego quidem facilis captu sum, fides autem immobilis perstat. Vnus Domi-

„nus

„nus, disce, Paullo loquente, non duo, non tres.
„Etsi nominavero Dominum Filium, non in duos domi-
„nos, non in multos Deos divisi dominationem. Do-
„minus Pater Dominus Filius, dominatio una, unus Do-
„minus, una fides. Propterea una fides, quia unus Do-
„minus. Vnum ad Vnum sequitur, unum ad unum Do-
„minum. Una fides, unum Baptisma. Sic unum ex
„uno per unum confirmatur. Si vero, quod non igno-
„minia afficio Spiritum, neque in eodem cum creatura
„ordine loco, propterea hanc calumniam suscipio, ne
„dicas, quod non dico. Et videamus probabilem ca-
„lumniæ tuæ structuram. Quid occultas tuam ipsius ca-
„lumniam ob mendacium execrande, dicens apud nos tres
„Deos prædicari, et non dicis aperte, quod nos sumus,
„qui eos, qui Spiritum S. creaturam dicunt, detestamur.
„Hanc accusationem admitto, ob hoc et ignem et gladi-
„um exacutum subibo. Et sive rota collidar, sive tor-
„menta contra me moveantur, in eadem certitudine ac
„perfectione supplicia suscipiam. Mecum consentiunt,
„et qui hic siti sunt martyres, qui coronis digni facti sunt,
„propter accusationem eorum, qui aliam opinionem tutati
„sunt. Hoc itaque nomine me accusa, quod non inter crea-
„turas numero Spiritum Sanctum. Si vero quid amplius di-
„xeris, dabis rationem judici, quum venerit ille Para-
„clerus.

3.) His confirmatur, quod modo dixi, de momento caus-
sæ! Impatientem se idololatriæ Deus ubique testatur. Est
autem idololatra, quicunque divinum honorem defert rei
creatæ, quantumvis excellenti. *Esa. XLII. 8.*

4.) Sociniani, qui sua impietate effugere se posse pu-
tant objectum ab infidelibus crimen πολυθεότητος, quo-
niam tres divinas personas credere nobiscum nolunt; item
contradictionis, quod putant, periculum, si quis Deum
simul unum et trinum dixerit; Similes mihi videntur illis,
qui, ne quem offenderent de cruce Christi maluerunt si-

 lere

lere. Gal. VI. 12. At hos Apostolus vocat *hostes crucis Christi. Philipp. III. 18.* NB. Hic recentiores Catechéseos editores aliqua de momento, erroris, ut ipsis videtur nostri, addiderunt, non damnare quidem hominem illico, sed vehementer esse periculosum. Denique Deum esse *Spiritum* docuerunt, quod omiserant *Racovienses*.

CAPUT. II.

De voluntate Dei.

90. Exposuisti mihi quæ pertinent ad essentiam Dei: Quæ spectant ad ejus voluntatem, expone!

Ea, quæ ad voluntatem Dei pertinent, quædam sunt ejusmodi, quorum omnes in universum homines participes existunt, & extitère semper: Quædam vero ad eos proprie spectant, qui vitam æternam consecuturi sunt.

91. Quæ vero ea sunt, quorum in universum homines omnes participes semper extitère?

Sunt numero tria: Primum, creatio cœli & terræ & omnium, quæ iis sunt comprehensa: 1. Tim. IV. 10. Deinde cura & providentia de singulis hominibus: Matth X. 30. Postremo, remuneratio eorum, qui ipsum quærunt, hoc est, eidem parent. Ebr. XI. 6.

92. Cur vero necesse est, ut de Deo credatur, quod cœlum & terram condiderit?

Duæ potissimum caussæ ejus rei deprehendi pos-

possunt. Una, quod Deus velit, ut id credamus. Quapropter in Scripturis & ipse Deus & ejus ministri tam sæpe & perspicue nos ejus rei admonent: ut inter alia testimonia habes apud Esaiam XLIV. 24. Ego Jehovah faciens omnia, expandens coelos & extendens terram virtute mea. Et apud Mosen: Gen. I. 1. In principio creavit Deus cœlum & terram. Et Davidem: Psalm. XXXIII. 6, 7, 8. 9. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum: Colligens tanquam in situlam aquas maris, componens velut in thesaurum abyssos. Metuat igitur Jehovam orbis terræ, hunc reformident omnes habitatores mundi. Nam ipse dixit, & factum est, ipse jussit & extitit. Et in Actis, IV. 24. Domine, tu es, qui fecisti cœlum & terram & maria, & omnia, quæ in eis. Et ibidem, V. 14. 15. Annunciamus vobis, ut ab istis vanis convertamini ad Deum viventem, qui fecit coelum & terram & maria, & omnia, quæ in eis. Et ibidem, 17. & 24. Deus, qui mundum & omnia, quæ in eo, condidit, is Dominus cœli & terræ existens non habitat in templis, manu factis. Altera caussa est; cur id credendum sit de Deo, quod cœlum & terram creavit; quod, nisi certo id nobis persuasum esset, nullam caussam haberemus credendi, Deum singulorum hominum curam habe-

 re,

here. Gal. VI. 12. At hos Apostolus vocat *hostes crucis Christi. Philipp. III. 18.* NB. Hic recentiores Catecheseos editores aliqua de momento, erroris, ut ipsis videtur nostri, addiderunt, non damnare quidem hominem illico, sed vehementer esse periculosum. Denique Deum esse *Spiritum* docuerunt, quod omiserant *Racovienses.*

CAPUT. II.

De voluntate Dei.

90. Exposuisti mihi quæ pertinent ad essentiam Dei: Quæ spectant ad ejus voluntatem, expone!

Ea, quæ ad voluntatem Dei pertinent, quædam sunt ejusmodi, quorum omnes in universum homines participes existunt, & extitère semper: Quædam vero ad eos proprie spectant, qui vitam æternam consecuturi sunt.

91. Quæ vero ea sunt, quorum in universum homines omnes participes semper extitère?

Sunt numero tria: Primum, creatio cœli & terræ & omnium, quæ iis sunt comprehensa: I. Tim. IV. 10. Deinde cura & providentia de singulis hominibus: Matth X. 30. Postremo, remuneratio eorum, qui ipsum quærunt, hoc est, eidem parent. Ebr. XI. 6.

92. Cur vero necesse est, ut de Deo credatur, quod cœlum & terram condiderit?

Duæ potissimum caussæ ejus rei deprehendi pos-

re, atque hac ratione animum ad ei obediendum nunquam induceremus.

93. Ex hac tua responsione perspicio, nihil esse, cur rogem, quamobrem Deus singulorum hominum curam habeat, & obtemperantes sibi remuneretur: Quare expone mihi, quænam sint, quæ ad voluntatem Dei pertinent, quæ ad eos proprie spectant, qui vitam æternam consequentur.

Sunt ea, quæ Deus per JEsum Christum nobis patefecit?

De cognitione Christi.
et primum de essentia ipsius.
CAPUT. I.
De Persona Christi;

94. Quoniam ea per Jesum Christum patefacta esse dixisti, quæ ad voluntatem Dei spectant, & ad eos proprie pertinent, qui vitam illam immortalem assecuturi sunt, rogatum te velim, ut mihi ea de Jesu Christo exponas, quæ me scire oporteat.

Bene; Sciendum itaque tibi est, quædam ad essentiam Jesu Christi, quædam ad illius munus referri, quæ te scire oportet.

95. Quænam ea sint, quæ ad personam ipsius referuntur?

Id solum, 1.) quod natura sit homo verus, quemadmodum ea de re crebro Scripturæ Sacræ testantur: Inter alias, 1. Tim. II. 5. Unus mediator Dei & hominum, homo Christus

Jesus

JEsus, & 1. Cor. XV. 21. Quoniam per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Qualem Deus olim per Prophetas promiserat, & qualem etiam testatur fidei Symbolum, quod vulgo Apostolicum vocant, quod nobiscum universi Christiani amplectuntur. 2.)

Notae.

1.) Vide quid inter Socinianos & *Joannem* Apostolum intersit. Illi *id solum*, *quod natura* sit homo verus, de persona Christi credi postulant. At non ita *Joannes* Apostolus, *XX*, *31*. qui de Jesu nostro credi vult, esse *Christum Filium Dei*, porro, Filium Dei credi vult *esse verum* Deum, *1. Jo. V. 20.* qui & ad fidem, qua mundus vincatur, requirit, credi, Jesum esse Dei Filium *1. Jo. V. 5.* Plura hic nolo cumulare,

2.) Quid Socinianis cum Symbolo Apostolico? Antiquissimos Christianos alia omnia, quam quae Sociniani perhibent, credidisse, & *Irenaei* & *Tertulliani* minime obscura testimonia, à me recitata, veritatis studiosum facile docebunt, quibus complusculа ex aliis deinde addere decrevimus. Nunc è *Ruffini*, qui sub finem *Seculi IV.* claruit, & in antiquissimis Symboli interpretibus est, *Expositione in Symbolum Apostolorum*, quae edi solet cum operibus *Cypriani*, *p. m. 456. b.* aliqua excerpam. „Unicus ergo Filius est, & cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate, hoc quod Pater „est: Omnia tamen haec non sine auctore, sicut Pater, sed „ex Patre, tanquam Filius, sine initio & aequalis habet. &c.„

96. Ergo Dominus Jesus est purus homo?

Nullo pacto. Etenim est conçeptus è Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, eoque ab ipsa conceptione & ortu Filius Dei est, ut ea de re Luc. I. 35. legimus, ubi Angelus Mariam ita alloquitur: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque, quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ut alias caussas non afferam, quas postmodum in Jesu Christi persona deprehendes, quæ evidentissime ostendunt, Dominum Jesum pro puro homine reputari nullo modo posse. 1.)

Notæ.

1.) Quid verbo fallere nos conantur? Negant Christum esse *purum hominem.* Sed, quidnam porro est ipsorum opinione? Deus; hoc vero inficiantur sequente quæstione & *naturam divinam* nullo modo concedunt habere. Magis ingenue recentiores Sociniani *vulgarem* hominem Christum esse negarunt. Maximi autem hominum non desinunt esse *puri homines.* Et, quantacunque sint ornamenta, quibus prædicant Christum condecoratum, quando secundum ipsos, aliam præter humanam naturam non habet, *purus homo* est. Dixeris, angelicam aliquam, vel ipsis Angelis majorem naturam habere; sed neque hoc Socinianis placet, nam Arrianis contradicunt. Quid ergo negant, quod revera sentiunt & docent, Christum esse *purum hominem.* Mirabile est, laudari ab his hominibus, *Luc. I. 35.* neque tamen intelligi verita-

veritatem: Sic ajunt: *Conceptus est à Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, eoque ab ipsa conceptione & ortu Filius Dei est.* Maria virgo huc nihil facit. Miraculo quidem genitus est, quem virgo parit, neque vero ideo quidquam aliud est, quam purus homo, itaque *conceptus a Spiritu Sancto* caussa esset. Verum, accepitne hic Filius Mariæ, hoc conceptu, naturam Spiritus Sancti, h. e divinam? hoc modo esset Deus, & quidem Spiritus Sancti Filius. Quorum utrumque Sociniani, nos, alterum negamus. Itaque longe alia est mens nuntii cœlestis *Luc. I. 35.* lectori docili & veritatis cupido facile intelligenda, *Spiritus S. veniet in te*, parabit de sanguine tuo humanam naturam Filio suo, & *ipsa virtus altissimi* Filius Dei, qui *δύναμις Θεοῦ* vocatur, *I. Cor. I. 24.* *obumbrabit tibi*, h. e. in tuum ventrem veniet, assumta illa, à Spiritu Sancto parata humanitate. Similis locutio est, *Exod. XL. 35.* ubi Græci ita habent: *Καὶ ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν ἡ νεφέλη, καὶ δόξης κυρίου ἐνεπλήσθη ἡ σκηνή.* Itaque, ut obumbratione factum est, ut Deus impleret præsentia gloriaque sua tabernaculum; ita hic obumbratione virtutis & sapientiæ Dei, h. e. *τοῦ λόγου*, Filii Dei factum est, ut Sanctæ virginis venter thronus esset majestatis ejus. Quæ cum ita sint, saltem nostra interpretatio à Socinianis nulla idonea ratione refutari possit; postquam omnibus vocabulis, propria & usitata significatione, usi sumus: Non ideo vocatur Sanctum è Maria genitum Filius Dei, quod esset à Spiritu Sancto conceptum, sed, quod esset ipsissimus Filius Dei ab æterno genitus, qui nunc assumtam quoque humanitatem ejusdem *filiationis* participem faceret.

97. *Dixeras paullo superius Dominum Jesum natura esse hominem, an idem habet naturam divinam?*

Nequa-

Nequaquam, 1.) nam id non solum rationi sanæ, verum etiam divinis literis repugnat.

Notæ.

1.) Christum habere divinam naturam, hic præfracte negant Sociniani, sed aliis locis concedunt posse dici *natura Deum*, etsi & recentiores Catecheseos editores hoc negant, cum quidem multis verbis posse Christum *Deum* dici etiam ante adscensionem in cœlos, multo magis autem hodie, postquam occupavit gloriam suam, disputassent. Mens omnium est eadem. Igitur, ne lector fallatur, recitabo aliqua è libello Sociniani hominis sine loci annive mentione edito, satis captioso: Wahrhafftige Erklärung aus Grund der H. Schrifft von des Herrn Jesu Christi Gottheit. Ibi *Lit. C. fac. 2.* sic extat: Ob vvohl die Schrifft nicht sagt, dass Christus sey GOttes Sohn von Natur, so seyn vvir doch gleichvvohl nicht darvvieder, so es recht verstanden vvird, denn dass Wörtlein Natur, heist auch, vvie es nicht allein die heilige Schrifft gebraucht, sondern auch Buchschreiber, sovvohl bey den Griechen als bey den Lateinern: *gänzlich, eigentlich.* Und so vvirds doch nicht mehr gelten, denn, dass Christus der Herr, eigentlich der Sohn GOttes sey. Welches vvir glauben und bekennen. Hæc, ut dixi, ne quis fallatur vocabulo, posui: Placet autem de duplici natura Christi, saniorem doctrinam *Irenæi* huc laudare. Is *L. V. p. 316.* de Christo paralyticum curante sic scripsit: „Peccata igitur remittens hominem quidem curavit, semet ipsum autem manifeste ostendit, quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus & curabat homines manifeste, quoniam ipse erat verbum Dei, Filius hominis

factus

„factus, à Patre potestatem accipiens, quomodo homo, „& quomodo Deus; & quomodo homo compassus est „nobis, tanquam Deus misereatur nostri, & remittat „nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.„ &c. Recentiores Sociniani eo modo concedunt Christum naturam divinam habere, ut 2. *Petr.* 1.4.

98. Cedò, quâ ratione sanæ repugnet?

Primo ad eum modum, quod duæ substantiæ proprietatibus adversæ coire in unam personam nequeant, 1.) ut sunt, mortalem & immortalem esse; principium habere & principio carere; mutabilem & immutabilem existere. Deinde, quod duæ naturæ personam singulæ constituentes, in unam personam convenire itidem nequeant. 2.) Nam loco unius duas personas esse oporteret, atque ita duos Christos existere, quem unum esse & unam ipsius personam, omnes citra omnem controversiam agnoscunt.

99. Cum vero illi ostendunt, Christum sic natura divina & humana constare, quemadmodum homo ex anima & corpore constet, quid illis respondendum?

Permagnum hic esse discrimen. Illi enim ajunt, duas naturas in Christo ita unitas esse, ut Christus sit Deus & homo: anima vero & corpus ad eum modum in homine conjuncta sunt, ut nec anima, nec corpus, ipse homo sit Nec enim anima, nec corpus, sigillatim perso'

nam

nam constituunt. At, ut natura divina per se constituit personam, ita humana per se constituat, necesse est. 3.)

Notæ.

1.) Ita corrupta & misera ratio audet sua decempeda emetiri mysteria divina! Unde probas duas substantias proprietatibus adversas coire in unam personam nequire? Non posse eandem substantiam eodem intuitu contrarias proprietates possidere, h. e. non posse aliquid simul esse & non esse, hoc capit ratio, nec Scriptura aliud docet. At duas substantias, ita coire non posse, ut diverso intuitu diversas & contrarias proprietates habeant, cur negas Sociniane? Cur male sana audacia omnipotentiæ divinæ terminos ponis? Denique cur, quod factum est in te ipso divinitus, fieri posse negas? Anima certe tua & corpus coiere in unam personam, quod vocabulum supra expositum est. Habent vero & retinent diversas, immo contrarias proprietates, v. g. *secari*, *videri* alterum potest, alterum non potest. Quæ hic excipiuntur, nihil esse *num.* 3. docebimus. His disputationibus hoc tandem obtinebitur, ut miracula omnia, quale est duarum naturarum in Christo unio, negentur penitus. Ratio, qua utuntur Sociniani, si quid valet, non eo usque tantum valebit, ut duas substantias contrariis proprietatibus præditas in unam *personam* coire posse neget. Quid enim interest, utrum conjunctum illud sit intelligens, an facultate intelligendi destitutum? Itaque jam negabis fieri posse, ut res duæ, contrariis proprietatibus præditæ, qualescunque sint intelligentes, non intelligentes, conjungantur in unum. Pone, Deum velle, rei jam creatæ conjungere aliam rem demum creandam; quoniam nulla proprietas ita potest alteri proprietati contraria esse, ut

non-

non-ens, enti; per Socinianos fieri non poterit, ut ista conjunctio efficiatur. O utinam ita saperent miseri mortales, ne tandem penitus desipiant. Nulla major & detestabilior idololatria est, quam suam deperire & infallibilem credere, maxime in rebus divinis, rationem.

2.) Quid pugnant Sociniani, non posse duas naturas, quæ singulæ personam constituant, in unam personam convenire? Nos certe hoc nunquam diximus. Nam, humanam Christi naturam, nunquam seorsim extitisse, nunquam fuisse personam, h. e. nunquam quidquam egisse, quod non egisse censenda sit persona τῦ λογυ, quod dicendum foret, si per se esset persona; hoc, inquam, fatemur & docemus graviter. Credimus unam esse, non duplicem personam, Christum, unum Filium Dei, qui nunc & homo sit & Deus, ita ut, quicquid secundum alterutram naturam facit, toti personæ, quæ nonnisi una est, tribuendum existimemus. Hæc, si dixeris, te non capere; at credendum est Scripturæ, quæ nobis narrat, *verbum carnem factum esse*.

3.) Piget me eorum hominum, qui, cum urgentur similitudine aliqua, circumspiciunt dissimilitudinem rerum, quæ ita comparantur. Quod genus disputandi vehementer molestum est; neque enim unquam duæ res ita sunt similes, ut nulla supersit ratio, in qua discrepent. Tum enim non similes forent, sed idem. Hoc quærendum, an sint similes in eo, quod dicunt, *tertio*, cujus caussa laudantur. Ut ad nostrum exemplum veniamus. Quæritur, an possint duæ substantiæ, contrariis proprietatibus præditæ coire in unam personam? Negant Sociniani, nos affirmamus, & affirmaturi essemus, si vel nihil usquam simile contingeret reperiri; fas enim est fidem habere Deo affirmanti in Scriptura, quæ hic clare satis loquitur. Sed præterea; quod Scripturæ credendum est, extat simile admodum opportunum. Anima & corpus sunt substantiæ diversis immo contrariis proprietatibus; quis neget? uniuntur, sive, si hoc malis, coëunt in unam

personam;

nam c
se conf
stituat,

1.) Ita
emetiri
propriet
Non po
propriet
& non ess
At duas s
tu diversa
Sociniane
terminos
ipso divini
pus coiere
expositum
contrarias
test, alter
esse *num.*
dem obtin
naturar
utun
val

[illegible]mni caussa futuram fuisse. 3.) Matth. 18. Philipp. II. 9. 1. Cor. XV. 27. Jo. 25.

Notæ.

[illegible]phoram instituunt, urceus exit. Promittunt [illegible]aturos è *Scriptura*, Christum non habere na[illegible]nam, sed recurrunt ad misera sua ratiocinia: [illegible]uoniam & è Scriptura & è ratione scimus, [illegible]m esse, istum autem unum Deum esse Patrem [illegible]ti; colligunt, Christum non esse illum unum [illegible]t, Scriptura hoc non docet, sed illum unum [illegible]jus nomine baptizamur, claris verbis Patrem, [illegible]piritum Sanctum ait esse.

[illegible] corruptæ rationi tribuendum est, non Scriptu[illegible] collectio: Christus homo est. Ergo Deus non est. [illegible]adit utrumque, cui si credis hominem esse, *1. Tim.* [illegible]eum esse non credis? *Rom. IX. 5.* Nam, quod [illegible]um excipiunt Sociniani, accipiemus ita frivo[illegible]t pudere eos oporteat.

[illegible]l solidi est in hac argutatione, quamquam multis [illegible]ntioribus Catecheseos auctoribus incrustata: [illegible]nnia accepit à Patre, ergo non habet naturam [illegible]lanum est studiosis Scripturæ lectoribus, ali[illegible]ore Christo data esse: ea secundum humanita[illegible] esse nemo dubitat. Sed accepit quoque ante[illegible]o natus est, majestatem & gloriam, ut ipse [illegible] *XVII. 5. Glorifica tu me Pater apud temet ipsum* [illegible] *quam habueram, antequam mundus existeret.* [illegible]ui hæc legit, Christum gloriam apud Patrem, [illegible]essum toties prædicat, habuisse ante mundum [illegible] non movebitur vel *Enjedini* vel *Wolzogenii* [illegible]la: *destinatam* esse eam gloriam Christo ab

æterno,

personam; Neque hoc quisquam negare poterit. Adhuc nihil dissimile; ulterius vero a nobis similitudo non extenditur. Itaque nihil refert, alterum eorum, quæ in Christo uniuntur, personam jam fuisse ab æterno; in homine autem nec corpus nec animam seorsum personam fuisse. Hoc enim facile agnoscimus. Poterant & alia, in quibus discrepantia maxima est, afferri. Sed id tamen, cujus caussa laudatum est, manet, & sufficit homini docili. Qua fronte autem affirmatur, ut natura divina per se constituit personam, ita humanam per se constituere necesse esse? Cur vero ita audacter definiunt hi homines? Si Deus, quod alias duas personas facit, hic velit unam esse, h. e. unum auctorem actionum, cui omnes tribuantur, id per Socinianos Deo non licebit?

---

100. Doce etiam, qui id repugnet Scripturæ, Christum habere naturam divinam?

Primum, ea ratione, quod Scriptura nobis unum tantum natura Deum proponit, quem superius demonstravimus esse Christi Patrem. 1.) Secundo, eadem Scriptura testatur Jesum Christum natura esse hominem, ut superius ostensum est: quo ipso naturam illi adimit divinam. 2.) Tertio, quod quicquid divinum Christus habeat, Scriptura eum Patris dono habere aperte doceat. Denique, cum eadem Scriptura apertissime ostendat, Jesum Christum omnia sua facta divina, non sibi, nec alicui naturæ divinæ suæ; sed Patri suo vendicare solitum fuisse, planum facit eam divinam in Christo naturam, prorsus otiosam

ac fine omni caussa futuram fuisse: 3.) Matth. XXVIII. 18. Philipp. II. 9. 1. Cor. XV. 27. Jo. V. 19. X. 25.

Notæ.

1.) Amphoram instituunt, urceus exit. Promittunt se demonstraturos è *Scriptura*, Christum non habere naturam divinam, sed recurrunt ad misera sua ratiocinia. Itaque, quoniam & è Scriptura & è ratione scimus, Deum unum esse, istum autem unum Deum esse Patrem Domini nostri; colligunt, Christum non esse illum unum Deum. At, Scriptura hoc non docet, sed illum unum Deum, cujus nomine baptizamur, claris verbis Patrem, Filium & Spiritum Sanctum ait esse.

2.) Et hoc corruptæ rationi tribuendum est, non Scripturæ; Absona collectio: Christus homo est. Ergo Deus non est. Scriptura tradit utrumque, cui si credis hominem esse, *1. Tim. II. 5.* cur Deum esse non credis? *Rom. IX. 5.* Nam, quod ad hunc locum excipiunt Sociniani, accipiemus ita frivolum esse, ut pudere eos oporteat.

3.) Nihil solidi est in hac argutatione, quamquam multis verbis à recentioribus Catecheseos auctoribus incrustata: Christus omnia accepit à Patre, ergo non habet naturam divinam. Planum est studiosis Scripturæ lectoribus, aliqua in tempore Christo data esse: ea secundum humanitatem accepta esse nemo dubitat. Sed accepit quoque antequam homo natus est, majestatem & gloriam, ut ipse testatur *Jo. XVII. 5. Glorifica tu me Pater apud temet ipsum ea gloria, quam habueram, antequam mundus existeret, apud te.* Qui hæc legit, Christum gloriam apud Patrem, à quo se egressum toties prædicat, habuisse ante mundum conditum, non movebitur vel *Enjedini* vel *Wolzogenii* misera glossa: *destinatam* esse eam gloriam Christo ab

æterno, quod vero destinatum sit, posse etiam datum dici, 2. Tim. 1. 9. nam habuisse se eam gloriam narrat; neque est, quod dicas, habuisse & datum esse, esse voces correlatas, itaque si recte dicatur, bona destinata ab æterno; data esse, non minus recte dici, habuisse aliquem ista destinata bona ab æterno, dari enim & accipi esse simul, vel re utrumque, vel destinatione utrumque. Hæ argutiæ similesque huc plane nihil faciunt, neque singulæ voces torquendæ sunt, sed tota narratio consideranda. Qui se missum ab aliquo & exiisse narrat, ut Christus hic se exiisse & missum à Patre prædicat, v. 9. alibique sæpissime, simul vero verba facit de gloria, quam antiquitus apud eum mittentem habuisset, hunc nemo bonus interpres intelliget, de destinata olim gloria loqui. Vnum est, quod movere aliquem imperitiorem possit, non dictum esse à Christo: glorifica me iterum, sive, redde mihi honorem, quem olim habui. Sed & hoc nihil est. Non dicit: redde gloriam, nam quantum ad eam naturam attinet, cui hanc gloriam dari petit, eâ adhuc non fuerat usus, quoad divinitatem vero nunquam posuerat gloriam, ut reddi secundum eam posset. Sed hoc tamen certum, eundem esse Christum, qui & habuit ab æterno eam gloriam, & nunc accipit eandem, secundum diversas nempe naturas. Igitur, ut ad illud, unde digressus sum, redeam, liquet, Christo ab æterno datam esse majestatem divinam, quæ vel esset à Deo separabilis, quod nefas cogitatu, vel, si communicatur, naturam divinam simul communicari necesse est. Atque hoc sane æterna generatione factum. Absonum est ratiocinium; si accepta fert omnia Patri, non habet naturam divinam; Tu potius in contrariam partem ratiocinare; si accepit omnia à Patre, cujus est Filius, habet id, quod à Patribus Filii habere solent, nempe naturam Patris. Proprius Filius à Patre accipit naturam non minorem, sed æqualem. Itaque & hic, quoniam

niam in Scriptura placuit voce *generationis & Patris* uti, Filius Dei habet naturam Dei Patris eandem. Et, quemadmodum in humanis nullo pacto feras ita argumentantem: *Isaacus* ab *Abrahamo* vitam habet & naturam, ergo non est æque ac *Abrahamus*, homo; potius enim sequitur esse æque hominem, quia accepit. Ita ægre nos ferimus sic colligentem; Filius Dei accepit naturam à Patre, ergo non est, æque ac Pater, Deus. Ceterum differentia, quæ in aliis rebus est inter divinam & humanam generationem, huc non pertinet; nam liquet hanc esse utriusque communem rationem, ut propria generatione communicetur natura generantis cum generato. Restat, ut & hoc excutiamus. Cavillatur Catechesis: Quoniam Christus omnia Patri suo accepta ferat, non posse eum naturam divinam habere, quæ alias otiosa foret, huic enim potius omnia accepta ferenda esse, quam alteri personæ; in qua objectione & recentiores se jactant. Dupliciter hic respondendum est, si intelligas, quæcunque Christus ab æterno accepit; ea sane cum ipsa divina natura Christus non à se, sed à Patris persona accepit, huicque adeo merito omnia accepta refert; unde tamen nulla inæqualitas, sed summa potius æqualitas sequitur. At, si loquaris de donis majestatis divinæ in tempore datis, non desunt quidem testimonia, quibus Christus sibi æqualem & eandem potestatem, quæ Dei Patris est, vindicat. *Jo. X. 28. 29.* Sed addit fere utique se hæc facere, quæ facit, nomine & jussu Patris sui. *Jo. X. 18.* Hæc vero referenda sunt ad œconomiam consiliorum divinorum, de qua hoc quidem constat, Patrem in Filio per Spiritum S. operari, sed enarrare eam, aut rationes omnes perscrutari posse non postulamus. Otiosa vero non est divina Christi natura, cum & ipsa cum omni majestate divina carni humanæ assumtæ à Patre communicata est, quemadmodum nec otiosa fuit, cum Pater per hoc substantiale verbum mundum creavit, neque otiosa est, quando à

Patre per hanc τῦ λόγυ personam humanitati ejusdem, plenus usus majestatis ab ipsa incarnatione possessæ, in exaltatione conceditur. Inæqualitas vero inde elici adeo non potest, ut sequeretur, Christum esse minorem Spiritu Sancto, à quo in unctione, secundum humanam naturam, & quidem in statu exinanitionis, quod alibi explico, dona accepit, cum tamen ipse Spiritum Sanctum mittat. Oeconomiæ hujus sapientissimæ & imperscrutabilis rationes nolite rimari mortales, sed pie potius miramini! Recentiorum improba sedulitas hoc etiam adjecit: *Christum manifeste ostendere, se non esse ultimum fidei nostræ scopum, cum ita apud Joannem VII. 28. loquatur: Qui credit in me, non credit in me; sed in eum, qui misit me. Unde Petrus dixerit: nos per Christum credere in* Deum. *I. Petr. I. 21.* Quæ facili opera diluuntur. *Jo. VII. 28.* palam juvat nostram causam. Fatetur enim Christus nosse Judæos unde sit, matrem certe ejus noverant omnes, sed non nosse omnia, scil: missionem à Patre suo ipsis esse incognitam. Verum de hoc loco, quoniam vitio typographico laudatus est, hic nolo agere. Digitum intendunt in *Jo. XII. 44.* sed & ibi non modo Domini sensus clarus: cum sibi credatur, credi simul in Patrem, qui misisset, quemadmodum alio loco, *Jo. XV. 23.* odisse hostes suos simul ipsum Dominum & Patrem, dixit, ne quis putaret nihil amplius esse Christum, quam quod externa facies prodebat; sed & comma hoc ipsum ac sequens ostendunt unitatem Filii & Patris. *Petri* dictum non infert Christum minorem esse Patre, quod quidem secundum humanitatem verissimum est, sed œconomiæ rationem. Christus enim, non Pater nec Spiritus S. nostra peccata satisfactione præstita, delevit. Nullo modo autem sequitur, mediatorem, per quem fit conciliatio, ideo, quod mediator est, vel utroque vel alterutro eorum, qui conciliantur, minorem esse. Sequitur apud recentiores verbosa disputatio, qua negant posse dici

Christum

Christum secundum humanam naturam Patre minorem esse, non minorem secundum divinam: Quæ excutiendi commodior infra locus dabitur.

101. Atqui illi, è Scripturis illam divinam in Christo naturam asserere conantur?

Conantur quidem variis modis, idque dum student aut è Scripturis quibusdam evincere, quæ in iis non habentur, aut, dum ex iis, quæ in Scripturis habentur, perperam ratiocinantur, ac male rem suam conficiunt.

102. Quæ vero sunt illa, quæ illi de Christo è Scripturis evincere laborant, quæ illic non habentur?

Est illius, ut loquuntur, prææternitas, 1.) quam duplici Scripturarum genere approbare nituntur. Primum ejusmodi est, in quo prææternitatem hanc expressam putant. Secundum, in quo licet expressa non sit, eam tamen colligi arbitrantur.

Notæ.

1.) Hæc caussa ipsa est acropolis totius disputationis nostræ, & commemorabilia sunt verba *Ostorodi* Unterricht: *Cap. VIII. p. 57.* Nun aber wollen wir untersuchen, ob irgend etwas aus heiliger Schrifft könne beygebracht werden, damit zu beweisen, dass Christus von Ewigkeit gewesen sey. Denn, wo das wahr wäre, würde aus demselben kurzum geschlossen werden, dass Er Göttliche Natur habe, das ist, dass Er der einige GOtt sel-

ber sey. Ibidem *Ostorodus*, conatus ad locum *Jo. VIII. 58.* de quo nos paullo post agemus, respondere, observans æternitatis non esse eo loco mentionem factam, tantum hoc dici, Christum prius fuisse quam Abraham fieret; fatetur tamen, si probari posset Christum ante Mariam fuisse, se tota sua caussa cecidisse. Verba hæc sunt: So man aber sagte, dass dieser Ort gleichwohl beweise, dass GOttes Sohn eher gewesen sey, denn Er von der Jungfrau Maria gebohren, welchs denn unsre Meinung ganz und gar falsch zu seyn beweisen könte, &c. geben wir zur Antwort &c. Itaque *Wolzogenius* merito reprehendendus, qui apud B. *Speuerum* von der ewigen GOttheit Christi, *C. IV. p. 331.* negat sequi, Christum æternum esse, etiamsi ante mundum conditum aliquam majestatem apud Deum ipso actu habuisset: Non esse enim statim æternum, qui fuisset ante creationem mundi. Socinianos hoc modo non decuit loqui. Arrianorum, quos tamen ipsi Sociniani nolunt fidei socios habere, saltem nolle videri volunt, dixeris hæc potius esse. Verum, quicquid hujus sit, nobis enim utraque factio hostium divinitatis Christi tantundem valet: Scripturæ stilo, qui ante mundum conditum est, æternus est. vid. e. g. *Psalm. XC. 2.* Hæc de argumenti gravitate præfanda duxi, nunc ad ipsam rem!

103. Quænam sunt testimonia Scripturæ, quæ videntur ipsis eam prææternitatem exprimere?

Sunt ea, in quibus Scriptura testatur de Christo, ipsum fuisse in principio, fuisse in coelo, fuisse ante Abrahamum. 1.) Jo. I. 1. VI. 62. VIII. 58.

Notæ.

1.) Nec ea loca omittenda fuerant, quibus Christus

ant

ante mundum conditum extitisse narratur, ut *Prov. VIII. 22. ss.* Occurrit nunc venustissimus locus *Irenei*, qui *L. III. c. 33. & 34. p. m 194.* Patres, & in his cumprimis Adamum ipsum per Christum servatos & è retibus Satanæ ereptos præclare disputat. Nos excerpimus hæc. „ Ipse „ initium viventium factus, quoniam Adam initium mori- „ entium factus est. Propter hoc & *Lucas* initium genera- „ tionis inchoans, in *Adam* retulit, significans, quoni- „ am non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ rege- „ neravit. Sic autem & Evæ inobedientiæ nodus solutio- „ nem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alliga- „ vit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria sol- „ vit per fidem. Necesse ergo fuit Dominum ad perdi- „ tam ovem venientem & tantæ dispositionis recapitulatio- „ nem facientem, & suum plasma requirentem illum ipsum „ hominem salvare, qui factus fuerat secundum imagi- „ nem & similitudinem ejus, i. e. Adam.„ &c. Habet in proxime sequentibus aliqua *Ireneus*, de Adamo tum demum salvato, cum Christus venit, de quibus in præsenti non vacat disputare. Sed hoc constat, Adamum dici à Sancto viro *plasma Christi*, & ad hujus imaginem conditum.

---

104. Quid vero ad primum respondes?

In loco citato nihil habetur de ista prææternitate, cum hic principii mentio fiat, quod prææternitati opponitur. 1.) Principii vero vox in Scriptura fere semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est. Daniel. VIII. 1. Jo. XV. 27. & XVI. 4. Act. XI. 15. 2.) Cum igitur hîc subjecta sit materia, Evangelium, cujus descriptionem suscepit Joannes, sine dubio

per vocem hanc Principii, principium Evangelii Joannis intellexit. 3.)

Notæ.

1.) Studio cavillari in re seria, res est iniquissima. *Principium* ajunt *prææternitati* opponi. Hem quam absone. *In principio fieri* utique opponitur æternitati (pro qua voce nescio cur *Racoviensibus* placuerit *prææternitatem* substituere, quod vocabulum proprie nihil significat; nam ante æternitatem esse nihil potest) sed *esse in principio*, h. e. jam existere, cum sit rerum creandarum principium, adeo non opponitur æternitati, ut eam validissime inferat. Nam is, quem ponimus existere, cum accessus fit ad creationem rerum, vel ipse est creator, atque ita Deum esse, dubitari nequit, atque hoc ipsum est, quod nos de Christo affirmamus, vel est & ipse creatus, hoc modo autem *contradictio in adjecto*, quam vocant, committeretur. Esset enim & non esset principium rerum creandarum; esset ex hypothesi; non esset, quoniam daretur res creata, ante creationis initium, quod tamen in illius rei creatione ponendum fuisset.

2.) Ut oculos claudere hominem vigilantem non decet, ita nefas est dubitare, Sanctum *Joannem* Apostolum in Exordio Evangelii sui, de cujus scopo vero, in commentatione *F. A. Lampio* opposita, ex *Irenæo* potissimum exposui, idem fecisse, quod fecit *Moses Gen.* I. 1. De *creatione* utrique agitur, de *Sermone*, utrique. Itaque mutuo sibi lucem præbent *Moses & Joannes.* Si non intelligas, quid sibi velit pluralis numerus in *Mose*, præsto est *Joannes* interpres, qui *Sermonem* seu λόγον affuisse in creationis initio Deo, sive *adhæsisse*, si placeat

Ter-

Tertulliani vocabulo uti, narrat. Si dubitandum putes, quid sit *Joanni* vox ἐν ἀρχῇ, quamquam sine ratione dubitas, *initium rerum* intelligi à scriptore ipsa fronte libri, nulla voce addita, unde singularis alicujus rei initium intelligendum suspicari aliquis possit; tamen, si videatur locus dubitationi esse, intercedit *Moses*, & suum ἐν ἀρχῇ idem esse, quod *Joannis* clamat. Idem non nunc demum nobis de utroque loco *Mosis* & *Joannis* videri; non *Patribus Nicænis* demum, satis docere potest amplissimum *Tertulliani* testimonium suprà à nobis laudatum. Cui nunc subjicio alterum *Irenæi. L. I. cap. I. p.m. 18.* „Manifesta igitur expositionis eorum transfictio. Joanne enim unum Deum exponente, & „unum unigenitum Christum Jesum annunciante, per quem „omnia facta esse dicit, hunc verbum Dei, hunc unigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum „illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eundem carnem factum, & habitasse in nobis„ &c. *paullo post; nam nolo omnia describere, sic pergit:* „Quia autem non de „Syzygiis ipsorum (*per quas Valentiniani mundum creatum* „*perhibebant.*) Apostolus dixit, sed de Domino nostro „JEsu Christo, quem & verbum scit esse Dei, idem „ipse fecit manifestum. Recapitulans enim de eo verbo, quod ei in principio dictum est, insuper exponit, „& verbum caro factum est & habitavit in nobis. Secundum autem illorum argumentationem, non verbum „caro factum est, quod quidem nec venit unquam extra pleroma, sed, qui ex omnibus factus est, & sit posterior verbo, Salvator (*nam Soterem è verbo genitum* „*finxerunt hæretici.*) Discite igitur insensati, quoniam „Jesus, qui passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, „idem ipse est verbum Dei. Si enim alius ex æonibus „pro nostra salute caro factus est, æstimandum erat de

 „alte-

„altero dixisse Apostolum. Si autem verbum Patris, „qui descendit, ipse est, & qui ascendit, ab uno Deo „unigenitus Filius, secundum Patris placitum, incarna„tus pro omnibus, non de alio aliquo, neque de Og„doade Joannes sermonem fecit, sed de Domino Christo „JEsu. Neque enim verbum secundum eos principa„liter caro factum est. Dicunt enim Sotera induisse ani„male de dispositione aptatum inenarrabili providentia, „ut visibile & palpabile fieret, &c. Concludam hæc „pulcherrimo loco *Ignatii Martyris*, Epistola ad *Polycarpum* §. 3. p. 17. 18. *edit. Ittig.* Τὸν ὑπέρκαιρον προσδόκα τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ τὸν δι' ἡμᾶς παθητὸν τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. *Eum, qui ultra tempus est, expecta; intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impatibilem, nostra caussa patibilem, qui omnimodis propter nos sustinuit.* Cui hæc testimonia antiquissimorum Christianorum in nostra caussa mentem nondum videntur clarè satis exponere, ei, quid faciam, ignoro. *Ignatii* autem Epistolas vindicabimus deinde ex instituto.

3.) Quam perspicuum & indubium est *Joannem* vocibus ἐν ἀρχῇ idem, quod *Moses* h. e. *primam Genesin*, quæ *breschi* verba sunt, intelligere, tam est, ab ipsa specie veri aliena interpretatio vel perversio potius Socinianorum, esse *initium Evangelii* intelligendum. Caret controversia, voces ἐν ἀρχῇ subinde, immo semper, ad res referri, de quibus sermo est: sed, cum hæc bene observat Catechesis, sua cædit vineta. Quodsi enim principium rerum, de quibus loquitur *Joannes*, intelligendum est, proximè autem sequentia commata docent, de creatione mundi & rerum omnium agi; itaque, si hujus principium intelligitur, habemus, quod volumus. Quam-

Quamquam hæc sufficere abunde possunt, ipsos tamen Socinianos non satis intelligere, quid sibi velint, observandum est, cum dicunt Christum in *principio Evangelii* fuisse. Quodnam illud *Evangelium*? Doctrina de Christo? Ea vel de nato è *Maria* Virgine, & passo & crucifixo & resuscitato agit, vel de nascituro, passuro, crucifigendo, resuscitando. Hæc in Prophetis legitur, illa in Apostolorum scriptis. Evangelium utraque meretur dici, & est reipsa idem Evangelium, seu nuncius lætissimus. Si fuit tum Christus, cum cœpit Evangelium de morte & resurrectione ejus prædicari, palam victi sunt Sociniani. Si hoc voluit *Joannes*, Christum jam extitisse, cum cœperunt Apostoli ejus ut passi & resuscitati doctrinam viva voce scriptisque evulgare, nihil dixit. Nam, ad irrisionem spectare videtur, si dixeris v. g. *Alexandrum Magnum* jam extitisse, cum de illius rebus gestis *Plutarchus Curtiusque* libros scribere animum appellerent. Fortasse initium Evangelii significat ipsum adventum Christi ad facienda & patienda ea omnia, quæ de ipso promissa fuerant? Ita *Marcus* videtur hac voce uti. *cap. I. I.* Sed & hoc primo cum Socinianorum Hypothesi, deinde cum narratione *Joannis* pugnat. Secundum illos enim cœpit Christus, cum in utero Virginis conceptus est, & *adventum in mundum* per ipsam conceptionem & nativitatem è Virgine explicare conantur. At, si jam extitit Christus, cum hæc cœpissent fieri, rursus victi sunt Sociniani. Pugnat vero etiam cum narratione *Joannis*, qui, cum prius dixisset de creatis per hoc verbum rebus omnibus, de luce, quam in tenebris illud verbum sparsisset, nec tamen esset agnitum, quamquam omnis vita in ipso esset; tum demum *Joannem Baptistam* narrat venisse, & ipsum Christum carnem factum prodiisse. Itaque illud initium *v. I.* longe prius est, quam initium rerum in car-

ne

ne præstitarum. Si initium Evangelii est illud tempus, quo Christus ipse prædicare cœpit, quo sensu vox venit, *Luc. I. 2.* mirabile esset, dicere, extitisse Christum ante annum suum tricesimum, quasi hoc aliquis dubitare posset. Si tempus, quo Apostoli prædicare in mundo cœperunt, *Act. XI. 15.* idem dicendum. Superest adhuc alia significatio, quam posset aliquis vocibus initium Evangelii tribuere; nempe significat interdum prædicationem doctrinæ Christianæ, in his illisve locis, ab hoc illove Doctore cœptam. Ita v. g. Seculo demum XIV. Evangelium cœpisse dicitur apud *Lithuanos*. Hoc sensu utitur *Paullus* nostris vocabulis. *Philipp. IV. 15.* Neque hoc volent Sociniani, nam primò deberet addi, cujus loci doctorisve respectu initium diceretur, ut *Paullus* hic addidit. *Cum egrederer è Macedonia;* Deinde nihil dixisset *Joannes*: Nam cum hic illicve cœptum esse dicimus Evangelium de Christo prædicari, non opus est monere, Christum fuisse antea. Quæ cum ita sint, stupenda res est, malle Socinianos impeditissime loqui, quod ipsi nec intelligunt, nec explicare ulla arte possunt, quam, quod clarissimum est, admittere, Christum jam extitisse, cum cœpisset mundus condi. Ceterum, non solus *Joannes* ἀρχὴν simpliciter de initio mundi conditi accipit, sed & *Matth. XIX. 4. 8.* qui & *cap. XXIV. 21.* vocem κόσμου addit. Vid. *Marc. X. 6.* ubi κτίσεως additur: Conf. potissimum *Esa. XLVIII. 16.* ubi ipse Messias loquitur, & in Græco est ἀπ' ἀρχῆς *Ebr. I. 10.* Recentiores nihil hic, quod operæ esset pretium discutere, adjecerunt, nisi parallelum locum, *1. Jo. I. 1* Sic ajunt: „Eodem modo hic ipse *Joannes* absoluta principii voce, „primam suam Epistolam inchoans, usus est, cui prin„cipio sese interfuisse testatur, quin & eodem *Verbi* vel „*Sermonis* nomine utitur, quasi sui ipsius agens interpretem.

„tem. Nihil enim prohibet, quominus Jesum, quem „Evangelio, absoluto *Verbi* vel *Sermonis* titulo designa„vit, hic verbum vel sermonem vitæ appellaverit, quod, „ut ex sequentibus intelligitur, vitæ æternæ, apud Pa„trem adhuc latentis & abditæ, nuncium nobis attulerit.„ Agnosco parallelismum, itaque facile consentio ἀρχὴν eodem modo in *epistola Joannis*, quo in *Evangelio*, explicari oportere, minime vero quod Sociniani volunt, de *initio Evangelii*, quod quid sit ipsos ignorare modo observavimus, sed utrobique de *principio rerum creatarum*. Nunciare se collegasque *Joannes* prædicat, non quod vidissent palpassentque modo, sed & quod fuisset ab æterno, seu initio rerum jam extitisset, sermonem nempe, qui factus est caro. At, inquiunt, *huic initio interfuisse sese testatur Joannes*. Ego vero, inquam, in Joanne hoc non reperio, sed ex ingenio suo commenti sunt Sociniani. *Quod erat ab initio*, ait *Joannes*, non, cui interfui ab initio. Nihil prohibere, quominus Jesum hic *sermonem vitæ* Apostolus dixerit, largiuntur præstantissimi Interpretes, & nostratium quoque quamplurimi. Neque est in re, quod desideres, nisi quod constructionis ratio in vocibus περὶ τοῦ λόγου me ab ea opinione, probabili ceteroquin, abstrahit. Nam si esset τὸν λόγον τῆς ζωῆς ambabus manibus eam amplecterer; nunc vero potius mens Joannis est, ea omnia quæ toto commate narrata sunt, non esse ipsum *sermonem vitæ*, sed pertinere ad eum. Est ergo λόγος τῆς ζωῆς, *præconium evangelii*, ad id vero refert Apostolus, id quod ab initio fuerit, h. e. verbum Patris substantiale, non hic quidem expressum diserto vocabulo, sed tanquam primarium religionis nostræ objectum Christianis facile intelligendum.

105. Ad

105. Ad secundum autem quid respondes?

Neque hîc ullam prææternitatis mentionem factam expresse. Nam hoc in loco Filium hominis, id est, hominem in cœlis fuisse testatur Scriptura, quem citra ullam controversiam prææternum non extitisse certum est. 1.)

Notæ.

1.) Bene observavit *Balduinus*, non succurrere sibi, quis nostratium hoc loco, *Jo VI. 62.* potissimum usus sit adversus Socinianos, dari enim loca adhuc clariora, sed & hunc bonum esse. Sane, ficta illa ascensione Christi in cœlum ante mortem eludere argumentum non possunt. Unam nos novimus adscensionem, quam & viderunt discipuli, *Marc. XVI. 19. Act. I. 9.* Aliam si norunt Sociniani, qui sua omnia, si *Moscorovii* præfationi fides habenda, e Scriptura demonstraturi sunt, age ostendant locum! cur mussant, cur tacent? Friget, quod ajunt, Scripturam testari Filium hominis in cœlis fuisse, sed Filium hominis, seu hominem citra ullam controversiam prææternum non extitisse. Immo decuisset eos ex hoc similibusque locis discere, illum Filium hominis, verum quidem esse, sed non *nudum* hominem: Porro, hanc nostram esse sententiam vel sciverant, vel scire saltem poterant. Non alium nos ex Deo Patre, alium è Maria virgine natum credimus, quamquam secundum diversas naturas. Neque alium, qui ascendit in cœlos, alium, qui semper ibi fuerat. Vid. *Jo. III. 13.* Itaque affirmamus, hominem Christum esse æternum, h. e. totam personam esse æternam, quamquam humana natura non fuit ab æterno. Recentioribus editionibus alleverunt Sociniani duas observatiunculas, quas, ut videat lector, quam sint lepidæ, huc referam: *M. R.*

fin

sic ait: „Hic locus foret, istam Christi hominis in coelo „existentiam plurimis Scripturæ locis probandi, illiusque „rationem ac verisimilitudinem ostendendi. Quod factum „est in *Schlichtingii* commentario ad *Jo. III. 13.*„ Est sane hic Rhodus, cur non placet saltare? Parum bene conveniunt inter se hæc duo, *plurimis Scripturæ locis probare, rem, &, verisimilitudinem ostendere:* Si probari res potest, quid verisimilitudo? Si hanc tueris, quid ais rem demonstratam esse? *Schlichtingium* prædicat hoc præstitisse; at cur non saltem primaria capita Scripturæ, quæ huc pertineant, laudavit? Schlichtingius vero l. c. p. 28. commentariorum posthumorum an. 1656. editorum, ne unicum quidem dictum Scripturæ præter *Jo. VI. 62.* laudat, & rhetoricatur, quoniam *Paullus* servus Christi in coelum raptus sit, *2. Cor. XII.* (qua quidem de re nos alibi agimus.) multo magis ipsum Dominum eo ascendisse credendum, quo argumento nihil est frigidius. B. W. hæc annotavit: „Inprimis vero notandum venit, quod „non tantum descendisse, sed & ascendisse se in cœlum „Christus jam, tunc dicat: & infra, *cap. VI. à vers. 50.* „*ad 60*, panem, qui de cœlo descendit, carnem suam „esse.„ Sane si extaret usquam Christum ante passionem ascendisse in coelos, res foret consideratu dignissima, sed cum nec *Jo. III. 13.* quo de loco infra accurato studio agendum est, ut malleo, quo perversitas Sociniana retunditur, nec usquam alias quidquam tale extet, frustra commenti sunt omnia. Quid *Jo. VI. 50-60.* huc faciat, ne hariolando quidem assequi possum. Quæ enim consecutio: Caro Christi est panis de cœlo descendens, ergo Christus ante passionem in coelum ascenderat? Palam est Christi carnem augustiori quidem, sed simili tamen ratione, qua *Manna*, panem coelestem dici, is non ideo coelestis vocatur, quod in cœlo proprie sic dicto fuisset, nam videtur cum rore in infima regione äeris, quæ quidem in Scriptura nonnunquam coelum vocatur, sed in

cœlitus non venit, cum de adscensu Christi in cœlos sermo est, genitus; verum quod miraculosa ratione divinitus paratus fuerat, ut baptisma Joannis *de cœlo* fuit. *Luc. XX. 4.* regnum gratiæ *regnum cœlorum*: civitas *Hierusalem descendit de cœlis*, *Apoc. III. 12.* Ita & Christi carnem *panem cœlestem* dici posse non diffiteor, ea ratione, quod a Spiritu S. mirabili ratione è sanguinibus Virginis parata sit. Verum hæc respondenda essent, si constaret, quod Socinianus homo temere perhibet, hæc locutio: *panis qui de cœlo descendit est caro mea.* Sed [illegible] doceat, non extare: Dixit sapientissimus Servator aliquoties, *se esse panem, qui de cœlo descenderit*, item *carnem suam esse panem, quem ipse daturus esset*; hoc quoque: *hic est panis, qui de cœlo descendit.* Carnem de cœlo descendisse, non dixit. Itaq; pii interpretis est, colligere, carnem à *verbo* h. e. Filio Dei ita esse assumtam, ut ad personam ejus pertineat, quicunque comedat ejus carnem bibatque sanguinem, ipsum edere bibereque Christum, h. e. frui eo pane qui cœlitus venit, quamquam enim caro non est cœlitus delapsa, est tamen ejus caro, qui de cœlo venit.

106. At vero quid ad tertium?

In hoc loco non solum non exprimitur præ-æternitas Christi, cum aliud sit ante Abrahamum fuisse, aliud prææternum; 1.) Verum ne hoc quidem expressum est, ipsum ante Mariam virginem fuisse. 2.) Etenim ea verba aliter legi posse, (nimirum hac ratione: Amen, Amen, dico vobis, priusquam Abraham fiat, ego sum) apparet ex iis locis, apud eundem Evangelistam, ubi similis & eadem locutio

græca

græca habetur. Cap. XIII. 19. A modo dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum, fuerit credatis & cap. XIV. 29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.

107. Quæ vero ejus sententia foret lectionis?

Admodum egregia. 4.) Etenim admonet Christus Judæos, qui eum in sermone capere volebant, ut, dum tempus haberent, crederent ipsum esse mundi lucem, antequam divina gratia, quam Christus iis offerebat, ab iis tolleretur, & ad gentes transferretur. Quod vero ea verba: Ego sum, sint ad eum modum supplenda, ac si ipse subjecisset iis: Ego sum lux mundi, superius è principio ejus orationis ℣. 12. & hinc, quod Christus bis seipsum iisdem verbis, Ego sum, lucem mundi vocaverit, ℣. 24. & 28. 5.) (inserendum est, *probatur*, aut *patet*, aut similis vox:) Ea vero verba, priusquam Abraham fiat, id significare, quod diximus, è notatione nominis Abraham deprehendi potest. Constat inter omnes, Abrahamum notare Patrem multarum gentium. Cum vero Abram non sit factus prius Abraham, quam Dei gratia in Christo manifestata in multas gentes redundaret, quippe quod Abrahamus unius tantum gentis antea pater fuerit, apparet sententiam

 horum

her sey. Ibidem *Ostorodus*, conatus ad locum *Jo. VIII. 58.* de quo nos paullo post agemus, respondere, observans æternitatis non esse eo loco mentionem factam, tantum hoc dici, Christum prius fuisse quam Abraham fieret: fatetur tamen, si probari posset Christum ante Mariam fuisse, se totam suæ caussa cecidisse. Verba hæc sunt: So man aber sagte, dass dieser Ort gleichvvohl bevveise, dass GOttes Sohn eher gevvesen sey, denn Er von der Jungfrau Maria gebohren, vvelchs denn unsre Meinung ganz und gar falsch zu seyn bevveisen könnte, &c. geben vvir zur Antvvort &c. Itaque *Wolzogenius* merito reprehendendus, qui apud B. *Speuerum* von der evvigen GOttheit Christi, *C. IV. p. 331.* negat sequi, Christum æternum esse, etiamsi ante mundum conditum aliquam majestatem apud Deum ipso actu habuisset: Non esse enim statim æternum, qui fuisset ante creationem mundi. Socinianos hoc modo non decuit loqui. Arrianorum, quos tamen ipsi Sociniani nolunt fidei socios habere, saltem nolle videri volunt, dixeris hæc potius esse. Verum, quicquid hujus sit, nobis enim utraque factio hostium divinitatis Christi tantundem valet: Scripturæ stilo, qui ante mundum conditum est, æternus est. vid. e. g. *Psalm. XC. 1.* Hæc de argumenti gravitate præfanda duxi, nunc ad ipsam rem!

103. Quænam sunt testimonia Scripturæ, quæ videntur ipsis eam prææternitatem exprimere?

Sunt ea, in quibus Scriptura testatur de Christo, ipsum fuisse in principio, fuisse in cœlo, fuisse ante Abrahamum. 1.) Jo. I. 1. VI. 62. VIII. 58.

Notæ.

1.) Nec ea loca omittenda fuerant, quibus Christus

ant

ante mundum conditum extitisse narratur, ut *Prov. VIII.* 22. *ss.* Occurrit nunc venustissimus locus *Irenæi*, qui *L. III. c. 33. & 34. p. m. 194.* Patres, & in his cumprimis Adamum ipsum per Christum servatos & è retibus Satanæ ereptos præclare disputat. Nos excerpimus hæc. „ Ipse „ initium viventium factus, quoniam Adam initium mori- „ entium factus est. Propter hoc & *Lucas* initium genera- „ tionis inchoans, in *Adam* retulit, significans, quoni- „ am non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitæ rege- „ neravit. Sic autem & Evæ inobedientiæ nodus solutio- „ nem accepit per obedientiam Mariæ: quod enim alliga- „ vit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria sol- „ vit per fidem. Necesse ergo fuit Dominum ad perdi- „ tam ovem venientem & tantæ dispositionis recapitulatio- „ nem facientem, & suum plasma requirentem illum ipsum „ hominem salvare, qui factus fuerat secundum imagi- „ nem & similitudinem ejus, i. e. Adam. „ &c. Habet in proxime sequentibus aliqua *Irenæus*, de Adamo tum demum salvato, cum Christus venit, de quibus in præsenti non vacat disputare. Sed hoc constat, Adamum dici à Sancto viro *plasma Christi*, & ad hujus imaginem conditum.

---

104. Quid vero ad primum respondes?

In loco citato nihil habetur de ista præeternitate, cum hic principii mentio fiat, quod præeternitati opponitur. 1.) Principii vero vox in Scriptura fere semper ad subjectam refertur materiam, ut videre est. Daniel. VIII. 1. Jo. XV. 27. & XVI. 4. Act. XI. 15. 2.) Cum igitur hîc subjecta sit materia, Evangelium, cujus descriptionem suscepit Joannes, sine dubio

Si velles ita intelligi, vox ἔσχατα repetenda fuisset. Sed, non minus absurdum, Christi verba apud *Joannem* sic exponere: *Antequam Abraham fiat Abraham.* Nam & hic oportuisset vocem bis poni, saltem pronomen αὐτὸν, nec absolveret verbum γενέσθαι totum *prædicatum*. *Potest*, inquiunt, *aliter legi.* Hoc summa imprudentia dictum, nescio quo pertineat. Variam lectionem nullus unquam Criticorum hic invenit, nisi quod *Millius* in aliquot codicibus & apud *Epiphanium* vocem γενέσθαι plane omitti, observat: Quod si obtineret, plane obstrueretur os Socinianorum. Sic nempe illi, sed pauciores, quam ut in censum veniant, codices: Πρὶν Ἀβραὰμ ἐγώ εἰμι. Quamquam, qui ita velit legere, per nos licet: sensus enim certissime idem est, Christum fuisse, antequam esset Abraham. Mirarer *Smalcium in versione Germanica, p. 61.* itidem, ut fecit *Moscorovius* dicere: diese Worte, die man gemeiniglich also liest: Ehe denn Abraham vvar, bin ich; können nach dem Griechischen Text anders gelesen vverden, nemlich also: Amen, Amen ich sage euch zuvor ehe denn Abraham vverden vvird, ich bins: Mirarer, inquam, nisi ingemiscenda hic esset hominum cœcitas. Ceterum falsum est, quod aliter legi Græca posse perhibent, neque ipsi aliter atque nos, legunt, *commata* aliter ponunt, scil: hoc modo: λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. Quod ipsum, quam inficetum sit, sequenti nota demonstrabitur.

4.) *Egregia & admodum egregia* videtur sententia hominibus istis. Itaque *Faustus Socinus* hanc elegantem scil: expositionem à patruo suo *Lælio*, multorum dierum meditationibus & precibus impetratam narrat, quam vero b. *Spenerus l. c. p. 314.* rectius partum pervicacis rationis, quæ Spiritui Sancto obsequi non vult, appellat.

Sic

Sic explicant: Dico vobis antequam Abrahamus id, quod nomen significat, h. e, pater multarum gentium futurus est, ante conversionem gentium vobis prædico, me esse, scil: lumen mundi. Abludit hæc perversio ab indole linguæ & ab Antecedentibus & consequentibus. Ab indole linguæ; nam, quod dicere jam cœpi, si vellet intelligi, *Abrahamum* futurum *Abrahamum* seu patrem gentium, necessario bis ponenda vox fuisset, vel sic: πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι Ἀβραὰμ vel certe ita: Πρὶν αὐτὸν γενέσθαι Ἀβραὰμ. Porro non posset non poni ante voces Ἐγώ εἰμι vocula ὅτι, si velles, ut illi jubent, intelligere λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ὅτι ἐγώ εἰμι. Nunc, cum desit particula ὅτι, nemo bonus Interpres dissolvet hæc verba: *Antequam Abraham esset, ego sum.* Ea vero, quæ antecedunt & sequuntur nostrum comma, ita fortiter reclamant huic perversioni, ut fortius non possint. Dixerat Christus, *v. 56. diem suum* h. e, adventum ipsius ad redimendum genus humanum, conf. *Ebr. V. 7.* (ut multi, vel, ut mihi videtur convenientissimum, adventum ad invisendum Patriarcham, qualis *Genes. XVIII.* 1. ss. describitur, qua in re *Augustinum* habeo consentientem) *Abrahamo visum* esse, quod, quando factum sit, & semelne, an sæpius factum, abstineo disputare: Hoc ægre ferunt Judæi, & hominem nondum quinquagenarium *ab Abrahamo* videri potuisse atque ipsum vicissim vidisse, ineptum judicant. Nam, summo errore Christi verba de ipso, qualis adstabat, h. e. ut homo quivis alius, considerato, accepere, cum aliam præterea Christo naturam esse colligere inde debuissent. Hunc errorem ut tolleret Servator, magna asseveratione subjungit, se, antequam existeret Abraham, extitisse, eoque adeo longe excellentiorem, idque ita intellexerunt Judæi, alioqui non credidissent blasphemiæ reum. Ut hæc

hæc plana & expedita sunt, ita hiulca & aspera omnia, in sententia Socinianorum. Nam, cui bono de significatione vocis *Abrahami* sermo institueretur, de qua nihil in mentem venerat Judæis quærere?

5.) Supplent Sociniani post verba: Ἐγώ εἰμι, *lux mundi*, Τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Speciem haberet aliquam, si paullo ante, saltem proximis versibus ea vox: *Lux mundi* præcessisset. Sed noster versus est *quinquages. octavus*. & *duodecimo* ea vox extiterat. Interjectis 45. *commatibus* multa alia disputata sunt. Quale vero postulatum, subintelligi dicere, quod toto contextu non extat! Nec parit opinioni Socinianæ patrocinium seu similitudinem veri *v. 24.* & *28.* quibus versibus pariter *lux mundi* subintelligi debere perhibent. Nam, ut taceam, utroque loco & *v. 24.* & *28.* voculam ὅτι adjectam, quæ deest v. 58. præcesserat v. 23. ἐκ τῶν ἄνω εἰμι, neque adeo necesse est hoc *v. 24.* & *28. versu* repetere aliquid è v. 12. Sensus hic prodit: *Nisi credetis me esse*, nempe illum, qui superne venit, *moriemini in peccatis vestris. it. v. 28. Cum exaltabitis Filium hominis. intelligetis me esse*, h. e. supremi Patris Filium. Idem, si vellent subintelligere Sociniani, v. 58. equidem nollem intercedere, sensus enim foret commodus: *Antequam esset Abraham, ego sum Patris cœlestis Filius.* Sed verisimile utique non est de longinquo repeti has voculas, neque ita solent loqui, qui volunt intelligi. Hic non dissimulandae sunt duae opiniones aliae ad *v. 24.* & *28.* Altera Clarif. *Lampii*, ad *Io. VIII. 24.* qui ex *Ebræorum* & *Arabum* usu, voculam εἰμὶ respondere opinatur ebraeo הוא Itaque ἐγώ εἰμὶ esset, quasi אני הוא, qua locutione majestas divina & æterna existentia nulli alteri debita significaretur, Hoc modo nihil plane subintelligendum foret ad ἐγώ εἰμι, majorem enim majestatem videtur *Lampio* innuere, *esse* simpliciter dictum, quam *esse aliquid*

quid. Altera nostra: ὅτι non unam vocem arbitramur, v. 24. & 28. Sed duas: ὅ, τι, quod idem v. 25. factum. Itaque sic expono: v. 24. *Nisi credideritis id, quod ego sum, moriemini in peccatis, &c. v. 28. Cum exaltabitis Filium hominis, intelligetis id, quod ego sum.* Arbitrio lectoris relinquimus merito opinionem, nos quidem nostram sententiam alio loco tuebimur. Saltem hoc patet Socinianos frustra ad v. 24. & 28. se recepisse. Quod superest, moneo, verbum γενέσθαι mihi videri commodissime verti: *nasci.* πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, *Antequam Abraham nasceretur. Sic Xenophon Cyroped. L. VIII. p. 161. edit. Basil. an. 1567. Cyrum* loquentem inducit: καταλείπω μὲν ὑμᾶς, ὦ παῖδες, ζῶντας, οὕσπερ ἔδοσάν μοι οἱ Θεοὶ γενέσθαι. *Relinquo vos filii mei superstites quos mihi Dii dederunt nasci.* (NB. eundem locum, atque præterea alterum *Xenophontis* cum *Erasmi* commentatione laudasse deprehendo Rever. *Georg. Raphelium in observ. sacr. è Xenophonte p. 133.*) Eadem pag. *Xenophon* alia *Cyri* morituri verba: Τὸ δὲ προβουλεύειν καὶ τὸ ἡγεῖσθαι ἐφ' ὅ, τι ἂν καιρὸς δοκῇ εἶναι, τοῦτο προστάττω τῷ προτέρῳ γενομένῳ. *Verum & consilio præire & gubernari, dum tempus postulare videbitur, illi mando, qui prior natus est.*

6.) Verbum addendum est de ipsa, quam jactant, vocis *Abraham* expositione, eam minime esse bonam. Hoc volunt, demum tempore N. T. factum, ut esset multarum gentium pater, qui antea non nisi unius fuisset. Sed *Genes. XVII* quo capite circumcisionis fœdus, non cum omnibus initum, sed, cum iis modo, qui secundum carnem genus ad *Abrahamum* referunt, traditur, id non inveneris. Copiosa proles *Abrahamo* promittitur non *credentium* ex omnibus gentibus tempore N. T. quorum

quidem pater alibi vocatur, sed *Israelitarum* potissimum ex ipso nasciturorum, quorum copia post initia N. T. adeo non crevit, ut potius minueretur. Quamquam vero & in Nostratibus sunt, qui *Genes. XVII.* de multitudine posterorum secundum carnem & secundum Spiritum simul cogitant; tamen accurata consideratio *Gen. XVII. 6. sequ.* docebit copiosum semen intelligi, quod NB. *circumcisionem in generationibus suis* observare debuerat, cui & terræ *Cananitidis* possessio promittitur. Ne quem vero turbet allegatio *Paulli. Rom. IV. 16 17.* Observandum, Apostolum thesin suam: promissionem pertinere ad omnes gentes, è quibus omnes credentes sint *semen Abrahæ*; non demonstrare è *Genes. XVII. 5.* quasi illo loco de spirituali semine sermo esset, sed hanc esse *Paulli* mentem: Abraham est ita pater nostrum omnium, scil; qui ab ipso prosapiam ducimus (secundum illud *Gen XVII. 5.*) quemadmodum Pater populi ejusdem Deus est, cui is, *Abrahamus*, credidit. Deus autem sic est populi Israelitici Pater, *Esa. LXIV. 16.* ut non respuat ceteras gentes. Itaque & *Abrahamus* non tantum putandus est habere semen carnale, sed & in ipsius filiis censendi sunt, quicunque ipsius exemplo in Christum credunt. Græcus igitur textus, ut recte monet Rever. *Zeltnerus* in *Bibl. German. ad h. l.* hoc modo ordinandus est; ὅς ἐςι πατὴρ πάντων ἡμῶν (καθὼς γέγραπται, ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε) κατέναντι ἐ ἐπίςευσε, Θεοῦ, κ. τ. λ. Qui est pater omnium nostrum (sicut scriptum est, patrem multarum gentium constitui te; *è regione* i. e. *in comparatione* ejus Dei, cui credidit. Hoc modo etiam patebit cur hæc epitheta eodem loco addantur: *Qui vivificat mortuos, & vocat quæ non sunt, tamquam sint.* Nempe non tantum, ut ostendatur ratio, quæ ad credendum movit Patriarcham, sed

sed etiam, ut doceret Apostolus, Deum, qui mortuos vivificet & vocet ea, quæ non sint, tanquam sint, non ita abjecisse, ut putrida cadavera, gentes, quin ex iis semen suscitet *Abrahæ*, & vocare hos, qui nihili fuerant, suum populum. Hæc velim probe expendant me doctiores. Facile puto experturos, rationes, quas laudavi, convincentes esse, ut *Gen XVII.* de gentium conversione explicari nequeat, ad quas nec circumcisio spectat, nisi malis de paucis subinde populo Judaico insertis, loqui, nec possessio terræ sanctæ. Vid. *Biblia Tubingens. ad Rom IV.* quorum doctissimus Editor hæc non satis considerasse videtur. Ex omnibus autem, quæ adhuc disputavi, abunde liquet, nihil esse ea interpretatione loci *Jo VIII. 58.* quam nobis Catechesis obtrudere conatur, ab ipsa specie veritatis alienius.

---

108. Quæ vero sunt testimonia Scripturæ, in quibus putant non exprimi quidem prææternitatem Christi, ex iis tamen eam effici posse?

Ea, quæ videntur Dn. Jesu quasdam res attribuere ab æterno, quasdam vero tempore certo & definito.

109. Quænam sunt testimonia, quæ Domino Jesu ab æterno res quasdam tribuere videntur?

Sunt ea, ex quibus conantur extruere Christum ab æterno ex essentia Patris genitum.

110. E quibus vero locis extruere conantur Christum ab æterno ex essentia Patris genitum?

Ex his potissimum. Mich. V. 2. Et tu Bethle-

lehem Ephrata, minima es in millibus Juda, ex te mihi egredietur Dux, qui pascet populum meum Israel, & egressiones ejus ab initio, & à diebus seculi. Et Ps. II. 7. Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Et Psalm. CX. 10. (vitium operarum pro v. 3.) ubi secundum Vulgatam legitur: Ex utero ante Luciferum genui te. Et Prov. VIII. ℣. 23. Ubi sapientia ait de se: Ab æterno genita sum.

111. Quid vero ad hæc testimonia respondendum est?

Antequam ad singula testimonia respondeam, sciendum est, eam ex essentia Patris generationem esse impossibilem. 1.) Nam, si Christus ex essentia Patris genitus fuisset, aut partem essentiæ sumsisset, aut totam. Essentiæ partem sumere non potuit, eo, quod sit impartibilis divina essentia. Neque totam, cum sit una numero, ac proinde incommunicabilis. 2.)

Notæ.

1.) Hem, quam horribili ratione Princeps tenebrarum præstringit miserorum hominum oculos & mentem! Antequam ad Scripturam legendam & meditandam accedunt, præmuniuntur nefanda incredulitate, &, quam disci oportuisset è Scriptura veritatem, in antecessum damnarunt. Quid mirum, sic imbutos caligare, deinde

& ubi

& ubique impingere? Hôc non est *Mosis κάλυμμα* sed fœdissimi *Naturalismi.*

2.) *Impossibilem* ajunt generationem ex essentia Patris esse, pro quo recentiores posuere, *implicare contradictionem;* Ita definiunt stupenda audacia. Quî sic vero? Vel totam, inquiunt, vel divisam in partes essentiam communicasset, neutrum vero fieri posse perhibent. Nos affirmamus Scripturæ ductu, *totam essentiam* communicatam esse. Quid habent, quo id refutent Racovienses? *Una*, inquiunt, *essentia est numero*, ac proinde *incommunicabilis.* Quis vero vos docuit, quod *unum* sit, esse *incommunicabile*? Tacent. Philosophi Aristotelici sic docuerunt. Hosne tu audebis opponere Scripturæ? Et, si esset etiam in naturalibus verum, quod ajunt, fasne foret ideo negare, in Deo, quem nemo vidit, nec videre potest, id esse posse? Sed fallit regula in ipsis quoque naturalibus. v. g. quem percepi sensum dicti alicujus biblici, eum & retinere possum integrum & communicare integrum cum amico, cum sensus certissime numero unus sit.

---

112. Quî tamen ad primum Scripturæ testimonium respondendum est?

Id testimonium de generatione ex essentia Patris nihil prorsus habet, generationem vero prææternam nulla probat ratione 1.) Hîc enim mentio fit initii & dierum, quæ in æternitate locum non habent, & verba hæc, quæ in Vulgata leguntur; à diebus æternitatis; in hebræo extant, à diebus seculi. 2.) Dies vero seculi idem, quod dies antiqui notant, ut Esa. LXIII.

LXIII. 9. & 11. Malach III. 4. Sententia vero loci hujus est: Christum originem nativitatis suæ ab ipso principio, & annis antiquis ducturum i. e. ab eo tempore, quo Deus in populo suo regem stabilivit, quod reipsa in Davide factum est, qui & Bethlehemita fuit, & auctor stirpis & familiæ Christi. 3.)

Notæ.

1.) Iudæos, non priscos modo, *Math. II. 5. 6.* sed & recentiores de מלך המשיח *Rege Messia* accipere constat, itaque verum & genuinum hujus loci sensum eruere erutumque tueri, maxime est operæ pretium. Neque negant Sociniani de Christo agi, sed *generationem eternam* ejus inde probari posse negant. Frustra. Nam qualis est egressio, quam vaticinatur Propheta, oppidulo *Bethlehem*, vocibus יצא לי nempe nativitas Messiæ ibi futura, tales sunt מוצאות *egressiones* (quamquam pluralis numerus hic emphasi caret, ut in זקנים נעורים בתולים פנים) talis, inquam est egressio antiquitus facta, h. e. nativitas aliqua. Hæc cum sint indubitata in homine discendi è Scriptura, non inferendi in Scripturas placita sua, cupido; superest meditari, an detur aliqua nativitas Christi præter eam, quæ *Bethlehemi* contigit. Natusne est aliquando Christus? Hoc utique factum Propheta ait, cur vero generationem ex essentia Patris non vis admittere, cum & fatenda sit alia, præter Bethlehemiticam, nativitas, & alia præter illam, ex essentia divina, ne quidem cogitari possit?

2.) Pudeat Socinianos frivolæ disputationis! *Mentio*, inquiunt, *fit initii & dierum, quæ in eternitate locum non habent*

habent Quod de *initio* perhibent, longe est falsissimum, neque extat in *Micha* loco vel vola vel vestigium hujus vocabuli, nec caret impudentia, quod ajunt, nam ad *Vulgatum*, quem & *Lutherus* secutus est, qui *initium* vertit vocem קדם referre se non possunt, nisi & *æternitatem*, cujus ille facit mentionem, concedere velint. Ceterum קדם utique non est *initium*, quod tantos Philologos, quanti sibi videntur Sociniani, ignorare non oportuit. *Dies* vero & *anni* minime raro Deo tribuuntur, quamquam æterno, nam Spiritus S. more humano loquitur, at nos æternitatis veram ideam habere non possumus, adeoque interminabilem seriem annorum dierumque concipere mente necesse est. Ita *Deuter. XXXIII. 27.* מְעֹנָה אלוהי קדם *Habitatio* seu *tegumentum* sit *Deus Kedem*, h. e. *antiquitatis*. ומתחת זרועות עולם *Infra vero* tegant te *brachia seculi*, seu *æternitatis*. Præclare vero novimus vocem קדם item מי קדם præfixo etiam (מ) de quavis antiquitate legi, v. g. *Psalm. XLIV. 2. Thren. I. 7.* & in ipso *Micha* nostro. *cap. VII. 20.* Sed nihilominus & de Deo usurpatur, quem æternum esse nemo dubitat. Vide Psalm. *LXXVIII*, 2. Collato *Matth. XIII. 35.* Eadem plane est ratio vocis עולם: Nam, cum de hominum seculo sæpe extet, adhibetur tamen & de Dei propriissime sic dicta æternitate. v. g. *Psalm. XC. 2.* de *annis*, qui Deo, &, quod Sociniani, ni cœci essent, videre possent; Christo, secundæ personæ divinitatis tribuuntur. Commemorabilis est locus *Psalm. CII. 28. collat. Ebr. I. 20.* Itaque, quamquam nullo exemplo probare possunt, junctim posita hæc verba: *Mikkedem mime olam* de re creata legi, ut adeo argumentum, quo & nostrates passim utuntur, validum sit, eum, cujus *egressus Mikkedem Mime olam* prædicatur, æternum, adeoque verum Deum esse: In præsenti tamen satis est, ostendisse, levitatem ratiocinii Socinianí, quibus in mentem venit, has voces æternitatem

non

non posse significare. Pone, quod minime ponendum fuerat, *posse* tantum, non item *debere* nostra verba de vera *æternitate* accipi. Hoc saltem liquet, genitum esse Christum ante illam Bethlehemiticam nativitatem, quod nobis hic sufficit. Ceterum *Michæ* hæc tota pericope peculiari dissertatione digna est exponi, quod & D. V. faciemus.

3.) Coactissima, & à *Davide Kimchio*, ut videtur, mutuo accepta Socinianorum interpretatio, facile prodit totius caussæ malignitatem: Sic ajunt, Christum ex antiqua familia, *Davidis* nempe, nasciturum. Quid vero hoc præcipui? Bethlehemi certe natos oportuit quamplurimos ex eadem familia, neque in eo dignitas aliqua regis post aliquot secula nascituri, ponitur, quod esset prosapiam ex antiquo stemmate ducturus, nam tum antiquam necesse erit esse eam gentem, quæ hodie nova est. Porro, cum antiquitas generis prædicatur, genus esse oportet, quod diutissime præ ceteris splendorem aliquem & adhuc quidem conservavit. Nam, nisi hoc sit, risibile est ad stemmatis antiquitatem se referre, quæ ex *arca Noachi* ducta, Cæsaris & mendici eadem est. Verum, de Christo hoc prædicari non poterat, nam parum utique splendoris supererant in ea familia, ex qua natales duxit. Qua de re, ut notissima nolo plura verba facere, & tædet fere in refutandis nugis, quo enim alio vocabulo utar? hærere. Itaque, ne parum jucunda sit disputatio, quoniam Socinianis placuit, nullo quidem suo commodo, laudare loca, *Esa. LXIII. v. 11. Malach. III 4.* aliqua de his dicam, unde par fuisset sapere discere Socinianos. Quisnam ille *Angelus faciei Jehovæ est*? Angelus, adeoque ab eo, qui misit, *diversus*, quamquam non *divisus*. Qui redemit, qui tulit, qui servavit. Quis porro *Spiritus Sanctitatis*, quem irritarunt, atque hostem effecerunt? Sed placet, quæ hic dicturus eram, non meis, sed

Cam-

Campegii Vitringæ verbis eloqui. Qui cum pulcherrime multa dixisset, *p. 1004.* ad h. l. sic ait: „Omnis hic du„bitatio cessat, si verba *Iesaiæ* hæc nostra conferantur „cum historia. Utique enim historia Mosaica plane & „explicate docet: Deum Patrem populum suum edu„cturum ex *Egypto*, se illi populo manifestum fecisse in „*eximio* aliquo & glorioso Angelo, sic dicto, qui *Mosi* „apparuerit in rubo, *Exod. III.* qui in historia appellatur „Jehovah & Deus *v. 14. 15.* quique ipse verba faciens „sibi vindicavit omnia nomina & attributa veri Dei. „Quemque *Moses* ut verum Deum reverenter coluit. „*v. 6. 15. 16.* Eadem historia docet illustrem hunc An„gelum, singularem distinctamque personam, *commo„rantem in nube, præcessisse castra Israelitarum*, eademque „*eduxisse ex Egypto.* Sic in ea legitur: *Exod. XV. 19. Et „Angelus Jehovæ, præcedens castra Israelitarum se mo„vit loco & retrovertit ad tergum eorum & pari„ter columna nubis, quæ ante ea erat, se mo„vit loco, & stetit à tergo eorum.* Deinde eadem „historia tradit, Deum exacte populum monuisse, se il„lustri alicui & κεχαρακτηρισμένῳ Angelo commisisse „ejus procurationem. *Exod. XXIII. 20. Ecce ego mitto „Angelum,* (illustrem utique, gloriosum à ceteris distin„ctum) *ante faciem tuam, ad Te custodiendum in via, & „te ducendum in locum, quem ordinavi. Cave tibi à fa„cie ejus, & præbe te morigerum voci ejus, ne ipsum exa„cerbes, quia non feret transgressiones vestras, siquidem* „NOMEN MEVM EST IN MEDIO EIVS. Hæc „qui meditate perpendit veri amans homo, poteritne „dubitare *Jesaiam* locutum esse de singulari aliquo & il„lustri angelo, eique vindicare attributa, quæ hac perico„pa tenentur. &c.„ Accedo ad *Malach* III, 1. Quem

locum, cum laudarent Sociniani, potuerunt ne non respicere ad ea, quæ proxime antecedunt? Agnovissent *Dominatorem* & *Angelum fœderis* illum ipsum *Angelum*, de quo solidissime disputantem *Vitringam* modo audivimus, qui cum duxerit populum olim, sane ante *Mariam* fuit. Recentiores Sociniani nihil magnopere addiderunt, sed *B. W.* adjecta notula ad *Calvini super hunc locum exegesin* lectorem ablegavit, imprimis vero observari vult, quod apud *Micham* subjungitur: *Pascet fratres suos in potentia Jehovæ Dei sui*, quæ in æternum Deum quadrare negat. Facile autem apparet idem hic respondendum, quod *Jo. XX. 17.* Christianum decebat scire, minime repugnare in Christo, ut & ipse sit divina persona, & appellet, ut homo consideratus, personam Patris à se distinctam quamquam non sejunctam, Deum suum. Hic opportunitas oblata est præstandi, quæ me facturum supra receperam: p. 27. editionis an. 1681. Sociniani nobis opponunt similia loca, quibus Christus Patrem, *Deum suum* appellaverit, *Matth. XXVII. 46. Marci XV. 34: Jo. XX. 17. Apocal. III. 12.* quod etiam alii Sacri Scriptores testentur, *Ebr I. 8. Ephes I. 17.* Deum esse illius caput, & ut nos Christi sumus, ita Christum esse Dei, *1. Cor. III. 23. XI. 3.* & aliquando Filium subjectum iri illi, qui ipsi subjecit omnia *I. Cor. XV. 27.* quorum nullum de Christo dici posset, si divinam illam naturam haberet. Quod Evangelici excipiant, ea secundum humanam naturam dicta esse, non secundum divinam; id perperam fieri, non modo quod pro concesso sumatur, de quo tamen controversia sit, nempe in Christo esse naturam illam divinam; Sed &, quod nullus sit distinctioni isti locus, tum, cum aliquid simpliciter ac sine ulla limitatione de Christo negatur, vel perinde est, atque si negatum fuisset. Nam alias licere nobis simpliciter dicere, Christum non esse hominem, non fuisse mortuum, non resurrexisse;

rexisse; contra etiam Christum non esse unigenitum Dei Filium, non esse, ut nos velimus, Deum summum, nec hac ipsa divina natura constare; quia illud quidem secundum divinam naturam illi non competat, hoc vero secundum humanam. Rationem autem hujus rei esse, quod ea, quæ de toto simpliciter sine limitatione expresse addita dici possunt ac solent, non posint de eodem toto simpliciter negari, etiamsi illi secundum aliquam partem non insint. Sic quia hominem simpliciter dicamus procerum esse, corruptibilem esse, edere ac bibere, & similia; non ideo ista de illo negari simpliciter posse, quia secundum unam illius partem, licet potiorem, nempe animam, illi non conveniant. &c. Nunc demonstrandum, in hac, quam plenissime recitavi, Socinianorum disputatione, quamvis imperitis videri possit subtilis esse, frigere omnia. Nam primo, non ad omnia nobis objecta loca respondemus, de Christo secundum humanitatem intelligenda esse. Christus vocatur *Dei esse*, 1. *Cor*. III. 23. XI. 3, item regnum aliquando post judicium extremum Deo redditurus, *1. Cor*. XV. 27. Hæc pertinent ad opus Christi mediatorium, & regnum quod propterea sanctissimus Servator in ecclesiam suo sanguine partam habet. Verum non secundum alterutram, sed utramque naturam mediatorio munere & regno isto functus est, fungiturque. Temere autem colligitur, cum, e mediatorio munere inæqualitas mediatoris, tum, ex eo ordine, quem Scriptura observat, ut primo Deum à Christo placatum, tum Christum Θεάνθρωπον conciliatorem, tertio denique loco homines placatos ponat; non posse esse Christum verum Deum. Accidit aliquando in rebus humanis, ut potentissimus Rex alicujus administri sui lites cum civibus infimi ordinis ipse componere dignaretur. Hic certissime cives isti per Regem cum administro regio conciliati sunt, & si in ea caussa justo ordine collocare velis qui istam caussam agunt, primum appellandus est administer ille,

 qui

qui vel erat vel sibi videbatur læsus, tum Rex, tandem cives. Regis vero majestati nihil detractum esse norunt omnes. Itaque & nos Christi Domini nostri supremæ majestati, quam cum Patre & Spiritu S. communem & æqualem habere, Solis radiis in Scriptura scriptum est, nihil officere credimus, quod, ita sapienter decernente Senatu Sacrosanctæ Trinitatis, ipse, altera persona, mediatoris partibus functus medium inter Deum offensum & homines peccatores locum occupat, occupare autem, finito gratiæ, & cœpto gloriæ regno, desinet. In reliquis vero locis, cum de ipsius Christi *liberatione*, *de inferioritate* dicitur, cur negant hoc de Christo *secundum humanitatem* intelligi dicere? Non licet, inquiunt, *tum, cum aliquid simpliciter ac sine ulla limitatione de Christo negatur*. Immo, nec, cum simpliciter & sine ulla limitatione aliquid *affirmatur* de Christo, licebit secundùm alterutram tantum naturam intelligi, nam *affirmationis & negationis* hic videtur idem jus esse. Sed hoc quæritur, unde constet Socinianis, *simpliciter & sine ulla limitatione* dictum esse de Servatore, v. g. *esse minorem patre*, *Jo. XIV. 28. ignorare diem judicii*, *Marc XIII. 32.* Non sufficit dicere, nullam esse illis locis additam limitationem, Nam ut jura vigilantibus scripta esse, proverbio dicitur; ita libri divini τοῖς τὰ πνευματικὰ πνευματικοῖς συγκρίνουσι, *1. Cor. II. 13.* Quamquam igitur *Matth. I. 16.* quo loco Christus è Maria virgine, hujusque adeo majoribus, natus dicitur, nulla adjecta limitatio est, nefas tamen est credere, quicquid in Christo est, originem debere Mariæ, docilique ingenio satis est, extare limitationem alibi, scil. *Rom. I. 3 IX 5.* τὸ κατὰ σάρκα. Itaque cum alias constet de Christi omniscientia de summa majestate; res docet, ea dicta, quæ aliquando ignorasse aliquid Christum, & Patrem ipso majorem docent, limitate accipi oportere, cum de statu exinanitionis Chri-

sti

sti Scriptura nos abunde edocuerit. Imperite nobis objicitur, h. m. licitum fore, Christum negare hominem esse, mortuum esse, surrexisse à mortuis, &c. esse enim secundum divinitatem vera: porro licere sic dici, Christum non esse Deum summum &c. quod secundum humanitatem saltem verum sit. Nam hæc omnia toti personæ Domini nostri tribuenda sunt, partim ut actiones & passiones, quæ sunt personarum, partim ut prædicata personæ, licet vero limitationem; *secundum hanc vel alteram naturam*, ubique addere. Ita nefas est ulla ratione dicere, Christus non est Deus, neque sic; Homo Christus seu Mariæ Filius non est Deus, est enim prædicatum personæ, orthodoxe autem sic loquimur: Filius Virginis est Deus, sed non secundum humanitatem. Reliqua exempla sunt plane elumbia, cum disputant posse simpliciter de homine dici, esse *procerum*. sed non contra simpliciter negari, quamquam secundum *animam* non sit procerus. Nam neutrum simpliciter dicendum, utrumque limitate dici licet; Tametsi, si cum homine, qui te intelligere possit loquaris, limitationem diserte adjicere non est necesse. Ita neutrum *simpliciter* dicendum, utrumque *limitate* recte dicitur, Christum ignorare diem judicii, non ignorare diem judicii, esse Patre inferiorem, non esse Patre inferiorem, tametsi limitationis signo adjecto, apud ingenia docilia & Scripturæ legendæ studiosa, non sit opus. Hoc modo satisfactum erit subtilitati Socinianæ, lectorem autem monitum velim, si vel non sit moris in rebus humanis, mediatorem vel æqualem vel plane superiorem esse parte conciliandа, quod quidem ostendimus contrario modo se habere sæpissime, tamen hoc nihil obfuturum fuisse sapientissimæ œconomiæ divinæ, cui non est fas mutuo petere ab rebus humanis regulas.

113. Ad secundum vero quid?

Neque in eo de generatione ex essentia Pa-

tris, nec de generatione prææterna prorsus quidquam haberi. Etenim, vox hodie, cum certum tempus designet, prææternitatem denotare non potest 1.) Quod vero Deus eum genuerit, non evincit eum ex essentia ejus genitum. Id quod patet ex eo, quod hæc eadem verba: Ego hodie genui te; primo sensu de Davide dicantur, quem constat, neque ab æterno nec ex essentia genitum. 2.) Deinde, quod Paullus Apostolus eadem verba ad approbandam resurrectionem Christi afferat, 3.) Act. XIII. 33. & auctor ad Ebræos I. 5. & V. 5. ad glorificationem Domini Jesu demonstrandam citet. 4.) Denique ex ea re, quod constet, Deum aliter, quam ex essentia generare, dum è Deo genitos credentes Scriptura pronunciat, ut videre est Jo. I. ℣. 13. & 1. Jo. III. 9. & Jac. I. ℣. 18. 5.)

Notæ.

1.) *Psalmi II. v. 7.* celebratissima verba: *Ego hodie genui te* toties in N. T. explicantur, ut, quamquam ipse Psalmus per se augustissimum Servatorem facile omnibus ostendat, nunc tamen, affusa tanta luce, Apostolorum scriptis, de vero sensu non amplius esset disceptandum. Neque tam mirandum, Chaldæum paraphrasten, de *creatione* cogitasse, quod observari vult *B. W.* qui & *innocentiam* regis uncti præter textum ebraicum infarsit: quam, quod relatum vidi in Freywillig. Heboffer. *P. IV. p. 379. In Kaschii* Judæi quodam *MSto Bibliothecæ Erfur-*

Erfurtensis ad Psalm. II. sic legi : רבותינו דרשו אות הענין על מלך המשיח ולתשובת המינים ראוי לפתור על דוד עצמו *Patres seu Magistri nostri exposuerunt de Rege Messia : Verum ut responderi possit hæreticis, præstat exponi de Davide ipso.* De *generatione ex essentia Dei* se negant quidquam videre Sociniani. At vident tamen de *generatione* agi, porro de *divina generatione*, nam supremum Numen loqui, forte non audebunt negare. Tum & hoc videbunt, *generatum* esse Angelis omnibus infinitis partibus excellentiorem, *Ebr.* I. 5. Neque poterit ignotum esse, dici hunc ipsum à Deo genitum l. c. v. 3. *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* h. e. eum, in quo splendeat gloria genitoris, quique ipsum repræsentet, seu ipsius substantiam exprimat. Denique, si volent, intelligere poterunt, duplicem esse significationem Filii, quarum cum altera, quæ factum per adoptionem significat, in hunc *ἴδιον* seu proprium Dei Filium non cadat, superest, alteram, qua ipsa essentia communicatur, concedendam esse. At, *hodie*, inquiunt, *certum tempus designat, itaque æternitatem denotare non potest.* Nos vero, ut annos, dies, secula, horas, quando sermo est de hominibus facile agnoscimus, definiti temporis notas esse: ita alia omnia scimus contingere, cum de Deo, essentia inexhaustæ durationis, agitur. Nemo adeo ferret ita argumentantem : *Psalm. XC* 2. Deus dicitur existere *à seculo ad seculum*, ergo non est æternus, nam seculum, cum plura se excipientia ponantur, significat certum aliquod tempus; Vel è *Psalmo CII. 28.* Tribuntur Deo *anni*, itaque, quoniam anni sunt nota certi temporis, Deus non est æternus. Longe æquius est, quoniam de æternitate, ob imbecillas ingenii vires sine cogitatione periodorum temporis cogitare nemo potest, idque adeo in ipsa Sciptura factum ; ut, quantum fieri

potest,

potest, accommodatissimè verba facimus: Nulla autem vox commodior, quam *hodie*, ut in Deo *præteriti nihil*, *futuri nihil*, *præsentia omnia* intelligamus. Opportune laudatur huc, *Ebr. III. 13.* ἄχρις οὗ σήμερον καλεῖται. Ubi illud היום *Psalm. XCV. 7.* pulchre explicatur *Deum*, inquit, *hodie dicitur*. Quando vero desinit illud *hodie*? Nempe cum mutatio fit rerum, cum vel mors sequitur, vel subtractio Evangelii, quantum ad singulos homines pertinet; vel, si totum mundum spectes, cum regnum gratiæ die extremo penitus tolletur. Hinc rectissime colligitur, ubi perpetuum est *hodie*, ibi nullum locum mutationi esse. Itaque jucundum nobis auditu, hodie genitum à patre Christum, h. e ut nec cœperit aliquando gigni, nec desierit, sitque illa communicatio essentia æterna & immutabilis. *Jac. I. 17.* In quo, Deo, οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. *Non est commutatio & ne umbra quidem conversionis.* Placet & passim à nostratibus collatus alter locus, *2. Petr. III. 18.* ἡμέρα αἰῶνος, ad quæ verba *B. Jo. Gerhardus* in fine doctissimi Commentarii, p. 487. sic ait „: Tota æternitas est „dies una continua finis & occasus nescia. *Cæsarius Na*„*zianzeni* frater, *Dialog. 3.* Apud Deum vespere carens „ & unicus dies est, tota æternitas. Augustin. tract. 31. „in Joann: Dies est ibi unus, sed sempiternus, qui nec „præceditur hesterno, nec excluditur crastino. Da„mascen, libr. 2. de orthod. fide, cap. 1. μετὰ τὴν ἀνάστα„σιν οὐχ ἡμέραις καὶ νυξὶν ὁ χρόνος ἀριθμηθήσεται, ἔστι „δὲ μᾶλλον μία ἡμέρα ἀνέσπερος τοῦ ἡλίου τῆς δικαιο„σύνης τοῖς δικαίοις φαιδρῶς ἐπιλάμποντος.„ Ut vero perpetuus dies nobis æterna felicitas videbitur, ita in Deo nunquam non est. Eant nunc Sociniani & objiciant nobis vocem *hodie*, qua commodior in arduo hoc negotio nulla adhiberi potuisset.

2.) Primo

2.) *Primo sensu de Davide* expositum psalmum volunt. *At, plures* sensus Scripturæ S. affingere, est idem, quod ei nasum cereum facere. Nos detestati sumus opinionem de pluribus sensibus ita noxiam, in hermenevtica sacra, ut nesciam, an dari possit alia magis noxia, in *dissertat. de sensu Script. S. mystico*: Ubi *Cap. VIII.* de hoc quoque loco expositum, & *Philippi Limborchii*, *Doctoris Arminiani*, manifesta contradictio ostensa, nam, cum antea docuisset Psalmum de Davide agere, his verbis: *Ut apertius ostendat, se à Deo regem Israelis constitutum, introducit Deum, quasi se, ipso inaugurationis seu unctionis die alloquentem; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Unde facile colligere est, quis sit literalis horum verborum, quatenus Davidem spectant, sensus*: paullo post, *ostendendum*, inquit, *Psalmum hunc ulterius respicere, quam Davidem, & sublimiorem eo contineri sensum, cujus ille, qui in Davide fuit impletus, tantum typus fuit: Id autem NB. ex toto contextu Psalmi constat: tam sublimia enim in eo, de uncto Dei seu filio, dicuntur, quæ juxta genuinam verborum significationem Davidi minime applicari possunt. & Davidi applicata, sensu valde diluto explicanda sunt, Christo autem accommodata, secundum amplissimam verborum significationem impleta sunt. Qualia sunt, quod versu immediate sequente dicitur: Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Davidis enim regnum intra angustos terræ Canaan limites conclusum fuit, & mari mediterraneo, Syria, Arabia, ac Egypto undique septum, Deinde, quod v. 11 & 12, reges hortatur, ut se ipsi subjiciant, ne forte pereant de via sua, quando exarserit ira ejus. Davidis enim ira regibus terræ adeo metuenda non fuit, præsertim procul dissitis ac Davide longe potentioribus, ut propterea merito à Davide moneri potuerint,*

ut ipsum osculentur, h. e. se ipsi subjiciant. Tandem nec ultima Psalmi verba: beati, qui confidunt in eo, proprie de Davide intelligi possunt. Non enim ulli usquam mandatum est, ut in Davidem speret. Contrarium pronunciat Scriptura, maledictum, qui confidit in homine. Jerem. XVII. 5. Multo minus Reges, quibus nullum cum Davide negotium fuit, & Davide multo potentiores beati prædicari possunt, propter spem in Davidem collocatam. Conludimus itaque, præcipua hujus Psalmi aut plane non, aut nonnisi sensu admodum diluto Davidi applicari posse. Hæc *Limborchius*; qui bis hunc locum pertractavit, in *Comm: Epist. ad Ebr. & Act. Apost.* Cujus, cum ultima verba præstantissima sint, & de Christo omnia hujus Psalmi intelligenda esse gravius evincant, quam ipse potuissem facere, non piguit hæc descripsisse, sed & hoc patebit, quæ de *primo sensu ad Davidem spectante*, & ipsi & aliis in mentem venere, mera esse commenta. Et nescio sane, quî hoc fieri potuerit, cum toties in N. T. minime ambigue verba nostra de Christo explicentur.

3.) Paullum Apostolum, *Act. XIII. 32, 33.* è *Psalmo II* resurrectionem Christi demonstrare conatum esse, ita falsum, ita à nostratibus refutatum est, ut pudere debeat omnes, qui eundem errorem hodie recoquunt. *ἀναςῆσαι v. 32.* est *sistere & exhibere*, non, *de mortuis excitare, ut Matth. XXII. 24. Act. VII. 37. Jo. VI. 39. 40. 44. 54.* Nam hic *resurrectio à mortuis*, quæ & impiis communis est, non satis bene intelligitur. Sic apud LXX. *Jerem. XXX. 10. 1. Sam. XV. 12. 1. Reg. VII. 23. Gen. XXXVIII. 8.* Ita *Herodian. IV. 8. 14.* Ἀνδριάντας τε αὐτῶν καὶ εἰκόνας ἀνέςησεν. *Statuasque eorum & imagines excitavit.* Itaque de usu vocis nulla controversia. Restat, ut videamus, utrum contextus hanc an alteram

teram

teram significationem resuscitationis à mortuis, postulet? Hic vero omnibus in aprico est, qui claudere nolunt oculos, v. 32. tantum dici, qualem stiterit Deus redemtorem patribus promissum, nempe illum, de quo *Psalmus* II. agit, unigenitum suum filium. Patet vero & hoc: non hunc solum versum huc conferendum esse; *Filius meus es tu;* nam probare vult Apostolus, exhibitum esse Jesum, & satisfactum promissionibus antiquitus factis, at hæc sola verba non habent promissionem: Itaque ea, quæ cum his verbis conjunctissima sunt, arcto nexu, simul laudata voluit, quibus continetur de regno Christi in omnibus gentibus erigendo, amplissima promissio Ad resurrectionem Christi vero de mortuis demonstrandam, acceditur demum v. 34. Cur enim, si adhuc de ea foret actum, sic inciperet; *Quod vero eum excitavit de mortuis?* Quæ omnia cum luce sua radient, φλυαρίας Socinianorum amplius refutare non est opus. Qui plura volet, videbit Auctores à *Vener. J. C. Wolfio* in Curis ad. h. l. *Act.* XIII. laudatos, & me, *Dissert. de sens. Myst.* c. 8. §. 4.

4.) Absona consecutio: Apostolus citat *Psalmum* 2. ad glorificationem Domini Jesu demonstrandam; ergo non agit ille Psalmus de generatione Christi ex essentia patris. Quasi quidquam esset, quod magis faceret ad demonstrandam Christi majestatem præ Angelis rebusque adeo creatis omnibus, quam ipsa illa generatio æterna *Ebr. I. 5.* Altero autem loco, *Cap. V. 5.* non describitur gloria & dignitas sacerdotalis his verbis *Psalmi*, sed datam Christo Apostolus prædicat ab eo, à quo & genitus est, ineffabili illa generatione.

5.) Constat sane Deum & aliter, quam ex essentia generare, sed hi omnes, qui aliter generantur, sunt adoptivi filii, Christus solus ἴδιος, *proprius Filius. Rom VIII. 32.*

114. Quid vero ad tertium?

Sciendum est in Vulgata & Græca versione, eum locum male esse redditum. In Hebræo enim aliter legitur, nempe: ab utero ante auroram, tibi res (*vitium oper. pro* ros) nativitatis tuæ. In quibus verbis vaticinatur David de multitudine populi Christiani instar roris matutini multiplicandi. 1.)

Notæ.

1.) Quoniam nemo Evangelicorum, quod sciam, hoc argumento utitur, Patrum vero, qui eo usi sunt, plurimi ebraicæ linguæ minus gnari erant, quibus quidem interpretatio loci satis difficilis, etsi non accurata, fidei tamen analoga, facile condonanda; Hic nihil respondemus Catechesi, cum qua *B Lutheri* nostri explicatio, hac in parte, convenit, quam & idoneam judicamus. Supplebimus autem vicem hujus dicti, ænigmate *Salomonis, vel Aguris.* Prov. XXX. 4. *Quod nomen est ipsius quod nomen filii ejus?* Nimirum norant pii Veteres Deum Patrem creatorem cœli & terræ; norant esse ipsi Filium, sed omnia de eo, ut nomina ejus, quibus patefaciendus esset omnibus gentibus, nondum ita norant, ut hodie nos divino beneficio novimus. Itaque Christus dicit *Jo. XVII. 6.* ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις. *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Facile autem vides, cum de operibus Dei primis in mundo condito sermo sit, eundem filium intelligi, per quem sunt omnia creata. Itaque *Salomonem* & cum *Mose* & secum, *Cap. VIII* pulcherrime congruere, quo de loco nunc agendum erit.

115. Ad

115. Ad quartum vero quid?

Ut rem melius accipias, scito eos ex hoc loco, ad eum modum argumentari: Sapientia Dei ab æterno est genita: Christus est Dei sapientia: Ergo est ab æterno genitus. 1. Cor. I. 24. Id argumentum firmum non esse, hinc patet, primum, quod Salomon agat de sapientia simpliciter, & absolute considerata, sine additione vocis Dei; 1.) Paullus vero non simpliciter & absolute, sed cum additione, nempe Dei. Deinde, Salomon agit de sapientia, quæ neque est persona, nec esse potest, ut è variis effectis, quæ huic sapientiæ attribuit, apparet, & hoc 8, & 7. & 9. Cap. ex quibus sunt ea: Per me Reges regnant & Principes justa decernunt. Et initio Cap. 9. introducit sapientiam omnes ad se invitantem & mittentem virgines suas; Paullus vero agit de sapientia, quæ Persona est. 2.) Tertio, verba hæc, quæ sunt reddita: ab æterno, in Hebræo extant; à seculo. Aliud vero esse ab æterno, aliud à seculo, indicant loci, Esa. LXIV. 4. Jerem. II. 20. Luc. I. 70. & alii permulti similes. 3.)

Notæ.

1.) Dici non potest, quam frigide illustrissimus hic *Proverbiorum* locus tractetur, vel prætereatur potius, à Sociniana Catechesi. Videntur hi homines studio oculos aver-

avertisse, ne splendore veritatis victi cogerentur manus dare. *Salomo*, inquiunt, *agit de sapientia simpliciter, non addito vocabulo Dei.* De cujus vero sapientia verba fiunt? Angelorumne an hominum? *Jehovah*, inquit, *possedit me, initium viæ suæ.* Ejus ergo est sapientia, qui eam possidet, h. e. *Jehova.* Et merito huc conferunt Nostrates, *Gen. IV. 1.* Nam, ut ibi Eva filiolum *se possidere* dicit, quem ipsum esse *Jehovam incarnatum*, falso quidem, at pio affectu, crediderat (reliquæ enim explicationes omnes ab ebrææ linguæ indole absunt, ipsa quoque viri doctissimi nuper excogitata opinio, qui de voce קנא mavult קניתי derivare, & Matris Evæ desiderium Messiæ, qui sibi charior hoc filiolo esset, indicari putat, sine ratione usitatum verbum קנה deserit, et nomen *Caino* inditum explicare non potest; Nam, cur daretur filiolo nomen, cujus significatio ad ipsum non pertineret? ut taceam *Num. V. 14.* ebraicam vocem eum sensum habere, qui ad Christum suspectis uxoribus nulla parte similem, applicari nequit) Igitur, ut Eva de filio suo, ita Filius Dei seu sapientia divina de se eodem vocabulo utitur.

2.) Omni verecundia posita negant *Sapientiam in Proverbiis Salom.* esse *personam*, cum toto capite *actionum personalium*, quæ vocantur, ingens sit numerus, id quod ipsum lectorem considerare jubeo, hoc solum observasse contentus: Si non sit *persona* illa sapientia, esse *attributum* divinum. Sed non est *attributum*. Est enim אצל *è regione Jehovæ*, sive, *juxta Jehovam.* Observarunt vero egregii viri, *Sal. Glassius in Philolog. S. & Mart. Geierus* ad. h. l. *p. 405.* è *Concordantiis* nullum produci posse textum, quamquam *duo & sexaginta* loci occurrant, ubi ea vox habeatur, quo non designetur ejusmodi vicinitas, quæ sit inter duo distincta supposita seu per-

sonas

sonas. *Vitta* porro est ista sapientia, seu, ut mavult, me facile suffragante, *Jac. Gussetius* ad vocem נסך *emanavit* à Deo, quæ res, ut de regio Christi munere, secundum vulgarem expositionem, de æterna autem *essentiæ divinæ communicatione*, secundum *Gussetium*, pulchre explicari potest: ita de *attributo* aliquo divino intelligi nequit. Reliqua, quæ dici possent, & dicta ab aliis sunt multis verbis, repetere in præsenti nolo. Sed videntur sibi Adversarii nostri invenisse aliqua, de *sapientia hac* dicta, quæ de Persona non possint accipi. Ut illud: *Per me reges regnant & Principes justa decernunt*. Profecto nesciunt hi homines, quid dicant sentiantque. Christum tamen personam fatebuntur dici, *Apoc. I. 5. principem regum terræ*. Meditari eos velim, quisnam ille sit, cujus nomen est *Sermo Dei*, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ *Apoc. XIX. 13.* item *Rex Regum & Dominator* Dominatorum, *v. 16.* conferre autem hæc cum initio *Genes.* & *Evangelii* Joannis. porro *v. 12.* cum *Prov. XXX 4.* Tum, nisi plane cœci sunt, non negabunt, Christum & *verbum Dei* & *sapientiam* unum idemque esse & *personam* esse. Sed & hoc addere non pudet Socinianos: Initio. *cap.* IX. introducit *Sapientiam omnes ad se invitantem & mittentem virgines suas*. Hinc nempe colligunt, non esse personam, cum omnes boni Interpretes collegissent esse personam. Nam *invitare & emittere* sunt sane personarum officia. Sed, cum palam sit hic ineptire Catechesin, verbis parcendum est. Recentiores *prosopopoeian in Salomone* esse contendunt, *Sapientiam* enim non posse esse *personam*. Sed hoc est sua commenta inferre Scripturæ. *Prosopopoeia* non solet tam, quid rei, quam loquentem inducimus, acciderit, enarrari, quam quid illa res, cui sermo tribuitur, dixerit. At nostro loco potissimum docemur, quid illa sapientia ipsa fuerit, seu sit potius.

3.) Qua fronte negabitur æternitas hujus sapientiæ? Cum clarius describi non possit, quam toto capite, maxime versibus 22-31, factum est. At, inquiunt, in Ebræo est: מעולם *à seculo.* Quid tum? Nam, quid *seculum* sit, quando de humanis rebus sermo est, non opus habemus à Socinianis doceri. Hic autem palam agitur de divinis. Et ita est à seculo sapientia, ut sit ante res creatas omnes. Quid vero ante has fuerit præter interminabilem æternitatem, nec ipsi dicere poterunt Sociniani. Quibus quicunque hodie favent, eos etiam atque etiam rogatos volo, ut saltem hoc Salomonis dictum cum frigida perversione Catecheseos serio conferant, atque ubi viderint, nihil illo dicto clarius, hac Catechesi frigidius esse posse, veritati ne velint proterve obluctari.

116. Quænam sunt ea loca Scripturæ, quæ videntur Christo quædam tempore certo & definito attribuere?

Ea sunt duplicia. Quorum alia nomina, alia facta respiciunt, quæ Christo à Scriptura attribui opinantur.

117. Quænam sunt, quæ Christi nomina respiciunt?

Ea, ubi illi arbitrantur, Iesum à Scriptura vocari Jehovam: Dominum Exercituum: Deum verum: Solum herum: Deum magnum: Dominum Deum omnipotentem: Qui fuit, qui est, & qui venturus est: Deum, qui acquisivit proprio sanguine ecclesiam. Deum, qui animam posuit pro nobis. Jerem. XXIII. 6. Zach. II. 8.

1. Jo.

1. Jo. V. 20. Jud. ℣. 4. Tit. II. 13. Apoc. I. 8. IV. 8. Act. XX. 28. 1. Jo. III. 16.

118. Quid vero tu ad ea ordine respondes, ac ante omnia ad primum?

Primum, quod ex eo confici non possit necessario nomen Jehovæ Christo attribui. 1.) Ea enim verba: Et hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra, referri possunt ad Jsraëlem, de quo paullo superius eodem versu loquitur. In diebus ejus servabitur Juda, & Jsrael habitabit secure, & hoc est nomen ejus &c. ut è loco simili perspici potest, apud eundem Prophetam, ubi ait: In diebus ejus & in illo tempore faciam, ut existat Davidi surculus justitiæ, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis servabitur Juda, & Jerusalem habitabit secure, & hoc (supple nomen) quo vocabunt eum Jehovah justitia nostra. Etenim in hebræo expresse legitur: Vocabunt eam, quam vocem posteriorem ad Jerusalem referri, prorsus est necesse, & hoc quidem loco Jsraëli, qui in priore loco positus est, respondet. Videtur igitur prorsus verisimile, quod in priore etiam loco, hæc verba: Vocabunt eum, ad Jsraëlem referantur. 2.) Ac, licet concedamus, nomen Jehovæ ad Christum posse referri, ex altero tamen testimonio apparet, asseri non posse, Jehovam simpliciter Christum vocari: neque ex

ex eo nomine sequi, Christum reipsa esse Jehovam. Sive igitur de Christo, sive de Israële, postrema verba in testimonio Jeremiæ accipiantur, sententia ipsorum est, tum Jehovam, unum Deum nostrum, nos justificaturum. Etenim, illo tempore, cum Christus appariturus esset, Deus id in Israële facturus erat. 3.)

Notæ.

1.) Quamquam verba *Jeremiæ XXIII. 6.* Socinianis merito sudes sunt in oculis, nobis autem carissima, ut paullo post videbimus, tamen hic nec præcipuus nec unicus locus est, unde demonstrari potest, Christum esse Jehovam. Itaque ne lector Catecheseos unum esse locum putet, quo possimus uti, eundemque controversum, paucis potissima exempla è V. T. laudanda sunt, ubi disertissime Christo Domino nostro hoc essentiale nomen Dei attribuitur, quod faciemus, ubi monuerimus, huc & summo jure referri dicta omnia Novi Fœderis, quibus Christus absolute dicitur κύριος (etsi in colloquiis & salutationibus hæc vox in latiori sensu accipi solet & hominibus non semper magnæ dignitatis dari in libris N. T. consuevit:) nam hanc vocem, apud LXX. respondere tetragrammato יהוה *Jehovah*, constat. Itaque is, qui *Genes. XVI. 7. 9. 11.* Hagaram compellavit, est *Angelus Jehovæ* quem Christum esse si negaris, lege *Malachiam III. 1.* Sed & hoc loco idem Angelus fœderis *Jehovah* dicitur, & nostro v. 13. claris verbis idem ille angelus, qui cum Hagara locutus fuerat, *Jehovah* prædicatur. Capita *XVIII. & XIX. Genes.* mysterii plenissima prætereo quidem, sed

sed commendo omnibus legenda, quod & supra, cum in *Augustini* aliqua verba inciderem, feci. Idem Angelus redemtor, *Gen. XLVIII. 16.* intelligitur. Expende, quis ille Angelus sit, *Exod. XXIII. 21. in quo est nomen Jehovæ!* Nempe is, qui *Exod. III. 2.* apparuit *Mosi*, v. 4. *Jehovah* dicitur, *v. 6*, autem *Deus Abrahami, Jsaaci & Jacobi*, & qui *Jehova Deut. 1. 30.* est. Quis ille princeps exercitus Jehovæ, *Jos. V. 14?* nempe idem, qui simili mandato de exuendis calceis, demonstravit se esse *habitatorem rubi Exod. III.* neque alius ille *Jehovah, Jos. VI. 2.* Redit idem *Angelus Jehovæ Judic. II. 1.* &, cum se eduxisse prædicat populum ex Egypto, satis clare ostendit, pro quo habendus sit. Nempe est ille *Jehovah* Deus qui *Exod. XX. 2.* sibi istud opus *eductionis* vindicat. *Judic. VI.* Angelus Jehovah v. 12. qui idem angelus Dei dicitur *v. 20. & Jehovah v. 23.* cui & litatum est à *Gideone*. Confer similem historiam *Judic. XIII.* nomenque *Angeli Jehovæ* ibi v. 18. positum contende cum *Esaiæ IX. 5.* & si Christum non inveneris utrobique, fatere te esse cœcum. Plura hic quidem cumulare è ceteris libris Scripturæ nolo.

2.) Verisimile videtur Socinianis nomen *Jehovah Zidkenu* ad populum Israeliticum referri ob parallelum locum *Jerem. XXXIII. 16.* Itaque & nostratibus doctissimis hominibus licebit pro verisimili habere esse Christi nomen. Nos, quæ certa sunt, huc referemus. Non opus est multa comminisci, quibus tueamur voculam לה non obsistere, quo minus de Christo explicetur; קרא etiam sequente particula (ל) & cum de *nomine dando* sermo est, tamen posse alio modo explicari, ut intelligatur populum commonefaciendum de Jehovah, qui justitia ipsius foret, esse. Ego quidem suo loco relinquo, quæ à doctissimis viris ita disputata sunt erudite & copiose, ut meo assen-

 su

su facile careant. Ponamus hoc nomen, *Jebovah Zidkenu* esse populo datum, neque tamen argumento nostro quidquam roboris detrahetur. Hoc enim postulo summo jure, 1.) non Israelem secundum carnem, sed secundum Spiritum, h. e. ecclesiam, eamque N. T. intelligendam. Id quod, ni putarem neminem futurum, qui neget, demonstrarem. 2.) *Germen justum* esse Christum Dominum nostrum, & justum dici, non tam, quod ipse peccato careat, quam, quod justitiam Israeli huic afferat, de quo qui dubitat, legere poterit, *Esa. LIII. 11. Justificabit justus, servus meus, multos.* Et *1. Cor.* I. *30. factus est nobis in justitiam.* 3.) in eo esse Prophetam, ut prædicet germinis istius dignitatem & utilitatem, non, ut laudes dicat hominibus. His ita positis, & merito, cum longe sint certissima, positis: quæro, quid significet nomen ob adventum hujus germinis ecclesiæ datum: *Jebovah justitia nostra?* Vtique hoc, ecclesiam habere justitiam, non propriam, sed alienam, secum communicatam. Sed *ea justitia Jebovæ* est, sic enim *Jeremias*: Sed Christi est, quod nos credere *Esaias & Paullus* jubent. Ergo Christus *Jebovah* est. Cui demonstrationi nihil, quod vel speciem habeat, opponi posse, certus sum. Et ea ratio nominum Symbolicorum, quæ integram propositionem conficiunt, ut *Jebovah Nissi*, h. e. Dominus est vexillum meum; *Jedidja* h. e. *dilectus Domino*, ut non, qui ita vocatur, Dominus sit, sed is, propter quem ita vocatur. Vocatur autem ecclesia propter Christum *Jebovah Zidkenu*. Ergo Christus est & *Dominus ille, & justitia illa.*

3.) Non hoc solum o Sociniane! verum, *Deum* fuisse justificaturum nos, cum Christus appariturus esset; Sed præterea, *Servum* illum justum, *Esa. LIII 11.* h. e. Christum nos justificaturum fuisse. Itaque demonstratio superiore nota posita, longe manet robustissima.

119. Ad secundum vero quid respondes?

Locum Zachariæ ad eum modum citant: Hoc dicit Dominus Exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ vos spoliarunt. Qui enim vos tanget, tanget pupillam oculi mei. &c. Quæ ad Christum torquent, quod hîc, ut arbitrantur, dicatur, Dominum Exercituum missum esse à Domino exercituum. Verum ea hîc non habentur. Quod hinc perspicuum est, quod ea verba: Post gloriam misit me, &c. sunt ab alio prolata, nempe ab Angelo, qui cum Zacharia & alio Angelo colloquebatur, ut idem eodem capite paullo ante planum est, à versu quarto initio facto, ubi is Angelus loquens introducitur. Quod idem ea ex re videre est, quod ea, quæ citant verba: Hoc dicit Dominus exercituum, in hebræo legantur; Sic dicit Dominus Exercituum: item illa, tangit pupillam oculi mei; leguntur: pupillam oculi ejus, quæ non ad Dominum exercituum, sed ad legatum referri necesse est. 1.)

Notæ.

1.) Clarius est & hoc testimonium, *Zach. II. 12.* (al. 8.) quam ut offuciis Socinianis obscuretur, & pudere decuisset, qui hic hebraica alios docere conantur, cavillationis. *Ab Angelo*, inquiunt, *prolata sunt hæc verba*;

Ergo ad Christum non pertinent. Absone v. 9. ab eodem Angelo prolata verba hæc sunt: *Et ego ero illi*, ait Dominus, *murus igneus circumquaque & in gloriam ero in medio ejus.* Tune hæc verba non de Domino, sed de Angelo exponis, quia ab hoc pronunciata sunt, & Angelum, non Dominum, dices *murum* esse & *gloriam*? Pronunciavit sane Angelus, quamquam & hic viri docti sunt, qui Angelum increatum intelligere malunt, verba ista, sed non ut sua, verum ut Domini exercituum. Itaque nihil certius, quam duos hic narrari, quorum uterque est *Dominus Exercituum*, & alter ab altero mittitur. Recte viderunt Sociniani in Ebræo esse: *pupillam ejus*, non, *pupillam meam*. Sed hoc ipsum juvat egregie caussam nostram. Nunc enim ipsa pervicacia negare non poterit, eum, qui de alterius pupilla loquitur, esse personam ab altero distinctam, sed uterque, & qui loquitur, & de quo loquitur; & qui mittitur, & à quo mittitur, *Dominus exercituum* est, ergo uterque *persona divina*. Alterum, quod ex ebræo textu corrigere conantur, oppido friget: *Sic dicit*, inquiunt, *extat*, non *hoc dicit;* quasi non utroque vocabulo idem diceretur. Nihil superest, nisi, ut lectorem meum moneam, de temporibus N. T. vaticinium certissime agere, ubi *Hierosolyma*, non illa *Palæstinæ*, sed ecclesia amplificanda miris modis fuerat, quod misso ad gentes Evangelio factum est. Porro, cum constet, duos hic esse, quorum uterque Dominus exercituum est, quod observasse contra Socinianos abunde sufficit, aliquid Sociis fidei meæ eruditis expendendum dicam. Mihi videtur is *Jehovah Zebaoth*, qui v. 12. incipit loqui, *Spiritus S.* esse non *Christus*, qui nescio an ad gentes unquam usquam missus dicatur, uti quidem ad populum Judaicum missus est, *Act.* III. 26 quo loco, ne quis putet, post resurrectionem Christum missum esse, observandum, vocem

ava-

ἀναςήσας, non de *resuscitatione*, sed de *exhibitione* accipiendam esse. Porro voces: אחר כבוד quas vertunt: *post gloriam*, quicquid laborent doctissimi Interpretes, obscuræ manent. Post quam enim gloriam missus diceretur Christus ad gentes? Post ingressum in gloriam æternam & sessionem ad dextram Patris? At sic *ingressus*, seu *inceptionis* saltem, verbulo facienda fuisse mentio videtur, nam ipsa gloria illa nunquam finitur. De Spiritu S. omnia expeditiora, qui, cum æque ac Pater & Filius, sit Dominus exercituum, à Patre tamen & Filio, & maxime quidem tempore N. T. mittitur. Voces: *Achar Cabhodh* Symbolicum Christi Domini nostri ajo nomen esse: Qualia complusculа in Scripturis Sacris habentur. Constat Prophetas calamitates, quæ in Christo futuræ essent, primum prænunciasse, & gloriam deinde *1. Petr. 1. 11.* pulcherrime ergo אחר כבוד *postremo gloria*, dicitur Christus; sensusque adeo foret: Is, cujus gloria post toleratos cruciatus, magis exsplendescet, misit me.

110. Quid respondes ad tertium?

In hoc testimonio, scimus filium Dei venisse, & dedisse nobis sensum, ut agnoscamus illum verum Deum, & sumus in illo vero in Filio ejus JEsu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna; hæc verba: Hic est verus Deus, nego referri ad Dei filium: Non, quod negem Christum esse verum Deum 1.) sed, quod is locus ea de Christo accipi non admittat. Etenim hic agitur non solum de vero Deo, sed de illo uno vero Deo. 2.) ut articulus in græco

 addi-

additus, indicat. Christus vero etsi Deus verus sit, non est tamen ille ex se unus Deus, qui per se & perfectissima ratione Deus est, cum is Deus tantum sit Pater. 3.) Nec vero quidquam juvat adversarios, qui propterea hæc ad Christum referri volunt, quod verba: Hic est verus Deus &c. Christi mentio proxime antecesserit. Etenim pronomina relativa, ut hic & similia, non semper ad proxime antecedentia, verum sæpe numero ad id, de quo potissimum sermo est, referuntur 4.) ut patet ex his locis. Act. VII. 19. 20. Donec exortus esset Rex, qui non noverat Josephum. Is circumveniens gentem nostram &c. Et Act. X. 6. Is habet diversorium apud Simonem coriarum, qui domum habet supra mare: Is dicet tibi, quid te agere oporteat. & 2. Jo. ꝟ. 7. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum in carne venientem. Is est seductor & ille Anti-Christus. E quibus locis apparet, pronomen relativum, hic, non ad proxime præcedentes personas, sed ad remotiores referri.

Notae.

1.) Non negant Christum esse verum Deum, sed verbo fallunt lectorem, quod supra observatum nunc non repeto. Potius quale & quam solidum sit nostrum argumen-

mentum pro divinitate Christi, operæ pretium est ostendere. Primum legenti patet, cum, tota epistola, tum hoc potissimum quinto capite, de dignitate & majestate Christi, deque fide & spe in hunc ponenda totum esse Apostolum. vid. *v. 1. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13.* ut adeo nemini videri debeat Apostolus v. 20. quasi ex abrupto ad caussam Christi agendam contra hostes divinitatis Christi venisse. Porro connexio proximorum commatum cum nostro, si vel mediocri studio attendas, facile patebit. Fidei parrhesiam docuerat v. 14. qua fit, ut certissimum sit, audiri preces nostras, atque adeo futura, quæ petamus, v. 15. quod tametsi in pervicacibus transgressoribus, quorum salutem precamur, fieri nequeat v. 16. 17. esse tamen spem certam, quicunque non volent petulantissime in perniciem ipsi præcipites ruere, precibus Christianorum servari divinitus. Hinc accipitur occasio de ratione peccatorum dicendi, qualia regenitis adhærere quidem solent, sed ita, ut studio & petulanter non perpetrentur, atque adeo tuti sint pii ab horrendis flagitiis & ea pervicacia, ob quam abjiciendi essent, à Deo, ita vero tuti, si se observent, abstineant à malo, sic enim non dari Cacodæmoni facultatem hos fallendi. Hoc agitur v. 18. atque id potissimum monemur, ex Deo nos esse genitos, quæ generatio vires Spirituales abunde suppeditat. Sequitur *commate 19.* objectio, cui v. 20. respondetur, quod particula δὲ v. 20. docet, quam aliquot codices ideo omittere videntur, quod non intellectus esset verus sensus. Nimirum contra securitatem piorum obverti poterat, quoniam constet nos ex Deo esse, mundum vero totum perversum, fieri non posse, quin perpetuo & graviter decertandum sit, itaque illam ex Deo generationem magis etiam accensu am mundum ad persecutionem. Respondetur ergo: Sed & hoc novimus, venisse filium Dei, qui nos tutos faciat, nam dedit nobis mentem, quam Spiritu suo Sancto collustravit, quæ ipsa res jam divinam Christi potentiam satis

indicat, cum solius Dei sit facultas emendandi mentem humanam; dedit, inquam, διάνοιαν seu intelligentiam, ut agnoscamus verum veracemque Deum, cujus nos promissiones nunquam fallent. Sed non hoc solum, verum & sumus in veraci veroque Filio ejus JEsu Christo, cum hoc arctissime per fidem uniti & conjuncti, à quo nulla nos calamitas divellere poterit. Hic velim vocem ἀληθινὸς accurate considerari. Mihi sic videtur: Quoniam ea vox & *verum* & *veracem* in Scriptura S. significat, illud, *1. Thess. X 22. Luc. XVI. 11. Jo. XVII 3.* Jo. *VI. 32.* Hoc. Jo. *IV. 37. Jo. XIX. 35.* Jo. *VII. 28.* Interdum vero utraque significatio, per se non nimis diversa coalescit, ut *Apocal. XVI. 7. XIX. 2.* Idem hic quoque factum. Itaque certi sumus de salute nostra, 1.) quia Spiritus S. nos docet de *vero* Deo, neque enim idola colimus, & de *veraci* Deo, cujus promissionibus sua constat veritas. 2.) quia in Christo sumus, qui & ipse est *verus Dei Filius*, non defuturus adeo nobis *adoptivis Dei filiis*, suisque per gratiam fratribus, & *verax*, staturus sine dubio promisssione sua, qua recepit, se non passurum, ut quidquam de manibus ipsius eripiatur. Quibus ita expositis, non jam disceptandum est, ad quem postrema verba pertineant. Ad Patrem certe non pertinent, quem, cum modo hoc ipso commate *Joannes* & Θεὸν dixisset & ἀληθινὸν, quid oportuit confestim repetere? At hoc refert, monere, hunc ipsum Christum, in quo & sumus, verum esse Deum, immo vitam æternam, cui adeo fides indubitata habenda, qua in re tantundem videtur, sive tu conjunctim, quod editiones omnes fere faciunt, legas ἀληθινὸς Θεός, ut *1. Thess. I. 9.* sive divisim, hoc modo: Hic est 1.) ἀληθινὸς, 2.) Θεὸς, 3.) ζωὴ αἰώνιος. Quod elegantis vir ingenii, *C. A. Heumannus* arbitratur, in *dissertatione* de nostro loco *Parergis Criticis* subjuncta

cta. Ceterum & hoc merito à nostratibus observatur, Patrem, quamquam possit vocari *vita*, item vita *æterna*; nusquam tamen ita in Scriptura Sacra vocari, Christum vero, non raro. *Vid. Act. III. 15. Jo. I. 4. XIV. 6. Coloss. III. 4.*

2.) Bene est, quod Sociniani agnoscunt, agi hic de illo uno Deo vero, qui scilicet creavit cœlum & terras. Itaque, cum nos modo ostenderimus, ea verba certissime de Christo esse explicanda, superest fateri, Christum Dominum nostrum esse illum unum verum Deum.

3.) Antiquum hic obtinet Socinianorum ratio, egregie sibi sapere visa, cui cum placuerit unam in divinitate personam statuere, torquenda sunt & clarissima dicta Scripturæ, quæ docilem lectorem convincere poterant, plures esse personas in uno Deo. Nobis ergo frivola videtur ratiocinatio: Quoniam Pater JEsu Christi est unus verus Deus, non posse Christum esse eundem unum verum Deum. Decet tandem è Scriptura didicisse, utrumque simul verum esse, & compescere rationem ultra, quam ipsi datum est, sapere conantem.

4.) Egregii vero Philologi Sociniani sunt, qui nos docere volunt, quod dudum omnes norunt, non esse semper ad proxime præcedens subjectum, sed ad primarium, tametsi remotius, interdum respiciendum. Factum hoc est infinitis locis, nec opus fuit tria laudare. Doctiss. *Heumannus* l. c. videre jubet, *2. Jo v. 7. Act. X. 6. 1. Tim. II. 3. Jo. VII. 40. 1. Jo. II. 22. Luc. II. 43. Act. XVI. 1, 2. 2. Cor. XI. 15. 2. Thess. II. 9.* monetque alia exempla suggerere b. *Glassium, Grammat. Sacr. Tract. II. Canon. X.* Sed, cum hoc faciunt οἱ ἐξ ἐναντίας, præterviderunt, quod potissimum observare debuissent, primarium subjectum, de quo sermo est Apostolo, esse hunc Christum Dominum, ad quod, cum accedat vicinitas, quid dubitant de Christo exponere? Recentiores Catecheseos editores hæc addiderunt digna sane Sociniano Spiritu.

„Si verba : Hic est verus Deus , referrentur ad Jesum „Christum, diceret *Joannes*, Jesum Christum esse sui„ipsius filium , siquidem eum illius veri Dei filium appel„lat. Oppositio etiam veri Dei Idolis, v. 21. non Chri„stum, sed Christi Patrem ex Scripturæ usu denotari do„cet.„ Quæ de more Scripturæ audacissime perhibent, meræ sunt calumniæ; Cujus rei nobis contrarium patet, qui ab *Jesaia* aliisque Prophetis Christum Deastris gentilium oppositum novimus. Absurda vero est collectio: quia agnoscere dicuntur pii τὸν ἀληθινὸν· hoc est Patrem; ergo, cum præterea dicitur esse ipsos ἐν τῷ ἀληθινῷ non esse hunc Filium; Immo, utrumque vult Joannes, & Patrem, quem agnoscimus, & Filium, in quo sumus, esse verum Deum, &, quod ex aliis locis colligimus, Spiritum Sanctum esse verum Deum.

---

121. Ad quartum testimonium quid respondes?

Quartum testimonium sic habet: Solum herum & Dominum Jesum Christum negantes. E quo testimonio, cum in Græco articulus unus duntaxat præfixus sit, id evincere conantur pro more Græci sermonis, ad unam personam, ac proinde ad Christum, ea verba debere referri. Verum tenendum est, eam apud Græcos regulam non esse perpetuam: Ubi vero locus ei non sit, id è rei circumstantia deprehendi. 1.) Non esse vero eam regulam perpetuam, testimonia ipsius novi fœderis demonstrant, ut illud, ubi scriptum est: Ejecit omnes vendentes & ementes,

Matth. XXI. 12. ubi in Græco est unus tantum articulus, præfixus iis vocibus: ementes & vendentes. Quibus similia habes, Marc. II. 15. Luc. XIX. 45. Ac præterea locus, Ephes. V, 5. 2.) aperte indicat eam regulam non esse perpetuam.

Notæ.

1.) Hem, quam leviter tractant rem gravissimam Sociniani! Oportuisset verba singula præclari hujus loci *Judæ, v. 4.* expendere, considerare etiam, de quali hominum genere sermo sit Apostolo, utrum de manifestis Atheis, qui palam dari Deum negassent, an de sceleratis quidem, immo sceleratissimis hominibus, at, qui vellent tamen Deum agnoscere videri. Nam, si hoc sit, quod non dubitandum, *Gnosticos* enim, impurum genus mortalium, non tamen existentiæ alicujus divinitatis inficiatores, intelligi, magno consensu viri docti docent; Non poterat *Judas* dicere seorsum, negare eos, primum Deum, hunc enim non negarunt, deinde Christum; sed conjuncte legenda sunt verba hæc omnia: *Τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν ἀρνούμενοι.* Et eidem Christo epitheta hæc omnia debentur. Decuisset porro parallelum locum contueri, *2. Petr. II. 1.* Ubi, cum *Petrus δεσπότην* solum habeat ceteris omissis vocibus, addatque *τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς*, *qui redemit eos;* clarissime Christum indicat, hic enim nos redemit omnes sanguine suo. Sed à sceleratis, quamquam & ipsorum redemtor est, turpiter negatur & spernitur. Hæc omnia & poterant & debebant Sociniani, antequam ad gravissimum argumentum accederent, mature expendere

dere, sed attingunt clarissimum locum, ut *Canis Nilum*, quod summæ incuriæ, si non viderunt; si observarunt, profligatæ, nec excusandæ nequitiæ signum est.

2.) Ut vidit lector, *articuli positus*, nec unum, nec præcipuum est argumentum, quo compellimur *Judæ* locum de Christo explicare. Ad hæc vero aliquid, & frigidissime quidem, respondent. *Regulam* negant esse *perpetuam*. Bene; sed regula tamen est. Itaque addunt: *Ubi ei regulæ locus non sit, id è rei circumstantia deprehendi.* Sed, quæ hic obsecro, circumstantia, quæ suadeat Christum non intelligere? Contraria omnia *nota* 1.) vidimus. Locus *Matth. XXI: 12.* parum ad rem facit. Nam primo, regulam perpetuam esse, nec ipsi volumus, ut, ubicunque articulus semel præmissus sit, omnia, quæ sequuntur, ad idem subjectum referenda sint. Deinde, hinc potius regula confirmari posset, si tanti esset, vincere. Nam *ementes & vendentes* iidem homines sunt, h. e. *negotiatores*, quos Christus eliminavit è templi atrio. Cui bono autem *Ephes. V, 5.* huc laudetur, cum è *Moscorovii* latina versione non statim caperem, consului *Smalcium*, qui Germanice sic habet: Und darüber hast du noch den Ort *Ephes. V. v. 5.* welcher bezeuget, dass die Regel nicht allezeit gilt: *Im Königreich Christi und Gottes.* Videre nolunt se petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Nos quidem intelligimus & hoc loco unum esse, de cujus regno verba fiant, eundemque & Christum & Deum, qua de re *Bezam*, quem sæpius laudant, videre poterant. Quamquam facile eos ferimus, qui hic Christum & Deum distinguunt, ut *regnum Christi* sit regnum gratiæ in hoc seculo; *regnum Dei* (*vid. 1. Cor. XV. 28.*) h. e. Dei triunius, gloriosum illud in altero, sed priorem tamen explicationem malumus.

112. Ad quintum quid respondes?

Quintum testimonium est: Expectantes illam beatam spem & apparitionem gloriæ magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi. Quo in loco epitheton, Magni Dei, ad Christum referri duabus rationibus evincere conantur: Prior est, superius de articulo uno præfixa regula: Posterior, quod adventum non expectemus Patris, sed Filii. Verum ad primum argumentum responsum habes in responsione ad quartum testimonium. 1.) Ad alterum respondeo, Paullum non dicere: Expectantes adventum magni Dei, verum dicere: expectantes apparitionem gloriæ magni Dei. Posse vero dici, gloriam Dei Patris illustratum iri, cum Christus ad judicium venerit, verba Christi ostendunt, cum ait: Quod venturus sit in gloria, id est, cum gloria Dei Patris sui. 2.) Matth. XVI. 27. Marc. VIII. 28. Præterea, quod est inconveniens, si dicatur Deus Pater venturus (prout illi è Vulgata citant) cum Filius ad mundum judicandum venerit? An Christus Dei Patris personam in judicio mundi, tanquam ejus, à quo munus judicandi accepit, non sustinebit? 3.)

Notæ.

1.) Neque hoc testimonium *Tit.* II, *13.* ita comparatum

tum eſt, ut ulla arte, nedum Sociniana, quod genus hominum tum maxime perdit cauſſam ſuam, cum maxime tueri vult; extorqueri nobis poſſit, v. 10. graviter monuerat Apoſtolus, ut *ſervi* quoque, qui viliſſimi videntur mortalium, lumine Chriſti colluſtrati, decori ſint Eccleſiæ, ut doctrinam Servatoris noſtri Dei ornent omni ratione. Hic nemo erit, qui non certus ſit, Chriſtum dici *Servatorem noſtrum Deum*, hujus enim doctrinam acceperat eccleſia; hic proprie σωτὴρ *Servator*, dicitur. Hunc dicit apparuiſſe v. 11. non in gloria quidem, ſed ſalutifero adventu, præ qua ſalute nihili facienda ſint, quæcunque in duriſſima ſervitute toleranda fuerint; & adduci homines, tanto doctore, ut ipſius exemplo caſte, pie, ſobrie, pudice, vivant; ſupereſſe vero & alterum ejusdem adventum glorioſum, cujus ſpe minime fallaci ſuſtentandi ſint, qui hic premuntur duro jugo. Hic, quis non videt eundem eſſe, quem v. 10. σωτῆρα Θεὸν, hic autem, v. 13. μέγαν Θεὸν καὶ σωτῆρα vocat? Maxime, cum ſequens comma 14. non Dei Patris, ſed Filii Servatoris noſtri ſit deſcriptio. Itaque non ſunt duo tantum argumenta, quibus hoc teſtimonium Chriſto vindicatur, ſed & ad hæc duo nihil idonei reſpondent Sociniani. *Articulum* ſemel poſitum utique agnoſcimus indicium de uno ſubjecto agi. Quid illi? Superiore quæſtione ſe ajunt reſpondiſſe. Nos vero eos miſere ſtetiſſe vidimus. Nam agnoverunt eſſe regulam, licet perpetuam eſſe negarunt, ſed in contrarium nullo inſtructi ſunt exemplo; porro perhibent è rei circumſtantia deprehendi, ubi ei regulæ locus non ſit. Quæ vero hic circumſtantia, unde colligi poſſit, de Chriſto non intelligendum eſſe epitheton, *Magnus Deus*? Hoc oportuit oſtendi: Cum taceant, cum nihil oſtendant, ſunt enim omnia opinioni ipſorum contraria, fatentur regulæ hic locum eſſe, adeoque nihil reſponderunt. Nos vero porro ad confirmandum argumentum noſtrum, utut per ſe validiſſimum, lau-

damus

damus locum *2. Petr. I, 1.* ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ. *In justitia Dei nostri & Servatoris Jesu Christi.* Justitia autem, qua justi sumus, Christi solius est, quo conferenda, quæ paullo ante de *Jerem. XXIII. 6.* diximus. Et quemadmodum *2. Cor. I. 3. & Ephes. I. 3.* ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν una est persona Patris, non duæ, ita ὁ μέγας Θεὸς καὶ σωτὴρ pariter una est persona Filii non duæ.

2.) Ad alterum argumentum nostrum, non dici in Scriptura Patrem venturum ad judicium sed Filium, hunc ergo magnum Deum appellari, pari socordia respondent. Liquet sane res nec indiget explicatione, eodem modo, quo, *1. Thess. I. 10. expectare* jubemur *filium Dei de cælo, quem excitavit de mortuis, Jesum liberantem nos ab ira ventura;* & hic nos expectare juberi (nam προσδέχεσθαι hic idem est, quod ibi ἀναμένειν) eundem gloriosum adventum Christi. Cavillantur, non esse hic *adventum*, sed *apparitionem gloriæ magni Dei*, posse vero & gloriam apparere, ejus qui non adveniat ipse. Absone; Ἐπιφάνεια τῆς δόξης est *gloriosa apparitio*, locutione ita solenni & consueta, ut neminem possit fugere; nihil enim frequentius, quam *alterum substantivum in secundo casu positum loco adjectivi* stare. Cujus vero est illa Ἐπιφάνεια? utique *magni Dei*. Itaque adventurus prædicatur ille magnus Deus. Ista vero ἐπιφάνεια est Christi, *1. Tim. VI. 14. 2. Tim. I. 10. IV. 1, 8.* Christus ergo est *ille magnus Deus.* Qui hanc demonstrationem non capit, is, quid sit demonstratio, se fateatur ignorare. Nihil est, quod oggerunt, legi, Christum venturum *in gloria Patris.* Hoc enim ita est verum, ut non minus sit verum, Christum venturum *in gloria sua, Matth. XXV. 31.* Quod ipsum docere debuisset adversarios, eandem

dem esse Patris & Filii, (non excluso Spiritu S.) ut gloriam, ita essentiam.

3.) Minus bene dicitur Christus *sustinere* in judicio, *Patris personam*. Ipse enim erit judex auctoritate propria. Neque minus tamen verum, Patrem per Christum judicaturum homines. *Act. XVII. 31.* Christus autem est judex, est κύριος, est Θεός. *Rom. XIV. 8-12.* Quæ omnia facile componit, qui stili Scripturæ peritus est & pia fide credere paratus, quæ videt Spiritum Sanctum tradidisse.

---

123. Quid ad sextum respondes?

Sextum testimonium est: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est, Eum vero locum propterea ad Christum referunt, quod arbitrentur neminem venturum, nisi Christum 1.) Is enim venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Verum tenendum est, eam vocem, quam illi reddidere: Venturus est, reddi æque posse, futurus est. Ut Jo. XVI. ℣. 13. ubi Dominus ait de Spiritu, quem Apostolis promittebat, quod illis esset futura annunciaturus, & Actor. XVIII. ℣. 21. ubi legimus diem festum futurum: in quibus locis duobus vox græca est ἐρχόμενος 2.) Deinde, quis est, qui nesciat, cum prius dictum

ctum sit, qui erat, & qui est, & posterius hoc, quod additum est, per futurum esse redd: debere, ut ubique de existentia ea oratio accipiatur, & non in prioribus duobus membris de existentia, in postremo de adventu. Nec est quisquam, qui non animadvertat, hîc describi æternitatem Dei, quæ tempus præteritum, præsens & futurum comprehendit 3.) Sed, quod crassum errorem hunc detegit est, quod Apoc. I. cap. ℣. 4, & 5. legimus: Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui futurus est, & à septem Spiritibus, qui sunt ante faciem throni ejus, & à Jesu Christo, qui est testis fidelis. E quo testimonio apparet, Jesum Christum ab eo, qui est, qui erat, & qui futurus est, vel ut illi credunt, venturus, esse longe alium. 4.)

Notæ.

1.) Mireris denuo incuriam, qua factum, ut unum locum, ceteris clarioribus omissis, tangant; & qualicunque responsione tollere audeant. Nos, cum Christum, *primum & novissimum*, *Alpha & Omega*, *qui est*, *qui fuit*, *qui futurus est*, vel *venturus*, (nam in hoc vocabulo nihil præcipui quærimus) dictum, adeoque verum Deum prædicamus, non hoc potissimum *v. 8. Cap. I. Apocal.* utimur, quamquam neque hunc deserimus, sed *ejusd. cap v. 11. & 17. &* hoc maxime, quod codicum summus est consensus, non tantus v. 11. Poteruntne Sociniani speciem comminisci, qua non explicetur de Christo *v. 11. & 17.*

Nam à Jesu Christo accepisse se narrat Apostolus Apocalypsin suam *Cap.* I. *1.* vocatur enim *Apocalypsis Jesu Christi*, non, qua esset revelatus Christus, quod in Evangelii libro potius factum, sed, quam dedisset Jesus Christus, hic enim est, qui misso Angelo, ea Joannem edocuit, *Apoc.* XXII. *16.* Vocem igitur, quam audivit *Joannes*. *Cap.* I. *10.* Christi erat, de quo neminem dubitare sinit, v, 12. & 13. Retroversa facie Apostolus circumspexit, quis esset ille collocutor, & vidit in septem candelabris aliquem, *ut filium hominis*, certissime ergo Christum. v. 18. autem, cum extet: *Vivens*, & *fueram mortuus* &c. præscinditur cavillandi occasio, & necesse est fateri, Christum esse, qui de se dixisset: *Ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus*. Idem plane dicendum de *Apoc.* II. *8.* idem de *Apoc.* XXI. *5*, *6.* Nam is, qui in throno sedens visus est *Joanni*, *cap.* XX. *11.* sine dubio Christus est. Conf. *Matth.* XXV. *31.* & similia loca. Idem denique de *Apocalypseos*, XXII. *13. 16.* Quæ cum ita sint, quid cavillantur de *Apoc.* I. *8.* & IV. *8.* Nam, si esset his duobus locis de patre dictum, quicquid dictum est, argumento nostro nihil decederet roboris, & res vel ex illis locis abunde clara esset, Christum dici *Alpha & Omega. initium & finem. primum & novissimum*. Quibus quidem singulis locutionibus æternitas veri Dei sine controversia significatur. Sed, minime necesse est concedere Socinianis, quod volunt. Potius luculenter evinci potest, & his duobus locis, & *Cap* XI. *17.* Christum Dominum nostrum intelligendum esse; quod age, ostendamus ordine. *Cap* I *7.* abunde est characterum Christi. Quod venturus sit in nubibus, quod, qui ipsum pupugerunt, visuri eum sint, non sine ejulatu acerbissimo. Ubi præterire non possum, *Zach.* XII. *10.* in quem locum *Joannes* indicem digitum intendit, ita pa-

Iam Christum loquentem introduci & Jehovam appellari, ut negare nemo pudens & modestus possit. Itaque cum ostensus sit, v. 7. Christus, ut veniens, jam ad quem pertineat v. 8. obscurum esse nequit, nimirum idem est, qui, ut passim toto libro, se esse initium finemque & dominatorem verissime prædicat. Nihil est, quod hic observari vellem, nisi voculas duas, καὶ ἀμήν quæ vulgo v. 7. ponuntur mihi videri ad v. 8. pertinere, quo facto clariora etiam erunt, quæ dixi. Extant autem & alibi hæc Christi verba: vid. *Apocal XXII. 20.* Accedimus ad *Cap. IV. 8.* ubi paucis evinci potest, de Christo sermonem esse, modo ponatur v. 2. eum esse, qui in throno residere visus est *Joanni*, eundem Dominum nostrum, quod quidem, si conferas, *Cap. I. 13. & III. 21.* dubium esse nequit; neque obstat, *Cap. VII. 10.* gloriam dici ei, qui in throno sedebat & agno, utraque enim figura, uterque status ejusdem Christi significatur. Exaltationis status figura hominis in amplissimo throno collocati, conditio humilis vero figura agni, vid. *Cap. V. v. 6.* Igitur, cum nullum sit dubium, in throno repræsentatum esse Christum, qua specie negabis ea epitheta omnia, quæ v. 8. leguntur, pertinere ad illum regem in throno positum, maxime cum v. 9. id ea claritate, qua major esse non potest, confirmetur? Tria verba dicemus de *Cap. XI. 17.* *Gratias agimus. tibi Domine Deus, Dominator omnium. qui est, qui erat, qui venturus est, quod assumsisti potentiam tuam magnam & regnare coepisti.* De gratiæ regno inter omnes gentes erecto sermonem esse, fortasse nemo est, qui neget. Sed hoc operæ pretium, observare, Christum proprie dici *Dominum nostrum*, quia nos sanguine suo emit; hunc, quam semper habuerat, potentiam resumsisse, post adscensum in cœlos, hunc esse regem hujus regni, hunc in throno consedisse, cui carmen istud à Senioribus cantabatur. Quod in v. 15.

dictum fuerat; Ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι τῦ κόσμυ τῦ κυρίυ ἡμῶν, καὶ τῦ Χριςῦ αὐτῦ, movit fortasse alios, me non movet. Nam & hic, & *Cap* XII. *10.* sic intelligo *Joannem*, ut de eodem loquatur, qui Dominus est & Christus. Translatum sic volo: *Regna mundi facta sunt Domini nostri & Christi ipsius*, h. e. *ipse* Christus, qui & Dominus noster est, regnat, *ipse* hoc facit, quod promiserat. *Ezech.XXXIV.11.* Eodem modo *Cap.XII. 10.* verto: *Nunc facta est salus & potentia & regnum Dei nostri, & potestas ipsius Christi*, ut idem sit Deus & Christus, quemadmodum voce ἐξυσία nihil dicitur, quod non & prioribus vocabulis contineretur. Cumulantur autem voces ad exaggerandam gloriam Christi. Quod Sociniani λεπτολογῦσι de discrimine *venturi & futuri*, hili non facio, Mihi hæ voces idem plane significant. Nam cum *venturus* dicitur Christus, certe etiam *futurus* est. Non ab re autem viri docti putant, ideo ἐρχόμενος potius, quam ἐσόμενος, positum, ut simul & æternitas Christi & adventus expectandus ad judicium cogitari posset.

2.) Doleo vicem hominum, qui, cum vellent minutissimæ observatiunculæ inhærere, quæ ad nostram caussam plane nihil facit, neque hoc tamen, quod volunt, præstare potuere. Nam Jo. *XVI. 13. & Act. XVIII. 21.* commodissime vocula *venturus* adhiberi potest, quod & priori loco *Beza* fecit.

3.) Bene est, quod observant, neminem non videre, describi æternitatem Dei, vocibus: *Qui est*, *qui erat*, *qui venturus est seu futurus*. Itaque, cum *nota 1.*) ostensum sit, si vel excipias duos à Socinianis notatos locos, quod tamen minime necesse est, Christo certissime ea epitheta tribui; nefas erit de æternitate Christi dubitare.

4. Locus

4.) Locus, *Apoc. I. 4, 5.* ut observant Sociniani, indicat Deum Patrem vocari *qui est* &c. & ab eo diversam esse personam Christum, neque nos contradicimus; Sed, cum adhuc sit demonstratum, Christum iisdem epithetis affici, colligere par est, Christum esse personam æqualem Patri, h. e. eundem verum Deum. Nam alium iisdem verbis sensum inesse, cum de Christo legimus, alium, cum de Patre, frustra & sine specie veri quidam Sociniani perhibent. *Esaiæ* autem loca. *XLIV.* 6. *XLIII.* 10. *XLVIII.* 12. nostram hanc caussam mirifice illustrant.

124. *Quid ad Septimum respondes?*

Septimum est, quod ita legimus: Attendite vobis ipsis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit per proprium sanguinem. Respondeo, nomen Dei hoc loco non referri ad Christum necessario, sed ad ipsum Deum Patrem referri posse, cujus Apostolus eum sanguinem, quem Christus fudit, sanguinem vocat, eo genere loquendi, et eam ob caussam, quo genere loquendi & quam ob caussam Propheta ait, eum, qui tangit populum Dei, tangere pupillam oculi Dei ipsius. Etenim summa, quæ est inter Deum Patrem & Christum conjunctio, etsi essentia sint prorsus diversi, in caussa est, cur Christi sanguis, sanguis ipsius Dei Patris dicatur. 1.) Præsertim, si quis expendat, quatenus

nus is est pro nobis fusus. Etenim Christus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, unde sanguis in eum finem fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest. 2.) Nec vero prætereundum est silentio, quod in editione Syriaca, loco Dei, legatur Christi. 3.)

Notæ.

1.) Turpissime hic abutuntur patientia lectorum Sociniani. *Patris* ajunt posse dici sanguinem, qui proprie Christi est. Cur vero nolunt ejus dici, cujus est? Cum infinitis locis non Pater, sed Christus pro nobis fudisse sanguinem dicatur. *Rom.* V. 9. 1. *Cor.* X. 16. *Ephes.* I. 7. II. 13. *Col.* I. 14, 20. *Ebr.* IX. 12, 14. X. 19. XIII. 12. 1. *Petr.* I. 2, 19. *Apocal.* I 5. XII. 11. Pater, ut non assumsit humanam naturam in suæ personæ unitatem, ita nec fudit sanguinem. Porro, is, quem *Paullus* nostro loco prædicat suo sanguine acquisivisse ecclesiam, *proprium* sanguinem fudit, quod de Patre adeo non potest dici, ut pudere necesse sit tam contortæ interpretationis. Cur non, cum se victos gladio verbi divini sentiant, id, quod res est, fatentur, & Deo dant gloriam? De absurdo commento *Ge. Enjedini*, sub ἰδίου esse subintelligendum, *filii*, dicere piget.

2.) Sic ratiocinantur: Christus est agnus Dei, ergo sanguis Christi est sanguis Dei Patris. Rideres, si quis ita colligeret: Tauri, qui mactati sunt, cum templum dedicaretur, fuerunt *Salomonis*, ergo *sanguis taurorum & hostiarum illarum est Salomonis sanguis.* In re seria ludere velle est impium, atque ita cavillari, ut faciunt hic Sociniani, impiissimum. Qui voluerit *Enjedi-*

ni & *Wolzogenii* misera κρηςφύγετα videre, adeat b. *Spenerum l. c. p. 498. 499.* v. g. sic ineptiunt: haberi loca *Homeri*, *Theocriti*, *Tibulli*, &c. quibus αἷμα sive sanguis pro filio ponatur, posse itaque sic exponi; *Deus per proprium filium acquisivit ecclesiam.* Quod *Zachar.* II. de *pupilla oculi* habetur, quam tangunt, qui nocere ecclesiæ conentur, quodque significat, ita ægre ferre Deum injurias ecclesiæ illatas, ut ægre fert homo, si quis immodestius oculum tetigerit; cui bono huc laudatur?

3.) Lectionem frustra solicitant. Summus est consensus codicum de voce Θεὸς, nisi quod aliqui addunt κύριος, quam vocem *Syrus* & legisse videtur, qui *Meschicho* transtulit. Ita & in *Irenæo* legimus, *L.* III. *c. XIV. p. m. 170. In quo vos Spiritus præposuit Episcopos regere ecclesiam Domini, quam sibi constituit per sanguinem suum.* Erudite de hoc loco egit *Millius*, huc conferendus, qui & apposite observat locutionem: *Sanguis Dei*; ab antiquissimis Ecclesiæ doctoribus adhibitam: Sic *Ignatius Martyr Epist. ad Ephes.* initio, *p. 24. edit.* Ittig. ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ τὸ συγγενικὸν ἔργον τελείως ἀπηρτίσατε. *Excitando vos per sanguinem Dei cognatum opus omnibus suis numeris absolvistis.* Hoc sibi vult, *Ephesios* exemplo Christi patienter sanguinem fundentis, excitatos, preces pro *Ignatio* fecisse, ut & ipse patienter pro veritate moreretur. Interpolator hujus epistolæ pro αἵματι Θεοῦ substituit αἵματι Χριστοῦ, ratus fortasse, ut conjicit *Millius*, illam locutionem aliquid ἀκυρολογίας habere. His addo, antiquam versionem hujus epistolæ latinam, quam primum *Jacob Usserius* edidit, utrumque nomen *Dei* & *Christi* conjungere. Quæ hic addunt recentiores Catecheseos editores de verbis *Thomæ. Jo. XX.*

28. si quidem ea verba ad Christum direxerit (quasi hoc dubium esset) non satis habuisse eum Dominum suum appellare, sed & appellasse Deum suum, ut non vulgarem sed divinum ejus in se dominatum agnosceret; excutientur alio loco. Nihil certius, quam veram & supremam Christi divinitatem tum agnitam à Thoma.

---

125. Ad octavum vero?

Octavum ita habet: In eo cognovimus charitatem Dei, quod is animam suam posuit pro nobis. Primum igitur sic habeto: neque in Græca editione ulla, (excepta Complutensi) nec in editione Syriaca, vocem Deus, haberi. Verum, etiamsi hæc vox haberetur, in omnibus exemplaribus, num id circo ea vox, ille, ad Deum erit referenda? Non certe; non solum ob eam caussam, quam paullo superius attulimus, in responsione ad testimonium tertium, quod verba ejusmodi non semper ad propinquiores personas referantur; verum etiam, quod ἐκεῖνος vocem græcam Joannes in hac epistola, sæpe ad eum refert, qui longe antea nominatus fuerat, ut è tertio, quinto & septimo versu ejusdem capitis in Græco apparet, ubi inquit: Et qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum, sicut & ipse, (Christus nimirum), sanctus est; Et nostis, quia ipse (Christus nempe) apparuit, ut peccata nostra tolleret.

leret. Et, Qui facit justitiam, justus est, quemadmodum ipse, (Christus) justus est. 1.)

Notæ.

1.) *1. Jo. III. 16.* in plerisque codicibus non extat: *amorem Dei*, sed simpliciter, *amorem*, qualis autem amor sit, versus illico sequens, 17. docet, ubi summo consensu codicum vocatur *amor Dei*. At, cum ipsi Sociniani amorem Christi intelligant, v. 16. nec possint non intelligere, est enim ejus amor, *qui vitam pro nobis posuit*, v. 17. autem idem amor, *amor Dei* dicatur, sequetur Christum esse Deum. Negant quidem, si vel extaret vox Dei, v. 16. vocem ἐκεῖνος ad Deum referendam esse, posse enim ad remotius aliquod referri, quod se supra observasse perhibent. Videntur sibi quoque ter idem vidisse, hoc ipso *Capite*, *v. 3. 5, & 7.* Sed infeliciter omnia. Nam v. 3. & 5. ita palam est, vocem ἐκεῖνος ad αὐτὸς, quo Christus significatus fuerat, referri, cum propius nullum subjectum extet, ut præter Socinianos neminem putem ita cœcum, ut id non videat. v. 7. idem accidit, nisi quod vocula μηδεὶς præcesserat, ad quam absonum foret, τὸ ἐκεῖνος, referre. In his ergo, minutiis quidem, sed quæ ipsis magnæ res videntur, cum tam vehementer impingant hi homines, quantum ipsis tribuendum in rebus altioris indaginis?

126. Satisfecisti mihi. 1.) quoad nomina Jesu Christi: Exponi mihi velim testimonia, quæ facta & operationes re-

spiciant, quas Adversarii Christo à Scriptura attribui opinantur?

Ea sunt, in quibus illi existimant à Scriptura eidem attribui, quod cœlum & terram crearit: quod res omnes creatas conservet: quod eduxerit populum Israël ex Egypto; quod cum eo existens in deserto, eum deduxerit, eique benefecerit: quod ab Esaia gloria ipsius visa fuerit: quod incarnatus fuerit.

Notæ.

Itane videntur sibi satisfecisse argumentis nostris? quibus omnibus ita constricti tenentur, ut, cum nollent veritati cedere, ad absurdissima omnia delapsi sint. Tu vero Lector! mecum age gratias Deo, cujus beneficio de veritate convicti esse possumus.

127. *Expone igitur mihi, quibus testimoniis approbare contendunt, Christum cœlum & terram creasse?*

Iis, ubi scriptum extat, quod per eum omnia facta sint, & sine eo factum sit nihil, quod factum sit, Jo. I. ℣. 3. Et iterum. ℣. 10. Mundus per ipsum factus est. Et rursus, quod in eo omnia sint condita & ea, quæ in cœlis, & ea, quæ in terris, & visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive

ſive principatus, ſive poteſtates; omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt. Coloſſ. I. 16. Et, quod Deus per eum ſecula fecerit, Ebr. I. 2. Denique & ex eo: Tu in principio Domine! terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes, ut veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ebr. I. 10, 11. 12.

128. *Qui vero ad primum teſtimonium reſpondes?*

Primum, non habetur in primo teſtimonio, *creata* ſunt, verum, *facta* ſunt 1.) Deinde, ait Joannes, facta eſſe per eum; qui modus loquendi non eum, qui prima cauſſa ſit alicujus rei, verum cauſſam ſecundam, aut mediam, exprimit. 2.) Denique vox, *omnia*, non pro omnibus prorſus rebus hîc ſumitur, ſed ad ſubjectam materiam reſtringitur omnino. Quod frequentiſſimum eſt in literis divinis, præſertim Novi Teſtamenti, cujus rei exemplum ſingulare extat, 2. Cor. V. 17. in quo habetur ſermo de re, huic, de qua Joannes tractat, admodum ſimili, ubi dicitur, omnia nova facta eſſe, cum certum ſit multa extare, quæ nova facta non ſint. Cum vero ſubjecta apud Joannem materia ſit Evangelium, apparet, vocem *omnia*, de iis omnibus

bus, quæ quoquo modo ad Evangelium pertineant, accipi debere. 3.)

129. *Cur vero addidit Joannes, quod sine ipso factum est nihil, quod factum est?*

Addidit hæc Joannes, ut eo melius illustraret illa superiora; Omnia per ipsum facta sunt; quæ eam vim habere videntur, per solum verbum vel Filium Dei 4.) omnia illa facta esse, licet ejus generis quædam, & quidem magni momenti, non per ipsum, verum per Apostolos facta fuerint. Ut est vocatio gentium & legalium ceremoniarum abolitio. Licet enim hæc originem ab ipsis sermonibus & operibus Domini Jesu traxerint, ad effectum tamen non sunt perducta per ipsum Christum, sed per ipsius Apostolos, non tamen sine ipso: Apostoli enim omnia nomine & auctoritate ipsius administrarunt, ut etiam ipse Dominus ait: Sine me nihil facere potestis. Jo. XV. 5.

Notæ.

1.) De pulcherrimo & plane invicto testimonio *Joann: I. 1. 2. 3.* supra jam ita actum est, ut nihil videatur hic addendum. Docili saltem ingenio hæc sufficient, indocili & impudenti nihil. Absone excipiunt, non extare: omnia per ipsum *creata* sunt, verum, *facta* sunt. Quasi hæc duo vocabula differrent, nam & de prima rerum origine vox *fieri* & de mystica restauratione homi-

num.

tum vox *creari* passim occurrit. Verum daretisne victas manus Sociniani! si quis per Christum omnia *creata* esse demonstraret? Si neque tum movebimini, ubi aliquis docuerit locum, quid significat frigida exceptio, oportuisse extare: *creata sunt*? Si movet vos illud vocabulum; controversia caret illustris locus, *Apoc III. 14*: τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς καὶ ἀληθινὸς ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. *Hæc dicit Amen, testis ille fidelis & verax & initium creationis Dei.* De celebri loco *Prov. VIII.* qui sine dubio creationem primam exponit, nolo jam agere, nam responderi iis, quæ dicta jam sunt, nunquam poterit. Conferantur autem *Eph. II. 10. 15. IV. 24. Gal. VI. 15*, quibus locis idem verbum de creatione mystica habetur. Porro, *Ephes III. 9. Apocal. IV. 11.* ubi de Christo creatore rerum omnium palam sermo est. Ceterum γίνεσθαι apud *LXX.* est *creari. Gen. I. 3. 6. &c.*

2.) Solicitatur hic à Socinianis phrasis: *Per aliquem creari.* Nam caussam secundam ajunt significare, licet *Smalcius*, addita vocula, gemeiniglich, ipse suam regulam infringat. Memores tamen esse debebant, *Photinianos* se esse, non *Arrianos*. Itaque, si & daremus ipsis, quod hic volunt, si concederemus, quod quidem nunquam fiet, *per Christum creare*, esse Christo, tanquam instrumento creationis, uti; placeretne hoc Socinianis? Non arbitror, nam, cum negent Christum ante *Mariam* matrem fuisse, concedendum foret, extitisse in ipso exordio creationis, quod ipsis tamen blasphemum videtur. Sed parum considerant, quid dicant, modo dictum aliquid sit. Cum Socinianis ergo, qui hoc argumento non minus, quam nos ipsi ab Arrianis urgentur, hic plane nihil negotii nobis debebat esse. Arrianis vero sic respondemus; Falsum esse, quod de usu vocis διὰ perhibent;

hibent;

hibent; dispiciendum esse, utrum de caussa prima an secunda agatur; non ex hac vocula, quæ de utraque extat & satis frequenter usurpatur, sed è reliquo textu. Ita dubio caret, *caussam principalem* intelligi voce *διὰ*. *Rom. XI. 36. Gal.* I. *1. Ebr. II. 10. 2. Tim. I. 14.* &c. Rectius ergo hac observatiuncula abstinuissent. Vide quæ *num. 4.* dicentur.

3.) Unde vero fidem se facere posse sperant audacissimo asserto: *Evangelium* esse subjectam materiam *Joannis*, de hujus ergo initio, de hujus, & quæ ad illud pertinent, creatione agere? cum plane nihil habeant, cur verba omnia in alium sensum rapienda putent, quam qui naturalis est, indignum est postulare, sibi credi. Supra autem jam ostendi, quam nullo sensu hæc possint de *Evangelii initio* intelligi, quæ repetere nolo. Rem admodum similem ei, de qua hic *Joannes* agit, tractari ajunt, *2. Cor. V. 17.* quod non putasset, qui legit, quæ *nota 1.* excussimus. Videbantur Sociniani hoc maxime moveri, quod non, *creata sunt*, sed, *facta sunt*, extet. At hic *2. Cor. V. 17.* est Καινὴ κτίσις *nova creatio.* Hoc vero interest, ô Sociniani! immane discrimen, inter *Paulli* & *Joannis* loca, ut illum, quoniam explicat Deum per Christum homines secum reconciliasse, remissis eorum peccatis certum sit de *creatione secunda* agere; hunc, quia ad ipsum initium, de quo *Moses*, nos rejicit, & *omnia, quæ facta sunt*, per Christum facta narrat, non minus certum sit, de *creatione prima* loqui.

4.) Operæ pretium est, verbo observare, ipsos Socinianos nunc fateri, *per ipsum Christum* factum dici, quod proprie per Apostolos factum fuisset, quoniam hujus auctoritate discipuli omnia gessissent. Ubi nunc sunt illi Sociniani, qui paullo ante dixerant *caussam secundam* voce *διὰ* significari? Nam in iis, quæ Apostoli

aucto-

auctoritate supremi Magistri administrarunt, nemo dicet Christum caussam secundam esse. Recentiores addiderunt hic peculiarem quæstionem, quam & hic recitabo: Sic quærunt: „Quo vero fine addidit quod factum est? „An enim aliquid fieri potuit, quod factum non est? Re-„spondent vero: Ut doceret non omnia, quæ sint per „Sermonem hunc, qui Christus est, à Deo facta esse, „sed omnia quæ facta sint, per eum esse facta, evidenti „documento, non agere ipsum de creatione illa vetere „& prima, in qua omnia, quæ sunt, à Deo facta sint, „sed de nova, cujus respectu multa sunt, quæ facta non „sunt, quippe ad eam non pertinentia.„ O miserabilem sapientiam Socinianorum! Palam est *Joannem*, maxime universalem creatorem Christum esse, intelligi velle, ut plane nulla rerum omnium creatarum excipi possit. At hi homines, nescio qua vertigine correpti, *universalitatem* hic esse negant, quoniam per Christum facta *ea tantum* dicantur *omnia quæ facta sint.* Quasi quidquam præter creatorem & res ab ipso factas extet? In *veteri creatione*, inquiunt, *omnia quæ sunt*, *à Deo facta sunt.* Si cavillantur voce *sunt*, & volunt non tantum *facta omnia*, sed *entia omnia* in veteri creatione facta esse, nihil agunt, nam *ipse creator* certe *non est factus.* Quodsi autem, ut par est, *omnia quæ sunt*, Deo solo excluso, reliqua omnia complectantur, in aprico est, eodem sensu, *omnia quæ sunt*, & *omnia*, *quæ facta sunt*, dici. De *nova creatione* arbitrantur Joannem optime intelligi, hic enim non omnia, *quæ sunt*, sed tantum omnia, *quæ facta sunt* per Christum extare. Nugæ! utique multa tum *extiterunt*, quæ non debentur novæ creationi & Evangelio, v. g. *urbs Roma;* sed quid opus esset hæc excipere? Immo, non omnia quæ *facta* sunt, initio N. T. sive ad hoc pertineant, sive non pertineant, per Christum facta sunt. De illis, quibus cum regno

N. T.

N. T. nihil commune est; sub ea tempora factis, res per se clara est, non posse per Christum facta dici, nisi quatenus res bonas cum Patre & Spiritu S. etiam in secularibus negotiis juvat & ornat. Sed & aliqua, quæ discipuli Christi fecerunt, in regno N. T. quanquam à Christo, hujus jussu & auctoritate ac numine facta dicuntur merito, *per Christum* tamen facta esse incommodius dicuntur, at Patrem per Filium omnia olim creasse liquet.

---

130. Quid vero respondes ad secundum?

Primum, quod hîc non scribat Joannes, mundum esse creatum, sed factum; deinde eodem loquendi modo utitur, qui mediam caussam designet, ait enim mundum per eum factum. 1.) Denique, hæc vox mundus, quemadmodum & aliæ, quæ prorsus idem in Scripturis valent, non solum cœlum & terram denotant; verum præter alias significationes vel genus humanum designat, ut locus præsens ostendit, ubi ait: in mundo erat, & mundus eum non agnovit, *Joan. I.* 10. Et, mundus eum secutus est. 2.) *Joan. XII.* 19. Aut etiam futuram immortalitatem, ut apparet. *Ebr. I.* 6. ubi ait: Et, cum iterum introducit primogenitum in mundum ait: Et adorent eum, omnes angeli Dei. Quod de futuro mundo accipi apparet è cap. II. ejusdem Epistolæ, ubi ait: Etenim, non angelis subjecit mundum futurum, de quo loquimur.

At, nusquam de eo locutus fuerat, nisi v. 6. cap. I. 3) Præterea, habes locum, cap. X. 5. ubi de Christo loquens ait: Propterea ingrediens in mundum ait: Hostiam & oblationem noluisti, verum corpus aptasti mihi, ubi cum palam sit, eum loqui de mundo, in quem ingressus Jesus, Sacerdos noster factus est, (ut circumstantiæ omnes demonstrant) apparet non de præsenti, sed de futuro mundo agi, quandoquidem cap. VIII. 4. de Christo dixerat: Si in terris esset, ne Sacerdos quidem esset. 4.)

Notæ.

1.) Non puduit Socinianos frigidas ratiunculas de voce *creatum* & *per* repetere. At nos piget refutare denuo. Itaque pergimus.

2.) Mundus sane varia significat. Sed miror fateri adversarios hic *Joan. I. 10.* significare *genus humanum*. Nam si hoc verum est, non possunt, quin fateantur idem genus humanum per eundem Christum factum esse, à quo tamen (videlicet maximam partem) non sit agnitus.

3.) Hoc vero nunquam nobis persuadebunt, *futuram immortalitatem* vocabulo *mundus* significari. Quod omnium minime ea loca docent, quæ nobis ex Epistola ad Ebræos recitant. *Cap. I. 6.* est vox *οἰκουμένη*, quæ si acciperetur de *immortalitate*, ad vocem *κόσμος* nihil attineret. Verum magis absone & fere ridiculè vix quidquam dici poterat, quam hoc ipsum. Quis Græcus unquam usquam, *οἰκουμένην* dixit, cum vellet dicere *ἀθανασίαν*? Laudantur ab Apostolo aliqua *Psalmi XCVII.*

Hæc authenticus Interpres *Davidis* de Christo testatur dicta à Deo Patre, cum in mundum ab hominibus habitatum introduceret primogenitum hunc suum. Quid hic clarius, quam de tempore nati, item inaugurati ad munus suum Christi, intelligere? Tum sane hoc factum. Præsto aderant nascenti Christo sancti Angeli, præsto aderant, post baptisma Joannis, Christo Domino suo victori Satanæ; hunc adorarunt, huic ministrarunt. Et, quam pulchrè concinit ipsum exordium *Psalmi XCVII. Dominus regnat, exultet terra & gaudeant insulæ multæ.* Hoc regnum Christi, de quo gaudere jubentur insulæ, non in cœlis est, quamquam cœlestis naturæ & indolis; sed in his terris. Estque hoc ipsum gratiæ regnum, cujus nos hodie cives per Dei gratiam esse lætamur. In hoc ergo regno adorant Christum beati Angeli, conf. *Ephes. III. 10.* sed Sociniani, quoniam decreverunt, Christum post exaltationem demum adorationis gloriam accepisse, non habuisse ab æterno, malunt vocabulis affingere significationes alienissimas, quam fulgenti veritati cedere *Ebr. II. 5.* οἰκουμένη μέλλουσα non est regnum gloriæ, neque de hoc sermo fuerat Apostolo, potius de sermone Evangelii ab ipso Christo cœpto, ab Apostolis propagato, v. 3. sed est regnum gratiæ N. T. cujus Rex dominusque Christus est, ad cujus, non ad Angelorum voluntatem, dona gratiæ & Spiritus S. distribuuntur. Eadem οἰκουμένη est, *Ebr.* I. 6.

4.) Illustris locus, *Ebr. X. 5.* pessime hic habetur à Socinianis. Quoniam ipsis stat sententia, Christum sacerdotio fungi tum demum cœpisse, cum esset ad dextram Patris elevatus, ne verum illud sacrificium admittere cogantur, quod in cruce præstitum est: vexandæ & torquendæ sunt voces omnes. Jam κόσμος mundus non est, sed æternum gaudium; ἐρχόμενος εἰς κόσμον non est, quod verba volunt, in mundum, seu, ad homines

venit

venit incarnatus; sed: ingressus est æternam beatitudinem. Si legerint Sociniani *Psalmum XL*, unde Apostolus dictum laudavit, invenient, postquam Christus Patri suo v. 7. pollicitus esset obsequia & sacrificium corporis sui, idemque v. 8. & 9. explicasset, ulterius v. 10. promittere, se verbum in amplissimo cœtu, h. e. Hierosolymis in festis diebus, prædicaturum, spretis minis hostium v. 10. 11. afflictum autem iri & passurum dirissima, unde petit liberari, *v. 12. sequ.* Itaque sacrificium ejus non demum in cœlo, sed in terris oblatum fuerat, & mundus minime est status locusque beatorum: Quod afferunt ex *Ebr. VIII. 4.* nisi studio cavillari voluissent, certe omisissent: Nam, cum Apostolus negat; Christum, si in terris esset, si scil. Hierosolymis versaretur, Sacerdotem esse posse, quod utique ipsi è tribu *Judæ* oriundo concessum non fuisset lege Levitica, an ideo negavit sacrificium à Christo in terris præstitum esse, qui *Coloss. I. v. 20.* scripsit, pacem factam esse per sanguinem Crucis Christi, quam sanguinis fusionem in terris peractam esse, prudentis hominis non est inficiari.

131. *Quid vero per hæc:* Mundus per eum factus est, *intelligis?*

Duplex eorum sensus dari potest: Prior, quod genus humanum per Christum reformatum & quasi denuò factum sit, 1.) eo quod ille generi humano, quod perierat, & æternæ morti subjectum erat, vitam attulit, eamque sempiternam (quod etiam mundo Joannes exprobrat, qui per Christum ab interitu vindicatus, eum non agnoverit sed spreverit & rejecerit.)

rit.) Is enim mos hebraici sermonis, quod in ejusmodi loquendi modis, verba facere, creare, idem valeant, quod denuo facere & denuo creare; idque propterea, quod verbis, quæ composita vocant, ea lingua careat. 2.) Posterior vero sensus est: Quod illa immortalitas, quam exspectamus per Christum, quantum ad nos, facta sit. Quemadmodum eadem futurum seculum, habita ratione nostri, vocatur, licet jam Christo & Angelis sit præsens. 3.)

Notæ.

1.) Prior, quem vocant, sensus, nullus est. Κόσμος idem *non agnovit* Christum, hunc tu dices à Christo reformatum & quasi refectum esse? Itaque venit Christus εἰς τὰ ἴδια, v. 11. hoc est, à se creatos homines, verum οἱ ἴδιοι, non cives ecclesiæ N. T. sed homines ab ipso creati, & ii potissimum, qui hujus *Angeli fœderis* ductu olim ex *Egypto* educti fuerant, totque beneficiis donati non acceperunt eum, præter paucos, ob id ipsum beatos. Porro *Joannes* non dicit mundum *quasi denuo factum* per Christum, sed *factum;* ut miseris glossis nullus sit locus.

2.) Quæ de more ebraici sermonis nobis narrant Sociniani, nescio unde hauserint, Nusquam apud Ebræos *facere* dicitur, quem intelligi volunt, *refecisse, vel creasse*, quem volunt, intelligi, *denuo creasse* Pudeat homines vel imperitiæ, si persuadeant sibi ipsi rem ita habere, vel audaciæ & proterviæ, si data opera fraudem moliantur.

antur. Non desunt Ebræis rationes commode loquendi, cum volunt significare rem *denuo factam*, scite enim adhibent voculam שוב, quod iis, qui ebraice docti sunt, vel videri volunt, ignorare dedecori est. vid. *Gen.* XXX. 31. *Deut.* XXX, 8. 1. *Reg.* XIII. 17. 2. *Chron.* X.X. 4. aliaque loca similia quam plurima. Ebræos carere verbis *compositis* præclare novimus, sed, qui inde nescio quam obscuritatem colligere audent, ut pro *simplici verbo composita* omnia substituere licere credant, illi mihi videntur non multum versasse Sacrum codicem.

3.) Nec alter sensus, quem commenti sunt Sociniani, quidquam habet verisimilitudinis. Immortalitatem, per Christum nobis paratam, posse *mundum* a Christo factum dici. Immo non potest dici. Non repeto, quæ paullo ante dixisse sufficit, *κόσμος* nusquam ab ullo autore dici vitam æternam, nec posse ita, si quidem intelligi velis, vocari, nisi volupe sit novam linguam comminisci. Et hic ille mundus est, in quem Christus venit, nec receptus est. Quis vero est in vita æterna, qui Christum non receperit?

130. Quid ad tertium?

Præter id, quod & hoc testimonium loquatur de Christo, tanquam media & secunda caussa; 1.) verbum, creata sunt, non solum de vetere sed etiam de nova creatione in Scriptura usurpari constat, cujus rei exempla habes, Ephes. II. 10. Ipsius factura sumus, creati in Christo JEsu, in operibus bonis. Et paullo inferius v. 15. Ut duos condat in semet ipso in unum novum hominem, & Jacob. I. 18.

Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod ejus creaturæ. 2.) Præterea ea verba, omnia in cœlis & in terra, non usurpari pro omnibus prorsus, apparet non solum ex verbis paullo inferius subjectis ℣. 20. ubi Apostolus ait, quod per eum reconciliata sint omnia in coelis & in terra; verum etiam ex iis ipsis verbis, in quibus Apostolus non ait coelum & terram creata esse; verum ea omnia, quæ in cœlis & in terra sunt. 3.)

133. Qui vero istud testimonium intelligis?

Ad eum modum, quod per Christum omnia, quæ sunt in cœlis & in terra, postquam eum Deus à mortuis excitavit, reformata sint, & in alium statum & conditionem translata: Id vero, cum Deus & Angelis 4.) & hominibus Christum caput dederit, qui antea tantum Deum solum pro Domino agnoverunt.

Notæ.

1.) Christum esse tantum mediam & secundam caussam refutavimus supra, quamquam præclaro nostro loco, *Coloss. I. 16.* ea responsione non est opus, cum vox διὰ hic non extet, sed, ἐν αὐτῷ quæ ita Patrem in Christo & per Christum operatum docent, ut par sit utriusque potentia, eadem operatio. Nam, quemadmodum hic v. 17. de Christo extat: Πάντα ἐν αὐτῷ συνέστη-

κε

xiv. Ita *Act. XVII, 28.* extat de Deo: ἐν αὐτῷ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμεν.

2.) Constat sane vocem *creare* de nova creatione in Scriptura usurpari, sed, si hoc ipsum & merito quidem, observant Sociniani, non decuit eosdem, quod supra notavimus, inter *factum* & *creatum* esse, discrimen comminisci, quasi agnituri essent, de creatione hujus universi agi, si non esset: *facta sunt*; sed extaret: *creata sunt*. Ceterum hic palam est, de creatione spirituali seu regeneratione non agi. Quæ ad *homines*, non ad *angelos*, pertinet, in terris fit, non in cœlis. Boni angeli cum non defecerint, cum labe careant, quid opus habent regeneratione seu nova creatione? Malis vero ea felicitas nunquam obtinget v. 18. demum venit Apostolus ad ecclesiam, quam nova creatione sibi Christus constituit; de prima illa & antiqua actum est *v. 15. 16. 17.* Postulabat & scopus *Paulli* ostendere, quantus esset illi Christus, cui servire nos decet, v. 10. nempe grato animo agnoscendum, nos participes factos regni Christi, 12, 13. per quem remissio peccatorum nobis obtingat, qui, cum sit antiquitus creator excellentissimarum rerum omnium, angelorum omnium, quocunque gradu præfulgeant, & ante ullam creationem è Patris essentia genitus *v. 15. 16.* idem quoque caput est corporis sui h. e. ecclesiæ: v. 18. quo commate hoc etiam observandum duxi, verba: ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, manifeste ad duplicem hanc creationem referenda esse. Principium est illius *creationis Physicæ*, principium etiam hujus *creationis mysticæ*. Creata autem esse à Christo & per Christum omnia, in antiquissima ecclesia, non magis quam in nostra, dubitatum est. Ita extant: ἐκ τῶν θεολογίας καὶ τῆς Ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας κατὰ τὸν

 Quan-

Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαί, h. e. *excerpta è Theodoti libris & sic dicta doctrina orientali temporibus Valentini*, inter opera *Clement. Alexandr.* Hinc pag. 792. hæc describo: Καὶ ἔτι σαφέστερον, καὶ διαῤῥήδην ἐν ἄλλοις λέγει. ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου. Εἶτα ἐπιφέρει. Πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Ἀοράτου μὲν γὰρ Θεοῦ εἰκόνα τὸν λόγον τοῦ λόγου, τοῦ ἐν ταυτότητι, πρωτότοκον δὲ πάσης κτίσεως. γεννηθεὶς ἀπαθῶς κτίστης καὶ γενεσιάρχης τῆς ὅλης ἐγένετο κτίσεως τε καὶ οὐσίας. Ἐν αὐτῷ γὰρ ὁ πατὴρ τὰ πάντα ἐποίησεν. *Et clarius etiam, magisque diserte alibi dicit: Qui est imago Dei invisibilis. Tum subjicit: Primogenitus omnis creaturæ* (seu potius: *genitus ante omnem creationem*) *Invisibilis enim Dei vocat imaginem, verbum verbi in unitate conjunctissimi; genitum vero ante creationem; Genitus est enim sine passione, creator & naturæ auctor creaturarum & substantiarum omnium; Nam in ipso Pater omnia fecit.* Hæc, inquam, abunde docent, quomodo nostrum locum veteres acceperint, quamquam in eo libello excerptorum, non omnia sana, obscuriora etiam multa esse, *Sylburgius* bene observavit. Non ingratum erit hic quoque legisse *Ruffini* verba, qui quidem post *Synodum Nicænam* vixit, qualium auctorum testimonia Sociniani aspernari solent, sed ideo huc pertinet, quoniam diserte *orientalium ecclesiarum fidem* se explicare protestatur. Igitur *Ruffinus, Exposit. in Symbol. Apost.* quæ cum *Cypriano* edi solet *p. m.* 545. „Omnipotens autem ab eo dicitur, quod omnium „teneat potentatum. Tenet autem omnia Pater per Fili„um, sicut & Apostolus dicit: Quia autem per ipsum „creata sunt omnia, visibilia & invisibilia, sive throni, „sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Et „iterum ad Ebræos scribens dicit: Quia per ipsum se„cula

„cula instituit Pater, & ipsum constituit universorum „hæredem, *constituit* autem quod ait, *genuit* intelligitur. „Quod si per ipsum secula instituit Pater, & per ipsum „creata sunt omnia, & ipse est hæres omnium per ipsum, „ergo & potentatum omnium tenet. Quia, sicut lux „de luce & veritas de veritate, ita & de omnipotente „omnipotens natus est.„ Quoniam *Clementis Alexandrini* modo injecta est mentio, age & hujus aliqua videamus. *Admonitione ad Gentes p. 4.* Cum de *Davide* locutus esset, pergit *Clemens:* ὁ δὲ ἐκ Δαβὶδ καὶ πρὸ αὐτοῦ, ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, λύραν μὲν καὶ κιθάραν, τὰ ἄψυχα ὄργανα ὑπεριδὼν, κόσμον δὲ τόνδε καὶ δὴ καὶ τὸν σμικρὸν κόσμον τὸν ἄνθρωπον, ψυχήν τε καὶ σῶμα αὐτοῦ ἁγίῳ πνεύματι ἁρμοσάμενος ψάλλει τῷ Θεῷ, κ. τ. λ. „Qui autem ex Davide ortus est, & ante eum fuit, „Dei verbum lyram quidem & cytharam, instrumenta „inanima despiciens, cum hunc mundum, atque etiam „parvum mundum, nempe hominem, ejusque & ani„mam & corpus Sancto Spiritu concinnasset, psallit Deo, „&c.„ Ejusdem *Clementis p. 6.* hæc sunt pulcherrima verba: Τοῦτό ἐστι τὸ ἆσμα τὸ καινὸν ἡ ἐπιφάνεια ἡ νῦν ἐκλάμψασα ἐν ἡμῖν τοῦ ἐν ἀρχῇ ὄντος, καὶ προόντος λόγου. Ἐπεφάνη δὲ ἔναγχος ὁ προὼν σωτήρ. Ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν. ὅτι ὁ λόγος, ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, διδάσκαλος, ἐπεφάνη ᾧ τὰ πάντα δεδημιούργηται. Λόγος ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μετὰ τοῦ πλάσαι παρασχὼν ὡς δημιουργὸς, τὸ εὖ ζῆν ἐδίδαξεν ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς Θεὸς χορηγήσῃ. ὁ δὲ οὐ νῦν γε πρῶτον ᾠκτείρεν ἡμᾶς τῆς πλάνης ἀλλ' ἄνωθεν ἀρχῆθεν, νῦν δὲ ἤδη ἀπολλυμένους, ἐπιφανεὶς περιέσωσε. „Hoc est „canticum novum: adventus, qui nunc refulsit in nobis,

„verbi, quod erat in principio, & prius fuit, apparuit „autem nuper, qui prius erat, Servator. Apparuit, „qui est, in eo, qui est, quoniam verbum, quod erat „apud Deum, Doctor apparuit, per quod omnia sunt „fabricata. Verbum, quod cum olim vitam in creatione, ut „opifex dedisset, postquam tanquam magister se manife-„stavit, bene vivere docuit, ut æternam vitam postea, „ut Deus, suppeditaret: Ille autem, non nunc quidem „primum misertus est nostri erroris, sed ab ipso retro „principio: nunc autem, cum jam periremus, manife-„status conservavit.„ Idem *Clemens Pædagogi libro. I. cap. VIII. p. 113.* Ταύτῃ γοῦν ἄριστος καὶ ἀνεπίληπτος ἐστὶν ὁ παιδαγωγὸς ὁ κύριος τοῦ ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων διὰ ὑπερβολὴν φιλανθρωπίας συμπαθήσας φύσει. οὐ γὰρ οὐδὲν ὅ μισεῖ ὁ κύριος. οὐ γὰρ δήπου μισεῖ μέν τι, βούλεται δὲ αὐτὸ εἶναι, ὃ μισεῖ. Οὐδὲ βούλεται μέν τι μὴ εἶναι, αἴτιος δὲ γίνεται τοῦ εἶναι αὐτὸ ὃ βούλεται μὴ εἶναι. οὐδὲ μὴν οὐ βούλεται μέν τι μὴ εἶναι. Τὸ δὲ ἐστίν. Εἴ τι ἄρα μισεῖ ὁ λόγος, βούλεται αὐτὸ μὴ εἶναι. οὐδὲν δὲ ἐστιν, οὗ μὴ τὴν αἰτίαν τοῦ εἶναι ὁ Θεὸς παρέχεται. οὐδὲν ἄρα μισεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ᾽ οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου, ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ Θεός. ὅτι εἴπεν, ἐν ἀρχῇ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ Θεῷ καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Εἰ δὲ οὐ μισεῖ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γενομένων οὐδὲν, λείπεται φιλεῖν αὐτό. Πολὺ δὴ πλέον τῶν ἄλλων ἀγαπήσει τὸν ἄνθρωπον, εἰκότως, τὸ κάλλιστον τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ δημιουργηθέντων, καὶ φιλόθεον ζῶον. „Ea ergo ratione optimus & nulli reprehensioni obno-„xius Pædagogus est Dominus, qui propter insignem „benignitatem & clementiam cum uniuscuiusque homi-„nis natura quasi compatitur. Nihil enim est, quod „odio habet Dominus. Non enim aliquid ita odisse „potest, ut simul velit esse, quod odit. Neque vero

„vult

„vult aliquid non esse, ut tamen caussa simul sit, ut id, „quod non vult, existat. Si quid ergo odio habet ver- „bum, id vult non esse. Nihil est autem, cujus non „caussam Deus, cur sit, præbeat. Nihil ergo odio ha- „bet Deus. Sed neque verbum; utrumque enim unum est, „nempe Deus. Dixit enim: *In principio erat verbum.* „Quod si nihil odio habet eorum, quæ ab ipso facta sunt, „restat, ut id diligat. Longe autem plus, quam alia, „merito hominem diliget, qui est pulcherrimum animal „eorum, quæ ab ipso effecta sunt, pietateque ac religio- „ne præditum.„ *Justini Martyris*, cujus pleraque huc pertineant, unum locum huc describam. Dialog. cum Tryph. Opp. p. 285. *E. Ἀλλὰ τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ πατρὸς προβληθὲν γέννημα, πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ, ὡς ὁ λόγος διὰ τοῦ Σολομῶνος ἐδήλωσεν, ὅτι καὶ ἀρχὴ πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων τοῦτ' αὐτὸ καὶ γέννημα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐγεγέννητο, ὃ σοφία διὰ Σολομῶνος καλεῖται.* „Verum hæc ipsa à patre revera edita progenies, ante crea- „turas omnes, una cum Patre fuit, & cum ea Pater col- „loquitur; prout verbum per Salomonem declaravit, prin- „cipium, ante creaturas omnes, hanc ipsam progeniem à „Deo genitam esse, quæ sapientia à Salomone vocatur. &c.„ Quis ex his locis non videt, cum quæ fuerit *Patrum Ante-Nicænorum* sententia de Christi æternitate, tum de creatione ab ipso facta; denique, quam sine ratione Sociniani per *Nicænos Patres* nostram sanctissimam fidem demum invaluisse, criminentur?

3.) Sine ratione hic discrimen fingunt inter *creationem cœli & terræ & creationem eorum, quæ in cœlo & terra sunt.* Commode his b. *Balduinus* jam opposuit hæc *Ensedini*, Sociniani hominis, verba: *Si quis forte insistat, ac dicat, hic non cœlum & terram dici creata esse, sed*

ea, quæ in cœlo & terra sunt, respondeo, nihil referre, utrovis modo loquatur Scriptura, sensum esse eundem. Recte hæc *Enjedinus.* Nam cœlum & terra non seorsum, sed cum exercitu suo, h. e. omnibus, quæ in illis sunt, intra hexemeron condita sunt. Vid: *Gen. II. 1. Psalm. XXXIII. 6. Apoc. X. 6.*

4.) Angelorum *Caput*, nescio an commodè Christus dicatur, ita saltem, ut hominum, Ecclesiæ nempe suæ, caput est, non præest Angelis. Cæterum *Dominus* eorum semper fuit, adoratusque ab iisdem, non tum demum, cum ad dextram Patris consedit, sed & in ipsa incarnatione seu ingressu in mundum, ut paullo superius è *Psalmo XCVII.* observatum est.

134. Qui respondes ad quartum testimonium?

Eo pacto, quod hîc palam scriptum sit, non Christum fecisse; sed Deum per Christum fecisse secula. 1.) Vocem vero secula, non solum præsentia & præterita; verum etiam futura significare posse, in confesso est. 2.) Hîc vero de futuris agi id demonstrat, quod idem auctor affirmet, per eum, quem hæredem universorum constituerit Deus, etiam secula esse condita. Nam Jesus Nazarenus non prius constitutus hæres universorum fuit, quam eum Deus ex mortuis excitavit. Quod hinc patet, quod tum demum omnis potestas in cœlo, & in terra eidem data à Patre fuerit, cujus potestatis donatione, & non alia re, ista universorum hæreditas continetur. 3.)

Nota.

Notæ.

1.) De vocabulo *secula* mentem nostram exposuimus dissertatione singulari. Itaque & hoc loco. *Ebr. I.* intelligo, *secula regni gratiæ* (salva quidem dissentientium, si rectiora docere possint, auctoritate) quorum seculorum omnium auctor directorque Christus est, adeoque non demum, cum è Virgine homo nasceretur, ortus. Sed creatorem mundi hujus aspectabilis eundem Christum esse, poterant Sociniani è v. 10. discere, ubi *Psalmi CII.* verba, minime ambigua, ab authentico Interprete, Apostolo, de Christo explicantur. Nam, cum in Psalmo Christi passuri preces ad Patrem v. 25. recitatæ essent, priori hemistychio: *Noli me tollere in medio dierum meorum;* respondet Pater altero hemistichio: *In secula seculorum anni tui;* pergit *v. 26. Tu olim terram fundasti, opus manuum tuarum cæli sunt, quæ tametsi aliquando peritura sunt, tu tamen manebis.* Ita, eleganter, ut mihi quidem videtur, venerandus *Zeltnerus* nostra verba exposuit. Quodsi autem cum plerisque omnibus Interpretibus de *Davide* accipere malis, qui vivendo attingere posse adventum Christi optasset, hoc saltem certum est, compellari Christum, nam explicatio Apostoli de Christo non fallit. His vero positis, nec ullo modo evertendis, nihil prodest Socinianis observatiuncula, *per Christum* secula facta esse, non *a Christo;* quasi hæ duæ locutiones non possent simul consistere. *Psalmus* certe *terram à Christo fundatam*, claris verbis testatur.

2.) Immo *αἰῶνες*, seu secula regni gratiæ V. T. in quibus subinde aliqua mutata sunt, cum mox circumcisio, mox Sacra Levitica, &c. ad fœdus gratiæ, per se unum idemque, accederent: illa inquam secula, tempore scriptæ hujus Epistolæ, jam fuerant elapsa; itaque de futu-

futuris accipi non possunt. Nam in Novo Testamento non sunt varii αἰῶνες. Sed, cùm fœdus gratiæ nullum aliud Schema novum accepturum sit, totum N. T. *Joanni* Apostolo est *novissima hora.*

3.) Falsissimum est Christo potestatem omnem demum postquam à mortuis excitatus esset, datam, quamquam verba *Matth. XXVIII. 18.* post resurrectionem dicta sunt. Nam, ut de *Psalmo II.* nunc nihil repetamus, constat Christum *Jo. XVII. 10.* ante passionem dixisse: *Omnia tua mea sunt.* Recte & hoc *b. Balduinus* observavit, quoniam *filiatio & hereditas* separari nequeunt, Christus autem, *Luc I. 32.* ab utero matris Filius Altissimi est, dicendum quoque esse heredem. Quodsi quis de *plenario usu majestatis secundum humanam naturam* loquatur, nos non refragamur, id demum factum in sessione ad dextram Patris.

Antequam pergamus ad argumentum quintum, necesse video, ea quæ recentiores ad Catechesin suam adjecerunt, quibusque conati sunt argumentis nostris, tertio & quarto, respondere, excutere. *M. R.* sive *Martinus Ruarus* ita disputat: „Locum hunc ad *Colossenses*, de „nova creatione intelligi, tribus argumentis probari po„test, quorum primum est, quod hic ratio afferatur, „cur Christus appelletur omnis creaturæ primogenitus; „cum autem primogenitus sit ex numero eorum, quo„rum dicitur primogenitus, Christus utique ratione „veteris creationis primus inter creaturas intelligi ne„quit, cum ab Adamo usque ad ipsum multæ genera„tiones intercesserint: Sic igitur respectu novæ dicitur, „quæ ab ipso cœpit, & ad hanc ratio hic est accommo„data. Alterum est, quod per ipsum creata hic dicun„tur non cœlum & terra, & quæ in iis sunt, prout alibi „fere fit, cum vetus creatura describitur, sed solæ na„turæ rationales, utpote solæ novæ creationis capaces.

„Ter-

„Tertio ipsa recensio per ipsum creatorum satis osten-„dit, de nova creatione sermonem esse; Nam in cœlo „quidem angeli ab ipso creati dicuntur, sed sub nomi-„nibus thronorum, dominatuum, principatuum, & po-„testatum, quæ sunt non existentiæ simplicis, sed di-„gnitatum nomina, quibus eos Dominus exornavit, „prout Regem, Principem, Consulem creari dicimus, „non cum nascitur, sed cum talis designatur. Quæ „item in terris creatio, quomodoque ab ipso instituta sit, „ostendit v. 18. ubi de sola ipsius Ecclesia fit mentio. „Quin & *v. 19. & 20.* eadem hæc nova creatio Christo „adstruitur ex eo, quod per ipsum Deus omnia inhabi-„tet, omniaque reconciliaverit, pace, inter ea, quæ „sunt in cœlis, & quæ sunt in terris, facta; nec enim ad „veterem creationem referri possunt. Confer huic locum „parallelum *Ephes. I. 10* Non abs re foret, has ratio-„nes ad adstruendum verum hujus loci sensum ordine „recenseri.„ Nihil idonei est in tota hac disputatione. Nam prima ratio nulla est, *rationem hic afferri, cur Christus appelletur omnis creaturæ primogenitus:* Tripliciter peccat *Ruarus* primo non intelligit verborum obvium & planum sensum: *Christum esse genitum ante omnem creationem;* Deinde perperam ait, Christum, qui primogenitus sit, necesse esse è numero eorum, quorum dicatur primogenitus, in veteri creatione autem non posse esse primogenitum, cum post multas demum generationes natus sit: *Primogenitus* non potest dici respectu creatarum rerum, nam hæ non sunt *genitæ*, sed *creatæ*, itaque colligendum est, non esse Christum è rerum creatarum numero, quoniam ipse non est *creatus*, sed *genitus*. Denique perspici non potest, cur Christum appellet aliquem ex eorum numero, qui secunda creatione creati, h. e. regeniti sunt. Neque enim Christus, secundum ipsos Socinianos, peccatis unquam pollutus fuit, ut reparari regenerarique necesse haberet.

Ut

Ut adeo Arriani multo majori ſpecie, ſed & ipſi non ſolidè, diſputent, Chriſtum eſſe nobiliſſimam rerum antiquitus creatarum, nam ad alteram creationem in regno gratiæ referri, manifeſte abſurdum eſt. Alterum *Ruari* argumentum magis etiam frivolum eſt, & à nobis jam ad ſuperiorem quæſtionem in *Racovienſibus* refutatum; *non dici cœlum & terram eſſe per ipſum creata, & quæ in iis ſunt, ſed ſolas naturas rationales.* Mens videtur fugere *Ruarum*. Quid enim obſecro reliquum erit, quod non ſit per Chriſtum creatum, ſi ὁρατὰ καὶ ἀόρατα *viſibilia & inviſibilia* demantur. Daturne aliquid, quod nec viſibile ſit, nec inviſibile? Sed omnem abſurditatem excedit argumentum tertium, quod quidem optimum eſt pro contraria ſententia, nam, cum angelorum quoque creatio tribuatur Chriſto, ad illos vero reparata generi humano ſalus non pertineat, liquet primam creationem intelligendam eſſe. Inficetum eſt commentum, *creatos à Chriſto angelos, ſub nomine thronorum, dominatuum*, &c. Quod refutabo *Jonæ Schlichtingii* verbis, in recentiore Catecheſi exhibitis, qui *Ruaro* ſic reſpondet: „ Equidem & ipſe utile puto, „rationes iſtas hic recenſeri: Niſi quod in tertia ratione „dignitatum iſta nomina poſita videantur, non, ut ſigni„ficetur, Chriſtum dignitates iſtas Angelis contuliſſe: „Unde enim hoc conſtat? „ Hæc recte *Schlichtingius*, nam non modo non conſtat, per Chriſtum eos ordines angelorum demum factos, ſed conſtat contrarium. Sunt & in cacodæmonibus ordines, quos qui dixerit per Chriſti adventum factos, riſu dignus eſt, & *Michael* apud *Danielem unus primariorum principum* ante natum è Virgine Chriſtum dictus eſt. Sed quæ *Schlichtingius* idem ſubjicit, non ſunt melioris commatis, quam ipſius *Ruari*: „ Sed, ut doceatur, neque ſummos ac præci„puos Angelorum creationi per Chriſtum factæ exem-

tos

„tee esse, quatenus & ipsi Christum pro suo capite te-„nentur agnoscere. In *ἀνακεφαλαιώσει* omnium in Christo, creatio ista præcipuè consistit. *Ephes.* I. *10.* Unde vero hæc probaturus erat *Schlichtingius*? Quis *ἀνακεφαλαίωσιν* dicet esse *creationem*? Et quid ad angelos munus Christi mediatorium? quorum pars non impetrat, pars non desiderat conciliationem cum Deo; Itaque Christus *Dominus* quidem est Angelorum (qui adeo ei ministrarunt, sed non sibi, verum hominibus, natum nunciarunt) imperio cum Patre & Spiritu Sancto communi, immo etiam ut homini ob communicationem divinæ gloriæ subjecti sunt Angelorum Chori, *Ephes.* I *20. 21.* Sed *caput* Angelorum tanquam corporis alicujus mystici, nusquam dicitur, potius v. 22. Ecclesiæ solius caput appellatur. Qui in cœlis sub uno capite Christo dicuntur, non sunt Angeli, sed Ecclesiæ triumphantis cives, quibus subinde usque ad diem extremum, nova, militantis Ecclesiæ adhuc, membra, aggregantur. *A. W.* annotavit, creationem hanc, per Christum ut hominem factam esse, agnovisse *Athanasium*, *Cyrillum*, *Fulgentium*, item *Salmeronem*; *Ariam montanum*, &c. *B. W.* autem ait *Procopium Gazeum in Genes. I.* hunc locum ad *Coloss. I.* sic interpretari: *Omnia per illum condita sunt, sive, quæ in terra sunt, sive quæ in cœlis: id est renovata, & in integrum restituta*, &c. Longum esset impudentiam hominis per singula Patrum Scripta eundo refellere. Eorum tamen qui primo ultimoque loco solicitati sunt, h. e. *Athanasii* & *Procopii*, aliam mentem fuisse, quàm perhibet Socinianus, operæ pretium erit ostendisse. *Athanasius* ergo, *libro in illud: Omnia mihi tradita sunt*, &c. *Tom. I. opp. p. 151.* sic scripsit: Ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ δι' αὐτοῦ γέγονεν εἰς τὸ εἶναι, ὕστερον δὲ πεσόντων πάντων, γέγονεν ὁ λόγος σάρξ, καὶ ἐνεδύσατο αὐτήν, ἵνα ἐν αὐτῷ τὰ ὅλα κατορθωθῇ.

ἔπασχον γὰρ αὐτὸς ἡμᾶς ἀνέλαβε καὶ πεινῶν αὐτὸς ἡμᾶς ἔτρεφε, καὶ εἰς τὸν ἅδην καταβαίνων ἡμᾶς ἀνέφερε. Τότε γὰρ γινομένων πάντων πρόσταγμα ἦν τὸ γενέσθαι, οἷον τὸ, ἐξαγαγέτω καὶ γενέσθω. Ἐπὶ δὲ τῇ διορθώσει παραδοθῆναι πάντα, ἔπρεπεν, ἵνα αὐτὸς γένηται ἄνθρωπος, καὶ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἀνακαινισθῇ, κ. τ. λ. ,,In principio enim creata sunt per eum, ,,ut essent: Postea vero lapsis omnibus, verbum caro ,,factum est, & carnem induit, ut in eo omnia instau,,rarentur. Ipse enim patiendo, nos refocillavit: & esu,,riendo, aluit: & ad inferos descendendo, extulit. ,,Tunc igitur, rebus omnibus creatis, præceptum da,,tum est, ut fierent: Quale illud est, *Producat*. & ,,*Fiat*. Ad emendationem autem tradi illa omnia, de,,cuit, ut homo fieret, & in ipso omnia renovaren,,tur:,, Nemo non videt sanctum virum incarnationem verbi post creationem omnium, ab eodem verbo factam, ponere. Quorsum pertinet, quod idem humanitatem Christi κτίσιν, seu creatam passim pronunciat, quam rem, si posset cuiquam dubia esse, laudatis ipsius verbis demonstrarem. Ceterum eandem personam, quæ humanam naturam nunc secum conjunxit, h. e. Christum hominem esse creatorem rerum omnium, sed non secundum humanitatem consideratum, neque *Athanasius* dubitavit, neque nos dubitamus hodie. *Procopii* autem *Gazæi*, viri *Seculo sexto* celeberrimi, locus, in quem digitum intendit *Wissovvatius*, extat in *Commentario in Octateuchum*, Latine primum edito, *Tiguri* · · 1 5 p 39. ,,Ceterum per Christi Domini nostri incarnationem re,,staurata est, immo ad meliorem, quam prius erat ,,conditionem reducta. Nam ea ex re patuit nos præ,,latos esse cunctis creaturis. Nostram enim naturam si,,bi univit, veramque vivendi rationem præscripsit, noe-

que

„quæ mortales plane immortales constituit, mortis ty-„rannide penitus sublata; - Etiam *Paulli* citant: Omnia „per illum condita sunt, sive, quæ in terra sunt, sive „quæ in cœlis, i. e. renovata,& in integrum restituta.„ Vides *Procopium* non suam, sed aliorum explicationem laudare. Ad quartum argumentum. *B. W.* observari vult commode posse exponi *Ebr. I. 2. Propter quem fecit mundum* posse enim *διὰ* cum *genitivo* quoque significare, *propter*. Nos, cum non simpliciter negemus *διὰ* alicubi cum *genitivo* significare propter, de voce *αἰῶνας* autem sententiam jam dixerimus, non arbitramur necesse, in his morari.

135. *Ad quintum quid respondes?*

Ad id testimonium id respondeo: Quod non de Christo, verum de Deo accipiendum sit. Quia vero idem Scriptor illud ad Filium Dei referat, expendendum est, sermonem in testimonio non de una re, sed de duabus potissimum haberi expresse. Vna est cœli & terræ creatio, altera rerum creatarum abolitio. 1.) Quod vero is auctor priorem ad Christum non referat, hinc perspicuum est, quod in eo capite præstantiam Christi demonstrare sibi proposuerit, non eam, quam à seipso habeat; verum eam, quam hereditavit, & qua præstantior Angelis effectus sit, ut è ℣. 4. cuivis planum est. 2.) Cujus generis præstantia creatio cœli & terræ cum non sit; nec

esse possit, apparet manifeste, non in eum finem testimonium ab eo scriptore allatum, ut Christum creasse coelum & terram probaret. 3.) Cum igitur prior ad Christum referri nequeat, apparet, posteriorem tantum ad eam referendam esse: Id vero propterea, quod Deus coelum & terram per eum aboliturus sit, tum, cum judicium extremum per eum est executurus. Quo quidem tantopere præstantia Christi præ Angelis conspicua futura est, ut ipsi Angeli sint ei ipsa in re ministraturi. Quæ posterior oratio, cum sine verbis superioribus, in quibus fit cœli terræque mentio, intelligi non potuerit, cum sit cum eis per vocem, ipsi, conjuncta, & eadem illa verba priora idem auctor commemorare necesse habuit. Nam, si alii Scriptores Sacri ad eum modum citant testimonia Scripturæ, nulla adacti necessitate, multo magis huic necessitate compulso id faciendum fuit.

136. Ubi vero Scriptores Sacri id fecerunt?

Inter alia multa testimonia habes, Matth. XII. 18, 19. 20, 21. 4.) ubi nimis apertum est, versiculum 19. tantum ad propositum Evangelistæ Matthæi pertinere, cum id voluerit probare, cur Christus, ne palam fieret, interdiceret. Deinde, Act. II. 17, 18, 19. 20. 21. Ubi etiam tantum versus 17, & 18. ad pro-

propositum Petri Apostoli facit: quod quidem est, ut Spiritum Sanctum esse effusum supra discipulos doceat, & ibid. ℣. 25, 26. 27, 28. ubi palam est, versum tantum 27. ad propositum facere. 5.) Quandoquidem id approbet Apostolus, Christum à morte detineri fuisse impossibile. Denique in hoc ipso capite, ℣. 9. ubi verba hæc: Dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem, apparet nihil pertinere ad rem, quam probat Apostolus, quæ est; Christum præstantiorem factum Angelis. 6.)

Notæ.

1.) Locus Psalmi clarus perspicuusque intactus mansit Socinianis. Itaque pro certo ponimus, eum, de quo agit *Psalm. CII. 26.* esse creatorem mundi, verumque adeo Deum. Restat videre, an is sit Christus Dominus noster? Apostolus, *Ebr. I.* cum *v. 8,* & *9.* ad filium dicta esse, quæ *Psalm. XLV. 6, 7.* legimus, observasset, addit v. 10. καὶ σὺ κατ᾽ ἀρχὰς κύριε &c. Ergo & hæc, quæ nunc è *Psalmo CII.* mutuo petit, pariter ad Christum pertinent. Hic non putes in hominem cadere, qui non velit impudentissimus haberi, negare, quod palam ait Apostolus. At nostri tamen Sociniani inventi sunt, qui miris artibus id sibi invenisse arbitrantur, ut possint negare eade Christo ab Apostolo dici. De duabus, inquiunt, rebus, in hoc testimonio agitur, de *creatione* primum, tum & *abolitione*, alterum ad Christum, alterum ad Deum referendum. Quibus ego in præsenti non hoc respondebo, falsum esse, quod

 de

quod de *duabus rebus* habent; esse potius *unam rem*, quam Psalmi testimonio Apostolus probat, *aeternitatem Christi*, quae hoc ipsum postulat, ut & ante rerum originem fuerit, &, cum finis rebus imponetur, sive penitus aboleantur & esse desinant, sive vehementissime mutentur; ipse superet. Hoc quaero, possitne, si de duabus rebus agatur Apostolo, ulla specie negari, ad eundem utramque illam rem pertinere? Res sane docet, & clarius etiam constructionis ratio, utramque rem unius ejusdemque auctoris esse. Est enim non minus infinitae potentiae res abolere mundum & destruere, quam creare. Is vero, quem compellari vidimus v. 10. certissime idem est, qui compellatur v. 12. Nihil ergo certius, quam utrobique compellari eundem, quare, si creatio hic Christo non tribuitur; nec tribuetur abolitio mundi, itaque plane non pertinet ad Christum tota pericope è Psalmo; Quod puduit, ut videtur, Socinianos dicere. Si pertinet ad Christum abolitio mundi, sane reliquum est fateri, eundem & auctorem esse mundi. Hinc profecto *Socini*, versipellis licet & astuti hominis, calliditas expedire se nulla arte poterit. Vidit Catecheseos auctor hoc telum, sed declinare non potuit. Vidit, inquam, si creatio mundi, hic Patri tribuatur, jam ejusdem etiam esse mundi abolitionem; itaque, ne Christo, cujus tamen gratia Psalmum laudatum esse negari nequit, nihil tribuatur, propterea ait, abolitionem mundi de Christo praedicari, quia *Deus per Christum* mundum sit aboliturus. Verum hoc non ait *epistola ad Ebraeos*, nec *Psalmus* hoc vult: *Per te abolebitur mundus.* In ebraeo est תחליפם in graeco, ἑλίξεις, utrumque verbum *secundae Personae*, quodque *auctorem rei* non *instrumentum* palam significat. Itaque nihil agit Catechesis, quae praeterea caussam suam hac exceptiuncula misere prodit. Nam hoc modo necesse est fateri: si ipsis licet vocem, *mutabis* sic expli-

care

:eares *per te mutabit alter*, esse ejusdem sententiæ utr
que phrasin, neque adeo in nobis carpere possunt
Christo, ut auctori primario tribuimus, quæ *Pater
Christum fecisse* legitur. Cur vero Psalmum ipsum no
considerare Sociniani? Non potest enim Apostolus
sensu laudasse Psalmi verba, alio, eadem olim D
cecinisse. Quicunque autem Psalmum legit, invenie
supra jam cœpi exponere, responsum esse ad quere
de brevitate vitæ & præmatura morte. Fuit enim in C
sto naturalis horror mortis, quod historia passionis lu
lenter docet. Huic quid poterat accommodatius
sponderi, quam, esse eundem, tametsi triduo
morte detinendus, cum creatorem auctoremque mu
tum ejusdem destructorem, victurumque æterni
Aeternitas ergo Christi primarium argumentum est
Davidici; Cur non sit in Apostolo ejusdem loci idem
gumentum? nemo dixerit. Cum ea vero æternitate c
junctissima est dignitas creatoris, atque alterum ex alt
merito colligitur & sufficit, alterutrum demonstra
Nam, qui æternus est, cum non possit esse res crea
ipse Deus, hoc est creator sit necesse est. Vicissim,
auctor rerum omnium est, de ejus æternitate, nihil
quod dubites; idque ipsum *Osturodum*, Unterricht
p. 57. largiri, supra observavimus.

2.) *Præstantiam*, inquiunt, *Christi*, *demonstr
sibi proposuit eo capite*. Bene; eaque sane maxima
præstantia, quod æternus est ipseque adeo mundi crea
Sed addunt: *Non eam*, *quam à seipso habuit*, *veri
eam*, *quam hereditavit*, idque è v. 4. patere arbitran
Neque nos dicimus, Christum æternam illam majes
tem ipsamque naturam divinam *à seipso* accepisse;
dimus enim Scripturæ testanti, accepisse eam per ge
rationem à Patre, at hoc simul monemus, accep

 eam

eandem essentiam, quam habet Pater, non *minorem* aliquam, item, *eandem* majestatem, non aliquam *minorem*. Quo facit similitudo filiorum apud nos mortales, alioqui non satis idonea, hactenus tamen bona, ut, quemadmodum *Isaacus* ab *Abrahamo* accepit humanam naturam, non deteriorem, quam quæ *Abrahami* est, ita & Dei Filius acceperit à Patre naturam divinam, sed eandem, quam habet Pater. Quid vero è v. 4. probare velint, non facile est dictu. κληρονομεῖν in Sacris est accipere, nam *hereditate accipere* proprie non dixeris, cum Deus non moriatur, ut proprie testamento alicui aliquid relinquat. Vtrum vero acceptum aliquid sit ab æterno, an in tempore, dispiciendum restat, & ex hoc saltem vocabulo explicari non potest. Nostra hæc est constantissima doctrina, aliqua accepisse Christum ab æterno, aliqua in tempore, illa secundum divinam naturam, cumque ipsa divina natura, hæc secundum humanam naturam. Jam, cum de nomine *Filii Dei v. 4.* agatur, si de *re* intelligatur, hoc est, ipsa *filiatione*, quod mihi verum videtur, dubio caret, Filium Dei factum esse æterna generatione; si *expressionem nominis* velit Apostolus, eam in tempore, v. g. *Psalmo II.* factam esse largiemur.

3.) Vidimus ad demonstrandam Christi æternitatem *Psalmi* locum laudatum esse. Sed cum *David*, & ex hoc Apostolus, seu potius utrobique Spiritus Sanctus, æternitatem ex eo, quod ante omnia creata extitisset, hisque, quicquid essent, dedisset, probarit, nostrum est, credere, recte omnia Christo tribui. Quæ porro hic poterant dici, quære *nota. 1.*)

4.) Gravis est & indignissima accusatio, Scriptores Sacros nulla necessitate adactos, laudare dicta, quæ id, quod ad rem pertinet, vel antecedunt, vel consequuntur, quamquam de alio agant. Nam ita *Psalmi* verba laudata perhi-

perhibent, & hæc quidem cogente necessitate, quia vocula, *ipsi* superiora Patri propria, cum sequentibus de *abolitione mundi*, quam Christo solam vindicant, connexuerit. Videamus de utroque! Merito Sociniani agnoscunt nexum eorum verborum, quæ ipsi impie divellunt, is vero nexus non in voce *ipsi* est, potissimum pro qua facile erat dicere, si superiora nolis huc trahere: *Cæli peribunt, tu vero permanes.* Magis arctum nexum facit utrobique adhibita *secunda persona:* Tu fundasti, *tu mutabis;* porro scopus Spiritus S. ut ostendatur Christi æternitas & duratura semper vita post resurrectionem. Huc pertinet utrumque: Tu olim, in principio rerum, terram fundasti, &c. Tu idem, qui nunc Deus & homo es, in fine rerum superabis. Dicant vero, si possunt, quæ necessitas cõegerit *Davidem*, & hæc verba in *secunda persona* ponere: *Tu ab initio terram fundasti*, si non hic, quem alloqui pergit, & qui aboliturus mundum esset, eam fundavit, sed alius? Cur non verbis Dei Patris, sic dixit: *Ego fundavi terram*, &c. *Tibi destinata est gloria eam abolendi.* Quo loco & notandum, *facultatem* quidem *judicii exercendi* gloriæ argumentum esse, cujus nostro loco nulla syllaba mentio facta: verum *abolitionem mundi*, quamquam & ipsa postulat infinitas vires, in Scriptura nusquam ad demonstrandam gloriam ejus, qui abolet, laudari. Præterea voces omnes: v. g. *veterascent sicut vestimentum*, &c. indicant magis *instabilem conditionem mundi*, cui *æternitas* Christi opponitur, quam *magnificentiam ejus, qui destruit* mundum. Itaque nulla necessitas, qua fingunt Apostolum coactum, ut aliqua, de solo patre intelligenda, connecteret reliquis, quæ de Filio sola intelligi voluisset. Idem vero fecisse alibi Scripturam *sine necessitate*, unde probant Sociniani? *Hoc*, inquiunt, *factum est*, *Matth. XII. 18, 19. 20, 21.* ubi

nimis apertum est, v. 19 *tantum ad propositum Evangelistæ Matthæi pertinere*. Non hoc dicam, quod ipsi ajunt *nimis apertum* falsissimum esse, nam ad ipsum hoc propositum, ostendendi, voluisse Christum aliquandiu clam haberi majestatem suam, quam maxime pertinuit, docere, qualis fuerit illa clam habita majestas? id quod omnia ista commata pulcherrime continent. Hoc quæro, si vel essent reliqua commata præter 19. nexus tantum gratia laudata, cur huc conferatur hic locus à Socinianis, ad illustrandum locum *epistolæ ad Ebræos*? Nam in *Matthæo* saltem non negabunt, versus omnes de Christo agere, à v. 18. *Ecce puer meus* &c. usque ad. v. 21. *In nomen ejus sperabunt gentes*. At in loco ad *Ebræos* è *Psalmo CII.* laudato, negant omnia ad Christum pertinere. Ergo vel plane sunt dissimiles loci, adeoque collatio absurda; vel, si sunt similes, agetur & in *Psalmo CII.* & loco parallelo ad *Ebræos* de solo Christo.

5.) Sequitur alterum testimonium, quo aliqua tantum nexus caussa allegata perhibent. *Act. II. 17, 18, 19, 20, 21.* ubi tantum v. 17. & 18. ad propositum Apostoli faciat. Ita non erubescunt profani homines Spiritum S. criminari, qui nullo bono scopoque aliqua è V. T. recitasset ob qualemcunque nexum; cum facile recitatis duobus versibus *Jöelis* potuisset abrumpere filum. Nostrum est, qui quidem velimus pudentes videri, hoc credere, quod Spiritus S. hos quoque versus laudari per Apostolum voluit, id gravissimo consilio factum esse, quod sane nec obscurum hic est. Sic *Petrus* incipit, v. 16. Hoc est, quod dictum est per prophetam *Jöelem*. Quid vero tum cœpit contingere magno illo Pentecostes festo? Non hoc tantum ut in omnis generis homines dona Spiritus S. effunderentur, quod expositum est, v. 17. & 18. Sed &, ut omnibus gentibus liberrimus pateret ad gratiam Dei accessus. Hoc vero agitur, v. 21. Denique, magnopere ad rem pertinebat, contemtores hujus gratiæ

de

de ultione divina certo futura, graviter monere, quod *v. 19. & 20.* factum est ab Apostolo verbis *Joëlis* Eodem *Cap.* II. *Act. v. 25, 26, 27, 28.* idem putant factum, & palam esse, tantum v. 27. ad propositum facere. Vide mihi hic sapientiam Socinianorum! Nam si ipsis, non Spiritu Sancto, auctoribus usus esset Apostolus, paucis dixisset, ut *v. 27.* est; *non relinques animam meam in inferis, neque concedes Sanctum tuum videre corruptionem.* De præsidio Patris, quo factum ut Christus patiens tutus esset, v. 25. de gaudio in sancta anima Christi & certissima spe resurrectionis v. 26. porro de ipsa resuscitatione & gaudio triumphantis Jesu, v. 28. nihil opus fuerat *Psalmi* verba repetere. Nos quidem Spiritum S. infinitis modis sapientiorem credimus his hominibus, & summo consilio omnia hæc verba *Psalmi*, quæ & de Christo, neque alio ullo agunt, laudata esse,

6.) Nisi quid obstet, ipso nostro *cap. Ebr. I. 9.* ob vicinitatem nullo certo consilio, hæc verba *Psalmi XLV.* legimus recitata: *Dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem.* Nos vero mysterium & abyssos Sapientiæ Dei pie miramur, qui ob id ipsum, *διὰ τοῦτο*, Spiritu suo Sancto Christum in *statu exinanitionis* constitutum, inunxit, ut regnum gratiæ suum sanctè justèque administraret; illaque verba, quæ Socinianis supervacua videntur, quam maxime huc pertinere arbitramur. His, quæ ad *Racoviensium* refutationem abundé credo sufficere, nunc subjungam Recentiorum commenta, vaferrima quidem, sed nullius bonæ frugis. Pedibus manibusque contendunt, non esse ab Apostolo *Psalmum CII.* in eum finem laudatum, ut Christum creasse cœlum & terram probaret. Audimus ipsorum verba, ne impietati alicubi rima videatur relicta elabendi. Nemo tamen desiderabit, profligari etiam illorum ineptias, qui mox *v. 10. 11. & 12.* Cap. I. *ad Ebr.* ad Christum spectare dubitant, quod fecit B. W. mox apostolum

stolum locum Psalmi de prima creatione agentem ad secundam transtulisse, quod in menten venit, *Martino Ruaro*, sed à *Schlichtingio* refutatum ab A. W. verò defensum est, mox contendunt, posse aliquo sensu Christo creationem tribui, quoniam mundus sit *propter* eum conditus, ut eidem A. W. visum. Ridicula enim sunt omnia. Sic ajunt: „Ad id testimonium respondeo, quod „hæc Psalmi verba ad illum unum summumque Deum di-„cta, hactenus tantum ad Christum ab auctore isto re-„ferantur, quatenus id ad scopum ejus pertineat. Ex-„pendendum enim est, sermonem in eo testimonio non „de una re, sed de tribus haberi. Una est cœli & ter-„ræ creatio; altera rerum creatarum abolitio; tertia „Dei nullo unquam tempore finienda duratio. Quod „verò is auctor priorem ad Christum non referat, hinc „perspicuum est, quod in eo capite præstantiam Christi „demonstrare sibi proposuerit, non eam, qua ipse sum-„mus Deus sit, verum eam, quam Dei beneficio he-„reditavit, & qua præstantior Angelis effectus est, id-„que ab eo ipso tempore, quo ad dextram Dei conse-„dit ut è *v. 3. 4.* cuivis planum est. Ita enim inquit „auctor: Consedit in dextra Majestatis in excelsis, tanto „præstantior factus Angelis, quanto præstantius præ „illis hereditavit nomen. Hujus autem generis præ-„stantia, cum creatio cœli & terræ non sit, nec esse pos-„sit, apparet manifestè, non in eum finem testimonium „ab eo scriptore allatum, ut Christum creasse cœlum „& terram probaret. Nam, ut rem aliquanto plenius „explicem; cum constet hæc verba ad Deum illum u-„num summumque dici, si ea ad Christum, eo quo volunt „sensu, ab hoc auctore referantur, necesse est vel eo id „fieri, quod Christum ponat esse illum unum summum-„queDeum, vel quod eum ponat his in verbis Deo subordi-„natum & conjunctum. Prius dici non potest. Hoc enim „pro concesso sumeret, quod sit Hebræis istis jam notum „fuit, quid opus erat, ut illa insuper Christi præstantiæ

„argu-

„argumenta requirerent: Si ignotum, hoc potius pro-
„bandum, & scripturis demonstrandum fuerat. Ab-
„surdum namque foret, id tacitè & sine ullis probatio-
„nibus tanquam jam notum ponere, quo maxima Christi
„præstantia contineatur, quodque creditu magis sit dif-
„ficile, illud vero, quod longe minoris sit dignitatis,
„magisque credibile, tanta cura quæsitis Scripturarum
„testimoniis adstruere. Deinde, posito jam Christum
„esse unum illum summumque Deum, quid aliud hoc
„Scripturæ testimonio efficeret, quam eum, qui Deus
„ille unus summusque sit, cœlum & terram creasse, de
„quo sane nulla erat dubitatio. Porro, si ponendum
„sit, Christum unum illum summumque Deum esse,
„nullus comparationi isti Angelorum cum Christo, quam
„auctor instituit, relinquitur locus. Quid enim attinet,
„unum illum summumque Deum, cum angelis crea-
„turis suis, ratione præstantiæ componere? Denique id
„ipsum, quod probandum suscepit auctor, ipse penitus
„everteret. An enim is, qui unus ille summusque Deus
„sit, ullis creaturis factus est unquam præstantior? Po-
„sterius igitur dicendum est; nempe hæc Psalmi verba ad
„Christum ab Auctore referri, quod Deo istis in re-
„bus sit subordinatus & conjunctus. Verum hæc sub-
„ordinatio & conjunctio in veteri cœli & terræ creatio-
„ne, de qua hæc Psalmi verba loquuntur, locum non
„habet. Deus enim in veteri creatione peragenda, ne-
„minem sibi subordinatum & conjunctum habuit: De-
„inde, sic quoque poneret, id, quod longe magis pro-
„bandum foret, quam id ipsum, cujus probandi caussa
„testimonium hoc afferret, &, quo posito, similiter in-
„stituta Christi cum angelis comparatio evanesceret.
„Nam, si Christus in cœli & terræ creatione Deo fuit
„subordinatus, haud dubie etiam in angelorum creatio-
„ne eidem subordinatus fuit, & sic Angeli, non minus
„quam cœlum & terra illius essent creaturæ. Denique
„etiam per hoc tolleret principalem thesin, ad quam
„omnia

„omnia diriguntur, nimirum Christum, postquam à
„dextris Dei consedit, angelis factum esse præstantio-
„rem. Non enim tunc demum, sed ante rerum omni-
„um creationem, angelis factus esset præstantior. Jam
„vero, si neutrum istorum Auctor pro concesso pone-
„ret, quo pacto Scripturam, quæ Deum cœlum &
„terram creasse dicit, ad Christum, alterutro istorum,
„quos diximus, sensuum, referret? Quid hac Scripturæ
„allegatione apud eos efficeret, qui neutrum istorum,
„quæ diximus, verum esse agnoscerent? Relinquitur
„ergo, ut dicamus, hæc verba ad Christum hactenus
„referri, quod Deo in reliquis, i. e. in cœli & terræ abo-
„litione subordinatus, & in vitæ perennitate conjunctus;
„Quod meritò cum Hebræis istis agens, pro re non du-
„bia, ponere potuit auctor.„ &c. Hoc accidit justo Dei judicio osoribus veritatis, ut tandem cœcutiant. Itaque hi recentiores Sociniani idem cornu quidem inflant, quod *Racovienses* veteres, hactenus referri ad Christum hæc verba Psalmi, quod in abolitione terræ cœlique sit Deo subordinatus, in vitæ perennitate conjunctus. Ego vero quæsiverim primo: de *subordinatione* quod perhibent, unde probabunt? In *Psalmo* enim æque ac Epistola ad *Ebræos*, de illa ne γρὺ quidem extat, potius ita claris verbis abolitio mundi huic Christo tribuitur, vocibus σὺ ἑλίξεις, ut clariora non dentur, non ut caussæ subordinatæ & *instrumento* fortasse, sed ut vero *auctori*. Deinde scire velim cur *abolitio terræ cœlique* tantum referatur ad Christum, non item ejusdem mundi creatio? Apostolus utique ad Filium dicta hæc ait: *Tu ab initio, Domine! terram fundasti, & opera manuum tuarum cœli sunt.* Non est verecundi hominis negare, quæ oculi vident & aures audiunt. Auctor igitur *Epistolæ ad Ebræos* certissime credit hæc Psalmi verba de *creatione mundi*, & quidem de veteri creatione,

tione, (nam de hac agi in Psalmo, bene est ab ipsis Socinianis concedi;) ad Christum Filium Dei dicta esse. Excusatius ergo peccaturi fuisse videntur hi homines, si errasse *auctorem ad Ebræos* palam pronunciassent, spreta hujus libri auctoritate; nam si hoc facerent, possent solum argui impietatis, ob contemtum antiquissimum, &, mox expugnatis dubiis ab universa antiquitate pro divino agnitum librum; nunc præterea, quod certissimè libri auctoritatem conculcant, tam stupidi enim non sunt, ut non videant se vim facere huic auctori, & simul petulanter lectori illudere conantur, à quo postulant, ut neget se videre, quod palam videt, jubent enim nos impudentissime, credere non tribui opus creationis Filio Dei in Epistola ad Ebr. quod tributum esse sole clarioribus verbis, sui quemque oculi docent. Sed audent offuciis verborum obscurare manifestam veritatem. *Non potest*, inquiunt, *Auctor ad Ebræos* verba de veteri creatione ad Christum retulisse. Ego vero, retulisse, inquam, certum est & in aprico positum Restat videre, quo jure retulerit? Si auctor ille Apostolus est, si θεόπνευστος; quod videntur mecum concedere, saltem videri volunt, Sociniani, caussa nostra perorata est, nempe retulit Apostolus ad Christum opus creationis veteris jure optimo, estque adeo Christus verissime ejus creationis auctor. Si non fuit Apostolus, si præter *Davidis* mentem ad Christum retulit, quod ad ipsum non pertinet, cur non vocatis potius impostorem, nam si erravit, non levis & facile indulgendus error est, opus soli Deo proprium, alteri, qui non sit Deus, tribuere, gloriamque adeo supremi Numinis communicare cum re creata. Sed legite relegiteque ipsum *Psalmum CII*. videbitis v. 25. colloquium esse Dei Patris cum Filio suo unigenito passuro pro peccatis generis humani: hunc affectum vero sensu cruciatuum, de brevitate vitæ vi sibi rapiendæ, conqueri, illum vero admonere Filium perpetuò duraturæ

post

post resurrectionem vitæ, quemadmodum ipse esset omnium rerum creatarum auctor, ita & superstitem futurum illis omnibus: Verum, quamquam indigni sunt responsione, qui, quod factum narrat Apostolus, fieri potuisse inverecunde negant: tamen, videre placet, quid sit, cur Sociniani negent verba *Psalmi* de creatione veteri ad Christum pertinere? Sic ajunt; creatio vel referretur ad Christum, ut ipsum unum illum Deum, creatorem mundi, vel ut ad aliquemDeo in isto opere subordinatum; neutrum autem fieri potest, &c. De posteriori nolo jam verba facere, nam Arrianam impietatem non minus fugimus quam Socinianam. Sit ita, non referri opus creationis ad Christum *ut subordinatum creatori.* Prius vero quomodo demonstrabitis? *Hoc*, inquiunt, *pro concesso sumeret auctor ad Ebræos, quod, si Ebræis istis jam notum fuit, quid opus erat, ut illa insuper Christi præstantiæ argumenta requirerent.* Apostolus in eo occupatus, ut divinitatem Christi contra eos, qui ipsum vellent in Angelorum ordinem detrudere, vel fortasse aliquanto majorem facere angelis, non vero Deum supremum, tueretur; hoc & reliquis argumentis è Scriptura V. T. pugnat, non quasi concessis, sed concedendis, nihil enim idonei regeri potest, & maximæ parti eorum, ad quos scribit, incognitis, Absone excipiunt: *Si ignotum, hoc potius probandum, & Scripturis demonstrandum fuerat.* Quibus scripturis ô Sociniani? Aliisne, quam quibus usum esse videtis Apostolum? Immo hoc fecit, quod vos vultis fieri. Erat hæc veritas divinitatis aliquibus ignota, ab aliis impugnata, itaque probavit eam scripturis, quæ res non potest aliter fieri, quam demonstrato vero sensu Scripturæ vel non agnitæ, vel non satis agnitæ. Frigidior etiam est altera exceptio: *Posito jam Christum esse unum illum summumque Deum, quid aliud hoc Scripturæ testimonio effecerit, quam eum, qui Deus ille unus summusque sit,*

cœlum & terram creasse, de quo sane nulla erat dubitatio. Hæc vero, ô Sociniani! erat iniqua utique dubitatio, sed erat tamen, an Christus pro nobis passus & resuscitatus, esset unus Deus & Creator omnium. Ergo appositissime Apostolus laudato Psalmi loco demonstrat, non, Deum supremum esse rerum omnium conditorem, quæ res sane non indiguit probatione, sed tuto poni potuit: Verum, *hunc Jesum Christum Dominum nostrum esse & conditorem illum & verum æternumque Deum.* Denique frigidissime excipitur, si ponendum sit, Christum esse illum unum summumque Deum, nullum relinqui locum comparationi, quam auctor epistolæ instituerit Angelorum cum Christo: Nesciunt sane, quid sibi velint, hi homines. Res est Apostolo cum hæreticis, certe adversus eos disputat, qui eam rationem Christi esse putabant, quæ esset excellentissimorum Angelorum. Tantum ergo abest ut comparationem instituat Angelorum cum Christo, ut potius illam ab aliis institutam comparationem graviter & solide refellat, demonstretque Christum ab Angelis adorandum, immo horum & rerum omnium conditorem esse. Postremo argutantur: si hoc vellet Apostolus, Christum esse illum unum summumque Deum, cædere ipsummet vineta sua, cum *factum* ajat esse præstantiorem Angelis, v. 4. nam qui per se sit summus Deus; non posse *fieri* præstantiorem aliqua rerum à se creatarum: Sed videre nolunt adversarii, Christo etiam ut homini, quod & in *Psalmo CI.* factum est considerato, summam Majestatem assertum iri, ob unionem personalem, ista vero communicatio gloriæ, humanæ Christi naturæ, non ab æterno, sed in tempore facta est. Fieri autem non potuisset, nisi eadem persona, quam vocamus *Mariæ Filium*, esset & Dei Filius creatorque mundi. Ita vindicatum illustrem locum ab improbis artibus Socinianorum cujuscunque ætatis, credimus. Disputatum quidem porro aliquot quæstionibus, fieri jo.ère in

Scriptura, ut vel pars tantum verborum, quæ ad Christum referantur, ad ipsum pertiueant, vel ob subordinationem & similitudinem non pertineant, & tamen referantur; Hoc aliquoties fieri in epistola *ad Ebr.* comminiscuntur. Et *Act. XIII. 47.* referri ad Apostolos, quod de Christo *Esaias* dixisset, *XLIX 6.* sed ipsa inspectio locorum refutat nugas, & infra remanet de his rebus agendi occasio.

---

137. Quo verò testimonio docere volunt Christum conservare omnes res creatas?

Ex eo, ubi scriptum extat: Christum portare omnia, verbo virtutis suæ. Ebr. I. 3.

138. Quid vero ad id respondes?

Id, hîc verbum, *omnia*, non minus, ut in pluribus locis aliis, non omnia in universum, sine ulla exceptione designare; verum ad ea tantum, quæ ad Christi regnum pertineant, referri, de quibus vere dici potest, Dominum JEsum omnia verbo virtutis suæ portare, id est, conservare. Quod vero vox, *omnia*, hoc loco, ad ea duntaxat referatur, ex ipsa materia subjecta satis apparet. Præterea verbum quo hîc utitur Scriptor, *portare*, magis gubernandi vel administrandi rationem, quam conservandi, significat, quemadmodum illa, quæ annexa sunt, *verbo virtutis suæ*, innuere videntur. 1.)

Notæ.

Notæ:

1.) Non videmus ullam rationem, quæ nos jubeat πάντα seu *omnia* restringere ad aliqua. Quamquam enim non repudiamus observationem, esse eam vocem pro ratione argumenti, de quo agitur, intelligendam: Sociniani tamen nihil obtinent. Nam, si nolis oculos claudere, videbis initio *versus 3.* de majestate Christi, qui sit ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Dei Patris, verba facta esse generatim, deinde ad ea, quæ in regno gratiæ fecisset, accedi. Cetera, quæ de voce φέρειν, item de *verbo virtutis suæ*, disputant, quorsum tendant, equidem me non capere fateor. Portare ajunt, magis significare *administrare* quam *conservare*. Quod quibus exemplis, hi homines, qui sibi boni Philologi videntur, demonstrare velint, pariter nescio, contentus interrogasse, utrum administrationem rerum eam putent intelligi, qua pessundari res illæ finerentur, an, qua incolumes serventur omnes. Si prius illud, quod spero abominentur, Christus enim non ita regnat, ut concidere patiatur regnum suum, quid disputatione opus? Conservat igitur omnia Christus. Sed nec sapientiores sunt recentiores, qui observari volunt φέρειν sæpissime significare, *movere & impellere*. Neque nos refragamur, vertant ergo, quando ita volunt: *Movet omnia verbo virtutis suæ*. Quid vero hoc aliud erit, quam conservari à Christo ordinem omnium rerum? Cur autem voces: *verbo virtutis suæ*, de *administratione* rerum accipi possint, non item possint de earundem *conservatione*, fateor me penitus ignorare, nisi quod *Smalcius* veritus fortasse, ut satis intelligatur, quid sibi velint, in versione germanica addidit. Welches denn auch die Worte erweisen: *Mit dem Wort seiner Macht*, durch wel-

ches ein Gebieten und Herrschung bezeichnet wird, welche Dinge nicht so eigentlich der Erhaltung, als der Regierung, zugehören. Et recentiores Sociniani, *jussum & imperium* significari his verbis, observatum volunt. Nos, si dubitare posse crederemus hominem sanæ mentis, Deum, qui fecit omnia potenti verbo suo (dixit enim & creata sunt;) eadem potentia omnia adhuc tueri, regere, servare; operam daremus id copiosius demonstrare. Nunc quidem pergimus. Ceterum de Christi potentia in rebus omnibus, expende *Psalmum CX. 1. VIII. 7. 8. Philipp. III. 21. &c.*

---

139. Quo vero testimonio eum eduxisse populum ex Aegypto docent?

Ex epistola Judæ, v, 5. Jesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.

140. Tu vero quid respondes?

Hanc vocem Jesus, in nullo græco exemplari prorsus haberi, verum loco illius passim legi vocem Dominus. Quare id testimonium nullo modo probat id, quod sibi adversarii proposuerunt. 1.)

Notæ.

1.) Cum clarissima extent testimonia de divinitate Jesu Christi & maxima copia, nihil necesse est, locis uti, unde per ambages ad scopum veniendum est. Certum tamen, eum, qui eduxit Israëlitas, esse hunc Dominum nostrum

noſtrum Jeſum Chriſtum, quod ex ipſa *Exodo*, & 1. *Cor. X.* demonſtrabimus paullo poſt. Neque dubito, eundem κύριον ſeu Dominum intelligendum *v. 5.* qui *v. 4.* expreſſis nominibus *Jeſus Chriſtus* dictus fuerat. Itaque agnoſcimus quidem in *Vulgato* aliisque Interpretibus & codicibus vocabulum *Jeſus* pro ſcholio, ſed minime abſurdo, quod aliquis rerum intelligens ad marginem alleviſſet. Quoniam vero, nihil, quod operæ pretium ſit, hic Sociniani dixere, conabor ego lectorem ὡς ἐν παρόδῳ, quid ἅπαξ, quid τὸ δεύτερον ſit, docere. Mihi enim non ſatisfecere, quos, eadere legi, & res videtur vehementer obſcura. Itaque ſic expono; De duabus rebus vos velim monitos, εἰδότας ὑμᾶς, h. e. *quas quidem dudum noſtis;* Primum hoc, Dominum è terra Aegypti ſervaſſe populum; deinde vero id quoque; perditos eſſe, qui credere nollent. Utrumque enim ſubinde commonefaciendi ſunt Chriſtiani, ne, cum ſimiles ſint Iſraëlitis, in acceptis, divinitus beneficiis, ingratum quoque eorum animum imitentur, paribusque pœnis obruantur.

141. Id vero, quod cum Iſraëlitis in deſerto fuerit, eum duxerit, ei benefecerit, unde probant?

Ex hoc Paulli teſtimonio: 1. Cor. X. 4. Et omnes eundem potum Spiritualem biberunt. Biberunt autem ex Spirituali eos conſequente petra: Petra autem erat Chriſtus. Et ex eo, quod inferius paullo Apoſtolus ait, v. 9. Neque tentemus Chriſtum, quemadmo-

dum alii tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.

142, Quî vero ad ea reſpondendum eſt?

Quoad primum attinet, nullo modo Apoſtolus ait Chriſtum in deſerto fuiſſe cum populo Iſraëlis, & ei benefeciſſe. Licet enim ſcribat, illam petram, è qua bibit populus Iſräel, fuiſſe Chriſtum, nulla ratione tamen aſſerit, Chriſtum illic revera fuiſſe. Id vero propterea, quod ea verba Paulli figurate poſſint accipi. I.) Quòd vero eam petram vocet ſpiritualem, adverſam partem nihil juvat, cum ea petra potuerit appellari Spiritualis, licet fuerit materialis, propter eandem cauſſam, propter quam & ille cibus ſpiritualis appellatus fuit, quod in ſe quiddam myſticum contineret. Quemadmodum & in Apocalypſi II. 8. Joannes ait, urbem illam magnam, in qua Dominus noſter crucifixus eſt, vocari ſpiritualiter Sodomam, & Aegyptum. Quod vero ait, quòd illa petra eos ſit ſecuta, accipi debet de aqua, quæ è petra fluxit, & populum ſecuta fuit per deſertum, quod antea fluente aqua, aut certe ad bibendum idonea, caruit, qua de re illud extat apud Eſaiam, ubi Dominus ait: Glorificabit me agri beſtia, Dracones & Struthiocameli, etenim dedi eis aquas in deſerto, fluvios in locis inviis,

ad

ad potandum electum populum meum. Esa. XLIII. 20. Quod vero ad secundum testimonium spectat; ne tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt, ex iis etiam verbis doceri non potest, Apostolum affirmare, Christum in deserto tentatum revera fuisse. Ut è simili ratione, si quis ita diceret, deprehendi potest: Ne sitis refractarii magistratui, quemadmodum quidam nostrorum majorum fuerunt; non illico concluderes eundem numero magistratum utrobique designari. 2.) Quodsi reperiuntur in Scripturis ejusmodi loquendi modi, in quibus similis oratio ad eum, cujus nomen paullo ante expressum est, sine ulla ejusdem repetitione referatur, tum hoc ibi fit, ubi nullus alius præter eum, cujus expressum est nomen, subintelligi possit: ut exemplum ejus rei habes in illo testimonio; Deut. VI. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentasti in loco tentationis. Verum in ea oratione Apostoli, de qua agimus, potest subintelligi alius præter Christum, ut Moses, Aaron, &c. de quo vide Numer. XXI. 5.

Notæ.

1.) Bibisse Israëlitas de ea petra, quæ Christus est, fatentur, sed Christum adfuisse in deserto, cum de eo biberetur, hoc negant quoque Christum eidem populo tum benef-

enim verba figurate intelligi. Hic vellem figuram, quam sibi comminiscuntur, explicassent. Tum appareret sine dubio, quam arcto nodo hic induta sit Socinianorum pervicacia. Qui alteri porrigit, quod bibat, quo sitim levet, bene facit alteri, quocunque id modo fiat. Quacunque ergo ratione vera falsave, naturali an mystica, potavit Christus Israëlitas, saltem hoc certum, beneficium ea potatione in illos collatum. At beneficia elargiri eum posse, qui ne sit quidem, nec dici nec intelligi potest. Porro *petra*, quæ Christus est, secuta est Israëlitas in deserto. Quod, quacunque sit ratione factum, vere saltem factum est. Intendant hic omnes ingenii nervos Sociniani, meditentur de *figurata consecutione*, excogitent, quicquid libitum fuerit, quomodo Petra Christus, secuta populum Israëliticum intelligi debeat, hoc saltem concedent, quicquid illa voce ἀκολουθούσης factum est, beneficium esse, & in deserto accidisse. Quicquid autem Christus tum fecerit, qualecunque sit beneficium, quod ipsos sequendo illis tribuit, necesse est extitisse tum Christum. Videntur hoc vidisse Sociniani, elabi se nulla figura posse, &, quicquid dixerint, palam hærere; itaque avertunt oculos, figurate posse intelligi, mussant, at, quæ sit illa figurata interpretatio, tacent. Quæ sane artes, dici non potest, quam sint illaudatæ. Jam nos, de *1. Cor X, 3, 4.* pauca pro instituti ratione dicemus. Panis, quem comederunt in deserto patres, *materialis* utique fuit, nam satiavit ventrem, *aqua* item, quam biberunt, *materialis*, *petra materialis* fuit, quam percussit scipione *Moses*, unde aquæ manarunt. Neque minus tamen *cibus* ille vocatur *Spiritualis*, *potus Spiritualis*, *petra Spiritualis*, quod qua ratione sit intelligendum, operæ pretium est, considerare. Sunt in nostratibus viri doctissimi, qui negant ipsum cibum seu *Manna*, ipsumque potum, seu *aquam*, è petra elicitam, Spiritualem cibum potumque dici, sed illud, quod cum eo pane, cum ea aqua comederunt biberuntque Spirituali ratione

per

per fidem. His ego accederem, si possent è Scriptura & ex institutione aliqua divina demonstrare, Sacramentum fuisse cibum potumque populi ordinarium, & Sacramentalem conjunctionem Mannæ & corporis Christi, aquæ & sanguinis Christi credendam esse, quod cum adhuc demonstrari non potuerit, nec videatur unquam demonstrari posse, cum Manna spiritualitet aliquid comedendum, cum aqua aliquid spiritualiter bibendum fuisse: age appellemus *ipsum Manna Spiritualem cibum*. *aquam spiritualem potum*, nec gravate concedamus, *spiritualem* vocari, cum, quia miraculi plenissimus est, tum, quia mysticus, h. e. aliud in imagine exhibet. Agnoscimus exemplum, quod Sociniani laudant, *Apocal. XI. 8.* Addimus, *1. Cor. XII. 1.* ubi πνευματικὰ, ad quam vocem δῶρα seu *dona* vulgo subintelligunt, *miraculosa dona* sunt. Porro hoc observo, cui cibus potusque mirabili ratione quotidie porrigitur, nec sine mystica figuratione donorum, quæ ad animam pertinent, illi accidere insignia beneficia divina, illis beneficiis similia, quæ civibus N. T. in Sacra cœna porriguntur. Jam non est obscurus sensus Apostoli, non esse, quod præfidentes sint Corinthii improbi, quoniam baptismate abluti essent, coenaque Sacra pasti. Si enim pergerent mores Israëlitarum Veterum imitari, qui & ipsi non his quidem Sacramentis, sed non minus luculentis benignitatis divinæ τεκμηρίοις usi essent, perituros eadem, qua illi, ratione. Reliquum est exponere, qui fiat, ut Christus *petra* illa *spiritualis* appelletur, quod quidem nunc clarum fore confido. Itaque respondeo *B. Glassii* verbis „*Philolog. S. p. 1041.*
„Bibebant ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ex
„spirituali eos comitante petra, h. e. bibebant, seu potum
„accipiebant, ab illa spirituali petra, quæ Christus est.
„Notatur aquæ miraculose productæ auctor & scaturi-
„go Christus, deducens Israëlitas in deserto conf. v. 9.„

 Hæc

Hæc *Glassius* rectissime, qui & eodem loco significationem voculæ ἐν *de caussa efficiente* acceptæ idoneis exemplis docet. *Matth. I. 20, 30, VI. 65. XVIII 3. Rom. XI. 30. &c.* Hoc modo Socinianis nullum effugium reliquum est, sive enim spritualis esca cum pane, spiritualis potus cum aqua datus fuerit, quod multos diximus sentire, sive, quod nos malumus, Christum hujus, materialis quidem, sed tamen spiritualis cibi potusque auctorem dici: extitisse tum oportet Christum. Nihil ergo restat, quam tribus verbis monere, *petram* duplici sensu hic accipi. Primo, in historia Mosaica, de naturali illa rupe; tum, ne lector historiæ tantum de illa cogitet, auctoris vero eorum beneficiorum obliviscatur, *Paullus à petra Israelitas comitante*, hoc est, Christo, (nam illa naturalis rupes secuta non fuerat) aquam accepisse narrat.

2.) Si tentatus est Christus in deserto ab Israëlitis, necesse est eum dudum extitisse. Videamus, an dixerit hoc Apostolus? Verba hæc sunt: Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. *Neque tentemus Christum, quemadmodum & illorum quidam tentarunt & perierunt à serpentibus.* Vel idem, vel alius, quam qui ab Israëlitis tentatus est, prohibetur tentari à *Corinthiis*. Si idem, palam vicimus, qui enim nunc tentari prohibetur, Christus est. Nam veram esse hanc lectionem, non quod volunt aliqui, legendum Θεὸν, bene monstravit *Jo. Millius*, qui & *Epiphanio* narranti κύριον legi, ejusque loco *Marcionem* substituisse Χριστὸν, nullo quidem suo commodo, quoniam Christus & Dominus idem sit, tametsi non putet *Marcion*, bonaque adeo fide erranti, & in suo codice Κύριον legenti, antiquiorem auctoritatem *Irenæi* & aliorum, solide opponit; & Catechesis nostra fatetur lectionem genuinam esse, quamquam illi controversiam

moveat.

movet in recentioribus Socinianis *Ruarus*. *Epiphanii* locus, quem volunt, extat *hæresi XLII. p. m. 157. edit Basil. an. 1544.* *Latinæ editionis* autem *Basil an. 1578. p 117.* quem locum mirum est ab Socinianis inspici sine pudore potuisse, nam per *Marcionis* latus ipsorum hæresis gravissime ibi confoditur. Si alius olim tentatus est, non is, quem nunc prohibet Apostolus tentari; Linguarum omnium ratio, si quidem velis intelligi, postulat, ut ille alter suo nomine vel signo, unde dignosci possit, denotetur, alias enim non potest lector non idem *subjectum*, eundem, cui factum, id quod vetatur, olim fuerit, nec sit faciendum rursus, intelligere.

5.) Viderunt Sociniani, quod modo observavimus; necesse esse, si quis velit intelligi, in constructione simili ei, quam nunc habemus, idem subjectum poni, laudant igitur *Deut. VI 16. Nolite tentare Jehovam Deum vestrum, quemadmodum tentastis in Massa.* Hic non additur *eum*, nec denuo repetitur: *Jehovam Deum vestrum*, Sed eundem intelligendum esse ita est clarum, ut nec Sociniani negent, factum autem ajunt, quod nullus alius præter eum, cujus expressum est nomen, subintelligi possit; & nostro loco, posse *Mosen*, *Aaronem* &c. intelligi. Miraberis hic lector, non videre imprudentissimos homines, se palam teneri. Agnoscunt Apostolum digitum intendere in *Numer. XXI. 5. ss.* Ibi narrantur Israëlitæ locuti esse adversus Deum & Mosen, eoque facto serpentes in eos immissos. Hinc patet in nostro loco ad *Corinthios*, post vocem ἐπείρασαν idem subjectum ponendum esse, de quo in loco *Numer.* agitur, nempe vel Deum, vel *Mosen*, vel utrumque. Apostolus autem, cum dixisset *Christum*, non potest utrumque intelligere, Christus enim non est *Deus & Moses* simul, nec *Mosen* solum, quis enim nescit vocabulum *Christum*, in

Novo Testamento usitatissimum, significare *JEsum Nazarenum*? Restat, ut intelligi voluerit *Deum*. Deus ergo Christus est. Quod quidem longe est certissimum. Tentarunt hunc Christum, ecclesiæ, in V. quoque Testamento, Caput; experiri voluerunt, utrum hic posset suis eam cibariorum copiam præbere, quam præbuissent Aegyptiorum Dii cultoribus suis. Reliqua misera effugia, quæ *Ge. Enjedinus*, homo *Transylvanus*, quæsivit, non digna quæ denuo excutiamus, vide, si placet, apud *Spenerum*, *p. 266, 267*.

---

143. E quo vero testimonio docere volunt gloriam Christi Esaiæ visam?

Ex eo, Jo. XII. 41. Hoc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.

144. Quod vero responsum ad eam rem affers?

Primum ea verba ad Christum non necessariò referri, hinc apparet, quod de Deo Patre accipi possint. Etenim verba paullo superiora de eodem dicuntur: Excœcavit, induravit, sanavit. 1.) Deinde gloria, quam *Esaias* vidit, poterat esse, immo erat, non præsens, sed futura. 2.) Etenim proprium est vatibus futura videre, unde etiam videntes appellati fuere. 1. Sam. IX. 9. Denique etiamsi de gloria ea, quæ tum præsens erat, Esaiæ visa, hæc verba accipias, longe tamen aliud est, gloriam alicujus videre & aliud ipsum-

ipsummet videre 3.) Et in gloria illius unius Dei, vidit etiam Esaias VI. 3. gloriam Christi Domini 4.) Ait enim ibidem vates: plena est terra gloria Dei. Tum autem hoc reipsa factum est, cum JEsus Christus illi populo primum apparuit, & post, toti mundo annunciatus est. 5.)

Notæ.

1.) Premi hoc illustri loco Socinianos, ipsi eo produnt, quod se in omnes partes misere torquent. Frustra quidem *De Patre*, inquiunt, *possunt hæc verba accipi Esaiæ* verba, quibus narrat, se vidisse Dominum, audisse ejus verba, ab eodem se missum &c. *Cap. VI. 1, 5, 8.* de Patre *accipienda* esse, non modo *accipi posse*, docemus omnes, sed ita de *Patre* agunt, ut & de *Filio* & de *Spiritu S* agant, est enim gloria Dei trinunius visa *Esaiæ*; verba Dei trinunius sunt audita Prophetæ, à Deo trinuno missus est. Quod tametsi Sociniani non credunt, nos saltem, cum è plurali numero post singularem *v 8. Quem ego mittam, quis ibit nobis*? tum è laudatione hujus capitis. *Jo. XII. & Act. XXV*III certo scimus. Sociniani autem scire debuerunt, contra nos nihil valere hoc ratiocinium: Potest de Patre intelligi, vel, si mavis, est de Patre accipiendum, ergo non accipiendum est de Filio; Hoc, inquam, ratiocinium in iis rebus, quæ in Deo ipso non fiunt, sed extra Deum, qualis est ostensio gloriæ, allocutio, missio Prophetæ, &c. non valet, hæ enim actiones sunt personarum omnium communes. *Joannis* autem *Esaiam* allegantis verba negamus *de Patre accipi posse*, nam liquet de Filio loqui *Joannem*, quem-

admo-

admodum *Lucæ*, *Act.* XXVIII. 25, 26. pariter ex eodem loco *Esaiæ* repetita verba, nec de Patre nec de Filio accipi possunt, sed accipienda sunt, ita volente *Luca*, de *Spiritu Sancto*. Redeamus ad *Joannem*, Hunc *Cap. XII.* 41. voce αὐτοῦ Christum intelligere, serio dubitare nequit, quicunque seriem orationis considerat v. 37. οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτὸν, *non credebant in eum*. In quem? JEsum certe; cujus proxime nomen antecesserat, nec fieri potest, ut aliter intelligas, v. 38. *Esaiæ* verba laudantur: *Domine, quis credit nobis & brachium Domini cui manifestatur?* Cœcutit, qui non videt, ideo hic verba *Esaiæ* impleta dici, quia Judæi, quamquam Christus tanta signa fecerat, tamen non crediderunt, ut est, v. 37. Itaque *Dominus* ille est Christus, *brachium ejus*, demonstratio signorum. Pergit *Joannes* laudare verba, quæ *Esaiæ*, VI. 9, 10 legimus, in compendium redacta, eodem per omnia sensu, sed ita in compendium redacta, ut discrimen personarum divinarum sit manifestissimum. Sic enim *Joannes*, v. 40. τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, *excæcavit eorum oculos*. Hic loquitur, is, qui loquitur, h. e. Deus in *tertia persona*, de alio, qui excæcaverit. Sequitur: καὶ ἰάσωμαι αὐτοὺς. *& sanem eos*, in *prima persona*: Unde pronum est colligere; loqui Filium Dei, cui nomen *JEsu* à salvando & sanando dandum fuerat, loqui autem de Patre, qui improbos Judæos ob præfractam malitiam suæ cœcitati & perversitati reliquisset. His ita expensis, dubitari non potest, eundem Christum esse, v. 41. cujus gloriam vidit *Esaias*, & de quo locutus est. Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Nam genuinam esse hanc lectionem, cui nec

controversiam Catechesis facit, haud opus est multis demonstrare.

2.) Aliud comminiscuntur Sociniani; *gloriam*, quam *Esaias* vidisset, fuisse *futuram*; proprium enim esse vatibus, futura videre. Hic paucis verbis opus est. Non videntur intelligere, quid sibi velint. Quando aliquid videmus, id tum, cum videmus, præsens esse, nemo sanæ mentis est, qui possit dubitare, si velit etiam ad dubitandum mentem suam torquere. Itaque ea gloria & magnificentia divina, quam *Esaias Cap. VI.* vidit, tum utique extitit, cum videretur. Hoc videntur velle; sæpe id, quod videtur, adeoque præsens est, vatibus rerum futurarum esse imaginem; Neque nos negamus *sæpe* ita rem habere, *semper* fieri, patet falsum esse, potissimum in apparitionibus divinis, ubi vatibus argumenta potentiæ & majestatis divinæ, non, quæ esset futura, sed, quæ extitisset & extaret perpetuo, nec foret desitura, demonstrata sunt. *Esaias* quidem hic de futuro non cogitavit, cum v. 6. se prædicat vidisse *Regem Dominum Zebaoth*, & qui poterat cogitare, non præsentem esse eum, à quo nunc ipse mitteretur ad populum, non vero, nescio quis, olim mittendus esset? Hic autem velim dicant Sociniani, quomodo expedituri sint caussam suam, si vel concederetur ipsis, quod imprudenter postulant, de *futura gloria* Prophetam loqui; ea sane esset *Christi* futura gloria, sed hic, cujus gloriam vates vidit, vocatur *Rex, Jehovah exercituum*. Hic ergo Christus est. Verum, qui hoc nomine, certissime omnipotenti Numini proprio, appellatur, de ejus divinitate dubitare nefas. Ita dum conantur elabi & fugere veritatem, constringuntur arctius.

3.) Est adhuc aliquid. *Aliud*, inquiunt, *est*, *videre aliquem ipsummet*, *aliud ejus gloriam videre* Omitto dicere, gloriam divinam ab ipso Deo non separari, ut

san:

sane, qui eam videt, ipsum videat. Esaias certe *regem Dominum Zebaoth* ipsummet vidit, nec de alia visione *Joannes* verba facit. Quid ergo disputatione opus?

4.) Nondum vacua pera Socinianorum. *In gloria*, inquiunt, *unius illius Dei, vidit etiam Esaias gloriam Christi.* Bene, ergo fatetur tandem Christi gloriam à Prophetis visam esse, itaque *Joannis* verba de *Patre* non sunt accipienda, quod voluit paullo ante Catechesis, sed de *Filio*, cujus gloriam vidit *Esaias*, in Patre tamen, nam minime nos refragamur huic rei, qui scimus unigenitum Filium esse εἰς τὸν κόλπον τῦ πατρὸς *in sinu Patris*. *Jo. I. 18.*

5.) Adjicit Catechesis: *Tum autem hoc reipsa factum esse, cum Jesus Christus illi populo primum apparuit, & post toti mundi annunciatus est.* Recurrit idem, quod *n. 2.* excussimus, *futuram* gloriam visam esse, sed ejus certe gloriam vidit, qui ipsum coram adeoque præsentissimus, alloquebatur, & mittebat. Ceterum novum hic imprudentiæ Socinianæ specimen, nam jugulant caussam suam, quando perhibent, *reipsa factum hoc esse, quod Propheta vidit, cum Jesus Christus primum apparuit, & post toti mundo annunciatus est.* De gloria summa, h. e. divina, certissime agit *Esaias*, quam si habuit Christus, cum *primum apparuit* non post ascensionem in cœlos demum accepit, quod pedibus manibusque contendunt Sociniani. Mendaces oportet esse memores. Nunc videndum & de recentiorum commentis sic ajunt: „Adde, „priora ista *Joannis* verba; *cum vidit gloriam ejus*, ad „prius ex prophetia *Esaiæ* allegatum sermonem recte re„ferri, posteriora, *& locutus est de eo*, ad allegatum „posterius. Nam, cum *prius allegatum à Joanne, v. 38. Sermonem; Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Esaias* ederet,

vidit

„vidit in Spiritu prophetico, ingentes illas, ut *Petrus* „loquitur, Christi glorias, quæ eum, post perpessiones „consequuturæ erant, & de illis vaticinatur, cap. *LII*. „*13, 14. 15. LIII. 1. & sequentibus*. Cum vero posteri„us a *Joanne v. 40.* adductum sermonem, *excœcavit* „*illorum oculos* enunciaret *Esaias*, locutus est in persona „sua de Christo, *Cap. VI. 8, 9.* Et videretur alioquin in„utilis tavtologia esse in istis *Joannis* verbis, si ad unum „*Esaiæ* locum utraque referrentur. Quid enim attinuisset „dicere, *Esaiam* locutum esse de Christo, quando vidit „gloriam ejus? An enim poterat de eo non loqui glori„am ejus visam enarrans? Itaque verba *Joannis*, & *cum* „*loqueretur de eo*, ad eum Esaiæ locum respiciunt, in „quo de Christo simpliciter, & absque visione gloriæ „ejus locutus est: Qui certe non potest is esse, ex quo „prius testimonium depromtum est. Proinde necesse est, „ut sit iste posterius allegatus.„ Hem, quam sudant miseri homines in pervertenda veritate! Ratio & oculi docent verba *Joannis*. *XII. 41.* Hæc dixit *Esaias*, cum *vidit gloriam ejus*, ad proxime præcedentia referri, & referenda forent si vel non esset additum, *cum vidit gloriam ejus*; nam hoc requirit omnium linguarum ratio; ut, ubi invenias, *hæc dixit*; de proxime antecedentibus accipias. Jam vero, cum hic character dicti *Esaiani* clatis verbis sit additus, nempe eo tempore hæc esse à Vate audita, deinde literis consignata, *quo vidisset gloriam Domini*, non putasses in hominem cadere posse, ut malit alibi, quam ubi verba laudata extant & hodie leguntur, & præfatio illa *prævisæ Domini gloriæ* habetur, *Esaiæ VI. capite*, quærere. Qua in re non est quod refutemus, sed quod doleamus insignem pervicaciam. *Esaiæ LIII. caput*, unde aliqua *Joannes v. 38.* laudaverat, volunt hic intelligi, tum visam esse Domini gloriam, post

perpessiones futuram. Sed omnes vident eo loco *prænunciatam* quidem esse Christi gloriam h. e. τὴν μετὰ τὰ παθήματα δόξαν, verum *visam* nulla ratione esse, nulla enim visio quæ tunc Prophetæ obtigisset, narratur. Frivola est criminatio *inutilis tavtologiæ*, quam esse putant, si ad unum *Esaiæ* locum referrentur utraque; *hoc dixit*, *cum vidit gloriam ejus*, &, *locutus est de eo.* Profecto, cum in tanta luce, nihilominus sint, qui negent *Esaiæ* verba de Christo agere, non ab re fuit sed summe necessarium, addere, & *locutus est de eo.* Perspicuitas igitur Prophetæ laudanda fuerat, non accusanda, quæ nusquam est, tavtologia.

144.] *E quibus verò testimoniis Scripturæ demonstrare conantur, Christum, ut loquuntur, incarnatum esse.*

Ex iis, ubi, secundum eorum versionem legitur: Verbum caro factum est, Jo. I, 14. Et, qui, (Christus) cum esset in forma Dei, non arbitratus est rapinam, se esse æqualem Deo, verum se ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Philipp. II. 6. 7. Et: Deus manifestatus est in carne, 1. Tim. III. 16. Et, Nec enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ebr. II. 16. Et, Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo est, 1. Jo. IV. 2, 3. Et, Ingrediens in mundum (Christus) dicit:

dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Ebr. X. 5.

145. Quomodo ad primum respondes?

Ea ratione, quòd in eo testimonio non habeatur, Deum, (ut loquuntur) incarnatum esse, aut, quod natura divina assumserit humanam 1.) Aliud enim est: Verbum caro factum est, aliud: Deus incarnatus est (ut loquuntur) vel natura divina assumsit humanam. Præterea, hæc verba: Verbum caro factum est, vel potius, sermo caro factus est, possunt & debent ita reddi; Sermo caro fuit. Posse reddi 2.) è testimoniis, in quibus vox ἐγένετο (quæ hic per factum est, translata est) verbo, fuit, reddita invenitur, apparet: ut in eodem capite ℣. 6. & Luc. XXIV. 19. Fuit homo missus à Deo, &c. &, qui fuit vir Propheta &c. Debere 3.) vero reddi per verbum, fuit, ordo verborum Joannis docet, qui valde inconvenienter locutus fuisset, sermonem carnem factum esse, id est, ut adversarii interpretantur, naturam divinam, (*error typograph. lege* humanam) assumsisse, postquam ea jam de illo sermone exposuisset, quæ nativitatem hominis JEsu Christi subsecuta sunt: ut sunt hæc: Joannem Baptistam de illo testatum esse; illum in mundo fuisse: à suis non fuisse receptum: quod iis, à quibus receptus

fuisset, potestatem dederit, ut Filii Dei fierent.

146. Qua ratione istud intelligendum est Sermonem carnem fuisse?

Quod is, per quem Deus voluntatem suam omnem perfecte exposuisset, & propterea à Joanne sermo appellatus fuisset, homo fuerit, omnibus miseriis & afflictionibus ac morti denique subjectus. Etenim vocem, caro, eo sensu Scriptura usurpat, ut ex iis locis perspicuum est, ubi Deus loquitur. Gen. VI. 3. Non contendet Spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est. Et Petrus, I. Petr. I. 24. Omnis caro ut foenum. 4.)

Notæ.

1.) *S. Ireneus*, *Martyr*, ut supra vidimus, *L. IV. Cap. 37. p. m. 240*, sic scripsit: *Est autem hic verbum ejus, Dominus noster Jesus Christus, qui in novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est hominem Deo.* Hic, si videret perversitatem Socinianorum, qua audent clarissimum locum *Joannis*, si posset ulla arte fieri, obscurare, audiretve hos videri tamen velle Christianos, qui apostolicam puritatem restituerent, quid quæso dicturus esset? Nempe initio repetiturus esset auream illam fidei professionem Christianæ, *L. I. cap. 2. p. m. 19.* „Ecclesia „per universum orbem usque ad fines terræ seminata & „ab Apostolis & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ „est

,,est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit ,,cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Et ,,in unum Jesum *incarnatum* pro nostra salute, & in Spiri- ,,tum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit &c.,, Dein- de arbitror in eum modum increpiturum fuisse audacissi- mos mortalium, Socinianos, ut increpuit *Ptolemæus* ejusque sectatores: *Libr.* I. *c.* I. *p.* 18. ,,Discite ergo in- ,,sensati, quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui ,,inhabitavit in nobis, idem ipse est Filius Dei, si enim ,,alius ex æonibus pro nostra salute caro factus est, æsti- ,,mandum erat de altero dixisse Apostolum. Si autem ,,verbum Patris, qui descendit, ipse est, & qui adscen- ,,dit, ab uno Deo unigenitus Filius, secundum Patris pla- ,,citum, *incarnatus* pro omnibus, non de alio aliquo, ,,neque de *ogdoade Joannes* sermonem fecit, sed de *Do- ,,mino Christo Jesu.* Neque enim *verbum* secundum eos ,,principaliter *caro* factum est. Dicunt enim *Sotera* in- ,,duisse corpus animale, de dispositione aptatum inenarra- ,,bili providentia, ut visibile & palpabile fieret. Caro ,,est autem illa vetus de limo secundum Adam facta plas- ,,matio à Deo, qua (lege *quam*) vere factum verbum Dei ,,manifestavit *Joannes*, & soluta est illorum prima & pri- ,,mogenita *octonatio*. Cum enim unus & idem ostendi- ,,tur *Logos* & *Monogenes* & *Zoë* & *Phos* & *Soter* & *Chri- ,,stus Filius Dei*, & hic idem *incarnatus* pro nobis, so- ,,luta est illa *octonationis* illorum compago. Hac autem ,,soluta, decidit illorum omnis argumentatio, quam fal- ,,so nomine somniantes infamant Scripturas ad propriam ,,argumentationem confingendam.,, vel dixisset *Irenæus* noster, quod legimus. *Libro* III. *cap.* XX. *p. m.* 181.,, ,,Ostenso manifeste, quod in principio verbum existens ,,apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui & sem- ,,per aderat generi humano, hunc novissimis tempori- ,,bus, secundum præfinitum tempus à Patre, unitum suo

„plasmati, passibilem hominem factum, exclusa est omnis „contradictio dicentium; Si ergo tunc natus est, non „erat ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc „cœpit Filius Dei existens semper apud Patrem, sed, „quando *incarnatus* & homo factus, longam hominum „expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis „salutem præstans, ut quod perdideramus in Adam, id „est, secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc „in Christo Jesu reciperemus.“ &c. Profecto incredibilis est audacia Socinianorum, qui contra antiquissimam fidem Christianam, verbum Dei *incarnatum* esse negant, in quos omnia, quæ ex *Ireneo* descripsi, dicta sunt, nisi quod de *ogdoade* habet, quæ illis hæreticis propria est. In *Joanne* negant extare, *Christum incarnatum esse*; sed, qui poterat hoc magis significantibus verbis dici, quam his ipsis; *Verbum*, seu *sermo*, nam de hac voce, etsi quæ lis sit *Erasmo Roterodamo* mota, haud nescio, non puto esse contendendum, *factus est caro*. Pulchrior est *Tertulliani* locus, *libro de Resurrect Carnis p. m. 41.* quam ut hic omittatur: „Sic enim præfatio Patris ad Filium: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. „Et fecit hominem Deus. Id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim „Deus, qui in effigie Dei constitutus non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille, jam tunc imaginem „induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus „erat, sed & pignus.„ Idem *Tertullianus*, *libr. de Carne Christi p. 15.* „Quod ergo angelis, Deo inferioribus „licuit, uti conversi in corpulentiam humanam, angeli „nihilominus manerent: hoc tu potentiori Deo aufers, „quasi non potuerit Christus, vere hominem indutus, „Deus perseverare.„ Plura nolo cumulare, nam totus *Tertulliani* liber *Marcioni* oppositus *Socini* quoque hæresin profligat, ceterum, quæ de *angelis* hic *Tertullianus* habet, non excutio.

2.) Posse

2.) Posse ἐγένετο verti, *fuit*, quantum ad Grammaticam attinet, non inficiamur, sed reliqua in dicto nostro, ita repugnant, ut *nullo pacto ita possit verti.* Nam, absurdissima illa significatio vocis *caro*, de qua illico dicetur, procul esse debet, & certum est *carnem* significare *hominem* seu *humanitatem.* Non potest autem *Joannes* hoc velle, *fuisse* Christum hominem, quasi desiisset esse; itaque non potest à sanæ mentis Interprete non sic verti: *factus est caro.*

3.) *Debere* verti *fuit*, ex ordine verborum *Joannis* frustra conantur ostendere. Videre poterant, cœpisse Apostolum de *Joannis Baptistæ* testimonio dicere, *v. 6, 7.* ipsum vero testimonium demum v. 15. narrari. Itaque commata, quæ intercedunt, mera sunt parenthesis, gravissimis quidem dictis plena. Narratur ingens inter Baptistam & Christum discrimen, *v. 7. & 8.* Porro, occupatur opinio, quæ in lectore nasci poterat, Christum ante hoc Baptistæ testimonium plane incognitum fuisse, itaque monet, Christum jamdudum fuisse in mundo, venisse etiam ante ἐνσάρκωσιν, variis modis ad populum suum, agnitum à paucis quidem, non tamen nullis, qui & ab ipso accepissent facultatem & jura filiorum Dei, quotquot nempe non sanguinis aut cujuscunque rei hujus seculi prærogativa confisi, divinitus essent mutati regenitique. Hæc exposita sunt usque ad v. 14. quo pulchre ipsa ἐνσάρκωσις peculiarisque modus veniendi ad Israëlem, quo adhuc Christus non venerat, enarratur. Denique v. 15. quod cœptum supra fuerat Baptistæ testimonium, edisseritur. Quo ordine quid esse possit magis concinnum, equidem nescio. Inscitiæ ergo pudere debuerat Socinianos.

4.) Si vel esset verum, vocem σάρξ alicubi *hominem miseriis & afflictionibus ac morti denique subjectum*

significare: nostro tamen loco ita abhorret ea significatio ab ipsa verisimilitudine, ut nihil possit magis inficetum cogitari. Quomodo enim, quæso, cogitabit lector de infirmitate & afflictionibus Christi eodem loco, quo legit *Joannem* de Christi gloria, quam vidisset cum Collegis suis, narrantem, quocum & se *cibum sumsisse* prædicat, hanc enim propriam significationem vocis σκηνόω *Xenophonti* familiaris esse, non multum dubito, quod & observavit Rev. *Ge. Raphelius Observ. S. è Xenoph. collectis ad h. l.* Verum neque hoc possunt idoneis exemplis probare Sociniani, quod de voce σάρξ perhibent, aliqui etiam nostratium ipsis, quoniam hac in re caussæ cardo non vertitur, concedunt. Hoc quidem constat, homines *homines* esse, & sic in Scriptura dici, i. e. qui non sint prævalidi, quibus facile aliquid accidat, quorum viribus non sit tuto nitendum. Sed *afflictos* utique hæc vox nusquam sonat, neque illis duobus locis, quæ à Socinianis laudantur. Nam, *Gen. VI. 3.* liquet, vel *carnem* esse, ut in N. T. sæpissime, *corruptam naturam hominis*, quæ nulla ratione de Christo dici potest, vel ipsam humanam naturam, quam Christus olim assumturus esset, nam hunc ipsum locum aliqui summa verisimilitudine de Christi *incarnatione* accipiunt. Qua de re alibi à me expositum est. *1. Petr.* I. *24.* certissime σάρξ idem est, quod homo, comparat enim carnem omnem floribus facile caducis. Pone, quod Catechesis vult, carnem significare *homines miseros & afflictos*; oratio hæc prodiret: Homines afflicti & miseri sunt instar graminis. Quod adeo contra mentem Apostoli est, ut maxime *gloriosos homines*, tamen instar graminis velit intelligi. Præter hæc, quæ nunc in *Racoviensibus* confutata sunt, nihil invenit Recentiorum ingenium, quod operæ sit pretium excutere. Recitabo tamen dilemma vehementer

obtusum

obrusum, quod addiderunt: „Si sermo proprie loquen„do caro factus est (neque enim nos à proprietate verbo„borum recedere quidquam cogit) aut jam fuit reipsa „aliqua persona, antequam caro factus est, aut nulla re„ipsa fuit. Si fuit, certe factus caro, id est, alia substan„tia, ea substantia, proinde & persona, quæ fuit, esse „desiit. Deus igitur ille unus non fuit. Si non fuit per„sona ulla reipsa existens, multo minus Deus ille unus „fuit.„ &c. Nemo ignorat, saltem, si quis sit, qui ignoret, potest ex iis locis veterum, quæ paullo superius descripta sunt, convinci, semper in ecclesia creditum, Christum fuisse personam, & secundam quidem divinitatis ante incarnationem ab æterno; Sed Socinianum ingenium negat fieri posse, quin si alia substantia factus sit sermo, desierit esse, quod ante fuerat. Si substantia ipsis idem est, quod *persona*, vox à nobis exposita supra, negamus nos Christum novam *substantiam* factum esse; si *naturam* significat; unde probabunt, nova natura adscita, priorem deponendam fuisse; Et si possent, quod non possunt, demonstrare in rebus omnibus creatis, quæ hinc consecutio ad res divinas? Fasne est, miseris suis ratiociniis Scripturæ, mysterium *ὁμολογουμένως μέγα* nobis pandenti, obstrepere? Ceterum laudo Socinianorum verba in parenthesi posita (*neque enim nos à proprietate verborum recedere quidquam cogit.*) Itaque vocem *σάρξ* proprie pro *homine*, non per tropum pro *afflicto homine* accipi oportet.

147. *Ad secundum quid respondes?*

Neque hîc extare, quod adversa pars confectum velit. 1.) Aliud enim est, quod hîc Apostolus ait; Cum in forma Dei esset, for-

mam servi assumsit. Aliud vero: natura divina assumsit humanam. Etenim hîc forma Dei designare non potest Dei naturam, cum Apostolus scribat, eam formam Christum exinanivisse, Deus vero naturam suam exinanire nullo modo potest. Nec vero forma servi denotat naturam humanam, cum servum esse ad fortunam & conditionem hominis referatur. Ac, ne illud quidem dissimulandum est, Scripta Novi Testamenti, hanc vocem formæ semel fortassis tantum alibi usurpare Marc. XVI. 12. idque eo sensu, quo non naturam, sed exteriorem speciem significat, cum ait: Jesum duobus discipulis suis apparuisse in alia forma.

148. Ex iis vero verbis, quæ Apostolus paullo post subjecit: Habitu inventus est ut homo; nonne apparet, eum, ut loquuntur, incarnatum esse?

Nullo modo. Etenim ea oratio nihil in se habet ejusmodi. De Samsone enim in literis Sacris legimus, quod idem futurus erat, ut homo. Jud. XVI. 7. & 11. & Psal. LXXXII. Asaph iis hominibus, quos Deos & Filios Altissimi vocaverat, denunciat, quod essent morituri, ut homines, de quibus certum est, non posse dici, eos, ut adversarii dicunt, incarnatos fuisse. 2.)

149. Quæ

149. Qua ratione vero locum hunc totum intelligis?

Ad eum modum, quod Christus, qui in mundo instar Dei opera Dei efficiebat, & cui, sicut Deo, omnia parebant, & cui divina adoratio exhibebatur, 3.) ita volente Deo, & hominum salute exigente, factus est tanquam servus & mancipium, & tanquam unus ex aliis vulgaribus hominibus, cum ultro se rapi, vinciri, cædi & occidi permiserit.

Notæ.

1.) Quoniam Sociniani vel non perceperunt vim argumenti è *Philipp. II. 6.* vel noluerunt accurate exponere, monendus est lector, neque nos per μορφὴν θεοῦ *divinam naturam*, nec per μορφὴν δούλου *humanam* intelligere; Itaque in ventos abit, quicquid hic disputant. Sic vero nos colligimus: a) μορφὴ θεοῦ significat *insignem gloriam*, ut μορφὴ δούλου *insignem humilitatem*, cujus gloriæ amplitudo ex eo magis apparet, quod dicitur εἶναι ἴσα θεῷ. b) Ea gloria non pertinet ad statum exaltationis, nam habuit eam Christus, antequam se exinaniret. c.) Non est destinata aliqua gloria, deinceps accipienda, sed, ut docent verba: ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, in qua jam fuisset, cujusque deposuit aliquandiu usum. Quæ, qui considerat, hoc inveniet, gloriam illam Deo æqualem, non, ob præstita Patri obsequia, in statu exaltationis demum datam, sed habitam multo ante, intelligi non posse, nisi Christum esse verum Deum admittas, verum item hominem. Nam, si homo tantum

esset,

esset, unde illi vere divina majestas ante exaltationem? Si Deus solum, qui potuisset fieri, quod non male observant Sociniani, ut in ipsa divinitate omnis mutationis experte, aliqua exinanitio contingeret? Itaque est Deus incarnatus, contulit per hanc assumtionem humanæ naturæ, in hanc, divinam suam majestatem. Hæc est μορφὴ Θεοῦ. Verum eadem in sua hac humanitate aliquandiu non est usus; hæc est κένωσις. Unde apparet, quam præclare nostra publica doctrina cum *Paulli* dicto congruat, quantum vero ab eodem discedat Sociniana perversitas.

2.) Quo fine huc laudentur, *Judic. XVI. 7. 11.* & *Psalm. LXXXII. 7.* non ita in aprico est. Nemo nescit inter homines discrimen esse ratione virium. Itaque *Simson* peculiari gratia divina privatus, utique futurus erat, ut aliquis reliquorum hominum. Quid vero hoc ad nostram caussam? De loco *Psalmi* dicam, oblata hac occasione, quamquam ad præsentem cum Socinianis controversiam nihil attinet, conjecturam meam, a qua *Raschium* Judæum non alienum esse, deinceps cognovi. Sic expono: *Moriemini, ut Adamus*, homo primus. *Cadetis ut unus Principum*; h. e. *Lucifer*. seu *Beelzebub*.

3.) Misere sui obliviscuntur Sociniani. Itane Christo *divina adoratio exhibebatur ante statum exaltationis*? Jam tum instar Dei opera Dei efficiebat & ipsi, sicut Deo, omnia parebant? *Smalcius*, germanicæ versionis Catecheseos auctor, *responsione ad librum Smiglecii*, *Racoviæ, an. 1613.* edita, *p. 93.* sic scripsit: „Non „omnia certa esse, quæ affirmat *Smiglecius*, hinc con„stat quod probari nequeat, Christum, quamdiu morta„lis fuit, vel, ante suam exaltationem, summam in ho„mines potestatem habuisse. Nam primum, respectu „illius temporis, minister circumcisionis, h. e. populi „Israelitici appellatur. Ministrum autem esse & Domi-

num,

„num hominum absolute & reipsa, pugnant invicem.
„Deinde, tunc temporis potestatem servandi homines &
„immortales nos efficiendi, quod ad dominium divinum
„in homines necessario requiritur, nondum habuit. Fuit
„enim tunc ipsemet Christus mortalis. Nemo autem id
„dare potest alteri, quod ipse non habet. &c.„ Ita *Ostorodus* Unterrichtung. *Cap. XIX. p. 124.* Niemand zvveiffelt, dass Christus Göttl. Macht und Herrschafft hab, so vvohl im Himmel, als auf der Erden. Kurz zu sagen, dass Er aller Herr sey, sovvohl der Engeln als der Menschen, und darum von allen, vvie GOtt selber müsse geehret vverden. Nur hierin stehet der Zvveiffel, ob Christus solch ein Herr sey von ihm selber, und also ob Er der einige GOtt selber sey, oder nicht? Diesen Zvveiffel löset uns hier der Apostel auf, mit diesen Worten; In vvelchen Er klärlich bezeuget, dass Christus ohne vorhergehende Ursach, so hier klärlich beschrieben, nehmlich ohne den Gehorsam biss zum Todt, zu solch einer Herrschafft nicht gekommen &c. Sed homines hosce non videtur pudere manifestissimæ contradictionis. Recentiores vero eadem chorda oberrant.

150. Ad tertium vero quid respondes?

Primum quidem, quod in multis exemplaribus vetustis & in ipsa Vulgata 1.) non legatur vox Deus. Quare ex eo loco certum nihil concludi potest. Deinde, etiamsi ea vox legeretur, nullam esse caussam, cur ad Patrem referri non possit, cum hæc de Patre affirmari possint, eum apparuisse in Christo & Apostolis, qui caro fuerunt. 2.) Quod autem inferius legitur, secundum usitatam versionem

sionem: receptus est in gloriam, id in græco habetur: Receptus est in gloria: id est, cum gloria, aut gloriose. 3.)

151. Quæ verò futura est hujus testimonii sententia?

Ut eo melius sententiam testimonii hujus assequi valeas, integrum illud recitabo, siquidem Apostolus ait: Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatus est gentibus, fides habita est illi in mundo, receptus est in gloria. Cujus testimonii sententia est hæc: Religionem Christi plenam esse mysteriis. Nam Deus, id est, voluntas ipsius 4.) de servandis hominibus, per homines infirmos & mortales perfecte patefacta est. Et nihilominus tamen propter miracula & virtutes varias, quæ per homines illos infirmos & mortales editæ fuerant, pro vera est agnita: Eadem ab ipsis Angelis fuit demum perspecta: non solum Judæis, verum etiam gentibus fuit prædicata: omnes ei crediderunt, & insignem in modum, & summa cum gloria recepta fuit.

Notæ.

1.) Summum consensum codicum græcorum in nostra lectione docere poterunt lectorem, Jo. Pearsonius, ad artic.

artic. secundi. Symb. Apostol. cujus doctissimam commentationem repetiit ad *1. Tim. III. 16. Io. Clericus in notis, quas Hammondianis adjecit.* item *Millius* in editione sua. Summus, inquam, est consensus, nisi quod de *Claromontani* codicis lectione disputant. Itaque & *Smalcius in versione Catecheseos Germanica* monet, in exemplaribus vetustis, NB. *Latinis*, (in sehr viel alten lateinischen Exemplaren) non legi vocem *Deus* Rectius igitur hoc argumento, quod tamen recentiores repetunt, laudata aliquot latinorum Patrum auctoritate, abstinuissent Sociniani. Sed, postquam decretum est repudiare veritatem, arripiendum videtur, quicquid possit fortasse fucum lectori facere. Noster vero locus ita sua luce radiat, ut contortissimam interpretationem in Catechesi nemo bonus sine indignatione legere possit.

2.) Non omnia prædicata hic in Deum Patrem cadunt, at in Filium Dei, Dominum nostrum, omnia pulcherrime. Quid enim sibi vellet: *Deum Patrem manifestatum esse in carne*? Si vel posset, quod quidem longissime absit, ferri perversio Sociniana vocis *carnis*. Narrat enim Apostolus certissime beneficia Novi Testamenti, verum non tum demum, sed longissime ante, Deus per fragiles & mortales homines, quales *Abrahamus*, *Moses*, & Prophetæ reliqui omnes, fuerunt, manifestatus fuerat. Verum nolo exagitare hanc opinionem, quam ipsa Catechesis illico deserit, non vult enim intelligi *Deum Patrem*, sed *voluntatem Dei*, immo neque hanc, sed *Evangelium*.

3.) Quamquam critica observatio Socinianorum, ut fere omnes horum hominum, nullius pretii est, nemo enim nescit, ἐν cum εἰς permutari frequentissime, tamen hic contendere nollim. Sit ergo, quando ita volunt, ἐν δόξῃ *gloriose*. Ita sane assumtus est in cœlum Christus Domi-

nus

nus noster, sed quomodo possit *voluntas divina gloriose recepta* esse, (de perversione enim vocum ἀναλαμβάνω & θεὸς agetur paullo post) non facile dixeris. Si *cupide*, *pie*, vel simili aliquo vocabulo; receptum dixisset *Evangelium*, quæ quidem vox melius huc quadraret, quam *voluntas Dei*; posset intelligi. At quomodo *gloriose* recepta est voluntas Dei? Patefactam gloriose, largior, teste Apostolo; *2. Cor III.* At in recipientibus Evangelium, maximam partem de vili plebe, splendor certe & magnificentia, quæ sensus externos feriat, nulla. Sed mitto hæc, sunt enim graviora, quæ hic carpas.

4.) Qui vocem ἀνελήφθη de Christi ascensione in cœlum legit adhibitam, *Marc. XVI. 19. Act I. 2. 11.* conf. *Luc.* I. *59.* non potest non, cum præsertim de Christo hic omnia egregie concinant, & nostro loco, de Christo in cœlum sublato, cogitare. Et sane nunquam vidi idoneum exemplum; quo esset verbum ἀναλαμβάνω pro *nuda admissione*, accipiendum. Omnia, quæ vidi, & ipsa vocabuli origo jubent intelligi, aliquid, quocunque modo, in cœlum, in currum, in navim, in superiorem terræ plagam, adduci. Vid *Act. VII. 43. X. 16. XX. 13. 14. XXIII. 31. Ephes. VI. 13, 16. 2 Tim. IV. 11.* De receptione seu admissione Christi ejusque Evangelii in hominibus, frequens est usus verbi παραλαμβάνειν, v. c. *1. Thess. II. 13. IV. 1. Philipp. IV. 9. 1. Cor. XV. 1. Coloss* II. *6.* Porro vocabulum Θεὸς qua violentia exponitur per *voluntatem Dei*? Sed neque hanc intelligunt, verum nova violentia, pro voluntate Dei *verbum Evangelii* accipiunt. At, cum ne singulæ quidem voces Θεὸς & ἀναλαμβάνειν ullo exemplo, ulla verisimilitudine, ita possint explicari, ut volunt Sociniani; Conjunctæ certe ita abhorrent à perversione Sociniana, ut risum i-

ri, credam, si quis Græco homini persvadere ausit, Θεὸς ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, esse, *verbum Dei de salute nostra acceptum est insignem in modum.* Quæ adeo indignitas, cum de Christo omnia perspicua & plana sint, non intelligere de eo omnia? Ergo hic est, qui manifestatus est in carne, scil: ut, qui carnem videret, ipsum videret. Id assumta humana natura factum esse, novimus, neque ullum restat de explicationis nostræ veritate dubium, quando in aprico est Socinianæ sententiæ perversitas. Manifestatus autem ita est, ut *fieret ipse caro. Jo. I. 14.* Nihil addo, quoniam absurditatum pertæsum est, nisi vocis σάρξ acceptionem Socinianam adversari appositæ voculæ πνεύματι. Quid enim erit jam: *Justificatus est in Spiritu*; si, *manifestatus in carne*, idem est, quod *per fragiles homines*? Facile apparet, ut πνεῦμα aliquid est in Christo, quo se esse eum, qui erat, demonstravit, nempe *divinitas*, seu *natura divina*: ita *carnem* esse eam naturam, in qua, persona divina, in conspectum hominum prodiit. Utroque ergo vocabulo, πνεῦμα & σάρξ non extra Christum aliquid, sed utraque ejus natura significatur.

152. *Ad quartum ut respondes?*

In eo, ne similitudinem quidem incarnationis (ut vocant) apparere: 1.) cum is Scriptor non dicat Christum assumsisse, (ut quidam reddunt, & vulgo eo sensu accipiunt), sed assumere; 2.) nec dicit naturam humanam, sed semen Abrahæ: quod in literis Sacris notat eos, qui in Christum crediderunt, ut, Gal. III. 29. videre est. 3.)

153. Qui vero sensus erit hujus loci?

Id sibi vult is scriptor, Christum non esse Servatorem Angelorum, sed hominum credentium, qui, quoniam & afflictionibus & morti subjecti sunt, (quam rem superius expressit per participationem carnis & sanguinis: 4.) propterea Christus ultro illis se submisit, ut fideles suos à mortis metu liberararet & in omni afflictione iisdem opem afferret.

Notae.

1.) Indubitata est veritas antiquissimis ecclesiæ doctoribus, Christum fuisse incarnatum & ideo quidem, ut posset mori pro peccatis generis humani. Ita *Tertullianus*, licet nostro dicto, quemadmodum nec reliqua epistola ad Ebræos, minime utatur, de *carne Christi*, p. 19." „Igitur, qui carnem Christi ad exemplum proponunt „angelorum, non natam dicentes, scilicet carneam, com„parent velim, & caussas tam Christi, quam & ange„lorum, ob quas in carnem processerunt (alias *venerunt*:) „Nullus unquam Angelus ideo descendit, ut crucifigeretur, „ut mortem experiretur; ut à morte resuscitaretur. Si nun„quam fuit ejusmodi caussa angelorum corporandorum, „habes caussam, cur non nascendo acceperint carnem. Non „venerant mori, ideo nec nasci. At vero Christus mori „missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset. „Non enim mori solet, nisi quod nascitur,„ post pauca:„ „Quod quia id, quod nascitur, moritur, non compe„tebat non nasci, pro quo mori competebat? Atqui tunc „quoque inter illos Angelos ipse Dominus apparuit „Abrahæ, sine nativitate, cum carne scilicet, pro eadem

„caussa

„caussæ diversitate, sed vos hoc non recipitis, non eum „Christum recipientes: Quia jam tunc & adloqui & li„berare & judicare humanum genus ediscebat in carnis „habitu, non natæ adhuc, quia nondum moritura, nisi „prius & nativitas ejus & mortalitas adnunciarentur &c.„ At Sociniani nusquam vident incarnationem Christi: Nostro autem loco cumprimis res oppido clara est. v. 10. De via ad gloriam, non nisi per passionem ineunda dicere cœperat Apostolus, ejusque rei hanc dixerat caussam, quod ipse Dei Filius alios etiam filios, ad gloriam æternam perducturus fuisset. Itaque v. 11. ostenditur, fratres esse Christum & pios, id ita futurum fuisse, testimoniis V. T. *hoc & 12, 13.* versibus comprobatur. Qua ratione vero factum sit, v. 14. exponitur, de cujus commatis horrenda perversione paullo post dicendi locus erit. Sub finem versus & sequenti *commate 15.* explicatur caussa hujus fraternitatis, nempe, ut posset pro hominibus, fratribus suis, mori. Horum autem, non angelorum fratrem esse, probatur, quia nusquam legitur angelicæ naturæ, sed seminis Abrahæ particeps esse v. 16. Hinc illam, quam exponere Apostolus cœperat, in patiendo similitudinem ortam esse v. 17, 18. Hic nexus cum sit pulcher & clarus, nullique vocabulo non tribuatur sua nativa significatio, non possumus non tradere veritati victas manus.

2.) Frigida est objectiuncula, non esse præteritum: *assumsit*, sed præsens *assumit*. Quasi non soleret Apostolus testimonia V. T. & res olim gestas, sed in Scriptura narratas, qualis & hæc est de Christo, non Angelorum sed Abrahæ naturam assumente, in præsenti tempore eloqui. v. g. *Cap. I. 6, 7.* λέγει *dicit pro* ἔλεγε, *dixit*, *Cap. III. 2.* πιστὸν ὄντα, *pro* γεγονότα. *Cap. II.* 11. ἐπαισχύνεται, *non pudet enim*, pro ἐπῃσχύνθη, *puduit. Cap. IV.* 3. εἰσερχόμεθα, pro εἰσελευσό-

λειπόμεθα. v. 7. ὁρίζει pro ὥρισε. *Cap. V.* 4. λαμβάνει pro ἔλαβε. v. 6. λέγει pro ἔλεγε. *VII.* 13. λέγεται pro ἐλέγετο, v. 17. μαρτυρεῖ pro ἐμαρτύρησε. *X.* 5. εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει, pro ἔλεγε. Taceo cetera.

3.) *Semen Abrahæ* fideles omnes, interdum, & ipso illo loco, *Galat.* III. 29. dici, præclare sciveramus vel tacentibus Socinianis, sed ad nostrum locum hoc mihil attinet. Ut brevis, sim expendatur modo v. 17. *Propterea debuit in omnibus fratribus similis fieri:* Cur *fratribus*? qui factum, ut homines essent Christi fratres? certe, non quod ipsos tuendos Christus accepisset; nam, tueri me potest, qui non sit frater meus. Sed, quod ipsorum naturæ esset factus particeps. Hoc ita dilucidum lectori arbitror fore, ut plura, præsertim de voce ἐπιλαμβάνεσθαι, quæ difficillime exponitur à Socinianis *tueri*, non sit opus addere. Tam abhorret ab ipso communi sensu perversio Socinianorum, qui Christum ideo volunt pati & in afflictionibus tolerandis, similem debuisse esse Christianis, quoniam horum Servator esset: quam pulchra est Apostoli collectio: quoniam frater est hominum Christus, decuit hunc eorum afflictiones & ipsum gustare.

4.) Plane obstupescendum, fieri potuisse, ut, qui sapere sibi videtur v. 14. capitis nostri, in eum modum, ut à Catechesi factum est, torqueat. Minime obscura est locutio: τὰ παιδία κοινωνεῖ σαρκὸς καὶ αἵματος! *Filii communem habent carnem & sanguinem.* Ita in lexicis exhibent illud *Platonis:* Κοινωνῶ σοι τῦδε. *Hoc tecum commune habeo. Xenophontis* etiam σίτου καὶ ποτοῦ κοινωνεῖν, *cibo & potu communiter uti.* Qui plura velit exempla, consulat *Scheidii indicem in Herodian.* voce

κοινω-

κοινωνίαν. Idem plane significat verbum μετέχω. Nam quamvis nolim carpere eos Theologorum, qui hoc vocabulo putant significari eum, qui particeps rei alicujus fit, jam antea extitisse, & suo concilio factum esse participem, quod de voce κοινωνεῖν dici nequeat; Mihi tamen videor observasse, utriusque verbi promiscuum usum, sive fuerit antea, qui nunc aliquid cum altero commune habet, sive non fuerit. Neque vero opus habemus in præsenti negotio illa observatione. Nam, quis non videt, si ideo particeps est carnis & sanguinis nobiscum communis, Christus, ut possit pro peccatis generis humani mori, non fuisse moriturum, si non esset particeps. Frigidum autem foret, dicere, *ideo*, quæ vox consilium notat, hominem esse factum Christum, ut posset mori, si ne quidem ante hos natales extitisset, atque adeo consilio uti potuisset. Quam in rem eleganter verba facit *Augustinus contra Serm. Arrianor. Tom. VI. Opp. p. 658.* „Dominus Jesus honorans facturam suam dignatus est „humanam carnem suscipere & ostendere, quia non est „homo vilis sed preciosus, sicut scriptum est: Magnus „homo & preciosus vir. Et ideo solum hominem, Pa„tri suo hæredem, sibi cohæredem facere dignatus est, „ut, quod minus acceperat in natura, plus acciperet in „honore.„ Vox παραπλησίως autem, quam habet Apostolus, quæ & significat eandem quidem naturam, quæ nostra est, à Christo assumtam esse, sed non eodem, verum simili tantum modo, movet me huc describere ejusdem *Præsulis Hipponensis* verba, *Tractat. XXV. in Joann. Tom. IX. Opp. p. 217.*„ Istum Filium hominis „nolite sic accipere, quasi alios filios hominum, de qui„bus dictum est: Filii autem hominum in protectione „alarum tuarum sperabunt. Iste Filius hominis seque„stratus quadam gratia Spiritus, & secundum carnem „Filius hominis, exceptus à numero hominum Filius „hominis est. Iste & Filius hominis & Filius Dei est.

„Iſte homo etiam Deus eſt.„ Hic ceterique orthodoxi Patres omnes rectius intellexerunt, quid *caro* ſit & *ſanguis*, nempe *humana natura*, quam Catecheſis, quæ nullo licet exemplo ſuffulta, audaciſſime perhibet, *carnem* & *ſanguinem* ſignificare *afflictiones & miſerias*. Recentiores Sociniani non melius quidem, ſed callidius tamen ſic exponunt noſtrum dictum: „Id ſibi vult is Scriptor, „Chriſtum nusquam dici liberatorem & aſſertorem An„gelorum; Sed Abrahamidarum, i. e. hominum creden„tium: hos veluti manu injecta, ex ſervitute, ob mor„tis metum, in libertatem vindicat.„ Callide omittunt dicere de *afflictione & miſeria*, ſed obliti ſunt, ſe paullo ante dixiſſe, per Chriſtum angelos quoque in eum ordinem, quem antea non habuerant, digeſtos, itaque ſi hoc verum eſt *apprehendit*, ut illi vocem græcam male vertunt, Chriſtus etiam Angelos.

---

154. Quomodo vero reſpondes ad quintum teſtimonium?

Etiam in eo nihil prorſus de incarnatione, quam vocant, haberi. 1.) Etenim, quod apud [illegible]osdam legitur: Venit in carnem, in Græco [illegible]betur, in carne venit. Præterea non ſcri[illegible]t Joannes, quod Spiritus, qui confitetur, [illegible]uod Jeſus Chriſtus in carne venerit, ex Deo eſt [illegible], quod is Spiritus, qui confitetur J[illegible]iſtum, qui in carne venit, 2.) ex [illegible] Quorum verborum ſenſus eſt; eum [illegible] ex Deo eſſe, qui confitetur Jeſum [illegible]qui munus ſuum in terris ſine ulla pom[illegible] oſtentatione mundana, ſumma cum humi-

humilitate quoad exteriorem speciem, summoque cum contemtu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum aut populi Dei regem. 3.)

Notæ.

1.) Ante-Nicæni Patres hoc dicto *Joannis*, *1. epist. IV. 2, 3.* pugnant ubique, neque aliter, quam nos hodie intellexerunt, de *incarnatione* autem agi plane non dubitarunt. Sufficiet audisse *Irenæum*, *Libr. III. c. 18. p. m. 177.* Sed & Paullus ait: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Per quod „manifestum est, quoniam omnia, quæ præcognita „erant à Patre, ordine & tempore & hora præcognita, „& apta, perfecit Dominus noster, unus quidem & idem „existens, dives autem & multus. Diviti enim & multæ voluntati Patris deservit, cum sit ipse Salvator eorum, „qui salvantur, & Dominus eorum, qui sunt sub Do„mino, & Deus eorum, quæ constituta sunt, & uni„genitus Patris, & Christus, qui prædicatus est, & „verbum Dei incarnatus, cum advenisset plenitudo tem„poris, in quo Filium hominis fieri oportebat Filium „Dei. Igitur omnes extra dispositionem sunt, qui sub „obtentu agnitionis, alterum quidem Jesum intelligunt, „alterum autem Christum, & alterum unigenitum. Ob „hoc autem rursum esse verbum & alterum Salvatorem, „quem etiam eorum, qui in Demiurgi ratione facti sunt, „æones, emissionem esse dicunt, hi, qui sunt erroris „discipuli, qui à foris quidem oves, per eam enim, quam „habent extrinsecus loquelam, similes nobis apparer „eadem nobiscum loquentes, intrinsecus vero lupi. S „tentia enim eorum homicidialis Deos quidem pl

„Ille homo etiam Deus est.„ Hic ceterique orthodoxi Patres omnes rectius intellexerunt, quid *caro* sit & *sanguis*, nempe *humana natura*, quam Catechesis, quæ nullo licet exemplo suffulta, audacissime perhibet, *carnem* & *sanguinem* significare *afflictiones & miserias*. Recentiores Sociniani non melius quidem, sed callidius tamen sic exponunt nostrum dictum: „Id sibi vult is Scriptor, „Christum nusquam dici liberatorem & assertorem An„gelorum; Sed Abrahamidarum, i. e. hominum creden„tium: hos veluti manu injecta, ex servitute, ob mor„tis metum, in libertatem vindicat.„ Callide omittunt dicere de *afflictione & miseria*, sed obliti sunt, se paullo ante dixisse, per Christum angelos quoque in eum ordinem, quem antea non habuerant, digestos, itaque si hoc verum est *apprehendit*, ut illi vocem græcam male vertunt, Christus etiam Angelos.

154. Quomodo vero respondes ad quintum testimonium?

Etiam in eo nihil prorsus de incarnatione, quam vocant, haberi. 1.) Etenim, quod apud quosdam legitur: Venit in carnem, in Græco habetur, in carne venit. Præterea non scribit Joannes, quod Spiritus, qui confitetur, quod Jesus Christus in carne venerit, ex Deo est, verum, quod is Spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, 2.) ex Deo est. Quorum verborum sensus est; eum Spiritum ex Deo esse, qui confitetur Jesum illum, qui munus suum in terris sine ulla pompa & ostentatione mundana, summa cum humi-

humilitate quoad exteriorem speciem, summoque cum contemtu obiverit, mortem denique ignominiosam oppetierit, esse Christum aut populi Dei regem. 3.)

Notæ.

1.) Ante-Nicæni Patres hoc dicto *Joannis*, *1. epist. IV. 2, 3.* pugnant ubique, neque aliter, quam nos hodie intellexerunt, de *incarnatione* autem agi plane non dubitarunt. Sufficiet audisse *Irenæum*, *Libr. III. c. 18. p. m. 177.* Sed & Paullus ait: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Per quod „manifestum est, quoniam omnia, quæ præcognita „erant à Patre, ordine & tempore & hora præcognita, „& apta, perfecit Dominus noster, unus quidem & idem „existens, dives autem & multus. Diviti enim & mul- „tæ voluntati Patris deservit, cum sit ipse Salvator eorum, „qui salvantur, & Dominus eorum, qui sunt sub Do- „mino, & Deus eorum, quæ constituta sunt, & uni- „genitus Patris, & Christus, qui prædicatus est, & „verbum Dei incarnatus, cum advenisset plenitudo tem- „poris, in quo Filium hominis fieri oportebat Filium „Dei. Igitur omnes extra dispositionem sunt, qui sub „obtentu agnitionis, alterum quidem Jesum intelligunt, „alterum autem Christum, & alterum unigenitum. Ob „hoc autem rursum esse verbum & alterum Salvatorem, „quem etiam eorum, qui in Demiurgi ratione facti sunt, „æones, emissionem esse dicunt, hi, qui sunt erroris „discipuli, qui à foris quidem oves, per eam enim, quam „habent extrinsecus loquelam, similes nobis apparent, „eadem nobiscum loquentes, intrinsecus vero lupi. Sen- „tentia enim eorum homicidialis Deos quidem plures

„confingens & Patres multos simulans, comminuens au-„tem & per multa dividens Filium Dei, quos & Do-„minus nobis cavere prædixit, & discipulus ejus *Joannes*. „in prædicta epistola fugere eos præcepit. Multi sedu-„ctores exierunt in hunc mundum, qui non confitentur „Jesum Christum in carne venisse. Hic est seductor & „Anti christus, videte eos, ne perdatis, quod ope-„rati estis. Et rursus in epistola ait: Multi pseudopro-„phetæ exierunt de seculo. In hoc cognoscite Spiritum „Dei; Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum „in carne venisse, ex Deo est. Et omnis Spiritus, qui sol-„vit Jesum Christum (de hac antiquissima lectione videa-„tur *Millius*, & nos aliqua subjiciemus) non est ex Deo, „sed ex Anti christo est. Hæc autem similia sunt illi, „quod in Evangelio dictum est: quoniam verbum caro „factum est, & habitavit in nobis. Propter quod rur-„sus in epistola clamat: Omnis, qui credit, quia Jesus est „Christus, ex Deo natus est, unum & eundem sciens „Jesum Christum, cui apertæ sunt portæ cœli, pro-„pter carnalem ejus assumtionem, qui etiam in eadem „carne, in qua passus est, veniet, gloriam revelans Pa-tris.„. De ceteris antiquissimæ Ecclesiæ doctoribus su-persedeo hic dicere. Judicet autem lector, quid de cœcitate Socinianorum arbitrandum sit, qui in claro & nunquam dubitato *Joannis* loco, incarnationem videre nequeunt, & ipsum vocabulum, quasi novum, ad-ditis vocibus: *ut ipsi loquuntur;* subinde improbant.

2.) *In carne* est, inquiunt, non, *in carnem*. Verum hoc nihili est. Nam *εἰς* & *ἐν* frequenter vices permutare, notius est, quam ut repeti debeat. Vide tamen *Matth.* *XVI. 28. 1. Thess.* I. 8. *Ebr* IV. 11. Quæ loca *B. Balduinus* jam observavit. Sed, fac esse, quod volunt. Venit sane Christus *in carne* & *in carnem*, & cum hoc posterius tantum de susceptione naturæ humanæ in utero b.

Virgin.

Virginis intelligi possit, malim ita loqui, Christum venisse ad nos *in carne*, h. e. in illa ipsa à Maria accepta humanitate. Vehementer autem absona est κρίσις Catecheseos, non legi: qui confitetur, *quod Jesus Christus in carne venerit*, sed, *qui confitetur Jesum, qui in carne venit*. Nam si nolis etiam admittere lectionem vetustissimi codicis Vaticani, à *Paullo Bombasio*, viro docto, collati, ut ipse in epistola ad *Erasmum Roterodam.* narrat, quæ in *Epistolis Erasmi* L. XVII. p. m. 543. extat, vel ideo memorabilis, quod *Erasmum* jam *anno 1521. d. 18. Jun.* miris modis contra *Lutherum*, *Leonis* X. jussu, instigavit. Eam inquam lectionem, *vetustissimis characteribus* scripti codicis, qui habet πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι *Jesum Christum in carne venisse*: morosus tamen sit, qui neget utramque lectionem *participii* & *infinitivi* ejusdem esse sententiæ. Nam, ut *2. Tim. II. 8.* μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, hoc sibi vult: Recordandum esse non modo ejus Jesu, qui resurrexisset de mortuis, sed hoc ipsum, quod resurrexisset, maxime cogitandum. Ita & nostro loco *Joannes* non hoc tantum vult, fatendum eum Jesum, qui in carne venisset, posse tamen aliquem ab isto adventu in carne mentem cogitationemque avertere, sed jubet nos inprimis istum adventum cogitare & profiteri. Nam simpliciter Jesum fateri, non addito, quid de eo fatearis, nihil esset. Videbit lector ex hoc aliisque exemplis, quam parum boni Critici Sociniani nostri sint, & quam sine ratione eruditionis haud vulgaris gloriam sibi vindicent, & nimis liberaliter ab aliquot nostratibus obtineant; Quæ laudes, etiamsi virtutem in hoste & ipse laudandam censeo, immeritæ, maxime cum nostratum Scripta simul carpuntur, in juventutis animis, nescio quam opinionem de adversariis

verſariis noſtris & ſententia eorum parere ſolent, contemtum veritatis & ſcintillulas amoris errorum graviſſimorum. Mihi videtur Socinianus homo fuiſſe, qualem nobis narrat *Neſtorium Socrates;* Cujus, quoniam & noſtrum locum attigit, verba aliqua huc deſcribam. *Hiſt. Eccleſ L. VI cap. 32. p m 374.* Ἐγὼ δὲ ἐντυχὼν τοῖς παρὰ Νεστορίου λόγοις δοθεῖσιν, ἀγνοοῦντα ἐφωρίσκα τὸν ἄνδρα, καὶ μετ᾽ ἀληθείας ἐρῶ, οὐδὲ γὰρ οὔτε ἀπεχθανόμενος πρὸς αὐτὸν, ὧν εἶχεν, ἐλαττωμάτων, ἐμνήσθην. οὔτε χαριζόμενός τισιν, ἐλαττοῦντα, ὧν ἔφερον, ἐκθήσομαι. Ἐμοὶ δοκεῖ ὁ Νεστόριος οὔτε τὸν Σαμοσατέα Παῦλον ζηλῶν, οὔτε μὴν Φωτεινὸν, μηδ᾽ ὅλως ψιλὸν ἄνθρωπον λέγειν τὸν κύριον, ἀλλὰ τὴν λέξιν μόνην ὡς τὰ μορμολύκεια πεφόβηται. Καὶ τοῦτο πέπονθεν ὑπὸ ἀμαθίας πολλῆς. Φυσικὸς γὰρ εὔλαλος ὢν πεπαιδεῦσθαι μὲν ἐνομίζετο. Τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἀνάγωγος ἦν. καὶ τὰς τῶν παλαιῶν ἑρμηνέων βίβλους ἀπηξίου μανθάνειν. Τυφούμενος γὰρ ὑπὸ τῆς εὐγλωττίας οὐκ ἀκριβῶς προσεῖχε τοῖς παλαιοῖς. Ἀλλὰ πάντων κρείττονα ἐνόμιζεν ἑαυτόν. αὐτίκα γὰρ ἠγνόησεν, ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ Ἰωάννου γέγραπτο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις. ὅτι πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι. Ταύτην γὰρ τὴν διάνοιαν ἐκ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων περιεῖλον οἱ χωρίζειν ἀπὸ τοῦ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου βουλόμενοι τὴν θεότητα. διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ ἑρμηνεῖς αὐτὸ τοῦτο ἐπεσημήναντο, ὥς τινες εἶεν ῥᾳδιουργήσαντες τὴν ἐπιστολὴν, λύειν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸν ἄνθρωπον θέλοντες. „Ego vero, cum libros à *Neſtorio* editos legiſſem, ho„minem imperitum eſſe deprehendi. Prorſusque dicam, „ut ſe res habet. Nam neque odio & inimicitia addu-

ductus,

„ctus, vitia illius antea commemoravi: Nec, ut qui-
„busdam gratificer, bona, quæ in illo deprehendi, ora-
„tione mea extenuabo (videtur sic reddendum: *nec in*
„*cujusquam gratiam, ea, quibus extenuentur, quæ in-*
„*veni*, scil: vitia, *exponam*) Mihi quidem videtur
„*Nestorius* nec *Paullum Samosatensem* nec *Photinum* imi-
„tatus (hoc quidem fecit *Socinus* certissime, in eo
„à *Nestorio* diversus) neque omnino nudum hominem
„Christum dicere, sed solam *Deiparæ* vocem, velut lar-
„vam quandam reformidat. Idque illi ex gravissima con-
„tigit imperitia. Cum enim naturali facundia esset præ-
„ditus, eruditus quidem videbatur, reverà autem erat
„indoctus. Libros etiam veterum Interpretum haud-
„quaquam legere dignabatur. Arrogantia enim ela-
„tus ob dicendi facultatem, non satis accurate vetustio-
„ribus legendis operam dabat, sed seipsum reliquis omni-
„bus præstare arbitrabatur. Primum igitur ignoravit in
„Catholica *Joannis* epistola ita scriptum esse, in antiquis
„Exemplaribus: omnis Spiritus, qui Jesum à Deo se-
„parat, non est ex Deo. Hanc enim sententiam è vetustis
„exemplaribus sustulerunt, ii, qui ab hominis dispensa-
„tione divinitatem separare studebant. Quamobrem &
„prisci Interpretes id ipsum observaverunt, fuisse nimi-
„rum quosdam, qui hanc epistolam depravarint, homi-
„minem à Deo sejungere cupientes.„

3.) Præterea, quod ἐν σαρκὶ ἐλθεῖν nullo modo po-
test significare, *in infirmitate & cum contemtu venire*, con-
tortissima hæc explicatio cum scopo Apostoli *Joannis*
pugnat, qui *1. ep. IV. 4.* de majestate Christi, quæ nobis
solatio est, agit, verbis: ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ ἐν ἡμῖν. &c.
De *infirmitate* agere, quamquam alio loco & hæc con-
sideratio status exinanitionis necessaria est, hujus non esset
loci. Recentiores Sociniani persuadere lectori conantur
Joannem Judaicis opinionibus, de Messiæ externo splen-
dore,

dore, hic contradicere, credendum potius esse, Jesum sine splendore & potentia humana, quam Judæi in suo Messia requirerent, venisse, h. e. ut ipsi volunt ἐν σαρκί. Verum Judaicæ isti opinioni hic nullo modo opponi Joannis dictum, sed hæreticis primi seculi *Cerinthianis*, *B. W.* subjuncta nota Catechesi p. 57. non male observavit, fratribusque suis adeo contradixit. Digna visa sunt hujus viri verba, quæ repetantur: „ Considerandum hic „venit, qualesnam Antichristos seu falsos prophetas „Apostolus intelligat. Supra Cap. *II. v. 18. 19.* dixerat „eos ex ipsis exiisse: Jam vero, si antiquitatis monumen-„ta evolvamus, *Cerinthianos* hos fuisse patebit; qui ne-„gabant Jesum Christum in carne venisse, vel Jesum esse „Christum Filium Dei: sed docebant Christum fuisse „immortalem, & descendisse è cœlo in Jesum, qui tan-„tum merus fuit homo, tempore vero passionis ejus, „Christum avolasse & solum Jesum, qui mortalis fuit, „passum esse: prout passim apud veteres legere licet. Hæc „autem an in nos, an vero adversarios nostros potius qua-„drent, unicuique dijudicandum relinquimus. Porrò „contra hos, veteres testantur, Joannem in Scriptis suis „stylum strinxisse. Tales etiam, qui negabant Filium „Dei esse verum hominem, indigitat Joannis discipulus, „*Ignatius Martyr*, *Antiochiæ Episcopus* &c.„ Laudanda est hæc confessio *Wissouvatii* hactenus, quod *Joannem Cerintho* contradixisse non diffitetur, quod factum esse a *Frid. Adolph. Lampio*, quem in fraudem *Abbas Faeditius* abduxit, alibi diximus: Sed quod nobis potius quam Socinianis adversari suspicatur, refelli potest facillime. In *Cerinthianis* utique Joannes & prisci Patres damnarunt, quod humanitatem Christi negarent, Christumque à Jesu divellerent. Sed voluerunte Christum & Jesum ita esse eundem, ut non nisi merus homo esset? Veteres non inspexit, qui hoc sibi persuadere potest. Nec *Joan-*

nem

nem, qui λόγον totius universi autorem & Deum ar- nem factum esse scripsit. Aeque igitur veritatis hostibus ex utraque parte restiterunt, cum, qui humanam, tum qui alteram h. e. divinam naturam in Christo negarent, utrumque potius asseruerunt, & hominem verum & Deum verum esse Christum, quamquam unum & eundem. Si hoc, quod Sociniani volunt, veteres vellent, facile fuerat immo & necesse, contra *Cerinthum* tueri, non venisse λόγον de cœlo, non assumsisse humanam naturam, sed Christum qui idem & Jesus esset nihil esse præter hominem, sed ceteris hominibus superiorem.

155. Quid ad sextum respondes?

Ne hic quidem de incarnatione (ut vocant) ullam mentionem factam; cum is mundus, in quem ingressum Jesum is auctor ait, sit ille mundus futurus, ut superius demonstratum est. 1.) Unde etiam ingredi in illum mundum, non nasci in mundum, sed in cœlum ingredi significat. Deinde, illis verbis; corpus aptasti mihi, corporis vox (ut ex eo apparuit, ubi de ingressu hoc in mundum actum est) pro corpore immortali accipi potest.

156. Quæ sententia ejus loci est?

Deum Jesu tale corpus aptasse, postquam in cœlum esti ingressus, quod ad obeundum munus Pontificis Summi, aptum & accommodatum foret. 2.)

Notæ

Notæ.

1.) Consideret pius lector *Psalmum XL.* unde Apostolus *Ebr. X. 5.* sua verba repetiit, inveniet vel stuporem, vel malitiam Socinianorum, in pervertendo hoc loco, plane incredibilem. Loquitur toto Psalmo Christus, is consilium S. S. Trinitatis de salute generis humani revelat, v. 6. quæ salus sacrificis ab hominibus Deo oblatis acquiri sane non possit, opusque adeo adventu Christi esse, cui essent aures parandæ, vel perfodiendæ, seu, ut in Græco est, corpus parandum, qua utraque voce ecclesiam obsequiosis auribus præditam, quæ & corpus Christi vocatur, intelligendam conjeci alibi. Hæc agit, v. 7. Itaque, cum ea non sufficiant, promittit Christus se venturum, ita, ut *Moses* jam prædixisset. v. 8. Quo autem credemus venturum fuisse? Nempe in eum mundum, ubi ea facta sunt, quæ se facturum hic dicit. Pollicetur vero v. 9. legem à se sanctissime servatum iri, quod nemo dicet in cœlo fieri, cum ipsi Sociniani Christum dominari in cœlo, non servire, fateantur, &, quod mireris, magis dominari, quam ipsum Patrem. Nam, in *Fausti Socini brevissima Institut. Christian. Relig.* (unde *Racoviensis* nostra Catechesis nata est) *Racoviæ, an 1618. edita p. 95.* sic interrogatur. *Num igitur Christus in honoratiore loco, quam ipse Deus, nunc sedet?* Respondetur: *Non quidem simpliciter, sed tamen aliquo modo, atque, ut loquuntur, secundum quid. Quatenus scilicet, ut dictum fuit, jam non ipse* Deus, *ex persona sua, sed Christus ecclesiam gubernat, in eaque divina judicia exercet.* Porro *v. 10. 11.* prædicit Christus, *se prædicaturum justitiam in magno cœtu*, quod *Hierosolymis* atque alibi quoque confluente multitudine, contigisse novimus. Quæ sequuntur, v. 12 ita manifeste, de statu exinanitionis sunt intelligenda, ut manifestius dici non possint. v. 13. & sequentes rem in aprico ponunt. Qualis ergo ille adventus Christi in mundum?

dum? Utique nativitas; nam ad ingressum in cœlos, qui quidem nusquam vocantur *mundus*, hæc omnia parum quadrant. Quod vero demonstrasse se supra gloriantur, vanum esse, non opus est monere.

2.) Fingunt Christum in cœlos ingressum plane aliud corpus accepisse, qua de re præ ceteris Socinianis, *Ostorodus* Unterrichtung *Cap. XLI p. 388.* multa quidem, sed ineptissima verba facit. Non erat in cœlo demum munus Pontificis, quod attinet ad sacrificium expiatorium, obeundum, nec erat inidoneum corpus, quod Spiritus S. è sanguine B. Virginis paravit. Atque omnia, quæ hic dicunt Sociniani, ita sunt ab omni specie veri remota, ut refutationem nulla parte mereantur. Agnovit hoc *Jeremias Felbingerus* ipse, licet acerrimus divinitatis Christi hostis, in *Epistola ad Christianos &c. Amstelodami an 1672.* edita, adeoque, cum contra *Fausti Socini* detorsiones Scripturæ, multa merito & graviter dixisset, p. 16. sic ait: *Ex his manifestum esse censeo ingressionem Christi in cœleste Sanctuarium non pertinere ad ejus victimam, tanquam hujus aliquam partem, sed pertinere ad glorias victimam Christi secutas, atque esse indubitatum testimonium propitiationis per Christum in cruce peractæ. Quomodo enim alias ex morte resurgere potuisset, aut in cœlo coram Deo apparens regnum capessere nisi propitiatione jam ante peracta?* Ut Spiritum vertiginis, quo reguntur, vel turbantur potius, Sociniani, videas lector! nec sine commiseratione, totam responsionem recentiorum ad hoc sextum argumentum, his recitabo: „Ne hic quidem de incarnatione, ut vocant, „ullam mentionem factam. Nam primum etiam de quo„vis homine dici potest, ei corpus à Deo fuisse aptatum „seu concinnatum, & sane verba hæc Psalmi primo sensu „de *Davide* intelliguntur, ut *Psalmus* ipse ostendit: At „nemo eum *incarnatum* esse dixerit. Deinde verba hæc

ad

,,ad Christum accomodata accipi possunt de corpore ipsius ,,immortali, quod ei Deus aptavit, præsertim, si per ,,ingressum ipsius in mundum, cujus hic fit mentio, in- ,,gressus ejus in mundum futurum, in quo Christi re- ,,gnantis & sacerdotis nostri regia ac sacrarium est, in- ,,telligatur, qua de re superius egimus. Nam, ut de ,,ipsius nativitate ingressus hic in mundum accipiatur, nec ,,ulla suadet ratio, nec phraseos hujus in Sacris literis ,,usus permittit. Si enim mundi nomine præsentem hunc ,,mundum intelligamus, is demum in eum ingredi Scri- ,,pturæ sensu dicitur, qui munus aliquod publicum inter ,,homines aggreditur.,, Hic primum quid alii Sociniani annotarint, tum meam sententiam, dicam: Igitur ad illa verba: *accipi possunt de corpore ipsius immortali*; *Ruarus* sic ait: ,,Cur non potius de mortali & perpessio- ,,num capaci? Sequitur enim: *Ecce venio ad faciendum*, ,,*o Deus, voluntatem tuam.* Hæc obedientiæ professio ,,magis congruit diebus carnis, quam gloriæ. Unde per ,,ingressum in mundum, non male intelligitur hic illius ,,aggressio publici inter homines muneris, quemadmo- ,,dum sub finem hujus quæstionis explicatur: ,, *A. W.* ,,autem, porro *Ruaro* hæc subjecit: ,,Quid vero si de ,,utroque? Et nunc enim in Sacrario cœlesti, ut sacerdos, ,,facit, seu exsequitur voluntatem Dei circa fideles.,, Nostrum est ostendere, neutram harum opinionum locum habere posse; non *Wissovvatii*; nam, ut jam est monitum, cum Christus post sessionem ad dextram Patris certissime dominetur, qui poterit dicere: *Legem tuam servo in pectore meo*? Sed nec *Ruari*; quamquam enim hoc, ita ut ego feci, recte observat, obedientiæ professionem magis congruere diebus carnis, quam gloriæ: frustra tamen & ipse & Catecheseos recentior editio, perhibet, *ingressum in mundum*, *esse aggressionem publici muneris*. Nam ut taceam, nullo modo probari posse, quamquam audacissime ajunt, Scripturam ita

loqui

loqui solere ; ipse *Ruarus* non dicet *corpus mortis capax* Christo datum tum demum esse, cum publicum munus ingressus est. Quam frivolum autem est, quod affirmat in *primo sensu* agere *Psalmum XL.* de Davide! Initio enim, quod de *primo secundove sensu* perhibent, per se est longe falsissimum, neque poterit, nisi nasum cereum è Scriptura fingere velis, unius dicti duplex sensus esse; tum ipsa illa verba ad Christum non *applicata* ut Sociniani volunt, sed de Christo *explicata* in *epistola ad Ebræos*, nulla specie de *Davide* accipi possunt, qui corpore sibi aptato sacrificiorum vicem nunquam implevit, nec de se in *Mosis* libris scriptum esse prædicare poterat. Reliqua jam in iis, quæ de *Ruaro* diximus, refutata sunt. Denique *B W.* monet à quibusdam, pro *incarnatione* Christi, etiam ex *2 Cor. VIII. 9* argumentum duci, ad quod respondere ipse conatur. Nos quidem, cum illustriora in promtu sint, ad istum locum nolumus in præsens digredi.

157. Expediisti hactenus Scripturas, è quibus id docere de Christo volunt, quod in iis non habetur: cedo etiam eas Scripturas, è quibus illi perperam conclusiones suas astruere instituunt?

Eæ Scripturæ, è quibus illi conclusiones suas perperam conficiunt, aut Christum directè respiciunt, aut per quandam accommodationem ad eum referuntur.

158. Quænam sunt, quæ directè Christum respiciunt?

Sunt eæ, in quibus Christus aut Deus,

aut unum esse cum Deo, aut æqualis Deo, aut Filius Dei proprius, aut unigenitus, aut primogenitus totius creaturæ, aut omnia habens, quæ Pater habeat, aut Pater æternitatis, aut verbum Dei, aut imago Dei invisibilis, aut Character substantiæ ejus, aut is, quo viso videtur Pater, dicitur. Aut in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, aut is, qui gloriam, habuit apud Patrem, antequam mundus esset, aut, quod Spiritus ipsius in Prophetis fuerat, aut is, qui de cœlo descendit, à Patre exivit, & in mundum venit, à Patre missus fuerat in mundum, aut, quod unicus esset Dominus, Dominus gloriæ, Rex Regum, Dominus Dominorum, & ad quem fides & honor divinus pertinet.

159. In quibus vero Scripturis vocatur Deus?

Jo. I. ℣. 1. Et verbum fuit Deus, & Cap. XX. ℣. 28. Thomas ad Christum ait: Dominus meus & Deus meus. Et, Rom. IX. 5. Apostolus scribit, Deum (esse,) supra omnes benedictum in secula:

160. Quid his testimoniis effici potest?

Naturam divinam in Christo ex iis demonstrari non posse, præter ea, quæ superius allata sunt, hinc manifestum est, quod in primo testimonio agatur de verbo, quod Joannes te-

statur

ratur apud illum Deum fuisse. 1.) In secundo Thomas eum appellat Deum, in cujus pedibus & manibus clavorum, & latere lanceæ vestigia deprehendit. 2.) Et Paulus eum, qui secundum carnem ex patribus erat, Deum supra omnia benedictum vocat. 3.) Quæ omnia dici de eo, qui natura Deus sit, nullo modo posse, planum est. Etenim ex eo sequeretur, duos esse Deos, quorum alter apud alterum fuerit. Hæc vero, vestigia vulnerum habere, ex patribus esse, hominis sunt prorsus, quæ ei, qui natura Deus sit, ascribi, nimis absonum esset. Quod si illud distinctionis naturarum velum quis prætendat, jam superius illud amovimus, & docuimus, hanc distinctionem nullo modo posse sustineri. 4.)

Notæ.

1.) Plane hic contigit, quod Apostolus scripsit, 1. Cor. I. 18. *Verbum de cruce stultitia est illis, qui pereunt Nobis autem, qui salvamur, virtus Dei.* Nempe, quoniam decrevit misera Socinianorum ratio, fieri non posse, ut simul sit Christus supremus Deus, & homo afflictus cruci que affixus: non moventur Scriptura clamante, simul utrumque verum esse, obturant aures, & manifestam veritatem abjiciunt. Stupenda res est, negari quidem non posse, Christum vocari Deum & Dominum, & quidem Dominum super omnia in secula benedictum, at negari tamen, quod hæ voces significant, neque addi, quomodo illa dicta in alium sensum intelligi

possint, quod in Catechesi omnino oportuit fieri. Nam, licet alibi manibus pedibusque contendant detorquere ea dicta, hic tamen nihil agunt putantque auctoritatem Scripturæ illico tolli, si ipsi cum insana sua ratione rem componi non posse dixissent. Sed videamus loca singula. *Jo. I. 1.* piæ animæ facile vident, de duobus dici, qui sint Deus, quorum alter est apud alterum, & cum eodem vocabulo Θεὸς uterque appelletur, non ab improvido aliquo homine, sed à Spiritu S. qui, quid diceret, exactissime novit: non audeant voculæ eidem Θεὸς duplicem sensum dare, ut is, apud quem esset verbum, sit summus Deus, verbum autem, quod apud illum fuisset, non summus, verum dilatiori aliquo sensu, Deus.

2.) Bene est, quod hic Sociniani de Christo intelligunt *Jo. XX. 28.* nam exclamatio, quam nonnulli *Thomæ* affingunt, qua non Christum intellexisset, sed præ admiratione, ut fieri solet, *bone Deus!* vociferatus esset; cum responsione Christi, qui credere nunc *Thomam* testatus est, nulla ratione congruit, & maximæ parti Socinianorum ipsorum displicet. Ita extat libellus 4. plagularum, sine die & consule, Wahrhafftige Erklärung aus Grund der heiligen Schrifft von des Herrn JEsu Christi Gottheit &c. publico, nisi auctor lectorem fallit, nomine editus; Nam præfatio sic incipit: Die Gemeine unsers HErrn JEsu Christi vvünschet dem Leser Heil. Hic A. 6. hæc extant non indigna lectu: Dass aber etliche die Worte Thomä nicht vvollen von Christo, sondern von GOtt dem Vatter verstehen, thun sie zuviel in dem, und geben in dem zu verstehen ihren grossen Unfleiss im Lesen, nach demmal an dem Ort ausdrüklich hinzu gethan ist, dass Thomas diese Wort zu Christo geredet habe; denn vor den Worten: Mein Herr &c. gehen diese Worte vorher: Thomas hat geantvvortet und zu ihme gesagt; Mein HErr und mein GOtt! Dass sie aber solcher Meinung Ursache genommen haben, aus dem

Arti-

Articulo ho, der hie zum Worte *theos* gesezt wird, das ist nichts &c. Auctor in sequentibus idonea ratione exceptiunculas Sociorum suorum refutat, sed ipse putat ideo à *Thoma* Christum Deum vocari, quod didicisset, post resurrectionem Christum divinum honorem accepisse. Sed neque hæc responsio cum ceteris placitis Socinianorum conspirat. Catechesis certe nostra, ut supra vidimus, quam deinde agmine facto multi, & nuper *Crellius* junior sive *Artemonius* secuti sunt, *Joannis* verba: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; sic intelligit, raptum ante istam ascensionem in cœlos, quam omnes fatentur, Christum esse ad Patrem, atque jam tum Deum factum, seu divino honore ornatum. Ceterum, tota hæc opinio confutatur claris verbis Christi apud *Joannem XVII, 5.* Unde patet, eam gloriam, quam secundum humanitatem plenissime adiit, post resurrectionem Christus, *ante mundum conditum*, h. e. *ab æterno* jam Christi fuisse. Quamquam enim & ad hunc locum frivole aliqua excipiuntur, quæ deinde audiemus, non tamen par est iis nos moveri. Non pigrabor hoc loco *Socini* cogitata de hoc loco describere ex epistolis ejus, *An. 1618. Racoviæ* editis. Ibi p. 186. ss. ad *Franciscum Davidis* scribit: „Reverende Domine &c. Duplici ratio„ne demonstrare conaris, ex verbis illis *Thomæ* Aposto„li, *Jo. XX. v. 28. Dominus meus & Deus meus*. pro„bari non posse, Christum appellatum fuisse Deum. „Una est, quia ea verba non minus ad Patrem, quam ad „Christum referri possint. Altera, quia omnino refer„ri non possint. Quod in priore ratione assumis, ex eo „ostendere te posse credis, quod quædam exemplaria ante „ea verba non habeant, *& dixit ei* (ex qua lectione con„stare non diffiteris ad Christum ea referri debere). sed „simpliciter, *& dixit*. Quod vero in altera ratione „assumis, inde patere ais, quod si ad Christum referri

„possent verba ista, non *Dominus meus* & *Deus meus*, *sed* „*Domine mi* & *Deus mi* dictum fuisset. Quo facto, quomodo ea verba ad Patrem relata, explicari debeant, aut „possint, docere tentas. De quibus singulis agemus. „Primum igitur, quod attinet ad priorem rationem, „dico, diversam illam lectionem non extare, ut arbi- „tror, neque in ullo probato codice, neque apud ullum „probatum Scriptorem. Quod vel ex eo satis constare „potest, quod *Erasmus* in suis annotationibus, quamvis „de hoc ipso loco agat, ejus rei nullam prorsus mentio- „nem facit. Qui *Erasmus*, cum hoc in genere nunquam „non diligentissime versatur, tum vero in omnibus locis, „in quibus Christus Deus appellari videtur, adeo dili- „genter omnia verba expendit atque examinat, ut non „immerito & *Trinitariis Arrianismi* nomine suspectus fu- „erit, & ab *Anti-Trinitariis* inter eos relatus, qui sub- „obscure Trinitati reclamaverint. Is tamen ingenue fa- „tetur, Christum hoc loco aperte vocari Deum, quam- „vis alicubi dicat, tergiversationi locum esse posse. Vi- „des igitur, quam debili fundamento nitatur ratio „tua, &c.

3.) *Rom.* IX. 5. Commodum est, quod Sociniani in Catechesi non negant, de Christo hunc locum accipiendum, quam confessionem victrici veritati tribuimus. Quo & pertinet libellus *nota* 2. laudatus. Die aber sonst werden angezogen, sind nicht so offenbar, daher es auch kommen ist, daß Sie etliche von GOtt dem Vatter verstanden haben. Als ist der Spruch. *Rom.* IX. 5. und *Psalm.* XLV. 7. *Ebr.* I. 8. Wir aber sind nicht dawieder, daß man sie beyde nicht könte, ja solte, vom Herrn Christo verstehen, nachdemmal sie beyde öffentlich vom Menschen Christo reden, als *Rom* IX. 5. wird gesagt, daß Christus, der nach dem Fleisch aus den Vättern herkommen, daß der, der gelobte GOtt sey. Recte ergo

Erasmus.

Erasmus Roterodamus in Paraphrasi hunc locum explicuit, cujus verba è *tomo VII. operum Basileæ. an. 1540.* edito, *p. 594* gravibus de caussis huc adscribam: „Ex quorum „stirpe Christus ipse nasci dignatus est, secundum carnem, „ut hac certe parte jam illi, velint nolint, propinqui co- „gnatique sint Christo, qui longe præstantior est Patribus „illis, quorum titulis sese venditant. Siquidem illi, quan- „tumvis pii fuerunt, nihil aliud tamen quam homines „fuerunt. At Christus sic est homo, ut idem & Deus „sit, non hujus aut illius gentis particularis, sed univer- „sorum Deus, & idem cum Patre Deus, qui præsidet „omnibus, cujusque inscrutabili consilio geruntur hæc „omnia. Cui soli ob tam inauditam erga genus humanum „charitatem debetur laus & actio gratiarum in omne „ævum.„ Ut bene hæc *Erasmus*, ita male utique hunc locum, idem vir doctus, sed neque hic neque alibi satis constans, in *annotatt. ad N. T.* tractavit. Cujus auctoritas quoniam multos in fraudem induxit, ita ut b. *Spenerus* aliquandiu se hæsisse non dissimulet, *l. c. p. 540. Annotationes* autem illæ à pluribus leguntur, quam *paraphrasis*; operæ pretium est, ostendere, nihil solidi esse in *Erasmi* disputatione, illustrem vero locum *Paulli* certissimum esse pro divinitate Christi argumentum. Sic ait: *Tom. IV. Critic Anglicanor. p. 2696.* sequ. Locus hic trifariam potest distingui. „Primum, ut hæc particula, „*qui est super omnia*, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων adhæreat superi- „oribus, & separetur à sequentibus. Sic: *Ex quibus* „*Christus juxta carnem, qui Christus est super omnia*: sive, „*qui erat super omnia &c.* Altera lectio sic habet, ut to- „tus sermo sibi cohæreat: *Ex quibus Christus secundum* „*carnem, qui Christus, cum sit Deus super omnia, bene-* „*dictus est sive sit in secula.* Hæc lectio evidentissime pro- „nunciat Christum Deum, mollior tamen futura, si, pro

„ ἂν scriptum fuisset, ὃς ἂν. Tertia nihil habet incom-„modi, quod ad sermonis rationem attinet: *Ex quibus* „*Christus juxta carnem:* hic colon finit sententiam; mox „ex consideratione tantæ Dei bonitatis subjicitur grati-„arum actio, ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς „αἰῶνας. i. e. *Deus, qui est super omnia, sit benedictus in* „*secula:* ut acciperemus & legem datam & testamentum & „Prophetias, & Christum denique humano corpore mis-„sum, hæc omnia Deum ineffabili consilio procurasse ad „redimendum genus humanum. Atque hic, si Deum „accipias pro tota Triade Sacra, quod frequenter fit in „Sacris literis, veluti, cum jubemur *solum Deum ado-*„*rare & illi soli servire*, non excluditur Christus: Sin „pro persona Patris (quod apud *Paullum* est frequens,) „præsertim, si eodem in loco fit mentio Christi aut Spi-„ritus, quamquam ex aliis Scripturæ locis sole clarius est, „Christum non minus vere dici Deum, quam Patrem aut „Spiritum Sanctum: tamen hic locus non est efficax, „ad revincendos *Arrianos*, quando nihil vetat, quomi-„nus ad personam Patris referatur. Itaque, qui conten-„dunt ex hoc loco evidenter evinci, Christum aperte di-„ci *Deum*, aut videntur aliis Scripturæ testimoniis pa-„rum fidere, aut nihil ingenii tribuere *Arrianis*, aut pa-„rum attente contemplari sermonem Apostoli. Similis lo-„cus est hujus epistolæ *cap. 11.* ubi Patrem dicit benedi-„ctum in secula: *Deus & Pater Domini nostri Jesu Chri-*„*sti qui est benedictus in secula.* Nam illic, apud Græcos, „*benedictus*, non potest nisi ad Patrem referri. &c.„ Hæc *Erasmus* quem præstitisset, hoc quidem loco, abstinere ab accusandis rectius sentientibus, non satis attente considerati sermonis Apostolici, cum ipse vir doctus, si voluisset verba græca inspicere, non laudaturus fuisset cap. 11. hujus epistolæ; extat enim locus, in quem digi-

tum intendit, 2. Cor. XI. 31. & vidisset alteram explicationem ab se sine ratione carpi, quasi mollius foret dictum, si esset ὃς ὢν, quam ὁ ὢν nam & 2. Cor. XI. 31. est ὁ ὢν. Et, si extaret, quod optat Erasmus, Rom. IX. 5. ὧν ὁ, vel argumentum nostrum periret, vel inserendum foret ad vocem εὐλογητὸς, εἴη, aut similis aliqua vox, nam ellipsis hic durissima. Nostra autem explicatione oratio facile & molliter procurrit: Christus est è Patribus, quantum ad carnem attinet, qui est Deus super omnia benedictus in secula. *Tertia*, inquit, *sententia nihil habet incommodi quod ad sermonis rationem attinet.* Immo duplex habet incommodum, alterum satis grave, quod & Socinus, observante Spenero, vidit; eo sensu, quem vult Erasmus, scribendum fuisse, εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων. Si vox ἐστι vel εἴη subintelligenda sit, non, ut nostro loco extat: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς &c. saltem cetera exempla, ut dixi, ita sunt comparata. Luc. I. 68. 2. Cor. I. 3. Ephes. I. 3. 1. Petr. I. 3. 2. Maccab. XV. 34. apud τοὺς ὁ. Gen IX. 26. XIV. 20. XXIV. 27. 31. XXVI. 29. Exod. XVIII. 10. Ruth. IV. 14. 1. Sam. XXV. 32. 39. 2. Sam. XVIII. 28. XXII. 47. 1. Reg. I. 48. V. 7. VIII. 15. 57. 2. Chron. II. 12. VI. 4. Esra. VII. 26. Psalm. XVIII. 50. XXVIII. 8. XXX. 28. XL. 14. LXV 19. LXVIII. 20. 21. 38. LXXI. 19. LXXXVIII. 51. CV. 47. CXIII. 12. CXXIII. 5. CXXXIV. 21. CXLIII. 1. Dan. III. 29. Zach. XI. 5. Neque unicum exemplum nobis est contrarium. Alterum gravius etiam. Quid enim significabit τὸ κατὰ σάρκα, si nihil sequitur, quod huic oppositum sit? Sequitur vero nihil, si sequentia ad Patrem referuntur. Viderunt hoc telum & declinare frustra quidem & infeliciter conati sunt recentiores, qui Catechesin.

lin commentis suis auctiorem reddidere. Negant, quia Christi origo *secundum carnem*, e patribus ducatur, sequi, duas in Christo diversas naturas esse, putantq; se evadere posse laudato. *v. 3. ejusdem capitis*, ubi Judæi vocantur cognati Apostoli *secundum carnem*, non, quasi haberet duas naturas Apostolus, sed quod secundum Spiritum non esset ipsorum cognatus. Facile autem videt lector in *Paullo* unam quidem naturam humanam esse, sed dupliciter consideratam, primum, prout à parentibus accepta, deinde, prout regeneratione à Spiritu S. mutata est. At, cum regeneratio de Christo, qui nunquam peccator fuit, nulla ratione locum habeat, patet in hoc duas distinctas naturas indicari *restrictiva particula* κατὰ, *secundum carnem*, ne dicam adjectum *articulum* τὸ emphasin augere. Conferenda autem huc sunt & mature expendenda duo alia loca, *Rom.* I. 3. *Act.* II. 30. Si homo esset nudus, Servator noster, quantumvis magnus & in sublime evectus, homo tamen prætereaque nihil, quod Sociniani, licet vocabulo *Dei* utantur, sentiunt; quid opus fuisset *restrictionem* τὸ κατὰ &c. addere? At, cum sit addita, cum & illico sequatur, quid præterea fit, nempe *Deus super omnia in æternum benedictus*, docuisset *Erasmum* agnoscere, non posse hæc de Patre dici. Quod de Arrianorum ingenio nobis narrat, rectius tacuisset. Illi mihi videntur ingenio pollere, qui veritatem facile intelligunt, non qui ad eam cæcutiunt. Deinde, observatum doctiores ceteris Socinianos non negare, referenda esse nostra verba ad Christum. Ceteris argumentis pro æquissima caussa nostra non diffidimus, sed ideo hoc admodum præclarum testimonium non putamus deserendum. Hæc contra *Erasmum*, non optimum quidem, sed nec contemnendum Interpretem Scripturæ Sacræ monenda visa sunt. Cui si major fuisset ebraicæ linguæ usus, observasset, solere à Judæis, eleganti & nobis imitando more, cum de Deo vero agunt, addi הקבה *Sanctus ille*

Bene-

benedictus. Quæ verba ubi addita sunt, certissimum est, de supremo Deo sermonem esse. Vide loca supra ex utroque codice Bibliorum laudata. At, cum hic, ut evictum nunc est, de Christo habeantur, hunc esse verum & supremum Deum, nefas est dubitare.

4.) Quod se demonstrasse jactant, refutatum est solide, neque hic repetendum. Sed recentiorum reliqua commenta excutienda sunt. Sic ajunt: „Ac ne aliunde tan„tum exempla quæramus, de ipso Christo ita distincti„onem hanc idem *Paullus* in hac ipsa epistola *ad Rom.* „explicat, ut ortum ejus secundum carnem ortui ipsius „secundum Spiritum opponat, cum ait: *Qui*, scil: Fi„lius Dei, *factus est ex semine David*, *secundum carnem*, „*definitus*, i. e. constitutus, *Filius Dei in potentia*, *se*„*cundum Spiritum Sanctitatis*, *ex resurrectione mortuo*„*rum*. Unde etiam facile intelligi potest, si quid in hoc „capitis noni loco, vocibus illis, *secundum carnem*, „opponendum sit, secundum quod Christus Deus super „omnia benedictus dici debeat, non divinam, quam vo„lunt, naturam, sed Spiritum sanctificationis illis „opponendum esse, præsertim cum æternus Deus sit, su„per omnia benedictus in secula, quatenus est Dei Filius, „seu Rex & Dominus omnium & super omnia constitu„tus.„ Sensum loci hunc esse credunt: „Duo in Christo „fuisse docet Apostolus, carnem, seu mortalem illam „hominis naturam, & Spiritum Sanctitatis, id est San„ctum, sueto Hebraismo, prioris rei solius & per se „habita ratione, non ad alios, quam Davidem illiusque „posteros, originem stirpemque suam carnalem referre „potuit: at posterioris respectu, quatenus ex Deo Spi„ritum Sanctitatis in se derivatum hausit, quo penitus „conservatus fuit, Filius ille Dei constitutus est Summa „Dei potentia, qui mortis claustra perfregit, & ad vi„tam reductum, Dominum & regem omnium coelestem „effecit.„ Certum est, his vocibus: *Deus supra omnia*,

benedictus

benedictus in secula, significari verum supremumque numen, alioqui dicant mihi verba magis significantia ipsi Sociniani, quibus verus & unicus Deus ab aliis, qui nominetenus Dii sunt, discernatur. Quæ cum ita sint & Judæorum more de vero Deo loquendi, in Scriptura etiam obvio, ceu monitum est, comprobentur, qui poterit donorum quamquam sublimium, quæ voce Spiritus S. intelligunt adversarii, largitione Christo facta, Deus supremus effectus esse? Deinde ipsa verborum consideratio aliud cogit. Nam ut à Patribus Christus non dona accepit, sed *naturam*, nempe humanam, ita quod huic oppositum est, non in donorum collatione consistit, sed in vera generatione ex essentia Patris, quæ sola facit, ut sit *Deus super omnia benedictus in secula*. Cavillationi de *Paulo*, qui cum sit una tantum natura præditus, nempe humana, tamen de *fratribus secundum carnem*, loquatur, quasi & alios fratres secundum aliam naturam haberet, jam est responsum. Habuit sane *Paullus* cum ista scriberet aliam præter illam à parentibus acceptam naturam, & eo respectu fratres, nempe per regenerationem ex Deo, quam emphatico vocabulo τον ἔσω ἄνθρωπον appellat, regeneratio autem non in collatione aliquot graduum gratiæ, sed in vera mutatione hominis interna consistit; ut alia agat, alia cogitet regenitus, & in quantum talis est, quam irregenitus, & in quantum ipsis piis caro adhuc adhæret. Videndum autem, an & de Christo ejusmodi regeneratio ulla specie dici queat? Certum est nulla posse. Nam ea natura, quam accepit natus è Virgine Dominus, peccatis non fuit polluta, itaque nec mutanda, & tametsi Spiritus S. donis secundum eam, in statu exinanitionis, quo majestate ab sua τοῦ λόγου persona cum ista humanitate communicata, uti aliquandiu noluit; instructus est, absone tamen diceretur regenitus, usque adeo ista unctione Spiritus novam naturam, præ-

ter humanam, quam è Virgine acceperat, obtinuit: Sed habet tamen aliam naturam *σαρκὶ* seu humanitati oppositam, neque talem, qualem *Paullus* ceterique regeniti accepere, ut possit aliquo modo Filii Dei dici, sed, qua fit, ut sit Deus benedictus super omnia in secula; necesse ergo est eam accepisse aliunde, nempe à generatione aeterna ex essentia Patris.

161. Ubi vero Scriptura testatur Christum cum Patre esse unum?

Jo. X. 29. 30. Ubi Dominus ait: Pater, qui mihi (oves) dedit, major est omnibus, & nemo eas rapere potest, é manibus Patris mei. Ego & Pater unum sumus.

162. Qua ratione respondes ad id testimonium?

Ex eo, quod dicatur Christus esse cum Patre unum, effici non posse, esse unum cum eo natura, verba Christi, quae ad Patrem de discipulis habuit, demonstrant: Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, quemadmodum & nos unum sumus. Jo. XVII. 11. Et paullo inferius, ℣ 22. Ego, gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus. Quod vero Christus sit unum cum Patre, hoc aut de voluntate 1.) aut de potentia, 2.) in salutis nostrae ratione, accipi debet, unde

unde naturam divinam non probari, ex eodem loco constat, ubi Christus ait; Patrem omnibus esse majorem, ac proinde etiam ipso Domino, quemadmodum idem Dominus expresse fatetur, & quod eas oves ei dederit, Jo. XIV. 28. 3.)

Notæ.

1.) De unitate voluntatis non esse hic præcipue sermonem, quamquam & illa ponatur, inde patet, quod v. 28. Christus dixerat, fieri non posse, ut aliquis ipsi eripiat oves ob magnitudinem Patris, de cujus manu nemo eas possit rapere, cum vero unum sit ipse cum Patre, itaque nec de sua manu posse rapi; Palam ergo agitur de *potentia*, hujusque *unitate*.

2.) Est sane, ut modo dixi *unitas potentiæ* Patris & Filii, sed hac posita, qui poterit jure negari *unitas essentiæ*? Poteritne, qui non est Deus, eandem, quam habet Deus, potentiam possidere? Non ignoro fateri hoc Socinianos, sed eo ipso, cum rationem ubique sequi videri velint, certissime contra rationem agunt, quæ ex effectibus potentiæ, v. g. miraculis, nos jubet colligere, auctorem esse Deum. Quodsi vero eadem potentia præditus esse possit, qui non sit verus Deus atque æternus, falleret illud ratiocinium. Scripturæ autem contrariam esse assertionem Socinianorum, liquet ex innumeris locis, v. g. *Esaiæ XL. 29. ff.* In prærogativis divinis est, *tueri posse pios*, quod ipsum est; *neminem posse è manu ejus eripi.*

3.) Ad objectionem, dici & *Christianos cum Patre & Filio unum*, non opus est respondere, nam haud argumentum

mentantur ex voce unum. Potius ex ipsis visceribus dictorum Biblicorum ratiocinando colligenda, quæ nostro loco Jo. X. satis docent de potentia eadem, quam habet Pater, adeoque & essentia, h. e. divinitate, agi. Sed, quod ultimo loco objicitur, oves esse Christo datas, itaque Christum, qui eas accepit, esse minorem Patre, qui dedit; ad id tribus verbis respondendum est: Fateri nos accepisse Christum, neque solum ut hominem, sed & ut θεάνθρωπον oves, i. e. ecclesiam à Patre; Sed, quod inde colligunt, minorem adeo esse, quamquam de humana natura verum est, male tamen colligitur. Dispiciant, qui se pollere arbitrantur perspicacia, an ulla ratione sequatur, qui accipit aliquid, ideo quod accipit, minorem esse. In humanis, fere accipere potentiores, & ditiores, certe æquales his qui dant, constat. De divinis consiliis, nostrum est, non sapere velle, ultra id, quod scriptum est. At ille canon, quem hic ponunt adversarii, *accipientem esse minorem dante*, in Scriptura ignoratur. Nihil superest de hoc loco monere, nisi Judæos longe rectius percepisse mentem Christi, quam Sociniani hodie perspiciunt, collegerunt enim Christum se profiteri Deum v. 33. Neque id se facere negat Dominus, sed recte & jure facere demonstrat, v. 34. ss. Recentiores hoc addidere: „An is, qui ipse summus Deus „esset, ex alterius personæ potentia & præsidio argumentum eorum, quæ polliceretur, peteret, & non ex se „ipso? Præsertim, cum & altera illa persona, non aliunde omnem potentiam suam habeat, quam quod summus ille Deus sit.„ Frigida sane interrogatio! quasi hominum esset definire divina consilia. Eant Sociniani & negent, quod *Genes. XIX 24*. scriptum est. Vel, si negare non poterunt *Jehovam à Jehova misisse pluviam*, monstrent, cur unum qui Jehovah vocatur altero eodem nomine insignito, majorem minoremque credant. Quod si neque hoc monstrare poterunt, ut certissime non poterunt,

terunt, compescant luxuriantem linguam, & de rebus divinis, potissimum quæ in Deo fiunt, non ut ipsis videtur, sed ut nos docet Scriptura, statuant.

---

263. At Deo æqualem ubi eum Scriptura vocat?

Jo. V, 18. Propterea ergo magis quærebant Judæi eum tollere, quod non solum Sabbathum solveret, verum etiam Patrem suum Deum diceret, æqualem seipsum faciens Deo. Et Philipp. II. 6. Qui, (Christus) cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo.

264. Qui porro ad ea loca respondes?

Quod Christus sit æqualis Deo, id divinam in eo naturam nullo modo probat. 1.) Immo hinc res adversa colligitur. 2.) Nam, si Christus Deo, qui natura Deus est, æqualis est, efficitur, quod is idem Deus esse non possit. Aequalitas vero Christi cum Deo, in eo est, quod ea virtute, quam in eam contulit Deus, ea omnia effecerit & efficiat, quæ ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse.

Notæ.

1.) Elegantissima sunt verba b. *Augustini*, nec lectori meo invidenda, *Sermon. LXXI. in Joann. Tom. IX. opp. p. 426.* Audi Sabelliane! agnoscite, quem prætermittitis Arria-

,,Arriani! æquate quem subditis, & in via vera nobis-
,,cum ambulabitis. Est enim quod invicem ex vobis al-
,,teri ab alteris admoneri, utique debeatis. Audi Sabel-
,,liane! usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius,
,,ut eum Arrianus inæqualem asserat Patri: Audi Ar-
,,riane! usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellia-
,,nus eundem esse dicat & Patrem. Tu adde, quem tol-
,,lis; Tu adimple, quem minuis; & nobiscum ambo
,,consistitis. Quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui
,,& alter est à Patre, ut convincas Sabellianum, & æqua-
,,lis est Patri, ut convincas Arrianum. Utrisque enim
,,clamet: Ego & Pater unum sumus. Quod ait, *unum*,
,,audiant Arriani; quod ait, *sumus*, audiant Sabelliani,
,,& nec illi *æqualem*, nec illi *alterum* negando sint vani.
,,Si ergo, quoniam dixit: Verba, quæ ego loquor vobis,
,,à me ipso non loquor, propterea putant usque adeo im-
,,paris potestatis, ut non, quod ipse vult, faciat; au-
,,diatur, quod dixit: Sicut Pater suscitat mortuos &
,,vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat. Item, si,
,,quoniam dixit: Pater in me manens, ipse facit opera,
,,propterea putatur non alius esse Pater, alius ipse; au-
,,diatur, quod dixit: Quæcunque Pater facit, hæc &
,,Filius similiter facit; ut intelligatur non *bis unus*, sed
,,*duo unum*. Verum, quia sic æqualis est alter alteri, ut
,,tamen alter sit ex altero, ideo non loquitur à semetipso,
,,quia non est à seipso, & ideo Pater in illo manens facit
,,opera ipse, quia, per quem & cum quo facit, non est
,,nisi ab ipso.,, Ita utrimque sanctissima nostra fides im-
petitur, sed & in medio veritas tuta consistit. Videa-
mus autem an possint Sociniani rationem afferre in medi-
um, unde appareat, non sequi naturam in Christo di-
vinam esse, inde, quod sit æqualis Deo. Catechesis ni-
hil affert, sed postulat sibi ajenti credi. Nihil vero opus
est, nisi repetere verba, quibus, quid sit æqualitas cum
Deo, describunt; nimirum *ea virtus, qua Christus*

omnia

omnia effecerit & efficiat, quæ ipsius Dei sunt, & tanquam Deus ipse; deinde, conferre illud *Esaie XLII. 8.* כבודי לאחר לא אתן *Honorem meum alteri non dabo.* Itaque, cui datum est, ut omnia possit efficere, quæ ipsius Dei sunt, eum esse Jehovam atque summum Deum necesse est. Expendat etiam lector *Esa. XLI. 21. ff.* ubi Propheta demonstrare jubet gentes suorum Deorum veritatem; si possint divina opera ab iis facta producere in medium, quale est prædictio rerum contingentium futurarum, tum agnitum iri eorum divinitatem, si non possint, palam fore eorum futilitatem. Hæc dici non potuissent, nisi fundamenti loco ponatur, è divinis actionibus intelligi auctorem divinum, h. e. Deum. Et merito; nam in ipsam divinitatem nobis non licet introspicere, &, quis sit verus Deus, ex operibus divinis, præeunte *Esaia*, aliquot capitibus, dignoscendum est. Qui facit, quæ ipsius Dei sunt, & sua quidem auctoritate, quod facit Christus, is secundum hanc prophetæ regulam, sine controversia Deus est agnoscendus. Viderunt hoc Sociniani, sed oculos, ut dixi, studio avertunt. Itaque cum loca tractant, quæ æqualitatem filii cum Patre palam indicant, non audent huic contradicere, sed sequelam veræ divinitatis negant, non addita quidem ratione, cur negent, quod hic in Catechesi factum. Vicissim, quando urgentur, ferrea hac consecutione, quam modo ostendimus, non posse non esse Deum, qui sit Deo æqualis; negare non verentur istam cum Patre æqualitatem. Ita *Smalcius adversus Smiglecium, libro Racoviæ an. 1613. edito, cap. XII. p. 119.* sic ait: „At ego vicissim ajo „*Smiglecium* nimis crasse iterum principium petere. Esse „enim eandem prorsus Filii & Patris virtutem & operatio„nem controversum saltem est, si non falsum.„ Et, cum Catechesis hic victa à veritate fateatur, Christum efficere, quæ ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse; *Smalcius l. c. p. 111.* sic scripsit: „Verba *Jo. V.* sicut Pater su„scitat

„scitat mortuos, &c. nihil etiam huc faciunt. Ibi enim „de alio modo suscitandi mortuos, & de re tunc futura, „sermo est. &c.„ Ita frigidissime de majestate Christi, quam *Paullus Philipp. II.* vocat τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, h. e. æqualitate, quæ in Christo fuit ante statum exinanitionis, (nam ejus usu aliquamdiu abstinuit) Socinus disputat in *Fragmento duorum Scriptorum Racoviæ an. 1619. vulgato, p. 23.„* Sequitur, ut de dominatione & im„perio in universa, videamus, de eo inquam, quod „Jesus Christus semper habuit, nam de eo, quod post „crucis supplicium & obedientiam suam consecutus est, „quid attinet quærere? cum manifestum sit, ex hypo„statica illa cum divina natura conjunctione, quæ semper, „ut volunt, in eo fuit, id fieri non potuisse. Verum id, „quod ille etiam ab initio habuit, si recte rem perpendere „velimus, magis spe & destinatione eum habuisse, quam „reipsa, dicemus. Nam, quod & mari & ventis, & „morbis & morti, & dæmonibus ipsis, dum in terris „ageret, imperaret, id, admirabilia opera faciendi po„testatem, de qua modo vidimus, potius, quam par„tem hanc respicere videtur. Nec mirum alicui sit, quod „diximus, Jesum Christum ante crucis supplicium, quod, „ut Patri obediret, volens subiit, supremum illud im„perium revera non obtinuisse, cum satis constet id obedi„entiæ hujus præmium fuisse.„ &c.

s. 2.) Quæ protervia, contrarium potius colligere! Sic enim ratiocinantur: Qui est æqualis Deo, non est ipse Deus. Nempe ponunt, quasi demonstratum, in Deo unam tantum personam esse. Quo posito, sed contra Scripturæ auctoritatem, sequeretur, quod volunt; nam qui cum altero comparatur ut major, minor vel æqualis, eo ipso intelligitur diversa persona esse. Verum, quia Scriptura docet eum Deum, in cujus nomen baptizamur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse, ut cetera plurima nunc non repetam, vane omnia disputantur,

quæcunque è sua ratione de una persona divina perhibent. Restat videre, quid hac de re commenti sint recentiores? Sic ajunt: „Quod Christus sit æqualis Deo id divinam „istam in eo naturam nullo modo probat, immo hinc res „adversa colligitur, cum nemo sibi ipsi æqualis esse pos„sit. Animad vertendum autem est, in priori loco non „dici, quod ipse Christus sese Deo æqualem fecerit; sed „Judæos sic de Christo judicasse: sicut & quod Sabba„thum solverit. Propterea Christus, cum ad hanc Ju„dæorum criminationem respondet, magnam in sui cum „Patre æqualitate inæqualitatem esse demonstrat; æqua„lem quidem se esse Deo, quatenus eadem, quæ Pater, „operabatur; Sed in eo inæqualem, quatenus nil à „seipso facere poterat; Sed ea, quæ videret Patrem fa„cientem, qua discipulus magistrum & monstratorem „æmulatus, hoc est, quorum faciendorum facultatem „ac potestatem à Patre accepisset. Quin & alter *ad Phi„lipp.* locus diligentius inspectus idem ostendit, partim, „quod in Græco non sit, *æqualem* esse Deo, sed *æqualia*, „h. e. per Græcismum, *æqualiter* esse Deo, esse instar „Dei, partim, quod ad tempus deposuerit istam suam „cum Deo æqualitatem, quod ei, qui natura illa, quam „volunt, Deus sit, non competit.„ Operæ pretium est, insipientiam horum hominum, qui Patres tamen suos corrigere ausi sunt, cognoscere. Quam potissimum ultimis verbis produnt. Fatentur incaute æqualitatem cum Patre aliquandiu à Christo depositam esse; Quod si factum, ut certissime factum, habuit Christus ante resurrectionem & adscensionem in cœlos istam *æqualitatem*, risibile enim esset deponere aliquem dicere, quod nunquam habuisset. Falsum ergo est, acceptam demum eam gloriam & majestatem esse in sessione à dextris post mortem & resurrectionem ut præmium exantlatorum laborum, cui commento tamen totus Socinismus superstructus est. Vidit hoc *Faustus Socinus*, quem adeo obser-

vavimus dixisse, Christum habuisse ab initio imperium, *spe* potius & *destinatione*, quam *reipsa* qua in re hypothesi cautius servivit *Socinus*, quam ejus posteri. Sed quid agant? nimia claritas Scripturæ coëgit vel invitos fateri, depositam aliquando esse æqualitatem (nos quidem dicimus *æqualitatis usum in natura humana*) unde & sequitur possessam ante fuisse, circumspiciunt igitur aliam, si fieri possit, elabendi rimam, negant Christum sibi asseruisse eam æqualitatem, Judæos hoc collegisse, non dixisse ipsummet, itaque protestatum esse Christum se esse inæqualem Patri in ipsa illa æqualitate, nam se, quicquid habeat à Patre habere; hunc se, ut discipulus solet, magistrum, imitari. Absone! Judæi ita collegerunt & merito, nam v. 17. Christus dixerat, *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται κἀγὼ ἐργάζομαι.* Quæ verba, cum alio loco exposuerim, nunc sufficiet dicere, Christum eandem sibi patrique facultatem & operationem vindicare, quæcunque ea fuerit, quæ res certissime æqualitatem infert. Sed fac, minus bene collegisse Judæos ex istis Christi verbis, increpiti ne sunt Judæi à Christo ab falsam collectionem, quod omnino in re gravissima fieri oportuisset, si falsa collegissent, nullum enim crimen atrocius vel fingi potest, quam si homo admittat se pro Deo haberi, hinc Apostoli *Act. XIV. 14.* manibus pedibusque obstiterunt Lycaoniis, qui divino cultu ipsos veneraturi erant; negavitne Christus, se esse Patri æqualem? Liquet nullo verbulo id factum esse, potius in sequentibus v. 23. 26. æqualitatem istam luculentissima ratione adstruit. At, inquiunt, negat tamen Christus se gloriam istam à seipso habere, & quæ faceret, à seipso facere. Verum facile videre poterant Sociniani, non tolli hac Christi oratione æqualitatem, sed obviam iri opinioni Judæorum, qui blasphemiæ reum agere volebant Christum, in verum Deum Israëlis, itaque respondet Dominus se ab ipso vero Deo hanc cum ipso æqualitatem accepisse, esse-

que adeo ipsum illum verum Deum, quamquam non eandem personam. Aequalitatem vero non tollit, quod acceperit alter ab altero, potius quærendum, quid accipiatur? Nos autem credimus & confitemur accepisse Christum à Patre non *minorem* sed *eandem* naturam majestatemque ab æterno, eandem etiam majestatem communicatam cum humana natura, non ab æterno, sed in tempore. Ad *Philipp. II.* si diligentius attendissent, abstinuissent frivola observatione, non dictum esse: *Æqualem* sed *æqualia* & *æqualiter*, quasi hæc differrent. Nunc occurrit bis vox ἴσα pro ἴσος nempe. *Job. XXX. 19.* ἥγησαι δέ με ἴσα πηλῷ. *Reputasti me æqualem luto,* & *Sapient. VII. 3.* πρώτην φωνὴν τὴν ὁμοίαν πᾶσιν ἴσα κλαίων. *Primam vocem flens edidi ut reliqui omnes. Thucydides* quoque *III. 14. l. 81. pag. edit. Dukeri, 176.* ἐν ᾧ τῷ ἱερῷ ἴσα καὶ ἱκέται ἐσμέν. *In cujus templo supplicibus similes sumus.* Addidit tandem *B. W.* „Videndum „est annon commode etiam; ut à quibusdam factum, „verba hæc οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, verti possint; „*noluit rapere, nimirum æqualitatem cum Deo.*„ Sed quid sibi velit, non satis intelligo; ajo enim commode sic verti; *rapere* autem est rem quasi ἀκοντὶ καὶ ἀνιδρωτὶ sibi vindicare, hoc noluit Christus secundum humanitatem consideratus; noluit, inquam, communicata cum humanitate sua, majestate ante plenissime uti, quam exantlasset summas calamitates. Sed deinceps uti cœpit, habet ergo æqualitatem cum Deo, &, quoniam sponte deposuerat ejus usum aliquandiu, habuerat ab ipsa nativitate, non potuisset autem habere, nisi eadem persona quæ nata est è virgine, esset simul æternus Dei Filius.

365. Filium autem Dei viventis, Filium Dei proprium & unigenitum esse Christum ubi habetur?

De hoc Matth. XVI. 16. legimus, ubi Petrus

trus ait: Tu es Christus Filius Dei viventis, & Rom. VIII. 32. Ubi Apostolus ait: Qui, (Deus) proprio Filio non pepercit, verum eum propter nos tradidit &c. & Jo. III. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, & paullo inferius, ℣. 18. Et, qui non credit; jam judicatus est, quod non crediderit in nomen unigeniti Filii Dei.

266. Quomodo vero ad haec loca respondetur?

Ex iis omnibus attributis Christi nullo modo probari posse naturam ejus divinam. Nam, quod ad primum attinet, notissimum est, Petrum fateri, quod Filius hominis sit Christus, & Filius Dei viventis, quem constat divinam naturam, qualem illi comminiscuntur, non habuisse. 1.) Praeterea testatur Scriptura de aliis hominibus, quod sint Filii Dei viventis. Ut ex Osea, Rom. IX. ℣. 26. Et erit loco ejus, ubi eis dictum est, non populus meus (estis) vos, illic vocabuntur Filii Dei viventis. Quod vero secundum & tertium locum attinet, in his legimus proprium & unigenitum Dei Filium in mortem traditum, quod de eo, qui natura Deus sit, dici non potest. Immo vero, ex eo, quod Christus Filius Dei sit, apparet, Deum illum non esse, alioquin sibi ipse Filius esset. 2.) Caussa vero, cur Christo ista attributa competant, haec est, quod inter

 omnes

omnes Dei Filios, & præcipuus sit, & Deo charissimus. Quemadmodum Isaac, quia Abrahamo charissimus & hæres extitit, unigenitus vocatus est, licet fratrem Ismaëlem habuerit: Et Salomon unigenitus coram matre sua, licet plures ex eadem matre fratres fuerint. Ebr. II. 17. Prov. IV. 3. I. Paralip. III. 1, 2, 3, 4, 5, 6, &c.

Notæ.

1.) Quamquam ridendum non est in re seria, & deploranda potius cæcitas auctorum Catecheseos, tamen erunt, qui rideant, sapere sibi videri Socinianos, cum ineptissime respondeant. Urgentur argumento, quo ostenditur, Christum Filium hominis, esse simul Filium Dei viventis, & quidem proprium ac unigenitum Filium, adeoque habere divinam naturam æque ac humanam. Hic vero quid respondent? *Constat*, inquiunt, *non habere talem divinitatem, qualem comminiscuntur*. Hoc est ad *conclusionem* ridicule respondere, cum respondendum fuisset ad *præmissas*, quæ vocantur. Sed, non ita facile poterat argumento responderi, ut facile est contradicere thesi. Sane *Matth. XVI. 16.* responsum Petro divinitus suggestum meditatione est dignissimum. Interrogaverat Christus discipulos, v. 13. *Quem me dicunt homines esse* τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *Filium hominis?* Facile vides hæc postrema verba ideo posita, ut indicaret, an pro mero homine habeatur, scire se velle. Nam, cum sit homo, si nihil præterea esset, neque sublimioris naturæ particeps agnosci vellet, quid opus fuit, postquam jam dictum erat,

Quem

Quem me dicunt homines? seorsum addere: τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Huic ergo quæstioni, cum aliqua essent minus commode responsa, *Petrus* aptissime respondit: *Tu es Christus, Filius Dei viventis*: Quorum verborum sententia non potest alia esse, quam hæc: Absit, ut te procudo Filio hominis habeamus, es potius Dei quoque Filius, h. e. utrumque, atque ut filius hominis, homo est, ita Filius Dei Deus est. Neque hic est, quod oggerant, vocari etiam pios homines Filios Dei, est enim de uno, qui κατ' ἐξοχὴν Filius Dei sit, hoc loco sermo. Alioqui bene respondissent & ceteri, qui Christum, *Joannem Baptistam*, *Eliam*, *Jeremiam*, aut alium è Prophetarum senatu arbitrati fuerant esse. Fuerunt enim hi omnes in Filiis Dei egregio loco positi. Sed longe subliniora continet Petri responsio. Ad *Rom. VIII. 32.* & similia loca, *Marc. XII. 6. Gal. IV. 4. 5. Jo. IV. 9.* observandum studiose duxi, quoniam non modo Sociniani, vecordes utique homines, sed & nostratium plurimi vim argumenti non satis capere videntur: non tam ad voces ἴδιος, μονογενής, υἱὸς ἀγάπης & similes, esse respiciendum, etsi illæ certissime argumentum vehementer juvant, quam ad rem, quæ istis locis tractatur. Consideremus in præsenti potissimum *Rom. VIII.* & *1. Jo. IV.* Illo loco *Paullus* sic argumentatur à majori ad minus: Si Deus proprio Filio non pepercit, sed eum pro nobis dedit, h. e. mori jussit, sequitur certo nobis datum iri bona omnia, nempe justitiam, remissionem peccatorum, vitam æternam. Itaque hæc omnia, omnium beatorum æterna felicitas, licet nullo pretio æstimanda, tamen, si referatur ad illud donum Christi, vitæ nempe ejus positæ pro nobis, res est exigua, quasi appendicis vice, quæ vocum σὺν αὐτῷ significatio est. At, si contendamus inter se tot millenorum hominum salutem æternam,

gaudiaque æterna à Deo donata, & positam, unius hominis, egregii quidem, sed tamen non nisi hominis, atque in eum quidem finem positam vitam, ut virtutis præberet atque patientiæ exemplum imitandum, non, ut aliquid acquireret: Sane infinitis partibus major atque excelsior est ea liberalitas, majus & illustrius illud donum, quod datum est in vitæ æternæ concessione, quam, quod contigit in exhibitione hominis illius unici, ad ponendam paullisper vitam, gloriosius deinde resumendam, qua posita, non nobis sed sibi amplissima omnia peperisset, nisi quod exemplum ad nos quoque pertineret, & præsidium aliquod ab illo triumphante homine expectandum foret. Frigeret adeo Apostoli ratiocinatio, quod blasphemum est, vel cogitare. Itaque nihil certius, quam Christi mortem non esse nudi hominis mortem, eamque dignitatem infinitam, quam præ aliis muneribus omnibus donum Christi pro nobis mortui habet, inde esse, quod infinitæ majestatis persona pro nobis data est, hoc est, verus atque æternus Deus. conf. I. *Petr.* I. *18*. *Act*. *XX*. *28*. *Joannes* vero, I. *Epist*. *IV*, *9*. magnitudinem amoris Dei in eo maxime conspiciendam præbet, quod Filium suum unigenitum in mundum misit, ut viveremus per eum. Absit cogitare, frustra hæc verba: *Unigenitum Filium suum in mundum misit*; posita esse. Itaque non id modo mirandum nobis ostentat Apostolus, quod vita nobis peccatoribus reperta est, qua de re laudanda esset Dei beneficentia, sed & hoc; *unigenito Dei Filio moriente* partam esse eam salutem. Verum, si obtinet Sociniana opinio, profecto res est non mirabilis, unius hominis vitam, non modo recuperabilem, sed & cum amplissimo fœnore mox certissime reddendam, datam esse pro universi generis humani salute. Et, si est, quod miremur, beneficentia Dei est, non in nos, sed in Christum, cui conditio oblata est non dura, sed, quam facile omnes sibi optarent, nempe ut exhaustis intensis quidem, sed

brevibus

brevibus cruciatibus, æternum sibi regnum pareret, & ipsi Deo æqualem gloriam. Verum prædicat Scriptura non Dei in Christum benignum animum, quoties de morte Christi agit, sed in genus humanum; itaque uterque error Socinianorum refellitur, cum, quod *sibi*, non *nobis* meruisse summa omnia perhibent, tum, quod *verum Deum* esse negant. Nam, ut modo dixi, si nudus homo fuit, passum esse dira, spe certissima locupletiorum præmiorum, non est magnopere mirandum. At, si Deus pro hominibus supplicia tulit, pertulitque, quod nos gaudemus scire, res ita est mirabilis, donum ita grande, ita mirandum, ut majus aliquid cogitari plane nequeat. Sociniana autem hæresi ipsa Christianæ religionis præcipua capita misere evertuntur, extenuatur amor Dei in homines, in nihilum abit amor Christi erga nos. Nam, si ipsi vera loquuntur, *Codrus Atheniensibus* longe majora beneficia præstitit, quam Christus generi humano. Posuit ille, non missus à quoquam, sed sua sponte, vitam, quam se sciret non recepturum; Christus eam, quam certus erat, post triduum cumulatissimis cum gaudiis iri redditum. Ponamus etiam regem perduellibus civibus veniam ita polliceri, ut legibus tamen satisfiat, edicto igitur promulgare, unigenitum suum Filium futurum vices civium, ab hoc pœnas sumtum iri, ut ipsi essent immunes. Fac confluere ad istud edictum populum; fieri non potest, quin vehementer, cum justitia regis, qui leges impune violari non patiatur, insignem beneficentiam mirentur, & modum maxime parandæ ipsis veniæ, per unigeniti filii mortem. Quodsi autem deinde cognitum fuerit, non ipsum unigenitum Principis filium, ex ipso genitum supplicia luisse, neque esse omnino aliquem, sed è civibus unum, inopia atque miseria liberatum, adscitum in aulam, splendide aliquandiu alitum vestitumque, filii loco habitum, eaque lege, ut [illegible] miraculo vitæ, [illegible], mori

jus-

jussum; hocque fuisse, quod de amore insigni, & de filio unigenito dando, Rex edixisset: Quid putas, si id ita accidisset, dicturos fuisse sapientiores? Hoc dicturi fuissent: Beneficus sane princeps, qui perire noluit cives perduelles, supplicio dignos! sed, quod mirati sumus, & infinitis laudibus extulimus, donatum nobis filium; nihil erat, qui nec fuit proprie filius, neque tam præstitit quam accepit beneficium: Dignus est legi, qui in eandem sententiam elegantissime disputat *Abbadius* apud *Spenerum*, *l. c. p.* 654. *ff.*

2.) Merito, cum de *proprio*, de *unigenito Filio* Dei legimus, audimusque, *adoptatum* Filium repudiamus. Neque sufficit, Christum celsiore aliquo loco, quam ceteros adoptatos filios, positum, ideo enim non magis esset *proprius*, quam reliqui omnes, etsi majora accepisset beneficia. Frustra Sociniani ad *Ebr. XI. 17.* se recipiunt, quasi *unigenitus* dici posset, qui præ ceteris, eodem modo genitis, diligeretur. Nam *Isaacus* parentum suorum, *Abrahami* & *Saræ* certissime fuit unigenitus. Neque opus est verbum addere. De *Salomone Prov. IV.* 3. non extat, vel in Græca antiqua versione, μονογενὴς, quamquam *Aquila*, *Theodotion* & *Symmachus* ita transtulere, vel in *Ebræo*, quod idem significet. Itaque disputatione molesta de eo loco facile supersedemus, & commoda videtur venerandi *Zeltneri* observatio: Ob sonst Bathseba, ausser Salomo, keinen andern dem David, währender Ehe, und der bey Leben geblieben, gebohren, (da zu vergleichen 2. *Sam. XII. 14.* und 1. *Chron. III. 5.*) oder ob hier diss Wort *einiger*, für *innigst geliebter* wie ein Eingebohrner, zu nehmen sey, ist zu untersuchen. Wenigstens heist Salomo nicht der *Eingebohrne*, wie Christus. Mihi tantum non certissimum est, *Salomonem* fuisse unicum matris suæ Filium;

nam

nam qui in adulterio genitus & paullo post extinctus est, hic non venit in censum. Tres, quos præterea volunt è *Bathseba* genitos, *1. Chron. III. 5. Schimeam, Schobabum* & *Nathanum*, tam non est necesse ad *Bathsebam* omnes referri, quia *Salomonis* mater fuit, quam incongruum foret sequentes novem eidem matri tribuere. Neque est, quod nos moretur vox *quatuor*, quasi quæ significet, ad eandem matrem pertinere omnes. Nam ex pluribus mulieribus genuisse *David* legimus, *2. Sam. V. 13. seqq.* Itaque licet nos fugiat ratio, cur hi filii regii in classes duas distribuantur, ut seorsum *quatuor*, deinde *novem* numerentur, fortasse, quod illorum matres honoratiores forent, quam horum; Saltem liquet, non ideo factum, quod singulæ classes singulas habuerint matres. Et sane, si reliqui etiam forent *Bathsebæ* filii, fas fuisset *Salomonem* primo loco poni, fuit enim post illum spurium nullo intercedente alio natus. *2. Sam. XII. 24.* Omnia *liquere* dixissem, si vox *quatuor* post nomen *Bathsebæ* posita esset. Sed ea de re item de (ל) ante *Absolom v. 2.* agetur D. V. alio loco. Nunc par est è diverticulo redire in viam. Ad objectionem Socinianorum, Filium Dei non esse ipsum Deum, quia alioqui Deus ipse suus Filius esset, tædet jam respondere, postquam plures esse personas divinas demonstratum est. In humanis absone sic colligeretur: *Joannes* est Filius hominis, ergo non est ipse homo. Immo, quia Filius hominis est, est & ipse homo. Pari ratione nos tuto sic colligimus: Qui Filius est Dei, non adoptivus, non per figuram sic dictus, sed ἴδιος, quæ vox figuratos conceptus removet, est & ipse Deus. In recentiorum Socinianorum commentis nihil video huc referendum, quod in *Racoviensibus* non sit explosum, nisi forte hæc verba: „Caussa vero, „cur Christus proprius Dei Filius dicatur, hæc est, quod

solius

solius Dei sit Filius, à solo Deo per Spiritum S. genera„tus; cum prorium nihil aliud denotet, quam non ali„enum, nec commune, sed omnino suum.„ Non facile dixeris, quid sibi velint hac etiam observatione. Nam si, *à solo Deo generatus*, hoc significat, nullius hominis Filium esse Christum, palam falsum est secundum humanam, quam solam in Christo agnoscunt Sociniani, naturam, habet enim matrem *Mariam*; Si secundum alteram naturam intelligendum est, nos quidem habent faciles, nam Christum ab æterno ex solius Dei Patris essentia genitum confitemur lubentissimi: verum ita Sociniani sua caussa certissime ceciderunt.

---

167. Quæ Scriptura eum vocat primogenitum omnis creaturæ?

Colossenses. I. ℣. 15.

168. Quid ad eam respondes?

Neque hinc naturam divinam Christum habere, exsculpi posse. 1.) Etenim, cum Christus primogenitus omnis creaturæ sit, eum unum è numero creaturarum esse oportere, necesse est. 2.) Ea enim in Scripturis vis est primogeniti, ut primogenitum unum ex eorum genere, quorum primogenitus est, esse necesse sit. Col. I. 18. Rom. VIII. 29. Ap. I. 5. Ut vero unus è rebus conditis creationis veteris existat, Dominus JEsus, nec adversarii quidem concedent, nisi Arriani esse velint, unum igitur esse è novæ creationis genere Dominum JEsum, concedant oportet: 3.) Unde non solum

solum divina Christi natura effici non potest: verum etiam, quod nullam naturam divinam Christus habeat, firmiter conficitur. Quod vero eo nomine vocatur ab Apostolo JEsus, eo fit, quod tempore & præstantia res omnes novæ creationis longe antecedat.

Notæ.

1.) *Coloss. I. capite* æternitatem Christi creatoris omnium & divinitatem Apostolus clarissimis verbis asseruit, neque nunc animus est repetere, quæ supra solide & invicte disputata sunt. Sed argumentum è v. 15. ductum luculentius exponere, præsentis est loci. Sic colligimus: Qui *primogenitus* est, *genitus* sane est, atque oportet esse, *ex quo sit genitus*. Porro, qui ante creationem omnem genitus est, originem non debet ulli creaturæ, ita enim esset, non πρὸ πάσης κτίσεως, sed, post eam saltem creaturam, è qua natus est, genitus. Relinquitur, ut sit genitus à creatore, nemque inter hunc & res creatas nihil intelligi potest intermedium. Si genitus est ex creatore rerum omnium, accepit ab eo, quod est, h. e. naturam suam, quæ cum non sit *creata*, alioqui *creatus* dicendus foret, non-*genitus*: Superest, esse *increatam*, at quoniam præter creatorem nihil est increatum, certum est, creatoris esse naturam, quam is genitus accepit; hoc est, divinam naturam. Ita thesis nostra non exsculpta est, ex Apostoli verbis, quando nec arte, nec vi in nostra caussa opus est. Sed, quod verba prono alveo fluentia volunt, observatum est. Hic dicenda aliqua esse video de voce πρωτότοκος, externis Scriptoribus, quantum quidem mihi observare datum est, non usitata,

nisi quod *Homerum* πρωτοτόκον feminam, quæ primum peperit, dixisse, paulo post videbimus; at eum, qui primum genitus est, nescio, an ullus Scriptor Græcus dixerit πρωτότοκον. *Xenophon* certe *Cyroped. L. VIII. p. m. 161. Cyrum* moribundum sic inducit alloquentem Filios: Τὸ προβουλεύειν καὶ τὸ ἡγεῖσθαι, ἐφ' ὅ, τι ἂν καιρὸς δοκῇ εἶναι τοῦτο προστάττω τῷ προτέρῳ γενομένῳ. *Consilio providere, & ducem præstare, quousque tempus postulare videbitur, jubeo eum, qui prior est natus*; paullo post vocatur πρεσβύτερος, *Senior*. Egit de hac voce singulari epistola ad *Ophelium* Grammaticum, insigne illud ecclesiæ lumen, *Isidorus Pelusiota*, quæ est *Libr. III. ep. 31 p. edit. Rittershus. 257.* quam, cum de nostro loco præclare agat, non laudare non potui. Τὰ κατημαξευμένα παρεὶς, σαφῶς εἴποιμι τὸ νενοημένον, εἰ καὶ δόξαιμι τισὶ καινοτέραν ἑρμηνείας ἀνατέμνειν ὁδόν· ὁ πρωτότοκος εἰ μὲν ἡ δευτέρα ὀξύνοιτο συλλαβὴ τὸν τεχθέντα πρῶτον. εἰ δ' ἡ παραλήγουσα, τὸν πρώτως τεκόντα μηνύει. Καὶ τοῦτ' ἀκριβῶς ἴσασι μάλιστα ὑμεῖς οἱ Ὁμηρίζοντες. Πρωτοτόκος γὰρ ἡ πρώτως τεκοῦσα ἐκεῖνῳ εἴρηται. Εἰκὸς οὖν μᾶλλον δ' ἀναγκαῖον ἐννοεῖν, ὅτι κἀνταῦθα τοι αὐτῇ τινὶ ἐννοίᾳ ὁ θεσπέσιος ἐχρήσατο Παῦλος, οὐ πρῶτον τῆς κτίσεως αὐτὸν κτισθῆναι δογματίζων (ἄπαγε) ὅς γε ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τῆς πατρικῆς αὐτὸν καλεῖ. Ἀλλὰ πρῶτον τετοκέναι, τουτέστι πεποιηκέναι τὴν κτίσιν, ἵν' ᾖ τῆς τρίτης συλλαβῆς ὀξυνομένης πρωτογόνος οὐ πρωτογενής. Πρωτοκτίστης, οὐ πρωτόκτιστος. Paullo post: ὑμῖν ἐπιτρέψομεν τὸ πρᾶγμα ἀδεκάστοις κριταῖς. Καὶ ἔστωσαν κριταὶ οἱ ἀκροαταί. Εἰ μὲν οὖν ἐκείνως ἔχει δεῖξαι,

δειξά-

δειξάτω. Ἐι δὲ ἐμὲ ἀπαιτεῖ τὴν ἀπόδειξιν, ἀυτὸν τὸν τῦτ' εἰρηκότα παρακομίσω μάρτυρα. Μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ἐπήγαγεν, ὅτι ἐν ἀυτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς ὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Ἐι μὲν ὖν εἶπε, μετ' ἀυτὸν ἐκτίσθη, ψηφίσασθε τῷ κατηγόρῳ. Εἰ δ' ἐν ἀυτῷ (ἐν γὰρ τῷ κτισῇ ἐςιν ἡ πάντων δημιυργία καὶ διαμονὴ. Ὅπερ καὶ σαφηνίζων ἀλλαχόσε ἔφη, ἐν ἀυτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινύμεθα καὶ ἐσμεν.) ἀναντίῤῥητος ἡμῶν, ὡς ὄιμαι, ἡ νίκη. κ. τ. λ. „Tritis ac pervulgatis omisſis, aperte, „quod ſentio, dicam, etiamſi quibusdam videri poſſim „novam interpretationis viam inire. Ὁ πρωτότοκος, ſi ſe„cunda ſyllaba acuatur, eum, qui primus natus eſt, ſignifi„cat. Si autem penultima, eum, qui primum genuit. At„que id vobis præſertim, quos *Homeri* lectio delectat, „compertum & exploratum eſt. Πρωτοτόκεια enim, ea, „quæ primum peperit, ab eo dicta eſt. Probabile itaque, „immo neceſſarium fuerit, animadvertere, huiusmodi „quodam ſenſu, hic quoque divinum *Paullum* uſum fuiſſe, „cum Chriſtum *omnis creaturæ primogenitum* dixit. „Hoc quippe vocabulo non eum primum ex omnibus re„bus conditis, creatum eſſe docet, (abſit) quippe qui „ſplendorem gloriæ & paternæ ſubſtantiæ characterem „ipſum appellet: verum, eum res conditas primo pe„periſſe, h. e. effeciſſe, ita ut, (tertia ſyllaba acuto accen„tu notata) πρωτογόνος non πρωτογενὴς, i. e. *primo* „*gignens* non *primogenitus*, πρωτοκτίςης non πρω„τοκτιςος, id eſt, *primo creans* non *primo creatus* &c. „Quo circa incorruptis judicibus negotium committamus, „ac noſtræ diſputationis arbitri ſint auditores. Itaque, ſi „ille aliquid demonſtrare queat, demonſtret. Sin autem „a me demonſtratum exigit, hunc ipſum, qui his verbis

„usus est, testem proferam. Postquam enim dixit: „Primogenitus omnis creaturæ, mox hæc verba subjun- „xit: Quoniam in ipso creata sunt omnia, quæ in cœ- „lis sunt, & quæ in terra. Quamobrem, si dixit, post „eum creata sunt, quia secundum adversarium pronunci- „etis, caussam haud dico. Si autem in ipso (etenim in „creatore rerum omnium procreatio & conservatio est, „quod quidem etiam alio loco explanans, dixit: In ipso „enim vivimus & movemur & sumus) sine controversia, „ut opinor, nostra est victoria. Quodsi etiam ea, quæ „sequuntur, narravero, luculentius adhuc trophæum erit: „Ait enim, & ipse est ante omnia, *non dixit: factus est an- „te omnia, sed, est ante omnia.*„ Quæ hic *Isidorus* Arrianis opponit, probo omnia, neque tamen necesse esse arbitror, πρωτοτόκος legi, ut intelligatur Christus non *genitus*, sed *genitor* rerum. Nam, ut alia taceam, vox ita scripta πρωτότοκος, ut significet *primogenitum*, etsi non extaret in externis scriptoribus; in *Novi* tamen *Testamenti* Scriptis & *Græcis Alexandrinis* Interpretibus, &, qui horum fere stilo utuntur, *Josepho* & *Philone*, Judæis, minime rara est. Neque tamen quidquam obtinent adversarii, ut illico sequente nota ostendetur.

2) Recipiunt se adversarii ad *Coloss.* I. *18. Rom. VIII. 29. Apoc. I. 5.* atque inde volunt probare, primogenitum esse more scripturæ primarium in unoquoque genere. Speciem habitura esset hæc oratio, si suppeterent exempla alia, neque agerent omnia de Christo, cujus quasi ordinarium cognomen est ὁ πρωτότοκος. Vid. *Ebr. I. 6.* Jam non mirum, ubicunque de primatu Christi sermo est, *primogenitum* dici, & subinde ad ejus generationem ab æterno ex essentia patris respici. Ergo dicitur πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, item ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, hoc est, *primogenitus, ante secula genitus*, qui, ut decet primum natum, & a mortuis rediens & inter fratres se gerat. Ut simili-

aliquo

aliquo rem illustrem, occurrit *2 Sam. XXIII. 3.* Deus usitato epitheto vocatur מושל *Dominator*, & מושל יראת אלהים *Dominator timoris Dei*, non, quasi præcipue timor Domini esset, in quo exerceret dominium, seu esset dominator; sed, quod, cum sit *dominator*, ubique recte eo nomine appelletur. Sic vocatur ἀρχηγὸς idem salvator noster, itaque *Dux vitæ, Act. III. 15.* *Dux salutis, Ebr II. 10. Dux fidei, Ebr. XII. 2.* dicitur, non quasi vita & salus duce opus haberet, quæ potius opus habuit *paratore*, vel si ea vox displiceat, *emtore* salutis. Sed, quoniam dux noster Christus est, quem ubique sequamur, &, cum de salute vitaque loquimur, dulcissima vox ἀρχηγὸς menti obversatur. Eodem modo, quando Christus *primogenitus* est, eaque vox est dulcissima, &, cum de resurrectione, item de ecclesia ejus loquimur, merito in mentem nobis venit. Non est ergo, quod arbitremur, πρωτότοκον significare in unoquoque genere *primarium*; dum, ut dixi, alia nobis exempla adversarii monstraverint. Si contigerit alia exempla inveniri, quod vehementer dubito futurum, neque tum nobis, quod respondeamus deerit, qui tot illustrissimis argumentis muniti, in hac voce arcem caussæ non ponimus.

3) De *nova creatione* non agi toto hoc capite, supra jam demonstratum est. Itaque iis, quæ ibi diximus, hoc unum addimus; si vel possit vox κτίσις absolute posita, sine additione alterius vocis significare *restaurationem* sive *regenerationem* hominum. Quemadmodum *David Psalmo LI.* ait: *Cor mundum in me crea;* iniquissimum tamen fore, Christum in classem eorum, qui regenerantur, seu restaurantur, referre, & primo loco ponere. Sequeretur enim, quod blasphemum dictu, Christum peccatis fuisse inquinatum, atque ab iis purgari opus habuisse. In nihilum ergo tota disputatio Socinianorum abit.

169. Ubi vero Scriptura eum omnia, quæ pater habeat, habere asserit?

Jo. XVI. 15. Christus ait: Omnia, quæ pater habet, mea sunt. Et infra: cap. XVII. 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea.

170. Quid tu ad hæc?

Vox, omnia, ad subjectam materiam, ut superius aliquoties demonstravimus, fere semper refertur. Quare, ex ejusmodi locis non potest ullo modo, quod volunt, effici. Materia vero subjecta cap. XVI. est, id nimirum, quod Spiritus S. Apostolis ad Christi regnum spectans revelaturus erat: Et XVII. capite constat apertissime, agi de discipulis ipsius Jesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam suos vocat. 1) Præterea, cum, quicquid Christus habeat, habeat patris dono, non autem a seipso, hinc apparet ipsum divinam istam naturam habere nullo modo posse. Cum natura Deus omnia a seipso habeat. 2)

Notæ.

1) Præclara testimonia de omnipotentia Domini nostri J. C. non ita eludi possunt, ut putant Sociniani. Nam, quamquam vox: *omnia*, ad subjectam materiam referenda est, non ut catechesis habet, *fere semper*, sed *semper:* explicandum tamen est, quid tibi velis his verbis:

bis: *subjecta materia;* non enim sufficit, de particulari aliqua caussa agi, ubi vox *omnia* occurrit, sed videndum etiam, annon ex universali thesi illam particularem elici velit scriptura, tum enim vox *omnia* suam vim nullo modo amittet. Quod & hic factum. *Jo. XVI. 14.* dixerat Christus, Spiritum Sanctum, quicquid Apostolos docturus esset, quæ explicata fuerant v. 13, facturum in gloriam Christi; nam, de hujus opibus sumturum, quæ annunciaturus esset discipulis. Hæc ut possent firmius credi, subjicit *commate 15. Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Propterea dixi: De meo accipiet, & nunciabit vobis.* Demonstrat ergo revera Spiritum S. a se mitti, quamquam & a patre mittatur, quia omnia sint ipsi cum patre communia, h. e. de rei particularis veritate, colligit argumentum ab universali. Quoniam mihi rem esse video, cum hominibus, qui rationi suæ & philosophiæ nimium confidunt, age, syllogismo concludamus, quæ adhuc dixi: *Thesis* hæc est: Ea, quæ Spiritus S. affert beneficia, omnia sunt Christi; *medius terminus*: quia quicquid pater habet, filius habet. Ratiocinium integrum *in forma* hoc erit: Quicquid patris beneficium, munus, & ex ejus opibus petitum est, id pariter sumtum est ex opibus Christi, est & ejus beneficium & munus. Atqui ea, quæ affert Spiritus S. ecclesiæ, &, quæ nunciat, sunt beneficia & munera patris, sunt & ex ejus opibus desumta; Ergo ea, quæ affert Spiritus S. ecclesiæ, & quæ nunciat, sunt & Christi beneficia & munera, sunt ex ipsius opibus petita. Conclusionem, quam hic ponimus, nemo negabit Christi esse, nisi qui oculos claudit. At, si vox *omnia*, non est universalissimo sensu accipienda, *major propositio* est *particularis*, totumque adeo ratiocinium nullum. Videamus etiam de *Jo. XVII 10.* cujus non aliter comparata est ratio. Non rogat Christus pro mundo, sed speciatim pro iis, quos ipsi pater dedisset, h. e. pro discipulis, quos dicebat adhuc in mundo esse, hos patri, non ut alienos sed ut

ſuos commendat *v. 9.* rationem addit, *v. 10. Nam, omnia, quæ mea ſunt, tua ſunt, & tua ſunt mea.* Fruſtra hic catecheſis monet, apertiſſime agi de diſcipulis ipſius Jeſu, hoc enim nemo ignorat. Sed, unde probat Chriſtus hoſce diſcipulos ſuos, pariter & patris eſſe? ſi ita colligeret: Aliqua habemus communia, ergo & hos diſcipulos; procederet ratiocinium a particulari, itaque ſi bonam eſſe velis argumentationem, ut certiſſime eſt, neceſſe eſt in hoc ſermone: *Omnia mea tua ſunt*, vocem *omnia* univerſaliſſimum ſenſum obtinere.

2) Ad cavillationem ſocinianorum, Deum omnia habere a *ſeipſo*, Chriſtum non habere a ſeipſo, ergo Chriſtum non eſſe Deum, reſponſum ſupra eſt. Scire oportuit ſcripturam, & credere iis quæ divinitus docemur. Non omnes perſonæ divinæ habent naturam divinam a ſe ipſis, nam docemur filium a patre habere, ſpiritum ſanctum a patre & filio; ſed eandem tamen naturam. Ut & in humanis, noſtram naturam a parentibus accepimus, nec tamen minorem. Friget ergo & recentiorum reſponſio: Sic ajunt: „Manifeſtum eſt *omnium* nomine in talibus loquendi modis, nullo pacto includi naturam ſive „eſſentiam; ſed res tantum, quæ ab aliquo poſſideantur: „ſi præſertim alter alteri ſit aliqua ratione ſubordinatus, „ab eoque dependeat, quemadmodum ſane hic contingit. „Filius enim patri, a quo omnia ſibi data eſſe affirmat, ſub„ordinatus eſt. Ex quo ipſo, filium eandem cum patre „naturam non habere apparet, hanc enim naturam habens „omnia haberet per ſeipſum.„ Quis docuit hos homines non pertinere eſſentiam ad res quæ ab aliquo poſſidentur? Porro, ſi nolis hac de re diſputare, auctoritas certe ac majeſtas cenſebitur in *rebus*, quas aliquis, & in noſtra quidem cauſſa Deus, poſſidet, hanc vero falſiſſimum eſt habere eum communem, qui ſubordinatus eſt, cum eo, cui eſt ſubordinatus. Denique quod audacter perhibent, filium patri, quia omnia ab eo accepit, *ſubordinatum eſſe*, nos

nega-

negamus. *Acceptio* sane rerum ab altero, non facit illas res acceptas minores. Itaque si accepit, quod scriptura nos docet, filius a patre majestatem divinam ab essentia non separandam, accepit & ipsam essentiam, non minorem aliquam, sed divinam, h. e. summam. Narrabo & *B. W.* observatiunculam, non ut refutem, sed ut lector videat proterviam ingenii humani, quod in rebus divinis præter scripturam s. sapere audet: ,, Adde, si sine ulla limitatione ,,hæc intelligantur & ad essentiam trahantur, tum etiam ,,hoc modo sequeretur, filium patris habere personam; ,,item, sicut pater habet filium, ita etiam filium habere fili- ,,um, & vice versa: ut & patrem habere humanam natu- ,,ram; & innumera alia absurda.,, Christiani hoc didicerunt esse personis divinis actiones suas proprias, ita mittit pater filium, quemadmodum & gignit, filius nec mittit se nec gignit, sed Christus non dixit, quicquid, quocunque modo, *agit* pater, ego ago, sed, quicquid pater *habet*, meum est; quamquam & actiones, quæ extra Deum effectum relinquunt, omnibus personis divinis communes esse novimus.

---

171. At quæ scriptura Christum patrem æternitatis vocat?

Esaiæ IX. 6.

172. Tu vero quid ad hæc?

Ex eo naturam divinam probari non posse, cum certam ob caussam pater æternitatis Christus sit vocatus, ex ipsis verbis ibidem paullo superius expressis videre est. 1) Mirum vero est, adversarios hunc locum, ubi agitur de patre æterno, ad filium referre, quem constát secundum eos ipsos, patrem

non esse. 2) Pater vero æternitatis aut futuri seculi, propterea dictus est Christus, quod sit princeps & auctor vitæ æternæ; quæ futura est. 3)

Notæ.

1) Quod se negant videre Catecheseos auctores, dudum vidit *Clemens Alexandrinus*, versione, ut videtur, græca meliore usus, quam, qua nos hodie vulgo utimur. Sic enim *Pædagogi. L. 1. cap. 5. p. m 91.* Τὸν κύριον αὐτὸν ὀνομάζει παιδίον, τοῦτο διὰ Ἡσαΐου θεσπίζον τὸ πνεῦμα. Ἰδοὺ παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, Υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. Τί οὖν τὸ παιδίον; τὸ νήπιον οὗ κατ᾽ εἰκόνα ἡμεῖς οἱ νήπιοι. Διὰ τοῦ αὐτοῦ προφήτου διηγεῖται τὸ μέγεθος αὐτοῦ. Θαυμαστὸς σύμβουλος, Θεὸς δυνάστης, πατὴρ αἰώνιος, ἄρχων εἰρήνης, τῷ πληθύνειν τὴν παιδίαν, καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας. Ὢ τοῦ μεγάλου Θεοῦ! ὢ τοῦ τελείου παιδίου! υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ, καὶ πῶς οὐ τέλειος ἡ παιδεία τοῦ παιδίου ἐκείνου &c. *Ipsum Dominum puellum nominat, id per Esaiam prædicens Spiritus. Ecce puellus, natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus principatus super humerum ejus, & vocatum est nomen ejus, magni consilii angelus.* (De græca hac versione legi meretur *Campeg. Vitringa, Observatt. sacrarum. L. III. c. XVII. §. 5.* Sed hinc apparet a *Clemente* etiam versionem meliorem adhibitam.) *Quid est ergo puellus? Infans, ad cujus imaginem nos infantes sumus. Per eundem prophetam narrat ejus magnitudinem: Admirabilis, consiliarius, Deus potens, Pater æternus, princeps pacis,*

eo quod disciplinam impleat. Et pacis ejus non est finis. O magnum Deum! O perfectum puerum! Filius in patre & pater in filio. Et quomodo non est perfecta hujus pueri disciplina & institutio?

2) Frigida observatiuncula! Mirantur nos hunc locum ad filium referre, & ipsi tamen, & summo quidem jure ad eum referunt. Quasi non possit idem, ad patrem relatus, a quo essentiam divinam habet, *filius* esse, & simul alio respectu, *pater*. Sic *Esaiæ VIII. 18.* Christum de filiis suis loqui authenticum habemus Interpretem Apostolum. *Ebr. II. 13.*

3.) Concedamus Socinianis, quando ita volunt, Christum dici *patrem æternitatis*, quoniam princeps & auctor est vitæ æternæ, ea quidem æquissima lege, ut ne ponant vitam æternam ante ejus auctorem & principem. At cum vita æterna non destinata, dicta, promissa, sed *parata* sit ἀπὸ καταβολῆς κόσμου *a jactis mundi fundamentis. Matth. XXV 34.* quæ voces quid significent, docebunt hæc loca: *Matth. XIII. 35. Luc. XI. 50. Jo. XVII. 24. Ephes. I. 4. Ebr IV. 3.* &c. Itaque extitit jactis mundi fundamentis Christus, atque ita extitit, ut jam tum esset princeps & auctor vitæ æternæ. Ceterum nolumus hac nostra liberalitate præjudicatum quidquam illis, qui non modo vitæ æternæ, sed omnis æternitatis, sive pios sive impios respicias, principem esse Christum, ex hoc loco merito colligunt. Ostendenda saltem fuerat adversariorum imprudentia, qui sua se vineta cædere ne quidem animadvertunt. Tria verba addenda sunt ad explodendum εὕρημα recentiorum. Nempe cum in eam sententiam disputassent, quam in *Racoviensibus* profligavimus, subjiciunt: „Adde, quod de puero isto, tanquam „de rege, divinitus dando, loquatur propheta: Boni au„tem reges, qualis iste futurus prædicitur, patres populi „appellari solent: & ne quis putaret hoc tantum bonum,

 non

„non magis fore perpetuum, quam in aliis, quamvis optimis regibus, ob vitæ caducæ conditionem; asserit propheta regem hunc patrem æternitatis, id est, æternum, hebraica phrasi, futurum esse, quod vere in Christo summo Dei beneficio impletum est.„ Ita explodimus hæc cogitata, non ut falsa esse ajamus, sed ut negemus Socinianorum impietati patrocinari. Loquitur sane de Christo ut rege, sed cui ut puerulo nato ea nomina tribuuntur, quæ *Esaias* pulchra serie recitat. Infantuli autem, quamquam in spem regni geniti, cum nascuntur, non vocari solent nec possunt sane patres populi, sed tum demum, cum regno aliquandiu præclare functi sunt, certe cœperunt fungi. Aliam ergo oportet hujus admirabilis pueri rationem esse, qui, cum natus est, jam nomen habuit *patris æternitatis* seu *æterni*, quod, nisi sit verus Deus æternusque, explicari non potest.

---

173. At his encomiis, quod verbum Dei imago Dei inconspicui & character hypostaseos ejus sit, &, qui videat Jesum, eum videre patrem, & in Jesu habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, quæ scripturæ Jesum insigniunt?

Jo. I. 1. In principio erat verbum conjuncto eo, quod Apocal. XIX. 13. scribitur a Joanne, verbum Dei. Col. I. 15. Ebr. I. 3. Jo. XIV. 9. Col. II. 9.

174. Quid tu ad hæc?

Ex eo, quod verbum Dei sit Christus, doceri divina in Christo natura non potest, immo adversum potius colligitur. 1) Cum enim ipsius unius Dei verbum sit, apparet eum

eum non esse ipsum unum Deum. Quod etiam ad singula hæc testimonia simul responderi potest. Verbum vero vel sermo Dei Jesus ideo nuncupatur, quod omnem Dei voluntatem nobis exposuerit, ut ibidem Joannes inferius exposuit. Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui in sinu patris est, ipse nobis enarravit. Jo. 1. 18. Quemadmodum etiam eodem sensu & vita & veritas dicitur. Atque hoc idem dici potest de eo, quod imago Dei inconspicui vocatur. 2) Quod vero character hypostaseos ejus dictus sit, hoc intelligi debet, Deum, quicquid nobis promisit, jam reipsa in eo exhibuisse. 3) Quod vero attinet ad dictum Domini Jesu; Qui me videt, videt patrem, neque hinc naturam divinam probari, certum cuique esse potest, cum ea ratio videndi non possit de essentia Dei accipi, quæ invisibilis sit prorsus, verum de cognitione eorum, quæ dixit & fecit Christus, ut ibidem 10. versu Christus declarat. 4) Nec illis denique verbis, quod plenitudo divinitatis in eo habitat corporaliter, probatur natura divina. Primum enim vox hæc, divinitas, designare potest voluntatem Dei, eamque orationem cum Apostolus opponat non personæ, sed philosophiæ & legi; hinc perspicuum est, eam de doctrina Domini Jesu non de persona accipi. De hac

vero

169. Ubi vero Scriptura eum omnia, quæ pater habeat, habere asserit?

Jo. XVI. 15. Christus ait: Omnia, quæ pater habet, mea sunt. Et infra: cap. XVII. 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea.

170. Quid tu ad hæc?

Vox, omnia, ad subjectam materiam, ut superius aliquoties demonstravimus, fere semper refertur. Quare, ex ejusmodi locis non potest ullo modo, quod volunt, effici. Materia vero subjecta cap. XVI. est, id nimirum, quod Spiritus S. Apostolis ad Christi regnum spectans revelaturus erat: Et XVII. capite constat apertissime, agi de discipulis ipsius Jesu, quos ipsi Deus dederat, unde eos etiam suos vocat. 1) Præterea, cum, quicquid Christus habeat, habeat patris dono, non autem a seipso, hinc apparet ipsum divinam istam naturam habere nullo modo posse. Cum natura Deus omnia a seipso habeat. 2)

Notæ.

1) Præclara testimonia de omnipotentia Domini nostri J. C. non ita eludi possunt, ut putant Sociniani. Nam, quamquam vox: *omnia*, ad subjectam materiam referenda est, non ut catechesis habet, *fere semper*, sed *semper*: explicandum tamen est, quid tibi velis his verbis:

bis: subjecta materia; non enim sufficit, de particulari aliqua caussa agi, ubi vox *omnia* occurrit, sed videndum etiam, annon ex universali thesi illam particularem elici velit scriptura, tum enim vox *omnia* suam vim nullo modo amittet. Quod & hic factum. *Jo. XVI. 14.* dixerat Christus, Spiritum Sanctum, quicquid Apostolos docturus esset, quæ explicata fuerant v. 13, facturum in gloriam Christi; nam, de hujus opibus sumturum, quæ annunciaturus esset discipulis. Hæc ut possent firmius credi, subjicit *commate 15. Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Propterea dixi: De meo accipiet, & nunciabit vobis.* Demonstrat ergo revera Spiritum S. a se mitti, quamquam & a patre mittatur, quia omnia sint ipsi cum patre communia, h. e. de rei particularis veritate, colligit argumentum ab universali. Quoniam mihi rem esse video, cum hominibus, qui rationi suæ & philosophiæ nimium confidunt, age, syllogismo concludamus, quæ adhuc dixi: *Thesis* hæc est: Ea, quæ Spiritus S. affert beneficia, omnia sunt Christi; *medius terminus*: quia quicquid pater habet, filius habet. Ratiocinium integrum *in forma* hoc erit: Quicquid patris beneficium, munus, & ex ejus opibus petitum est, id pariter sumtum est ex opibus Christi, est & ejus beneficium & munus. Atqui ea, quæ affert Spiritus S. ecclesiæ, &, quæ nunciat, sunt beneficia & munera patris, sunt & ex ejus opibus desumta; Ergo ea, quæ affert Spiritus S. ecclesiæ, & quæ nunciat, sunt & Christi beneficia & munera, sunt ex ipsius opibus petita. Conclusionem, quam hic ponimus, nemo negabit Christi esse, nisi qui oculos claudit. At, si vox, *omnia*, non est universalissimo sensu accipienda, *major propositio* est *particularis*, totumque adeo ratiocinium nullum. Videamus etiam de *Jo. XVII 10.* cujus non aliter comparata est ratio. Non rogat Christus pro mundo, sed speciatim pro iis, quos ipsi pater dedisset, h. e. pro discipulis, quos dicebat adhuc in mundo esse, hos patri, non ut alienos sed ut

tatem Evangelii *Joannis*, quem sua non ex hoc illove auctore, sed a magistro Spiritu Sancto hausisse novimus. Mirum, quod non *Mosen* quoque & *Davidem* quæ in *Genesi* & *Psalmo XXXIII.* de *verbo Dei* habent, e *Philone* mutuo accepisse dixit. Dixisset opinor, ni ætas obstaret. Sed, ut redeamus in viam, sic colligo: De *verbo* hoc actiones personarum prædicantur, & divinæ quidem actiones, ergo verbum hoc divina persona est. Quamquam, quid oportet nos demum sic colligere, cum habeamus Apostoli verba: Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος.

2) Cum non intercedamus, si Christum *verbum* ajas dictum, quod per eum hominibus voluntas divina patefacta sit, immo ipsimet id colligamus ex *Jo. I. 18.* ἐκεῖνος ἐξηγήσατο, Nulla tamen ratione ita licet interpretari voces: *Imago Dei invisibilis.* Non enim imago dicitur alicujus, v. g. Principis, quo ejus mandata ad aliquem perfert. Argumentum vero pro divinitate Christi, quamquam acquiescere poteramus, in reliquis solis luce clarioribus, & hinc tamen idoneum est. Quod tribus verbis explicabimus. Imago est Christus Dei, itaque exhibet divinitatem in ipso noscendam. Porro, imago vel animæ expers est, vel animata. Illud de Christo ne adversarii quidem dixerint, itaque *animata imago* est. Porro, cum vivat & agat Christus, neque tamen imaginem Dei actionibus suis facere dicatur, sed esse ipse imago, oportet in ipsius persona esse divinitatem, quam repræsentat. At, si in persona divinitas est, erit persona divina, hoc est, Deus. Recte hæc colligi non dubito, monitum tamen lectorem velim, ut, si non capiat omnia, clarioribus contentus sit. Ad objectionem Socinianorum: qui imago sit Dei, item verbum Dei, eo ipso Deo opponi; respondemus: quod sæpius dictum est, contra *Sabellium* valere, quod ajunt; est enim certe personæ persona opposita, contra nos nihil valere. Est utique Christus, non ille ipse, cujus est verbum & imago, h. e.

non

non ipse pater, neque minus tamen eadem essentia divina patri filio & spiritui sancto communis est.

3) Piget miseræ interpretationis. *Character*, inquiunt, *hypostasis divinæ Christus est; quia Deus quicquid nobis promisit, reipsa in Christo exhibuit.* Ita explicatum *Ebr. I. 3.* & se bonorum Interpretum officio functos arbitrantur. Lectori nostro hoc tribuendum est, scire, *δόξα* non significare *promissum*, multo minus hoc significat vox *hypostasis*; sed nec *ἀπαύγασμα* nec *χαρακτὴρ* est præstatio promissi. Quam parum decet in catechesi, publico scripto, ita imprudenter, quicquid in buccam calamumque venit, effutire? Ceterum, non est obscura sententia Apostoli: In Christo *gloriam divinam*, non diluto sensu, ut interdum quod *nobile* est, *divinum* vocatur, sed proprie divinam, agnosci, unde patet, esse illam in eo; sed cum nemine communicatur, nisi cum Deo, nam alteri non dari, gravis est testis *Esa. XLII. 8.* Itaque Deus est, in quo divina illa gloria residet, & *personam* tamen alterius refert. Nam hæc est antiquissimis ecclesiæ scriptoribus significatio vocabuli *ὑπόστασις*. Itaque est alia persona. Eadem igitur verba *Augustini* exemplo, & *Sabellium* & *Arrium* audire jubemus.

4) *Jo. XIV. 9. 10.* præclare testatur de unitate essentiæ patris & filii, quæ si non esset, dici non posset, patrem videri, quando videtur filius, nec locum haberet locutio: *Pater in me, ego in patre;* nec opera Christi patris opera dici possent. Quamquam enim de unione mystica fidelium cum patre similes locutiones occurrunt, tantum tamen abest, ut nostro argumento quidquam decedat, ut potius confirmetur. Nam illa unio mystica ad similitudinem fit, unitatis, quæ in Deo est. *Jo. XV. I. 21.* Longe maior arctiorque illa sit, oportet, quam hæc, &, cum hæc sit ex gratia per fidem, illam non per fidem, sed ipsa natura summam esse, credendum est. Monitum

tamen

tamen lectorem velim, nunquam nos hoc argumento solo, & seorsum uti, alia enim loca, qualis sit illa patris & filii & spiritus s. unitas, in aprico collocant. v. g. *Jo. XIV.* 13. 14. jubet Christus omnia a se & suo nomine peti, & se facturum omnia promittit in patris gloriam. Hic explicatur, quod v. 10. dictum fuerat: Pater in me manens ipse facit opera, eadem vero opera cum sibi minime ambiguis verbis vindicet Christus, & a se sperari, a se peti omnia, velit, necesse est, ita unum esse patrem & filium, ut utriusque auctoritas in agendo sit eadem. Cum his si conferas *Ps. L. 15.* quo loco a Deo solo, auxilia in calamitatibus expectanda dicuntur, patet, utriusque esse vere divinam auctoritatem, h. e. utrumque verum Deum. Idem de spiritu sancto probamus alibi. Quam jejune autem Sociniani nostrum locum tractant! rationem, ajunt, videndi non de essentia divina, quæ invisibilis sit, accipi posse, sed de cognitione eorum, quæ dixit & fecit Christus; hoc declarari v. 10. Quis feret ejusmodi interpretationem: Videt patrem, h. e. *cognoscit, quæ ego feci & dixi?* Itane vox *pater* significat dicta & facta Christi? Est sane essentia divina invisibilis in se, sed per Christi humanitatem videri potest; quæ nisi esset in unitatem personæ assumta, hoc dici non posset: at, postquam hæc humanitas personæ τῦ λόγυ propria facta est, λόγος autem & pater unum sunt; qui Christum hominem videt, Deum, τὸν λόγον, videt, & ipsum patrem videt.

f) *Coloss. II. 9.* explicamus alibi. *Eph. I. 23.* Ecclesia vocatur πλήρωμα τῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρυμένυ; is vero, qui omnia implet, est Deus. Ecclesia igitur est plenitudo Dei, h. e. quæ a Deo impletur. Eadem significatio mihi videtur, *Ephes. III. 19.* Neque minus *Coloss. I. 19.* πλήρωμα, quod in Christo habitat, est corpus ecclesiæ, in ipso, ut capite conjunctum. v. 18. Merito igitur *Coloss. II. 9.* pariter intelligo ecclesiam, quæ ut corpus, seu

ſeu σωματικῶς cum Chriſto ita conjunctum eſt, ut in eo quaſi habitet & domi ſit. Vulgo aliam eſſe noſtratium explicationem, me non fugit, ſed hanc expendendam commendo doctioribus. Sociniani quidem palam ineptiunt, qui *divinitatem* poſſe ſignificare ajunt *voluntatem Dei*, ſed ſine teſte ſine tabula. Quod porro perhibent, orationem Apoſtoli, non perſonæ, ſed Philoſophiæ & legi opponi, pariter nihil eſt. Hoc vult Apoſtolus: non eſſe traditionum humanarum vinculo eccleſiam ad homines, earum auctores alligendam, ſed conjunctiſſimam eſſe debere cum capite ſuo Chriſto.

175. At, ubi Scriptura ait de Chriſto, eum habuiſſe gloriam apud Patrem, antequam mundus fieret?

Jo. XVII. 5. Ipſe Dominus in ſua ad Deum precatione ait: Et nunc glorifica me Pater apud temetipſum, ea gloria, quam apud te habui, antequam mundus fieret.

176. Quid ad hoc reſpondes?

Neque hinc naturam divinam probari. 1) Poſſe enim aliquem gloriam habere, antequam mundus fieret, apud Patrem, nec tamen hinc effici, eum eſſe Deum, apparet, 2 Tim. I. 9. ubi ait Apoſtolus de credentibus, illis datam fuiſſe gratiam, ante tempora ſecularia. 2) Præterea hic ſcriptum eſt JEſum rogare hanc gloriam, quod naturæ divinæ prorſus repugnat. 3) Loci vero ſententia eſt; Chriſtum rogare Deum, ut ei gloriam

reipsa det, quam habuerit apud Deum, in ipsius decreto, antequam mundus fieret. 4)

Notæ:

1) Si de præsenti controversia *Ciceronis* alicui simili, qui, quid Christus gloriaque divina esset, pariter ignoraret, facultas deferretur arbitrandi, potueritne aliquis gloriam, seu majestatem apud alterum dudum habuisse, qui ne extiterit quidem? ea, credo, reperiret, quæ *L. I. Tusculan. Quæst. §. 12.* hodie legimus. *Quem esse negas, eundem esse dicis? ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse.* Paullo post: *Revolveris eodem, sint enim oportet, si miseri sunt. Tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent, si igitur non sunt, nihil possunt esse, ita ne miseri quidem sunt.* Nos pro voce *miseri* dicemus *gloriosum.* Ubi acumen Socinianorum? Qui Christum *gloriosum fuisse* ab æterno, ajunt, *fuisse*, negant. Hoc dicto, *Jo. XVII. 5.* impietas Sociniana quasi fulmine prosternitur. Habuisse gloriam Christus tam non potest ante mundum conditum, nisi ipse extitit, quam ego non possum reculas meas ante annos centum habuisse, cum nondum extiti.

2) Frustra & temere objicitur, *2 Tim. I. 9.* Dari enim potest destinarique quod habiturus est aliquando, is, cui datur, cui destinatur. Ita data, nec solum destinata, sed data & reapse in Senatu SS. Trinitatis præsens gratia illa, qua totum negotium salutis nostræ absolvitur. Sed habuisse eam homines ab æterno, nec dicuntur usquam, nec dici possunt nisi mutata linguarum indole. Sic, quas hodie serimus, arbores, damus posteritati, at eos qui nondum nati sunt, sed nascituri fortasse, habere hodie eas arbores nemo dixerit. Et, si fuerit aliquis, qui ita ἀκύρως loquatur, fasne erit similem ἀκυρολογίαν attribuere sermoni Christi?

3) Nisi

3) Nisi studio affectarent ignorantiam doctrinæ nostræ Sociniani, poterant nosse, secundum nostram, immo Scripturæ Sacræ, doctrinam, Christum ut hominem rogasse a Patre gloriam sibi dari, quam habuisset eadem quidem persona, sed secundum alteram naturam ab æterno. Quid ergo frivola objectio: Rogationem hujus gloriæ naturæ divinæ prorsus repugnare? Sane, secundum divinam naturam nec rogavit nec accepit gloriam, sed rogavit tamen, itaque verus est homo; & rogavit, quod olim ab æterno habuisset, ergo in Christo æterno etiam seu divina natura est.

4) De decreto gloriæ non agi, sed de ipsa gloriæ possessione, præter ea, quæ jam monui, hoc quoque docet, quod vox παρὰ cum Dativo bis habetur, παρὰ σεαυτῷ, παρὰ σοί. Itaque non vult declarari gloriam suam, quod videtur *Smalcius* in versione Germanica voluisse, nisi vitium operarum est, nam pro vocabulo, *verkläre*, extat ibi, *erkläre*; sed vult frui sua gloria apud Patrem, quæ, si intelligenda est apud Patrem tantum decreta, denuo voluit tantum decernendam gloriam. At voluit gloriam possidendam, itaque jam olim possessa gloria apud Patrem intelligatur necesse est. Mirandum vero, indidem, unde nos argumentum saltem probabile ducimus, recentiores Socinianos argumentum pro sua opinione petere. Sic ajunt: „Huc accedit, quod non „simpliciter dicat Christus, se eam gloriam habuisse, „sed, apud Patrem habuisse, quasi dicat, apud Pa„trem jam olim & ante mundum conditum sibi reposi„tam; nunc petere, ut eam habeat in se reipsa collatam.„ *B. W.* subjecit in nota: „Hunc verum esse hujus loci „sensum, ex professo ostendunt, *Augustinus* ac *Beda*: „Eodem modo exponit *Musculus* & qui multorum instar „est, magnus ille *Grotius*.„ Ne fallatur lector ab homine Sociniano, qui posset imperito rerum persuadere, *Augustinum*, quo nemo acrius huic Socinianæ perfidiæ obstitit, favere aliqua parte his nugis, recitanda esse video

aliqua sancti viri verba: *Tom. IX. Opp. Exposit. in Joann. Tractat. CIV. in Cap. XVII. Jo. p 506.* „Sed hoc „factum est in forma servi, In forma vero Dei semper „fuit, semper erit claritas. Immo non fuit, quasi jam non „sit, nec erit, quasi nondum sit, sed sine initio, sine fine „semper est claritas. Quod ergo ait: Pater, venit hora, „clarifica Filium tuum; sic intelligendum est, tanquam „dixerit; Venit hora seminandæ humilitatis, fructum „non differas claritatis.„ *Tractat. CV. p. 509.* „Recte „quippe dicitur non prædestinatus secundum id, quod „est verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim „prædestinaretur, cum jam esset, quod erat sine initio „sine termino sempiternus? Illud autem prædestinatum „erat, quod nondum erat: Ut sic suo tempore fieret, „quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum „erat, ut fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat, hunc eundem Filium hominis negat. Sed „propter contentiosos etiam hinc audiamus Apostolum in „suarum exordio literarum. Nam & in prima Epistolarum ejus, quæ est ad Romanos & ipsius Epistolæ principium est, ubi legitur: Paullus servus JEsu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod „ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis „de Filio, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, secundum hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est, antequam mundus esset: ut esset claritas ejus „ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram sedet. Cum ergo videret illius prædestinatæ suæ „clarificationis venisse jam tempus, ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione jam factum, „oravit dicens: Et nunc clarifica me tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, „apud te. Tanquam diceret, claritatem, quam habui „apud te, id est, illam claritatem, quam habui apud te in „præ-

„prædestinatione tua; jam tempus est, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua.„ Vident hic omnes beatum præsulem eadem, quæ nos, docuisse. Docuit Christum, in quantum *verbum* est, & Deus de Deo, gloriam illam divinam habuisse, habere, habiturum semper, eandem vero eidem personæ, prout homo futurus esset, prædestinatam, in tempore, & quantum ad plenum usum attinet, in sessione ad dextram, occupatam. Hæc nos fatemur recte omnia dicta esse. Verum non posset tamen Christus dicere, se gloriam sibi, ut homini destinatam habuisse ante conditum mundum, nisi jam tum fuisset; nec destinata esset carni Christi illa gloria, nisi *æterni verbi caro* esset. *Grotium* ad cujus auctoritatem Sociniani recentiores subinde se recipiunt, non equidem probo semper nec excusandum suscipio; sed hoc certum esse puto Socinianis parum usui esse, si probe legatur, ad *Jo. XVII. 5.* minime omnium favet. Ait quidem παρὰ σοὶ de destinata Christo gloria apud Patrem intelligenda, sed provide addit personam Christi ante mundi exordium jam extitisse, huic, quam possederat jam gloriam, ut futuro homini, destinatam esse. En ejus ipsa verba: „παρὰ σοὶ refer ad „illud εἶχον, & intellige, ut diximus, in decreto tuo: „Cujus signum aliquod jam tum datum est, cum mundum & ipsum hominem Deus condidit per τὸν λόγον, „præsignificans eundem in JEsu auctorem fore novæ creationis & mundi melioris.„ Hæc probare Sociniani non poterunt, nisi ejurata sua hæresi.

---

177. Quo autem loco Scriptura ait, Spiritum Christi fuisse in Prophetis?

1 Petr. I. 10. 11. De qua salute exquisierunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de illa

in eos gratia prophetaverunt, scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi &c.

178. Quid ad hoc respondes?

Neque hinc naturam in Christo divinam effici. 1) Nam hic Spiritus, qui in Prophetis erat, Christi dici potest, non quod a Christo datus fuerit, sed quod ea, quæ Christi fuerunt, prænunciarit, ut ibidem Petrus ait: prænuncians illas in Christum passiones, & post hæc glorias. Quem loquendi modum etiam, 1 Jo. IV. 6. habes. Hinc cognoscimus Spiritum veritatis & Spiritum erroris, ubi non propterea Spiritus veritatis & erroris Spiritus dicitur, quod veritas & error tanquam personæ eum Spiritum conferant; verum eo quod Spiritus veritatis loquatur, quæ veritatis sunt, & Spiritus erroris, quæ sunt erroris. 2)

Notæ.

1) Immo efficitur planissime: Spiritus, quo acti sancti Dei homines locuti sunt, est Jehovæ Spiritus, *2 Sam. XXIII Zachar. VII. 12.* Et facile est ad intelligendum, Spiritum S. si vel non esset persona divina, quod tamen deinceps demonstrabimus, sed donum aliud, dari tamen non posse, nisi ab ipso Deo. At, cum idem Spiritus sit *Christi*, ut hoc loco *Petri; Spiritus Filii Dei*, *Galat. IV. 6. Spiritus oris ejus, 2 Thess. II. 8.* hinc prono alveo fluit, Christum esse Jehovam & verum Deum. Porro,

cum

cum idem Spiritus jam dudum per Prophetas locutus sit, jam dudum eum, cujus est Spiritus, extitisse necesse est. Huic demonstrationi frustra obstrepere humana sapientia conatur.

2) Nusquam unquam ullum exemplum repertum est, ut Spiritus alicujus suo nomine appellati, dicatur, de quo Spiritus aliquid nunciavit. Et, quam absurdum esset Spiritum S. qui per *Jesaiam* de *Cyro* vaticinatus est, *Cyri Spiritum* vocare. Erubescere decuisset Socinianos, & victas veritati manus porrigere, non, violentas detorsiones clarorum dictorum circumspicere. *1 Joh. IV. 6.* huc non pertinet. *Veritatis Spiritus* est *verax Spiritus*, & *erroris Spiritus*, *mendax Spiritus*: Quis dubitet? Restat videre, quoniam *veritas* & *error* non sunt personæ, quid significet Spiritus personæ alicujus, v. g. Christi? Hic res est clara, nisi velis cæcutire ultro. Superest, de recentioribus dicere. Hi eludere conantur argumentum nostrum laudato. *1. Io. IV. 3.* conatu vehementer absono, sic instituunt: Legitur ibi πνεῦμα Αντιχρίςυ. Antichristus autem futurus demum erat, ergo potest contraria ratione Spiritus Christi dici, qui futuri Christi est Spiritus. Percommode recitant ipsi *Joannis* verba: *Quem audivistis, quod venit, & nunc in mundo est jam.* Vides non certam aliquam personam unamve intelligi voce Antichristi, sed eos qui subinde Christi veram doctrinam oppugnaturi essent oppugnarentve, in quibus quinam potissimum Antichristi sint, nemo nostrum ignorat. Quodsi fuit jam tum in mundo Antichristus, quod credendum est Apostolo, quid mirum Spiritum etiam Antichristi jam extitisse? Immo hoc ipsum est, cur addidit Apostolus, non modo venturum Antichristum, sed jam esse in mundo, ut intelligi posset, quod de Spiritu Antichristi jam extante, dixerat. Nam nisi ipse esset, nec Spiritus ejus esse posset. Age igitur, si Christi & Antichristi hic est similitudo, hoc sequetur, quod volumus, quemadmodum Spiritus Antichristi non

fuit ante ipsum Antichristum; ita nec Christi Spiritum ante ipsum Christum fuisse. Fuit ergo Christus, cum ejus Spiritus per Prophetas locutus est. Tandem, sed uncinulis inclusum, hoc habent, quod ut specimen insignis pervicaciæ huc referam: „Addi potest, quod ne illud quidem „protinus sequeretur. Christum habere divinam illam „naturam, etiamsi constaret, eum Prophetis Spiritum de„disse: cum possit quis Spiritum, a Deo acceptum, aliis „largiri, quemadmodum quidem de Christo exaltato Pe„trus aperte testatur, *Act.* II. *33.* „ Meminisse saltem debebat hujus observatiunculæ Auctor se *Socinum* sequi, non *Arrium.* Nam si misit deditque Christus Spiritum Sanctum Prophetis, extitit sane tunc, neque demum existere cœpit post virginem matrem. Ceterum divinum opus esse largitionem Spiritus, eamque a Christo auctoritate propria fieri, alio loco demonstratur, nec obstat a Patre acceptum esse Spiritum, quod oeconomiæ divinæ ratio postulat.

---

179. *Ubi vero Scriptura de Christo ait, quod cœlo descendit, a Patre exivit, & in mundum venit?*

Jo. III. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, Filius hominis, qui est, vel erat, in cœlo. Et inferius, cap. X. 36. Me, quem Pater sanctificavit, & in mundum misit. Et inferius, cap. XVI. 28. Exivi a Patre & veni in mundum: rursus relinquo mundum, & eo ad Patrem. Et inferius, cap. XVII. 18. Sicut me misisti in mundum &c.

180. *Quid ad hæc respondes?*

Ex iis non probari divinam naturam,

hin

hinc apparere, quod primi teſtimonii verba: Deſcendit e cœlo, poſſint figurate accipi. 1) Quemadmodum Jac. I. 17. Omne datum bonum & donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum. Et Apoc. XXI. v. 2. 10. Vidi civitatem ſanctam Hieruſalem novam, deſcendentem a Deo in cælo. &c. Quodſi proprie accipi debeant, quod nos perlibenter admittimus, apparet, non de alio illa dicta, quam de Filio hominis, qui cum perſonam humanam neceſſario habeat, Deus natura eſſe non poteſt. 2) Porro quod Scriptura teſtatur de Chriſto, quod Pater eum miſerit in mundum, idem de Apoſtolis Chriſti legimus, in iisdem verbis citatis ſuperius. Quemadmodum me miſiſti in mundum, & ego eos miſi in mundum. Jo. XVII. 18. Ea vero verba, quod Chriſtus a Patre exierit, idem valent, quod de cœlo deſcendit. 3) Venire vero in mundum, id ejusmodi eſt, quod Scriptura poſt nativitatem Chriſti exſtitiſſe oſtendit. Jo. XVIII. 37. Ubi ipſe Dominus ait: Ego in hoc natus ſum, & in mundum veni, ut teſtimonium perhibeam veritati. 4 Et 1 Jo. IV. 1. ſcriptum eſt, multos falſos Prophetas exiiſſe in mundum. Quare ex ejusmodi loquendi modis natura divina in Chriſto probari non poteſt. In omnibus vero his locutionibus, quam divinum mune-

ris Christi principium fuerit, duntaxat describitur. 5.)

Notæ:

1) Accedimus ad pulcherrimum locum, *Io. III. 13.* cujus fulgorem tum Sociniani reprimunt, cum solem poterunt manu tegere. Christus ibi mysteria aliqua *Nicodemo*, harum rerum satis rudi, non explicat, sed indicat tamen, ut accendat in homine studium discendi. *Quid*, inquit, *si cœlestia vobis narrarem, eane capietis, cum, quæ in terra quotidie fiunt, quamquam non terrenæ indolis*, quo necessarium dogma de regeneratione pertinet, *non cepetitis.* Postquam hæc, *v. 12.* dixisset Christus, *v. 13.* cœleste aliquod mysterium, seu rem cœlestem narrat: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo.* Conferamus, quæ de eodem ascensu in cœlum idem Dominus noster dixit, *Jo. VI. 62.* *Quid si videritis Filium hominis adscendentem eo, ubi fuerat antea? Potest*, inquiunt, *figurate accipi.* Immo non potest. Nam non figurate, sed vere Christus in cœlum ascendit, ergo & ibi non figurate sed vere fuerat. Quod cum e recitato loco, *Io. VI. 62.* ad oculum pateat, neque ulla arte possit tegi; occurrendum tamen video, dubio, cap. III. 13. Præteritum ibi ajunt esse, ἀναβέβηκεν, itaque alterutrum esse admittendum, si *realis* sit ascensus, ut fateamur Christum jam ante mortem in cœlum evectum, ad discendum a Deo Patre; si *non* sit *realis* & factus tamen, descensum pariter esse figuratum, eo modo, quo bona dona divinitus descendant. Verum, ut *Io. VI. 62* in aprico est, futurum tum fuisse illum ascensum nondumque factum; ita, quod volunt, *Io. III. 13.* non extat sed: *Nemo ascendit.* Sequiturne, quia nemo alius ascendit,

Chri-

Christum ergo jam adscendisse? Hoc vult Christi oratio, gloriam illam ascensionis, ab *Eliæ* & *Enochi* ascensione diversissimam ad neminem pertinere, præterquam ad Christum; ceterum, de tempore, quo vel factus sit vel futurus ille ascensus, noluit hic exponere. Illustrandum esse video rem simili exemplo, *Matth. XX, 23. Sedere ad dextram & sinistram non est meum dare, nisi quibus paratum est a Patre meo.* Dat ergo, quibus paratum est; verum, non tum, cum hæc loquitur, saltem non eum potissimum, sed alias subinde. Exulat ergo figurata acceptio ascensionis Christi in cœlum, & quamquam subinde fuere Sociniani, qui de ea cogitarent, merito tamen abjecit illa somnia Catechesis nostra. Nam, *perlibenter*, inquiunt, *admittimus proprie accipi*; sed nescio cur dixerit initio, *posse figurate accipi*; quæ res inconstantem animum & lubricam mentem horum hominum arguit. Quodsi autem proprie, ut necesse est, accipiatur, factane illa ascensio est ante mortem Christi? Hoc velle Catechesin, quamquam rotundis verbis non ait, *Ostorodus* testis est: *p. 95. c. XVI.* Wie vielmehr hat Christus, durch welchen GOtt der Welt das Geheimniß des Evangelii hat offenbahren und seinen durchaus geistlichen Gottesdienst vorschreiben wollen, in den Himmel steigen sollen, mit GOtt allda eine Zeitlang conversiren, und von ihm selbst gelehret werden, was er reden und thun sollt. Ita *Faust. Socinus, Tract. de Deo, Christo & Spiritu S. Lacoviæ ann. 1611. p. 12.* „Similiter, quod Filius hominis in cœlo fuerit, ante, quam „eo conspicue ascenderit, revera & proprie ad hominem „illum, JEsum Nazarenum referri & potest & debet. „Nam, quod revera homo ille, postquam natus est ex vir„gine, &, antequam Evangelium annunciaret in cœlum „raptus fuerit, ibique ab ipso Deo ea didicerit, quæ hu„mano generi patefacienda per ipsum erant, adeo est veri„simile, ut aliter non fieri non potuisse videatur.„ Eodem loco, *p. 13.* illos rejicit *Socinus*, qui figuratum Christi

ascen-

ascensum intelligere voluerunt. Erit, ni fallor, e re lectoris, perorantem audire *Socinum* de egregio, quod videtur Socinianis, invento *adscensus Christi in cœlos ante passionem*, libro *Racoviæ an. 1618.* edito, *Christianæ religionis brevissima Institutio*, p. 127. 128. sic disputat: „Cum „contra nihil verisimilius, & verbis ipsius Christi & hic & „alibi magis consentaneum sit, quam ipsum Christum, „postquam natus est homo, & antequam munus sibi a „Deo Patre suo demandatum obire inciperet, in cœlo, di„vino consilio atque opera fuisse, & aliquandiu ibi com„moratum esse, ut illa ab ipso Deo audiret, & præsens „apud ipsum, ut ipsa Scriptura loquitur videret, quæ „mundo mox annunciaturus & patefacturus ipsius Dei „nomine erat. Verba quidem ipsius Christi hoc ipso in „loco, non minus, quam in superiore de Filio hominis, „id est, de homine expresse sunt dicta. Et si quis vel id „animadvertat, quod factum est cum Mose, antequam „divina lex tota ipsius ministerio promulgaretur, & ma„nufacta opera omnia, quæ ad ipsum divinum cultum per„tinerent, cujus materiæ cujusve formæ esse deberent, ipsi „Mosi a Deo præscriberetur; statim fatebitur (præser„tim cum certum alioqui sit, *Mosem* Christi typum fuisse) „nihil convenientius excogitari posse, quam ut Christus, „ante illud tempus, quod diximus, in cœlum ad Deum, „idque fortasse non semel, adscenderit, ibique aliquandiu „cum eo fuerit. *Moses* enim ante primam legis promul„gationem, ad Deum in montem Sinai, ter, si quis diligen„ter animadvertat, ascendisse legitur, &, cum ipsius legis „decem illa verba, in duabus tabulis lapideis digito Dei „inscripta, ad populum afferenda essent, & simul ea, quæ „diximus, ad cultum Dei spectantia, constituenda, & alia „populo præcipienda, in eundem montem idem *Moses* „similiter ad Deum ascendit, ibique cum eo per quadra„ginta dies & quadraginta noctes fuit, idque bis; videli„cet &, cum primum illæ duæ tabulæ ei sunt datæ, &

„cum

,,cum iterum, projectis ab eo & fractis præ ira, ob populi ,,idololatriam, illis prioribus, alteras duas similes habuit, ,,quas ad populum afferret, & in arca Dei postmodum ,,reponeret. Nam, ut *Mosis* Christum, sic montis Sinai ,,cœlum antitypum esse, apertissimum est. Quin etiam ,,ipse mons propter Dei, quæ tunc ibi fuit, præsentiam, ,,cœlum eo tempore fuisse dici potest; certe *Moses* Dei ,,vocem, quæ de illo monte extitit, & audita a populo fuit, ,,de cœlo auditam fuisse ait.,, Sequitur Interrogatio discipuli his verbis: ,, Jam tuæ sententiæ de interpretatione ,,illorum duorum, de quibus te interrogaveram, locorum, ,,*Jo. III. 13. & VI. 62.* deque ascensu & commoratione ,,Christi hominis in cœlo, antequam munus suum in terris obire inciperet, quantumvis novæ & majoribus nostris ,,fortassis inauditæ, libenter acquiesco. Video enim hac ,,ratione complura sacra testimonia admodum alioquin ,,explicatu difficilia planissima reddi. Tantum dic quæso, ,,cur Evangelistæ in sua historica de Christo narratione, ,,istius ejus in cœlum ascensus nullam mentionem fecerunt?,, Respondetur autem: ,,In promtu caussa est, ,,cum res ista ejusmodi fuerit, quæ a nemine conspecta ,,sit, nec porro plane conspici a quoquam potuerit. Et ,,priores quidem tres Evangelistæ ne verba quidem vel ,,ipsius Christi, vel alterius cujuspiam, ulla commemorant, ,,unde res ista intelligi possit; cum tamen quartus & postremus, hoc est, Joannes, & ipsius Christi multa & ,,Joannis Baptistæ quædam recenseat, unde illa aperte intelligitur, si modo ea, ut sonant, & proprie accipiantur; ,,ut sane fieri debet, cum aliter fieri debere non constet. ,,Qui Joannes Evangelista, cum plus non posset, ad fidem ,,tantæ rei faciendam satis habuit, & satis omnibus esse ,,debere credidit, testimonia aperta ipsius Christi ejus rei ,,referre. Quibus, si quis non persuadetur; næ is ipse ,,Evangelistæ testimonio minime persuasus fuisset.,, Non est animus omnia excutere, nam pellucet vanitas, & dicta sunt alio loco, quæ huc pertinent. Observabit tamen

lector,

lector, primum hoc fateri *Socinum* esse suum commentum majoribus incognitum, quæ res, etsi non ideo spernenda est veritas, quod nova est, insigne tamen præjudicium creat, *ἐγκλήματι* quod maximæ vult esse gravitatis & *tantam rem* appellat. Vehementius autem affligitur caussa *Socini*, cum fatetur Evangelistas in sua historica de Christo narratione istius ascensus in cœlum nullam mentionem fecisse. Quod si verum est, ut est verissimum, unde accepit *Faustus* noster rem omnibus seculis inauditam? Lepida vero ratio, cur Evangelistæ *Socino* videantur non narrasse, rem gravissimi tamen argumenti! *Non fecerunt*, inquit, *mentionem, cum res ista ejusmodi fuerit, ut a nemine conspecta sit nec conspici potuerit.* Si sapuisset, ob hoc ipsum, quod conspecta res non est, censuisset scribi oportuisse, ne incognita maneret, cum alia, quæ ab multis visa sunt, non ita penitus necesse sit literis consignari. Videtur autem *Socino* malignior, quam fortasse lector putabit, mens fuisse, cum hæc scriberet. Nam arbitratur ea solum scripta, quæ vidissent Evangelistæ, tractassentque ipsi; quasi Spiritus Sancti nullæ hic partes essent. Quod siluissent reliqui Evangelistæ, ait *Joannem* tradidisse, & ita quidem tradidisse, *ut plus non potuerit ad fidem tantæ rei faciendam.* Quod si verum est, qui factum, ut res *verisimilis* modo, quamquam maxime verisimilis, *Socino* videatur, nam si *Joannes* Christi ipsius verbis rem docuit, cessat verisimilitudo, neque potest quidquam certius esse. Quid & circumspicit caussas silentii Evangelistarum? nam si *Joannes* narravit, non est silentium. Bene habet, quod damnat eorum opinionem, qui ascensum Christi de quo aliquot locis *Joannis* differuit, *figuratum* nobis obtrudunt. Est sane *proprius*, sed *tum futurus*, *nunc factus*. At inconstantissimus mortalium *Socinus* quid sibi vult, cum probare conatur *montem* posse vocari *cœlum*, quod quidem nullo exemplo vel in speciem adstruere poterit? Nimirum cogi-

tavit

tavit de *glorificatione* Christi in monte facta, si posset illa huc in partes vocari, sed hoc per ipsum *Socinum* non licet, nam ponit, vel simplicem vel repetitum adscensum in cœlos, quem comminiscitur, ante initum munus publicum factum esse, verum illa *glorificatio* aliquanto post accidit. Infeliciter ergo quamquam gregatim, Magistrum suum sequuti sunt Sociniani, in quibus constat *Crellium* juniorem seu *Artemonium* nuper lacertos in hac palæstra exercuisse, quem clarissimi Theologi, *Buddeus* & *Mosbemius* profligarunt. Mirari subit, qui possint miseri homines, quod tradit Scriptura, fuisse Christum ante conditum mundum apud Deum, repudiare; quod non tradit Scriptura, adscendisse, ante ascensum, quem novimus, in cœlum, credere. Itane, cum de re gravissima si facta esset, quamque non tacituri fuissent sancti Dei homines ne syllabam quidem habeamus, credendum nobis obtrudent, quod ipsis in mentem venit. *Mosis*, inquiunt, typus fuit implendus. Ut ille edoctus est a Deo, ita & Christum edoceri oportuit. Sed, nec fuit *Moses* in cœlo, ante mortem, & typum accurate in eo fuisse, ut 40. dies edoceretur, unde probabunt. Defunctus quidem est Christus quadraginta dierum jejunio in deserto: verum nemo colliget, quoniam id a *Mose* plus simplici vice factum est, factum idem a Christo sæpius. Quæ vero ratio, ut *descensus* Christi de cœlo ante mortem sæpissime sit in Scriptura mentio facta, *ascensionis* numquam? Cum de hac potius, si facta esset, narratio foret necessaria. Pulchre ea de re maximi ingenii vir, *Iacobus Abbadie*, quem apud *Spenerum l.c p 371. sqq.* videre poteris, disseruit. Veteres, cum narrant Imperatores Romanum Capitolium ascendisse, de descensu ne verbum quidem faciunt. Neque enim monendi sunt lectores, de re, quam factam esse, sensus ipse communis docere poterat. Ubi vicinum audivero, iter fecisse ante annum *Noribergam* idque facere solere quotannis; de reditu nihil necesse est

dici.

dici. Non prætereundum, *Socinianos* dubios esse, utrum ὢν vertant, *qui erat*, an, *qui est, in cœlo*, & constat plures illud malle. Nos, quoniam in præsenti, nobis, cum *Reformatis* non est contentio, qui e *præsenti* tempore docendi sunt, Christum Filium hominis etiam tum in cœlo fuisse; sed, cum *Socinianis*; age concedamus, quamquam iniquum, postulatum, ὢν esse *imperfectum*; sensum esse: *qui erat in cœlo*; Christum ergo extitisse, antequam in terram venisset, liquido colligitur.

2) Recoquunt cramben suam: *Filius hominis*, inquiunt, *personam humanam necessario habet*, *ergo Deus natura esse non potest.* Omitto dicere, quam absone dicatur: *Filium hominis habère personam humanam*, cum hoc vellent, *esse personam humanam. Necesse est*, inquiunt. Miserum refugium ad suam rationem, qua capere mysteria nequeunt! Ita per miserorum mortalium sapientiam non licebit Deo, τῷ λόγῳ, fieri carnem, h. e, humanam naturam recipere in personam suam, ut sit Θεάνθρωπος quidem, non duplex tamen, sed una persona? Quousque hæc insania regnat, ut divina mysteria velint ad decempedam suam amussitare, procul sunt a regno Dei.

3) Nollem ex his verbis: *missus sum in mundum*, argumentum pro Christi præexistentia petere, sed neque novi quemquam nostratium, qui petiverit. At hoc sequitur: *Qui a Patre exivit, eum antea apud Patrem fuisse*; nec *redire aliquem eo posse, ubi non fuisset ante.* Hæc invictæ sunt veritatis. Movet me etiam illud: 1 *Cor. XV. 47. Primus homo e terra, terrenus, secundus homo, Dominus e cœlo.* Non id nunc disputabo, *Dominum de cœlo*, conjunctim legi oportere, & designare *supremum Numen.* Largior tantisper, post vocem *Dominus*, ponendum esse *comma*, hoc modo: *Secundus homo*, i. e.

Dominus,

Dominus, *est e cœlo*. Sed hoc expendat mecum lector pius. Unde tanta Adami & Christi dissimilitudo, si uterque nil nisi homo est? Quæ deinde Deus alteri dedisset, quantacunque sint, facere non poterant, ut alter *terrestris origine* diceretur, hic *cœlestis*. Et, si, quod observavi multos Socinianos docere, *de cœlo venire*, est, a Deo parari, Christusque a Deo venit, quoniam *humanitas* seu humana natura parata est in utero Virginis divinitus; velim scire, cur non sit cœlestis *Adamus*, cui non modo corpus e terra, divina opera, formatum, sed & anima inspirata est? Certissimum adeo, Christum non, quod esset divina opera genitus e *Maria de cœlo* venisse dici, sed quod in cœlo, ab æterno, ut verus Deus, fuerit.

4) Hem argutias! *Jo. XVIII. 37.* dixit Christus *Pilato*. *In id natus sum, atque in mundum veni, ut de veritate testarer.* Natus ergo primum est, deinde missus, & antecedit eam missionem nativitas. Ita *Io. Crellius*, cujus *Commentarium in Epist. ad Galatas Ionas Schlichtingius an. 1628. Racoviæ* edidit, *p. 155.* *Misit Deus Filium suum; Non loquitur de missione Christi ut nasceretur, sed, ut legati munere apud homines fungeretur, eosque redimeret. Nec enim dixisset factum, seu natum, ex muliere misit, si ideo misisset, ut ex muliere fieret, seu nasceretur quamquam ne mitti quidem potest, qui nondum factus seu natus est.* Antequam satisfaciam objectioni, velim mihi ab homine Sociniano dici, sitne Christus legi prius subjectus, quam missus ad homines, ut legatione fungeretur? Negabit, opinor, nam eo ipso, quod legem observavit, Patri est obsecutus. Quale vero esset obsequium, nisi jussum? Tota vero legatio Christi nihil aliud est, quam obsequium Patri præstitum. *Socinus* autem in *Miscellaneis Racoviæ anno 1611.* editis, *p. 84.* „*Paulli*, „inquit, verbis repugnat, *Gal. IV. 4.* qui Dei Filium, na„tum, seu factum, sub lege fuisse, diserte scribit, verum

„etiam ipsi salutis per Christum partæ rationi „plane adversatur: Cum, ut ibidem *Paullus* aperte „indicat, necesse fuerit, ut Christus sub lege na- „sceretur, quo eos, qui sub lege erant, redimere „posset.„ Si hæc vera sunt, missio Christi in mundum & nativitas unum sunt idemque & cum natus, etiam missus. Quod & *Esaias* voluit, *cap. IX. 5. Puer natus nobis, Filius datus nobis.* Neque aliud Christus ipse: *Jo. XVI. 28. Egressus sum a Patre, & veni in mundum: rursus, relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quando reliquit mundum Christus? Cum videri inter homines desiit. Quando ergo venit in mundum? cum videri cœpit. Itaque *venire in mundum & nasci*, non sunt res sejungendæ, sed altera phrasi altera illustratur. Cum cogitatur de dono per Christum natum hominibus dato, dicitur Christum esse in *mundum missum a Patre* seu *venisse in mundum*; cum *de nativitate* ipsa simpliciter sermo est, dicitur *natus*. Quid prohibuit vero Christum, *Jo. XVIII. 37.* utramque locutionem conjungere? Et, si essent etiam tam diversæ actiones, *nasci & mitti in mundum*, quam certum est esse eandem, simul tamen factæ essent, ut, v. g. *Marc. XIV. 37.* Καὶ ἔρχεται καὶ εὑρίσκει. Non prior est *adventus*, posterior *inventio*, sed utrumque simul factum; licet *inventionis* notio post alteram *adventus*, ponenda. Ita, si simplicem illam rem nativitatis Christi, pluribus modis contemplari velimus, occurrit sane prius consideratio *missionis*, nam nisi esset *missus*, nisi legatione ad genus humanum fungendum fuisset, non esset *natus*. Contra quam *Crellius* putat, mitti non potuisse, nisi jam natus esset. Missus etiam ante fuerat ad Patriarchas, ante hanc e *Maria* nativitatem. Quod indubitata exempla, negantibus licet Socinianis, probant. Verum his rebus diutius detineri, non est opus.

5) *Omnibus his locutionibus duntaxat describi dicunt,*

cunt, *quam divinum principium Christi muneris fuerit.* Quid vero hoc rei, *divinum principium?* Utinam intelligerent ideo divinum principium, quia ipse Deus erat, qui munus aggrediebatur. Sed, si divinum, est *nobile*, *præclarum*, ob fictum illum raptum Christi in cœlum, non video, quid majus in Christo sit, quam in *Mose?* Hujus familiarem cum Deo consuetudinem in Scriptura legimus. Christi illum raptum non legimus, & Socinus vocat valde *verisimilem.* Tandem respondendum est paucissimis notulæ *B. W.* qui sic ait: „Christum „ante nativitatem in cœlo fuisse, absurdum est; tum enim „cum perfecta scientia ac sapientia de cœlo, præsertim si „creator cœli fuit, descendisset: quod etiam factum esse „ipse testatur *Jo. III. 32. VI. I. 26. 28. 38. XII. 49. 50.* „qua de re in sequenti sectione fusius. Atqui expresse „dicitur. *Luc. II. 52.* eum, postquam natus est, sapientia „& gratia apud Deum profecisse: Ergo antea eam non „habuit, vel, si habuit, amisit: quod non minus absurdum.„ O cœcam rationem hominum! Nosse debebant, Christum se *exinanivisse, Philipp. II. 7. 8.* abdicavit ergo se usu rei, quam habuit, cum absonum esset dicere aliquem se abstinere earum rerum usu, quas non habeat. Venit ergo Christus ad assumendam naturam humanam cum divina sapientia, eamque communicavit cum humana natura, sed in hac non est illico usus, tum ergo instar aliorum hominum, v. g. Adami in statu innocentiæ positi, profecit ut statura ita sapientia secundum humanam naturam.

---

181. At, quæ Scriptura Christum Dominum unum, Dominum gloriæ, Regem Regum, & Dominum Dominorum perhibet?

1 Cor. VIII. 6. Nobis unus Dominus JEsus Christus, per quem omnia, & nos per eum.

1 Cor. II. 8. Nam, si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et Apoc. XVII. 14. cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos, quod Dominus Dominorum sit & Rex regum. Et inferius, cap. XIX. 16. Et habet in veste & fœmore suo nomen scriptum: Rex regum & Dominus Dominorum.

182. At, quid affers ad hoc testimonium?

Quod ad primum attinet, ex eo, quod Christum Apostolus Dominum unum vocet, natura divina effici nequit. Nam, eum primo manifeste ab illo Patre, quem ibidem Deum unum fatetur, secernit, quem solum natura Deum esse, superius docuimus. Deinde, hoc ipsum, quod de eo dicit; Omnia, per ipsum; eum natura Deum esse, non ostendit. Cum, ut superius demonstratum est, hac particula, per, non primam, verum secundam caussam, designari constet. Quod de eo, qui natura Deus est, dici nullo modo potest. Et licet de Patre interdum Scriptura loquatnr; per eum omnia; aliter hæc tamen de Patre, quam de Christo accipiuntur. De Patre enim hæc ideo dici constat, quod omnes caussæ mediæ, per quas fit aliquid, non aliunde sint, nisi ab ipso, nec sint ejus modi, ut sine iis ille agere non possit. De Chri-

Christo vero dicuntur, quod per eum alius quis, nempe Deus, omnia operetur, ut Ephes. III. 9. expresse habetur. Ne commemorandum mihi sit, verbum, omnia (uti superius ostensum est) ad subjectam materiam referri. Quod ita habere inde apparet, quod Apostolus agit de iis omnibus rebus, quæ ad populum Christianum pertinent, ut duo hæc verba demonstrant, Nobis, & Pater. Unde efficitur, Christum non simpliciter & absolute, verum certa de caussa vocatum Dominum unum, per quem omnia. Quare hinc natura divina non probatur. 1) Quod vero attinet ad secundum testimonium, cum in eo agatur de eo, qui crucifixus sit, apparet ex eo, naturam divinam non probari, cum de hac illud dici nequeat; Verum, de homine, qui ideo Dominus gloriæ dicitur, hoc est Dominus gloriosus, quod a Deo gloria & honore coronatus sit. 2) In tertio vero testimonio, cum agatur de eo, qui agnus est, & qui vestimenta habet, quem & occisum & sanguine suo nos redemisse apertissime idem Joannes fatetur, quæ referri ad divinam naturam nulla ratione possunt, apparet, eo, naturam divinam Christi adstrui non posse. Omnia vero, quæ hic Christo in his testimoniis tribuuntur, singularem ipsius potestatem, quam Deus Christo, in iis, quæ ad novum fœdus pertinent, dedit, arguunt. 3)

Notæ.

1) Quod attinet, ad *1 Cor. VIII. 6. Smalcius in versione German.* non contentus est, probasse, argumentum, quod Nostrates ex hoc loco pro Christi divina natura ducere perhibet, nullum esse, sed ipse etiam inde in nos tela vibrat, idque facit apertius, quam *Moscorovius in versione Latina.* Sic ait ille: Was den ersten Ort betrifft, vvird aus demselben bevviesen, dass aus denen Worten, da der Apostel den HErrn Christum den einigen HErrn nennet, die göttliche Natur nicht könne geschlossen vverden. Denn erstlich unterscheidet er ihn klärlich von dem Vatter &c. Itaque & nobis duo hic agenda sunt. Primo, ut vindicemus argumentum nostrum, quod quidem ex hoc loco fortasse pauci petunt, neque opus est in tanta argumentorum optimorum copia; deinde, ut repellamus tela adversariorum. Igitur observandum, *1 Cor. VIII. 5.* Θεὸς & κύριος eodem plane sensu Apostolo venire, ut, qui Θεὸς sit pariter sit κύριος, & vice versa, qui κύριος etiam Θεός. Nam, nisi hoc esset, non potuisset solum initio versus: καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι Θεοὶ, adjiciendum quoque fuisset, καὶ κύριοι, quod & codices, invitis longe pluribus reliquis, exhibent. Itaque verba in parenthesi posita: ὥσπερ εἰσὶ Θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ, volunt, esse largiendum, quod initio commatis posuerat conditionate, adeoque vocibus λεγόμενοι Θεοὶ nec plus nec minus indicarat, quam nunc explicatius indicat pluribus vocibus Θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ. Quæ observatio nostram argumentationem oppido juvat. Nam, qui τοῖς λεγομένοις Θεοῖς opponitur, non est λεγόμενος Θεὸς, sed Θεὸς tamen seu κύριος, ergo verus & æternus Deus. Neque minoris erunt valoris voces εἷς κύριος, quum de Christo dicuntur, quam

εἷς Θεὸς cum de Patre; atque ut illis non negatur Pater esse *κύριος*, etiamsi Christus est *unus Dominus*, ita vicissim, cum Pater εἷς Θεὸς dicitur, Christum negatum ab Apostolo *illum unum Deum*, arbitrari nefas. Videamus nunc quid pugnet Catechesis ex eodem loco & *Smalcius* maxime! *Patri*, inquit, *contradistinguitur*, *ergo non est verus Deus*. Nos eandem personam non esse fatemur, idque notamus in *Sabellio*; non esse verum Deum, sequi negamus. Porro, *per hunc Dominum*, *Pater omnia condidit*, *ergo non est ille Dominus verus Deus*. De vocula *per* actum est supra, neque hic repetendum, quod diximus. Commode autem accidit, quod ipsa Catechesis dissimulare non potest, legi eandem voculam de Patre, neque tamen significare *caussam secundam*. At, quando de Christo habetur, cur tum significat *caussam secundam*? Hoc sane nesciunt Sociniani, & ita disputant, ut, non risu, quis enim in re tanta rideat? non refutatione, quid enim refutes, cum nihil dixerint vel in speciem? sed misericordia digni sint disputatores levissimi. *De Patre*, inquiunt, *hæc* (nempe, per eum omnia) *ideo dici constat*, *quod omnes caussæ mediæ*, *per quas fit aliquid*, *non aliunde sint*, *nisi ab ipso*, *nec sint ejusmodi*, *ut sine iis ille agere non possit*. Observa lector! *ideo*, dicit Scriptura, *per Patrem* omnia esse, quia caussæ per quas ipse agit, hoc est, mediæ, sunt *ab ipso*. Jam, non sufficit, quod & nos dicimus, posse voculam *per* de caussa principali quoque usurpari, sed, si velis clarissime significare caussam principalem, utendum tibi est eo vocabulo. Itaque, cum voles dicere, *amicum esse auctorem Epistolæ*, dicendum erit: *Te per amicum accepisse epistolam*; nam, *ideo per amicum* dices, ut intelligatur amicum fecisse *per alios*; quemadmodum *ideo per Patrem omnia facta*, *ut discamus*, *patrem fecisse per*

dios. Porro, si *per Patrem* facta dicuntur omnia, *ideo*, ut intelligamus, eum posse agere sine caussis intermediis, ur non & mihi licebit sic loqui: Per *Alexandrum Darius* ictus est, ut intelligatur, *Alexandrum* caussis mediis, militibus, armis, &c. non habuisse opus. Intelliges, bone ector! quo vecordiæ redigantur hi homines, ut, cum velint voculam *per* nobis objicere, imprudentissime contendant ipsam voculam poni, ut intelligatur caussa principalis. Sed hoc fas est illis accidere, qui δοκησισοφίᾳ sua freti veritatem divinam repudiant. Cur vero eadem vocula de Christo adhibita non significat *caussam principalem*? Nihil respondent inermes jam homines. Sed dicunt *de Christo* usurpari, *quod per eum alius quis, nempe Deus, omnia operetur.* Scimus vero nos *Patrem per Filium operari*, & agnoscimus. Sed cur hic eadem vocula *caussam secundam* significat, & non significat, cum de Patre legitur? Tacent, nihil habent. *Eph. III. 9.* ajunt expresse haberi. Habetur sane, omnia *Patrem per Christum* creasse, sed instrumentum esse Christum, non habetur ibi. Audiamus & reliqua in Catechesi, quæ produnt homines, quid dicant quidve sentiant ipsi, plane ignaros. *Ne commemorandum sit*, inquit, *verbum, omnia, uti superius ostensum est, ad subjectam materiam referri. Quod ita habere inde apparet, quod Apostolus agit de iis omnibus rebus, quæ ad populum Christianum pertinent, ut duo hæc verba demonstrant, Nobis & Pater.* Paulli verba clara sunt, qui *nos*, gentibus idololatricis oppositos, unum agnoscere Deum Dominumque prædicat, qui omnia fecit, cum deastri gentium nihil fecerint. At, quid sibi velint Sociniani, vocibus *Pater* & *nobis*, observatis, hariolari non possum. Ceterum, nihil falsius, quam vocem πάντα hic restringendam esse ad res ecclesiæ, potius *totum universum* significat. Quod fecit verus Deus, non fecere οἱ λεγόμενοι Θεοί.

a) *1 Cor.*

2) *1 Cor. II. 8.* Lucidus est de luce Domini locus, quem Sociniana levitas obscurare nequit. Sic colligo: Ea gloria, quam Christo tribuit hic Apostolus, ob quam *Dominum gloriæ* vocat, fuit in Christo, antequam crucifigeretur. Nam fas fuisset, ea agnita, a crucifigendo abstinere, agnosci autem non potuisset debuissetve, si tum non extitisset. Ergo extitit ante crucifixionem: ergo non potest intelligi ea gloria, quam resuscitatus demum accepisse fertur a Socinianis. Quid ergo? Haud obscurus est sensus Apostoli *v. 7.* dixerat sapientiam olim absconditam, a se & reliquis Apostolis prædicari, eam præstitutam fuisse in ipsorum, qui tum viverent, decus & gloriam. Quænam illa *δόξα? claritas Evangelii*, qua tum refulgebant sancti ejus præcones. Vid. *1 Cor. III. 10. 11.* Hanc non agnoverunt principes Judæorum; nam, si agnossent, Dominum *gloriæ*, utique *hujus*, de qua sermo est, *Dominum*, inquam, & auctorem Evangelii & totius claritatis & gloriæ ejusdem non crucifixissent. Vocatur ideo sæpissime *Christi & Filii Dei evangelium.* v. g. *2 Cor. X. 14. 1 Cor. IX. 18* sed & *Evangelium Dei. 1 Tim. I 11. 2 Cor. XI. 7. 1 Thess. II 8.* Itaque Christus, nisi Deus esset, non posset *κύριος* hujus gloriæ evangelicæ dici. Neque est, quod dicat aliquis, vocari & *Apostolorum evangelium. 2 Tim. II. 8. 2 Thessal. II. 14.* nam hi certe se ministros vocant, at Christum *κύριον.*

3) Quam divina sunt elogia Christi: *Rex regum, Dominus Dominorum*; tam frigida est responsio catecheseos: *quod agnus est, quod occisus est, quod vestimenta habet*, non posse *ad divinam naturam* referri; Quasi quisquam retulisset. Pertinent hæc sane ad humanam Christi naturam; sed idem tamen, qui passus est, est *rex regum &c.* Et, si, quod negare hic non sustinent Sociniani, divina hæc sunt nomina, sequitur, Christum eundem, qui passus est, utut non secundum eam naturam,

secundum quam passus est, esse verum Deum. Fatentur, argui, his vocibus singularem Christi potestatem. Sed potestne divina potestas amplioribus vocibus extolli? Si non potest, cur non fatentur hanc ipsissimam esse potestatem divinam?

---

183. At quæ testimonia Scripturæ proferri possunt, pro fide in Christum & honore divino asserendo?

Jo. XIV. 1. ait ipse Dominus: Creditis in Deum, & in me credite, & Jo. V. 22. 23. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Et, Philipp. II. v. 10. 11. Propterea eum Deus superexaltavit, & donavit ei nomen super omne nomen; ut in nomine JEsu omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod JEsus Christus est Dominus in gloriam Dei Patris. Et aliis multis in locis.

184. Quid ad hæc respondes?

Quod ad primum locum attinet, tantum abest, ut ex eo probetur, Christum natura esse Deum, ut potius longe diversum effici, perspicuum sit. Etenim aperte hic Christus inter se & Deum unum discrimen ponit. De quo hic agi, articulus in Græco additus est indicio. 1) Quod vero ipsi ajunt, fidem non attribui, nisi Deo ipsi, hoc Christus in alio loco solvit

ſolvit ipſe, dum ait: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me. Jo. XII. 44. Unde perſpicuum eſt, Chriſtum eam fidem ſibi non arrogare, quam ipſi Deo debemus. Etenim ea fides ipſi Deo attribuitur, quæ in ipſo terminatur, quæque eum, ut rerum omnium primum auctorem reſpicit: eam vero fidem Chriſto non attribui conſtat. Etenim, eo in Chriſtum fidem collocamus, quod nos felices efficiendi poteſtatem a Deo acceperit, & ei muneri ſit præpoſitus, atque ad eum modum fides noſtra in Chriſtum per eum, ad ipſum Deum, tanquam ultimum finem dirigitur. 2) Quod etiam teſtatur Petrus 1 Ep. I. 21. cum ait: Per eum creditis in Deum, qui eum a mortuis excitavit, & gloriam ei dedit, ut fides & ſpes veſtra in Deo ſit. 3)

Notæ:

1) *Jo. XIV. 9. 10.* ſupra jam explicavimus, & omnino de eſſentiæ unitate, qua Pater & Filius unum ſunt, agere demonſtravimus, alioqui non poſſet Patrem vidiſſe, qui vidiſſet Chriſtum. Nunc obſervanda eſt *αὐθεντία* inſignis, quá Chriſtus agit, quæ legatum ſolum, qui non ſit ipſe Dominus, nulla ratione deceret. Ita *ſe invocari* & *a ſe confidentiſſime expectari* jubet. *v. 13. 14.* Quæ, cum conſtet ſolum Deum invocandum eſſe, *Pſalm. L. 14. 15.* eum ſolum eſſe, qui nos juvet, *Eſ. XXXIII. 22. Pſalm. LXV. 3.* de Chriſto, quantuscunque eſſet, ſi Deus non eſſet, dici nequirent. Fiducia vero in Chriſto, ita ut in Patre, ponenda, v. 1. validiſſimum eſt argu-

argumentum divinitatis Christi, non modo ob fulmen illud, quo prosterni Socinianos illico videbimus *Jerem.* *XVII. 5.* sed fere ob totam Scripturam, quæ hunc honorem, ut Deo soli confidamus, ita Deo vindicat, ut blasphemiæ non possit absolvi, qui alium non-Deum hujus religiosi cultus objectum facit. Hinc illæ interminabiles lites *Anti-Trinitariorum.* Neque potuerunt *Socini* assectæ, quamquam & ipse in hoc capite mire vacillavit, & *licitam* tantum, non item *necessariam*, religiosam Christi invocationem docuit, castigatus ideo acriter a *Jerem.* *Felbingero*, *in Epistola ad Christianos;* satis respondere, *Francisco Davidis* & *Jacobo Palæologo*, qui invocationem hanc adorationemque soli Deo recte vindicarunt, in eo damnandi, quod Christum verum Deum negarent, atque ideo huic negarent divinum cultum. At, inquiunt, Christus hic inter se & Deum unum discrimen ponit, ejusque rei *articulus* additus indicium est. Mihi vero, cum quatuor circumferantur vocum πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε, interpretationes, de quibus *Biblia Tubingensia* videri poterunt, non videtur alius sensus, quam hic, quem & illorum Bibliorum clarissimus editor prætulit: Nolite turbari, creditis in Deum, in hoc dudum collocastis fiduciam omnem, sed hoc ipso & in me creditis, nam sum verus Deus. Acceperim ergo vocem *Deus essentialiter*, ut loqui amant Theologi, cui Christus adeo se non opponit, ut potius se divinam personam asserat. Huic expositioni nihil solidi objici posse certus sum, itaque Catechesis poterat suam argumentationem contra nos ex eodem loco, domi continere. Probabilissimam vero hanc explicationem facit, quod toto hoc capite Dominus noster, quin & præcedentibus ac sequentibus primam personam *Patrem* vocavit, quam adeo, cum voce *Deus*, hoc uno versu utatur, non seorsum intellexisse videtur. De *Io. XIII. 31.* quo loco pariter Deum

perso-

personaliter acceptum, & hic quidem *secundam personam* divinitatis intelligo, exclusus spatio, singulari dissertatione alio loco D. V. constitui. *Articulus* autem quid juvet Socinianos, divinare non possum, adeoque prætereo.

2) Per Christum ajunt fidem nostram ad Deum tanquam ultimum finem dirigi. Nos non repugnamus. Nam, cum Christus sit mediator inter homines & Deum, sane per ipsum ad Deum accedimus, quod & magna copia dictorum Scripturæ docet. Sed inde negamus elici posse, quod volunt adversarii, Christum non esse Deum, quia per ipsum accedatur ad Deum. Nolo quidem simili uti, nam nihil extat, quod huic mysterio simile sit; Alioqui dicerem: Si quando accideret, populum perduellem, v. g. *Sardorum*, senatui civitatis amplissimæ, v. g. *Genuatium*, conciliandum esse, eaque concilliatio per senatorum aliquem v. g. *Auriam Marchionem* fieret; per hunc reduceretur populus in gratiam senatus: Tune *Auriam* istum *senatorem* esse negares *Genuensem*, quia per ipsum ad senatum aditus factus est? Essent sane multa, quæ aliqua ratione dici similia possent. Essentia in Deo una; ibi collegium amplissimum unum, & quasi pro uno principe habendum: In Deo Filius seu ὁ λόγος persona una divinitatis, & mediator simul: Ibi *Auria Marchio*, senator civitatis suæ & pacis pararius. Sed quoniam alia sunt dissimillima, ut nec fieri potest, aliquam rem similem reperiri; nolo, ut dixi, simili aliquo uti. Amplector vero ambabus manibus, quod hic Sociniani ponunt, verum esse Deum illum, in quem fides, tanquam ultimum finem dirigitur. Itaque, ubi demonstratum erit, fidem in Christum, ut finem ultimum dirigi, par erit Christum pro vero & supremo Deo agnosci. Credent, ni fallor, ipsi Sociniani, Christum, *Io. IX. 36. seq.* cœco illi, sed a se sanato, veram ad salutem perveniendi viam demonstrasse, maxime, cum solicitæ animæ ex ecclesia Judaica exturbatæ, cumprimis necesse esset scire, a quo salus foret expectanda.

At

At non exposuisset veram salutis rationem, si non direxisset ad finem ultimum? Videamus, quid dixerit, hoc ait, cum ipsum ejectum reperisset: *Credisne in Filium Dei?* Quibus verbis alius non inesse potest sensus, præter hunc: Credisne & certa fiducia confidis, eam salutem, quam tibi Judæi, anathemate suo, abjudicant, tribui a Filio Dei posse, & tributum iri. Fassus deinde est homo felicissimus, agnita persona Christi, se credere; huic ergo se totum committit. Quodsi non fuisset Filius Dei ultimus finis, necesse fuisset addere, cujus gratiæ tribuenda illa certo sperata salus foret. Sed nihil additur: itaque Christus est finis ultimus. Et profecto, a quo vitam & felicitatem æternam spero, confidoque datum mihi iri, eum pro fine ultimo, spei, cultui precibusque meis proposito, certissime habeo. Præter æternam salutem enim nihil cupio, peto speroque. conf. *Io. XX. 31.* Addam & alterum locum e multis electum, non quod similes plures deessent, sed quod præclarus tamen esset. *Phil. III. 8. 9.* Facile vides Apostolum, de re maxime seria agere, præ qua cætera omnia, quæ possent maximi pretii haberi, nihili existimat. Hic sane necesse est, si unquam alias, qua rupe sua fidei munimenta posuerit, indicare. Ita vero in Christo acquiescit, ut præter hunc nihil velit, nihil quærat, &, cum Christo confidat, certus est se habere τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην.

3) Deum fuisse in Christo, & per hunc mundum secum reconciliasse Paullus nos docet, *2 Cor. V. 19.* Idem Scriptura ubique docet: Nemo vero ex his dictis collegerit Christum non esse verum Deum. Potius, ut v. 20. Apostolus ait, ὑπὲρ χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος &c. atque adeo, cum Christi legatus sit, se verbis Dei loqui protestatur, illumque clarissime Deum esse indicat; Ita & omnibus similibus locis, ubi Christi fides commendatur, Dei fides intelligenda est, & ubi hujus fit mentio, fides Christi, secundum canonem Domini nostri

nostri *Io. XIV. 1.* πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. Itaque cavillari videntur Sociniani, cum nobis pulcherrimum locum. *1 Pet. I. 21.* objiciunt. Credimus sane per Christum in Deum, nam, nisi ὁ λόγος, secunda persona divina, prodiisset, & carne humana assumta, nos redemisset, expertes essemus salutis omnis, neque a Deo trinuno quidquam boni sperare possemus. Sed ideo non esse illum mediatorem personam divinam, certe non sequitur.

---

185. Verum illi ex Ieremia afferunt, quod maledictus sit, qui confidit in homine?

Respondeo: Non dictum est absolute, maledictum esse, qui confidat in homine; verum, qui ita confidit, quod carnem ponat brachium suum, hoc est in ipsis tantum viribus humanis suam spem defigat, sine Spiritus & virtutis divinæ auxilio. Id enim per vocem caro prorsus intelligitur. Cui etiam addita sunt verba: Et a Domino recedit cor ejus. Verum, qui in Christo spem collocamus, non statuimus carnem brachium nostrum, neque recedimus corde a Deo, immo Christo confidendo, Deo confidimus. Et sic cor nostrum accedit ad Deum, non a Deo recedit. 1)

Notæ.

1) Age videamus, an effugere possint Sociniani gravissi-

vissimum Anathema *Jerem. XVII. 5.* Sic ait Jehovah; *Maledictus ille vir, qui confisus fuerit homini, & carnem posuerit sibi brachium, & a Jehovah deflexerit cor ejus.* Duo hic mihi facienda esse video, primo, ut demonstrem, doceri ab Socinianis fiduciam non subordinatam aliquam sed summam in Christo, quem pro magno quidem homine, sed, qui præter humanam naturam nullam habeat, venditant, ponendam. Deinde, ut ostendam, fieri non posse, ut summa fiducia ponatur in aliquo, qui non sit Deus verus, quin verus Deus gravissime offendatur. Quorum illud *Socini* verba liquido docebunt. Is, *epist. 2. ad Niemojevium*, in qua contra sodalium mentem contendit, non esse summe necessarium, quamquam suadendum & utile, Christum invocari, seu, preces ad eum dirigi, reprehensus ideo a multis suorum maxime *Jerem. Felbingero*, sic tamen scripsit: *p. m. 312. edit. Racov. an.* 1618. „Semper & ubique non Deum solum, sed Christum quoque adorare cogimur seu tenemur eique servire; hoc necessario requirente, summa, quam habet in nos cum Patre Deo, communem, potestate, a nobis necessario agnoscenda, ea enim nequaquam a nobis agnosceretur, eo modo, quo agnosci debet, si unquam eum adorare eique servire prætermitteremus.„ *P. 318.* protestatur *Socinus*, „a se urgeri, probari, & demonstrari, semper & ubique optimo jure posse nos in precibus nostris semper & ubique Christi opem implorare, utpote illius, qui ex Patris voluntate omnia in ecclesia administret, omniaque faciendi potestatem habeat, cum ex auditione precum nostrarum, immo cordium ac renum inspectione atque exploratione perpetuo conjunctam.„ *P. 319.* repetit, quæ contra *Franc. Davidis* scripsisset: „Oportere nos Christo obedire, & ipsum non secus ac Deum Patrem revereri, quia omnia gubernat, & sibi non obedientes ac contumaces punire pro arbitrio atque imperio potest.„ Quibus ubi *Ostorodi* verba addidero,

nihil

nihil in hac caussa requiretur amplius. Igitur is: Unterrichtung, *cap. XIX. p. 134.* warum wir uns fleissig bemühen, Christi zu seyn, und ihm Gehorsam zu leisten, und um seinetwillen alles Unglück, auch den schröcklichen Tod selbsten, nicht zu fliehen. Uber das, so schreyen wir jezt zu ihm um Hülffe in allen unsern Nöthen, sonderlich in den geistlichen, und ehren ihn mit Göttlicher Reverenz und Anbetung, so wohl äusserlich, als im Herzen. Welches denn allein genugsam beweiset, dass wir Christum nicht für einen pur lauteren Menschen halten, was seine qualitates betrifft, welche so sehr übertreffen menschliche Condition und Zustand, und solch ein Majestät, Herrschafft und Macht in sich begreiffen, dass wir ihn, ob wohl sein Wesen kein anders, denn eines Menschen Wesen ist, dannoch mit gleicher Art des Gottesdienstes ehren, mit welchem wir sonst GOtt selber ehren, welcher ihn zu seiner Rechten gesezt, und ihm seinen eigenen Stuhl zu besizen eingegeben hat, *Apoc. III. 21.* und derhalben neben GOtt, ja samt GOtte zugleich, von allen Creaturen geehret und angebetet wird. *Apoc. V. 13.* Alterum restat paucis expediendum. Norunt primum præceptum decalogi, quotquot Christiani esse volunt. Ibi gravissime vetat supremum Numen, alia Numina coli præter se. Græci pulchre vertunt: οὐκ ἔσονταί σοι Θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Hic esset absonus & ab ipsis adversariis ridendus, qui sic intelligeret, non debere *existere* Deos alienos, præter unum; hoc enim non indiget prohibitione, sed, nihil esse pro Deo *colendum*, præter unum Deum; pro Deo autem certe colitur, quod eodem honore afficitur, quo Deus unus. Unde enim arguerentur idololatræ, pro Deo habuisse aurum, argentum, marmor, &c. nisi e cultu his rebus præstito divino? Hanc æternam legem mutatamne aliquando dices, ut, cum severissime, quicquid non est Deus, divino cultu affici prohibuisset olim, nunc velit aliquem de genere humano divino cultu coli, hoc est,

pro Deo haberi? Hoc vero absit! nam, si pro Deo colendus est, Deus sane est. Falsam opinionem hominum non potest Deus probare, jubere multo minus. Nulla autem alia ratio est, qua significemus, aliquem Deum esse, quam precibus & adoratione, & obsequio sancto, & spe, fore, ut exaudiamur & salvemur, ut intima cordis nostri pateant illi, quem veneramur; ea signa omnia nostræ opinionis, si, quod volunt Sociniani, expromenda sunt erga Christum, est sane opinio nostra, Christum esse verum Deum. Sed falsa esse non potest illa opinio, quia a Deo probata & jussa. Ergo est Christus verus Deus. Haud me fugit, quod & *Ostorodus* addidit, tamen negari, in illo cultu divino, quem se Christo præstare perhibent, Christi divinam naturam. Sed eo ipso elucet, non esse divinum, nisi verbo tenus, cultum, quem Christo habent. Nam hic demum est verus cultus divinus, cum eo, quem veneror, nihil esse usquam superius, persuasus sum. Internus certe cultus languet & cessat, ubi opinio est, eum, quem veneraturi sumus, legatum esse divinum, non ipsum Deum. Fac *Proregem Neapolitanum* solenni ritu ingredi urbem, non paucioribus nec vilius vestitis satellitibus, stipatum, quam si veniret Cæsar, hodie *Neapolis* Rex, ipse, iisdem carpentis, reliquo omni apparatu eodem, corporis inclinationem spectatorum, quacunque vehitur, eam esse, quæ futura esset, si venisset Cæsar; sed fac scire omnes, qui spectatum confluunt, non esse hunc Cæsarem, sed Proregem, a Cæsare, Rege suo, missum. Tune hunc internum cultum (reverentiam, animorum motum & affectionem,) dices eundem esse, qui posset deberetque esse, ingrediente urbem ipso Cæsare? Nulla ratione. Sed dicam lectori meo, quid acciderit miseris Socinianis. Volebant Christiani haberi, hoc sine cultu Christi fieri non posse videbant, externo solo cultu rem non confici, clarum non minus fuit. Itaque addendus etiam internus cultus, spes, fiducia in Christo ponenda, expectatio non minorum bonorum, quam quæ a Deo expectare jubemur, h. e. vitæ æternæ.

Hic

Hic cultus divinus est, nulla parte eo, qui exhiberi debet uni Deo, inferior. Huc & compulsi sunt dictorum Scripturæ, quæ eum cultum Christo vindicant, claritate. Sed noluerunt tamen veritati evangelicæ de divinitate Christi cedere. Itaque tenentur & hærent misere & contradicunt sibi turpissime. Nempe volunt Christum pro Deo haberi, & quidem interno cultu eodem, quo Pater colitur; ergo opinio de Christo, in quo maxima pars cultus interni consistit, non esse debet inferior, quam est de Patre: sed et simul volunt Christum pro Deo non coli, nam negant in Christo divinam naturam credendam, sed pro nuda *creatura* habendum; eo ipso autem opinio, quam de Christo haberi volunt, non est eadem, quam merito habemus de Patre, quoniam creatura, quantumvis ornata, semper infinito intervallo a creatore distat. Itaque cultus divinus eodem halitu asseritur & demitur Christo ab lubricitate Sociniana. Num cogitet lector, quid Deus in *Jeremiæ* loco sibi velit? Certissime idem vult, quod in primo præcepto decalogi; hominem non vult ut Deum coli, negat in homine fiduciam ponendam, quæ soli Deo debeatur; qui posuerit in homine, eum execrabilem fore, nam deseri ab eo homine Deum. Frigidum est, excipere, eum diris devoveri, qui deserto Deo, in homine fiduciam ponat. Hoc ipso enim deseritur Deus, cum, quod soli Deo debetur, commune factum est cum alio, qui non sit Deus. Neque ea solum est adultera, quæ marito corporis copiam non facit, sed quæ & aliis facit. *Christo confidendo*, inquiunt, *Deo confidimus*, *& sic cor nostrum accedit ad Deum*, *non a Deo recedit*. Bene, si habes Christum pro Deo; si non habes, & communicatum tamen divinum honorem cum eo vis, confidis homini, nec effugies anathema. Sacrilegium enim majus cogitari nequit, quam Deo rivalem apponere, ejusque majestatem & honorem vulgare rebus creatis. Sic alterutrum fateantur necesse est adversarii, vel, *non esse divinum honorem*, quem ipsi Christo habent, (quod vereor, ne nimis verum fit

divinus enim honor ſine opinione divinitatis in eo, qui colendus eſt, intelligi nequit,) vel turpiſſimos eſſe ipſos idololatras, qui ab eo crimine ſibi videbantur alieniſſimi eſſe.

186. Ad alia vero teſtimonia quid respondes, quæ de honore Chriſti divino agunt?

Cum omnia teſtimonia, quæ de divino Chriſti honore teſtantur, teſtentur etiam aperte ſatis, honorem Chriſto divinum certo tempore, certamque ob cauſſam datum & conceſſum eſſe, naturam in Chriſto divinam iis non probari planum eſt. 1) Quod vero opponunt illud, Eſa. XLII. 8. gloriam meam alteri non dabo: reſpondeo, ſatis apparere, quid ſibi velit hæc particula, alteri. Etenim, illico ea conſequuntur: neque honorem meum ſculptilibus. De his itaque eo loco Deus loquitur, qui cum eo communionem nullam habent, & quibus ſi gloria & honor aliquis tribueretur, in eum non redundaret. Verum nequaquam dicit, ſe cum eo non communicaturum gloriam ſuam, qui ex eo pendeat, & qui ſit ei ſubordinatus. Hac ratione enim nihil decedit ejus gloriæ, cum univerſa in eum referatur. Etenim, cum Dominus JEſus a Deo pendeat, & ei ſubordinatus ſit, quicquid honoris ei exhibetur, id totum in ipſum Deum redundat. 2)

Notæ:

Notæ:

1) Si verum esset, quod perhibent, omnia de honore Christi testimonia simul testari de tempore, quo sit datus, & de caussa, ob quam sit datus; de humana natura Christi essent illa testimonia intelligenda, & argumentum nostrum nihilominus esset invictissimum. Constat enim voluntas divina, non communicandum esse cum quoquam extra Deum honorem vere divinum, ne jam dicam, ipsa ratione nos doceri, honorem divinum a persona divina divelli nullo modo posse. *Honor* enim est agnitio rerum bonarum, quæ sunt in aliquo, quam nisi vel simulatam vel falsam & erroneam dicere velis, oportet id, quod agnoscitur in honorato esse, revera inesse. Itaque, cui divinus honor merito habetur, in eo necesse est extent ea omnia, quæ in Deo admiramur & suspicimus. Et, quamquam Christum etiam ut hominem consideratum divinis honoribus demississime veneramur, nefas tamen id foret, nisi e Scriptura didicissemus, eundem, qui homo est, esse etiam Deum, h. e. unam personam. Sed unde fidem facient οἱ ἐξ ἐναντίας ubique addi tempus & caussam dati honoris? Ne longe abeamus, cum non nobis hic, sed iis, qui affirmant, probandi onus incumbat: estne ulla *temporis*, ante mundum conditum enim tempus concipi nequit, vel caussæ mentio facta *Jo. XVII. 5*? quo de loco, quæ dicta jam sunt, relegi velim.

2) Fierine adeo potuit, ut in clarissimo Evangelio *Esaiæ* cœcutirent miseræ Catecheseos Auctores! Viderunt initio capitis Jehovam Patrem loquentem, qui sistit mundo Filium suum dilectum. Quem, si Christum dominum nostrum esse, aliquis non videat, hunc ad *Matthæi cap. XII.* ablegabimus. Toto capite amplissima quæque de hoc servo eodemque Filio suo pollicetur. *Judicium*, h. e. rationem adipiscendæ salutis gentibus ita allaturum, ut insulæ in ipso spem sint collocaturæ, v. 3. 4. ipse cœcis visum donaturus, captis libertatem restituturus erat,

quod de spirituali cœcitate & peccatorum servitute accipiendum, non opus est moneri. Si igitur quæ deinceps de Jehovah, tantorum operum auctore multis verbis narrantur, de Patre accipienda sunt omnia; Christus κωφὸν πρόσωπον fuit, atque ipse nihil fecit. Quod cum maxime absonum sit dicere, referenda sunt, quæ sequuntur, ad Christum auctorem, & hoc sane legenti coruscat solis radiis. Fac ergo toto *capite XLII.* loqui de se patrem. Nam, quamquam certus sum, v. 10. monitum de cantico novo Jehovæ canendo, Patris esse, qui Filio Jehovæ laudes cani jubet, atque ob eam caussam non ait: mihi, sed *Jehovæ*, diversæ a me personæ, canite. Quamquam idem de v. 21. sentio, tamen, quoniam cum duris hominibus mihi rem esse intelligo, largiar tantisper hæc ad Patrem referenda omnia. At, qui *cap. XLIII.* incipit loqui, qui blandis verbis ecclesiam ex omnibus gentibus colligendam & collectam compellat, qui se facturum ea amplissime pollicetur, quæ facturum fuisse Christum *cap XLII.* videramus, qui in flammis & undis, in omni calamitatum genere, se adfuturum suis, promittit, certissime Christus est, Jehovah est, creator novi Israelis est. Id quod & confirmant verba גאלהיך v. 1. קדוש ישראל מושיע v. 3. 12. & 14. non; quasi de Deo Patre plane dici non possent, sed quod ordinarie his vocibus Christus redemtor noster intelligendus est; v. 10. autem, ne quis illud comma mihi objiciat, *servus Jehovæ* testimonium præbere jussus, non Christus est initio *cap. XLII.* sic dictus, sed *Israël*, seu *Jacob*, *cap. XLIV. 12.* eodem appellatus nomine. *Comma 25.* autem ita clare non Patrem sed *Filium* nobis loquentem sistit, ut clarius nihil esse possit; *Ego, ego deleo peccata tua propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, h. e. non tuis sacrificiis, sed meo parta est remissio peccatorum. Ebraica vox מחה commonefacit nos, *Col. II. 14.* ubi *Paullus* Christum dicit ἐξαλεῖψαι

τὸ

τὸ χειρόγραφον. Conf. *Act. III. 19.* Quæ cum ita sint, nullaque arte Socinianorum refutanda, facile erit ostendere, eum, qui *cap. XLII. 8.* eo honore, quem cum alio nemine Jehova communicat, afficitur, & ipsum esse Jehovam; & frigere exceptionem Socinianorum: *Non sequi, Deum haud communicare gloriam suam cum eo, qui ex eo pendeat, & sit ei subordinatus.* Sequitur sane; nam subordinatus, & qui pendet a Deo, est alter, אחר. Sed *alteri* se negat dare gloriam suam, h. e. illi, qui non sit Deus. Ut ne repetam, quæ ad proxime præcedentem quæstionem copiosius dicta sunt. Quod superest, de *sculptilibus*, quasi cum his solis non vellet gloriam suam communicare Deus, nihil est. Removet & hæc & alia omnia, quæ non sunt Deus, ab ejus honoris consortio; itaque conferendus alter locus, *cap. XLVIII. 11. 12.* ubi eadem verba habentur nulla facta *sculptilium* mentione. Quo capite Christum loqui, qui *primus & ultimus* in *Apocalypsi* dicitur, extra controversiam est apud pios lectores positum. v. 16. autem fulminis instar dejicit impietatemSocinianam; nam, qui hic loquitur, est certissime supremus Deus, qui se Spiritumque a supremo Deo missum prædicat. Quæ intelligi nulla ratione possunt, si, ut ipsi volunt,Deus supremus una sit persona,non tres. Loqui Christum, non prophetam, liquet e v. 14. quo æque ac v. 16. convenire ad loquentem hunc omnes gentes jubentur; interjectum vero *comma 15.* de Christo vero Deo agere quis dubitet? Si quis objecerit nobis, non posse supremum Deum esse, qui simul sit *servus;* non hoc obtinebit, ut non credamus Scripturæ utrumque palam ajenti, & duas naturas eidem Christo tribuenti, sed, ut doleamus miseram rationem miserorum hominum sapientiorem sibi videri, quam ut clara dicta Spiritus S. admittat. Pertinent huc aliqua *Tertulliani* commodissime dicta *adversus Praxeam, p. 433.* quamquam enim id agit,ut confutet hæ-

 resin

resin eorum, qui Patrem & Filium unam personam dixere, quibus ut acrius resisteret, *duos Deos* dixit Patrem & Filium, qua locutione nos merito abstinemus: Socinianis tamen nostris simul clarissime contradicit: „Interim hic „mihi promotum sit responsum adversus id, quod & de „*apocalypsi Joannis* proferunt. Ergo Dominus, qui est, „& qui erat, & qui fuit & venit omnipotens, & sicubi alibi „Dei omnipotentis appellationem non putant etiam Filio „convenire, quasi qui venturus sit omnipotens, cum & „Filius omnipotentis tam omnipotens sit Dei Filius, quam „Deus Dei Filius. Sed hanc societatem nominum paterno-„rum in Filio, ne facile perspiciant, perturbat illos Scriptu-„ra, si quando unicum Deum statuit: quasi non eadem & „Deos & Dominos duos proposuerit, ut supra ostendi-„mus. Ergo, quia duos & unum, inquiunt, invenimus, „ideo ambo unus atque idem & Filius & Pater. Porro, „non periclitatur Scriptura, ut illi de tua argumentatione „succurras, ne sibi contraria videatur. Habet rationem, &, „cum unicum Deum statuit, &, cum duos, Patrem & Fi-„lium ostendit, & sufficit sibi. Filium nominari ab ea con-„stat. Salvo enim Filio recte unicum Deum potest deter-„minasse, cujus est Filius. Non enim desinit esse, qui ha-„bet Filium, ipse unicus, suo scilicet nomine, quotiens „sine Filio nominatur. Sine Filio autem nominatur, cum „principaliter determinatur, ut prima persona, quæ ante „Filii nomen erat proponenda: quia Pater ante cognosci-„tur, & post Patrem Filius nominatur. Igitur unus De-„us Pater, & absque eo alius non est. Quod ipse infe-„rens non Filium negat, sed alium Deum. Ceterum alius „a Patre Filius non est. Denique inspice sequentia hujus-„modi pronunciationum, & invenies fere ad idolorum „factitatores atque cultores definitionem earum pertinere, „ut multitudinem falsorum Deorum unio divinitatis ex-„pellat, habens tamen filium quanto individuum & inse-„paratum a Patre, tanto in Patre reputandum, etsi non no-„minatum. Atquin si nominasset illum, separasset ita

„dicens;

„dicens: Alius præter me non eſt, niſi Filius meus. Ali-
„um enim etiam Filium feciſſet, quem de aliis excepiſſet,
„Puta ſolem dicere: Ego ſol, & alius præter me non eſt,
„niſi radius meus. Nonne denotaſſet vanitatem, quaſi
„non & radius in ſole deputetur.„

187. De iis Scripturis, quæ directe Dei Filium videntur reſpicere, audivi. Velim de iis cognoſcere, quæ per quandam applicationem Chriſto accommodantur, 1) & naturam in Chriſto divinam videntur probare?

Ea teſtimonia ſunt apud Eſaiam. Primum VIII. cap. v. 24. Quod futurus erat lapis offenſionis & petra ſcandali; quod Lucas cap. II. 34. & Petrus, Epiſt. I. cap. II. v. 7. repetunt. Secundum, Eſa. XLV. 23. ubi Deus ait: juravi per me ipſum, quod mihi curvabitur omne genu; quod de Chriſto legitur, Rom. XIV. 11. Tertium legimus Eſa. XLI. 4. & cap. XLIV. 6. & cap. XLVIII. 12. Ego ſum primus, ego ſum noviſſimus. De Chriſto vero idem legimus, Apoc. I. 17. Quartum Eſa. XXXV. v. 4. 5. 6. Deus ipſe veniet & ſervabit nos, tum oculi cæcorum & aures ſurdorum aperientur, tum claudus inſtar cervi ſaliet, & mutorum lingua ſolvetur. De Chriſto vero hæc ſunt repetita Matth. II. 5. Quintum, Zach. XII. 10. ſcriptum eſt: Et aſpicient me, quem transfixerunt. Quod Joannes, cap. XIX. 37. ſcripſit de Chriſto. Sextum, Pſalm.

Philippo explicatum. Idem Spiritus Sanctus per utrumque Sanctum Dei hominem locutus a se ipso abire, & diversus esse non potuit. Vidisse arbitror veritatis hanc lucem Photinianos, sed studio avertisse oculos, alioqui rem gravissimam tam leviter oscitanterque non egissent. *Mosen*, inquiunt, *Scriptura dicit*, *populum Israëliticum eduxisse ex Aegypto, & ejusdem redemtorem esse*, Mosique adeo imputat, quod proprie solius Dei est: ergo & dicta, quæ de Deo Patre in Veteri Testamento agunt, de Christo intelligi possunt in N. T. Obsecro te, quæ consecutionis hic umbra est? Actiones cum salutares tum noxiæ, quas aliquis aliorum opera usus peregit, in Scriptura & omnibus gentibus solent, mox *principali*, mox et *ministeriali* caussæ tribui, neque hoc in *Mose* solum factum, sed aliis compluribus. Ita *Paullus* se regenerasse Christianos prædicat, *1 Cor. IV. 15. Philem. v. 10.* quos constat a Deo esse genitos, quoniam Apostoli ministerio Deus in tanto opere usus est. Verum, ut nemo, cui sana mens est, verba *Jo. I. 13.* ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν, ita explicabit, *ex Apostolis esse genitos*, quia idem opus alicubi Apostolis, ut ministratoriæ caussæ, imputetur. De Deo enim, non de Apostolis, locus *Joannis* agit. Porro, ut sine summa absurditate verba *Exod. XX. 1. Ego Jehovah, Deus tuus, qui eduxi te, &c.* de *Mose* non possunt intelligi, etiamsi ipsius opera facta eductio alibi ei attribuitur: Ita, nec illa opera, quæ Patri Filioque diversis rationibus adscribi possent solerentque, hoc efficerent, ut locus, quo res aliqua Patri attribuitur, de Filio, & vice versa, ubi de Filii actione agitur, de Patre idem ille locus explicetur. Quæ res quamquam clara est, addam tamen exemplum, *Matth. V. 16. Ut glorificent Patrem vestrum in cœlis.* Nihil certius, quam & Christum glorificandum esse. Tamen, si quis ita dixerit: *Gloria tribuenda est Christo, secundum illud, quod Matthæus ait: ut glori-*

fi-

vificetur Pater vester &c. placeretne ejusmodi collectio? Socinianis credo, risum deberet, qui sic colligeret: Christus est cum Patre conjunctissimus, ergo verba apud *Matthæum* agunt de Christo. Immo de Patre agunt, non de Filio, etsi alibi idem & de Filio, non possit modo, sed & soleat prædicari. Restat alterum caput, quod recepi me explicaturum. Nimirum ibo per singula illa sena loca V. T. eaque non de Patre, sed de Filio, & dicta antiquitus per Prophetas & recentiori ætate per Apostolos *explicata*, nulla ratione vero *accommodata* esse. Primus horum est, *Esaiæ VIII. 14.* cujus multiplicem repetitionem in Scriptis Apostolorum primum videre juvat, deinde contemplari ipsa Prophetæ verba. Etsi non intellexissent *Talmudici* Doctores hunc locum de temporibus Messiæ, quod tamen e loco aliquo codicis *Sanhedrin* apud *Vitringam* e *Coccejo* recitato, colligitur, sed ita colligitur, ut doctissimus *Vitringa* perquam opportune moneat, hujus generis argumentis fere nihil esse tribuendum; nam *Talmudici* dicta biblica, horsum istorsum, pro lubitu ineptissime sæpe rapiunt, neque ideo sensum hunc esse, in quem torquent, intelligi volunt: Authentica tamen interpretatio Apostolorum dubitare nos vetat, hunc, qui futurus prædicitur laqueus & tendicula & lapis offensionis, ipsissimum esse Christum. Hic me non satis moveret, ut dicam ingenue, quod sentio, locus *Luc. II. v. 34.* ubi Sancti *Simeonis* verba legimus: *Ecce hic est positus in ruinam & suscitationem multorum in Israel.* non tam, quod verba loco Prophetæ haud usquequaque respondeant; nam facile largior, Sancto viro in mente verba *Esaiæ* fuisse, quam quod nulla adsit allegationis seu laudationis nota. Quæ ubi deest, non video, cur necesse sit, verba, alibi quidem lecta, sed, quæ sibi alter scriptor interpretanda non sumsit, eo præcise sensu accipienda esse, quo venerant priore loco, eamque observationem ad expedienda dubia aliqua, Interpretibus gravissima visa, perquam utilem esse, neutiquam dubito,

dubito. Sed *Rom. IX. 32. 33.* exceptionem respuit. Ibi verba partim ex *Esa. XXVIII. 16.* partim e *cap. VIII. 14.* laudata, non hoc solum docent, *cap. XXVIII. & VIII.* de re eadem agi, quod paullo post videbimus, sed &, *Christum illum lapidem* esse, atque hoc voluisse *Esaiam*, quod ex eo loco probat Apostolus. Exponit hic caussam gravissimi judicii, quo maxima pars Judæorum periisset, nempe quod Christum sprevissent, quod ipsius tenui externa specie offensi essent. Patrem certe non spreverunt, (nisi quod contumelia Filio illata ad hunc quoque pertinet,) Patrem saltem sua *intentione*, quam vocant, & *consilio* non spreverunt, non repudiarunt, at Jesum Dominum nostrum consulto spreverunt, repudiaruntque. Porro, omnes vident eum, qui posuit lapidem, non esse ipsum lapidem. Cum vero sine controversia Pater hunc lapidem vivum & angularem & offensionis posuerit, liquet, *Christum*, non *Deum Patrem*, intelligi. Verum idem lapis est *Jehovah Zebaoth*, itaque Christum Dominum nostrum esse, dubitare nefas. De *1 Petr. II. 7.* idem fere dicendum denuo foret, quod modo diximus. Itaque hoc solum observo, præter *Esa. XXVIII. & VIII.* quædam etiam e *Psalmo CXVIII. 22.* hic laudari, manifesto indicio, & illo *Psalmi* loco, eundem Dominum nostrum quærendum esse. De Patre vero non agi v. 4. testatur *Petrus*, ubi Christum, ad quem fideles accedunt, nimis clare *lapidem vivum* appellat. Sed hæc tria loca ipsa agnoscit Catechesis, nec refellere audet, &, quicquid de *accommodatione* perhibet, oculi docent falsum esse. Non prætereundem autem, eundem locum *Esaiæ* etiam in *Epistola ad Ebræos* tangi, *cap. II. 13.* Ubi verba *Esaiæ cap. VIII. 17. 18.* Christi verba esse clarissime significatur. Nisi obstaret brevitatis studium, excurrere hic quoque possemus in *2. Tim. II. 19.* quem locum docti viri summa verisimilitudine parallelum duxerunt esse illi

Esa. VIII. *16.* Nam *petra testimonii* idem est, quod *firmum fundamentum* Apostolus dixit. *Obsigna testimonium* non abit ab eo, quod enunciative Apostolus habet: ἔχων σφραγίδα τοιαυτην. Quid denique illud Prophetæ: *Discipulis meis:* aliud est, quam hoc Apostoli: *Deus novit suos.* Sed contueamur Prophetam ipsum, *cap.* VIII. paucis. *v. 11.* non dissimulat Propheta se fere opinione vulgi, quod hostium conjuratione plus justo territum est, abreptum; verum in aliam sententiam vehementissimo monito divino adductum esse. Itaque non esse eam conjurationem extimescendam, id potius agendum, ne offendatur Numen Sanctissimum v. 12. porro v. 13. Jehovam exercituum Dominum pro Sanctissimo, tremendo & extimescendo habendum. Hæc cum monet, videt Propheta & prænunciat, frustra esse hoc monitum quoad plurimos e Iudaica tribu, & reliquis omnibus, qui e decem tribubus reversuri Christique miracula visuri essent; Fore enim, ut plerique in hoc angulari lapide ab ipsis minime agnito, misere illisi pereant, captique & constricti perdantur. *v. 16. 17. 18.* autem compellantur pauciores quidem numero, sed dignitate potiores, quibus de versibus modo ad *Ebr.* II. *13.* expositum est. *Esa. XLV,* 23. loquitur ille Deus, præter quem nec Deus nec Servator est. ut de aliquo, qui nomine tenus Deus esset, cogitari nequeat. Sed idem ille, qui ibi divina auctoritate verba facit, est Christus Dominus noster, *Rom.* XIV. *11.* Quid enim dixisset Apostolus, *v. 10. ad tribunal Christi* nos omnes sistendos aliquando esse, recitato *Esaiæ* loco; nisi Christus esset judex & idem ille Deus, extra quem nullus Servator est? Itaque & Apostolus v. 12. concludit, esse a nobis singulis rationem reddendam *Deo*, h. e. illi, quem modo vocaverat Christum, manifesto indicio, Christum & Deum vocabula duo esse, de una persona dicenda. *Esa. XLI. 4. XLIV. 6. XLVIII. 12.* de vero Deo illud insigne

signe elogium habent: *Ego sum primus, ego novissimus.* Quod de creata, adeoque nec æterna persona, nec dici nec intelligi ullo modo potest, certissimusque character est supremi Numinis. Idem elogium Christo tribui non potuisset *Apoc.* I. *17.* nisi esset verus Deus. Itaque poteramus concedere, esse in locis *Esaiæ* de Patre sermonem, neque tamen detractum quidquam esset robori argumenti nostri; maneret enim, Christum, cui manifestissimus character supremæ majestatis additur, æque ac Patrem, unum illum Deum esse, nec sufficit Socinianorum exceptio, fieri ob *conjunctionem maximam inter Deum & Christum.* Nam, quæcunque etiam essent in Christum congesta, omnibus licet, quæ res creatæ reliquæ accepissent, longissime majora; tamen, si ipsa essentia divina non est communis, nec *æternus* dici potest, nec is, *extra quem non est Deus*, quæ voces apud *Esaiam* additæ sunt. Verum, quamquam hæc ita sint, ut dixi, si de Patre, quem æternum & solum verum Deum nemo dubitat, Propheta locutus esset, *articulus* tamen adjectus ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος velut indice digito ad ista loca *Esaiæ* lectorem remittit. Et sunt in Propheta clara indicia, alteram personam divinitatis potissimum loqui; sermo enim est de novi Testamenti temporibus, quibus idololatria maxime fracta est, ubi agnoscendum esset, idola adhuc culta nihil potuisse, nec prædixisse *Persis* de *Cyro*, quæ prædixissent vates divinitus inspirati. Christum vero ecclesiæ suæ caput & Regem ex œconomia divina esse, aliunde constat. *Capite* XLVIII. 12. saltem plane liquet, Christum loqui, & de se ac Spiritu Sancto a Patre mittendo, clarissime verba facere. Nihil addo, quoniam de hoc loco paullo ante, de *Apoc.* I. *17.* autem supra satis expositum est, nisi videri mihi *Esaiæ* XLIV. 6. duas personas Patrem & Filium simul loqui, ob repetitum nomen *Jehovah.* Sic vertò: *Ita dicit Jehova Rex Israel; porro idem dicit, Redemtor ejus Jehovah Do-*

minus

minus exercituum; & prius de Patre, alterum de Filio expone. Ad utrumque vero pertinet, quod & uterque loquitur: *Ego sum primus, ego postremus, præter me non est Deus.* Conf. *Jo. XVII. 3.* qua de re eruditos viros meditari velim. Accedimus ad quartum illustrissimum testimonium, *Esa. XXXV. 4. 5. 6.* Hic probe notandum, Catechesin rotunde fateri, quæ in Propheta extarent, *de Christo, repetita Matth. XI. 5.* nec aliter *Smalcius* in *Vers. Germ.* Das aber ist vom HErrn Christo vviederhohlet *Matth. XI. 4.* Itaque parum moramur ea, quæ addiderunt Catechesi *Crellius, Schlichtingius & Ruarus,* qui negant, *Esaiæ* verba *Matth. XI. 4.* de Christo dici. Negant pariter, sed impudenter negant, quæ de *primo* & *novissimo*, & *scrutatore cordium* & *renum* dicta essent in Prophetis, de Christo dici, in N. T. non esse utrobique dictorum eandem sententiam caussati. Non laudatur quidem apud *Matthæum* locus *Esaiæ,* sed jubetur *Joanni* renunciari character ejus temporis, nempe miraculorum a Christo patratorum ingens copia. At hæc ipsa miracula signi loco futura prænunciavit Spiritus S. per *Esaiam,* unde agnoscatur venisse ad homines Deum Servatorem. Venit autem, cum hæc, nunquam alias facta, contigerunt. Est ergo, is, qui venit, h. e. Christus, ὁ ἐρχόμενος, nam de hoc legati *Joannis* agunt; est, inquam, *Deus Servator* apud Prophetam promissus. Quæ res ita clara est, ut nihil ne cogitari quidem possit magis perspicuum. *Zachar. XII. 10.* divinissimum est testimonium de Christo confosso, qui idem Jehovah est, v. 1. quamquam & de altero, qui Jehovah sit, loquitur v. 8. idem quoque, mittendo Sancto Spiritu, divinam suam auctoritatem luculentissime demonstrat. Illud ergo clarissimum de *confosso Christo* testimonium confodere obstinata corda debet Judæorum & Socinianorum, ad exemplum eorum, de quibus *Lucas, Act. II. 37.* ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν τῇ

 καρ-

καρδία. *Cum audissent, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum ceterosque Apostolos: Viri fratres, quid faciemus?* Liquet, eum, qui hic loquitur, qui se aspiciendum aliquando ab ipsis, qui se confodissent, prædicat, verum Deum esse; Liquet, hunc Patrem non esse. Liquet, in Christo hæc propriissime partim facta esse, partim futura; nam confossus dudum est, adspiciendus die extremo. Liquet duplex laudatio hujus dicti a *Joanne, Evangelii cap. XIX. 37.* & *Apoc. I 7.* facta. Ut verbo dicam, liquent omnia. Quæ vero animi obstinatio, ut Christum esse verum Deum, tamen non credatur? Sextum denique testimonium est *Psalm. LXVIII. 19.* quod idem repetitum esse de Christo *Ephes. IV. 8.* Catechesis fatetur. Nihil clarius, quamquam in reliquis Psalmi hujus multa explananda sunt, quam eum, cui adscensio tribuitur, eundem esse, cujus splendor in legislatione Sinaitica modo prædicata fuerat: Patrem vero non adscendisse, non accepisse dona, itidem clarum est. Itaque si vel non esset hic locus in N. T. laudatus, liqueret tamen, plures esse personas, quarum altera daret dona, altera pro hominibus acciperet. At, cum accedat authentica interpretatio, qua, clarissimis verbis & nulla ratione ambiguis, docetur, Christum esse eum, qui *descenderit, adscenderit, dona acceperit*; cum accedant tot Christi Domini nostri dicta, de discessu suo ad Patrem, de mittendo a se Spiritu Sancto, poteritne aliquid esse, quod excipiant vel levissima specie? Nihil utique. Et tacet sane Catechesis. Sed videri tamen vult respondisse. O cœcitatem stupendam! Extant ejusdem generis plura testimonia V. T. in Novo de Christo explicata & auctior illa Catechesis ipsa addit *Malach. III. 1.* cum quo conferri oportet *Marc. I. 2. Luc. I. 17.* item *Psalm. CII. 26. 27. 28.* collato, *Ebr. I. 8. 10.* Sed nolo jam ad ea digredi. Videbit lector, tam esse luculenta ubique divinæ majestatis Domini nostri testimonia, quam nihil idonei ad ea regerere potuerunt adversarii.

189. Per-

189. Perspexi Christum divinam naturam non habere, sed verum hominem esse, 1) nunc cedo, qui cognitio ejus rei ad salutem utilis existat?

Hoc perspicere hinc potes, quod e cognitione ejus rei, quod Christus verus homo sit, spei nostræ certa eaque incorrupta subsequatur confirmatio, quæ adversa sententia prorsus convellitur, & tantum non tollitur. 2)

190. Qui vero istud?

Hac ratione, quod ex adversa sententia sequitur, Christum Jesum non esse verum hominem. Etenim, cum in Christo negent personam hominis, quis non videt, eos una eademque opera Christum verum hominem negare? Nec enim verus homo esse potest, qui hominis persona careat. 3) At, si Christus verus homo non fuisset, nec mori, ac proinde ne a mortuis quidem exsuscitari potuisset. Unde spes nostra, quæ resurrectioni Domini Jesu ceu basi cuidam ac fundamento innititur, facile convelli ac fere ruere posset. Ea vero sententia, quæ Christum pro vero homine agnoscit, qui in mundo existens obediens fuit Patri usque ad mortem, eundemque mortuum, & a Deo a mortuis reductum & immortalitate donatum asserit, & certo statuit, spem nostram de salute æterna mirum in modum fulcit, & ante oculos nostros ipsissi-

LXVIII. 19. Ascendit in altum, captivam duxisti captivitatem. accepisti dona in hominibus. Quod idem de Christo repetitum est apud Paullum, Ephes. IV. v. 8. E quibus testimoniis ad eum modum argumentantur: Quandoquidem quæ dicta sunt de Deo sub lege, eadem dicuntur de Christo sub Evangelio, apparet, Christum esse illum Israëlis Deum, ac proinde natura Deum.

188. Ad hæc quid respondes?

Ad omnia ita responderi potest, ut appareat, nullo modo ex iis effici, divinam in Christo esse naturam. Etenim aliam ob caussam ea, quæ dicta sunt de Deo sub lege, dici potuerunt sub Evangelio de Christo, quemadmodum & dicta sunt. Nimirum propter illam summam, quæ inter Deum & Christum est, ratione potestatis atque muneris, conjunctionem, quæ omnia illum Dei dono consecutum esse Scripturæ N. T. passim testantur. 2) Quod si Scriptura ea tradit de Mose, eum Israëlem ex Ægypto eduxisse, Exod. XXXII. 7. &, quod redemtor illius populi fuerit, Act. VII. 35. & de aliis idem, quod de ipso Deo apertissime scriptum extat, cum nec Moses, neque alii, tantam cum Deo conjunctionem haberent, quanta inter Deum & Christum intercessit, multo justius hæc, quæ de

de Deo primo respectu dicta sunt, Christo accommodari possunt, propter summam illam & arctissimam inter Deum & Christum conjunctionem.

Notæ:

1) Impudentia hic videtur summum gradum attigisse. Quod ut demonstretur duobus capitibus, primum ostendam, quod de *accommodatione* nobis narrat Catechesis, & de quadam *applicatione* dictorum V. T. ad Christum nihil esse, & pessime hæc loca V. T. ab iis, quæ directe Filium Dei respiciunt, distingui. Agunt sane & hæc quinque testimonia, ut deinde videbimus, & hujus generis quamplurima alia, de Christo directe, non de quoquam alio, nec *applicantur* accommodatione aliqua ad Dominum nostrum, sed explicantur de eo. Non possent vero recte de hoc explicari, si de alio agerent. Consideremus, si placet, *Act. VIII. 34.* legerat ibi evnuchus præclarum illud vaticinium *Esaiæ LII.* & percontatur e *Philipppo* verum ejus loci sensum. *Rogo te*, inquit, *de quonam hæc prædicat Propheta. de se, an de alio?* Si pro *Philippo* nactus esset hominem Socinianum, is *accommodari* hæc verba posse dixisset ad *Jesum Nazarenum* nuper Hierosolymis supplicio affectum, sed resuscitatum; ad quæstionem vero Aethiopis nihil idonei respondisset. Neque enim hoc scire cupit vir de sua salute solicitus, ad quem possint *applicari* vatis divini verba, quæ *applicatio* pro ingeniorum varietate, & ipsa multiplex esse potest, sed doceri vult, de quonam agant illa verba? Itaque sanctissimus *Philippus de Jesu Nazareno* vaticinium explicat, huicque deinde alia plura conjungit. Impius sit, qui dixerit, alio sensu ab *Esaia* vaticinium dictum, alio a

Philippo

„creatorem esse credunt, sed etiam ipsum JEsum Christum seu Dei Filium, nec non & Spiritum Sanctum eundem illum unum Deum esse statuunt.;„ &c. Nobis sic videtur: hic non licere peccare. Sciendum sane est homini salutis cupido, in quem credat; si non sit verus Deus ille JEsus Nazarenus, non posse sine atroci blasphemia pro Deo coli; si sit, ut demonstratum adhuc est, huic divinos honores negare æque blasphemum est. Neutra sententia ita comparata, ut ferre alteram possit. Si tueri sua volent Sociniani, non possunt nos non habere pro impiis & blasphemis. Sed & nos vicissim, simus a Spiritu persecutionis alienissimi, fieri tamen per veritatis amorem nequire fatemur, quin ut pestilentissimum damnemus Socinianum dogma, quo Christo Dei Filio honos divinus negatur. Nam quod se habere Christo ipsos divinos honores jactitant, protestatio est facto contraria; maxima enim cultus & honoris pars est agnitio divinitatis Christi, & qui poteris pro Deo colere, quem esse Deum negas?

3) Mirum est, cum accusent nostrum dogma, non ex eo capite damnari, ex quo, si falsum foret, potissimum esset damnandum. Nimirum, cum summa esset Patris injuria & contumelia conjunctum, alterum, quem ipse quidem præ hominibus reliquis extulisset, rem creatam tamen esse, seque adeo infinitis partibus inferiorem significasset, eodem honore affici, Patrique penitus æqualem poni. Sed quoniam ne non habeantur Christiani, ipsis, saltem maximæ eorum parti, placuit, Christum esse divino cultu afficiendum, aliter viderunt instituendum. Nimirum humanam in Christo naturam periclitari, si Deum esse Christum dixerimus. Quæ mihi disputatio ita comparata videtur, ut, si quis neget, animam humanam materiæ expertem habendam esse; periculum enim esse, ne videamur corporis membra homini abjudicasse: nam, si persona humana dicatur spiritualis esse, non esse eandem personam corpoream, & sic porro. Rideretur opinor, qui sic vellet ratiocinari. Est enim anima a corpore diversa quidem

res

res five *essentia*, si placeat hac voce uti; cum corpore autem conjuncta illa anima, non duas facit personas seu homines duos, quibus, ut diversis auctoribus, actiones imputari possent, sed hominem unum, ita tamen, ut principium illud, quod facit, ut homini actiones queant imputari, in anima sit, quæ & divulsa a corpore actionum suscipiendarum capax est, cum corpus ab anima separatum non sit capax. Simili aliqua ratione, nam sæpius monui lectorem, rem perfecte similem nusquam posse reperiri, Christus, ὁ λογος, persona divina ex Patre æternum genita, conjunxit secum humanam naturam, ita,ut unus esset Christus, &, quod in humanitate fieret, imputaretur Deo Christo: quod in divinitate, homini Christo; verbo, ut una esset persona θεάνθρωπος. Sic tam non desinet esse natura suscepta, quod est, nempe humana, quam non desinit corpus esse corpus, junctum licet animæ. Atque, ut existet nostra anima post mortem divulsa, & aget aliquid, & caussa est, cur homo vocetur persona; ita fuit aliquando sine humana natura ὁ λόγος, & egit opera divina, & caussa est, ut dicatur Θεάνθρωπος una persona. Hæc qui expendit serio apud animum, eum Socinianorum φλυαρίαι nihil movebunt. Nos quidem in tuenda humanitate Christi vera & nostræ ὁμουσίῳ, contra *Anthropomorphitas* cujuscunque generis, tenacissimi sumus, sed non segniores in vindicanda vera divinitate, utrumque enim dogma ad salutem summe necessarium. Claudam hanc disputationem pulcherrimis verbis *Irenæi L. V. p. m.* 316. „Peccata igitur remittens hominem quidem curavit, semetipsum autem manifeste ostendit, quis esset. Si „enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus, „remittebat autem hæc Dominus, & curabat homines „manifeste, quoniam ipse erat verbum Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem accipiens; quomodo „homo & quomodo Deus. Et quomodo homo compas-

„sus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, & remittat debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.„

4) Nobis longe Sanctior est ratio, cur pro humanitate Christi depugnemus, quam Socinianis. Quid enim hi? Hominem, inquiunt, oportet esse Christum; alioqui non potuisset mori: Quid porro ad nos mors Christi? Non potuisset, inquiunt, resuscitari, nisi mortuus? Sed ipsa resuscitatio quid nobis affert commodi? Si Socinianis credas & Catechesi, hoc præstat, ut imaginem habeamus ante oculos nostros propositam, cum immortalitate donatus sit Christus, fore, ut & nos, ejus exemplum imitati immortalitate aliquando donemur, & in societatem vitæ gloriæque, quam Christus adiisset, veniamus. Exiguum utique commodum, saltem non majus, quam quod vel *Jobus*, vel quicunque alius vir Sanctus, præstitisset! Exemplum præivere & alii, non tam Sanctum utique & egregium, sed, quod assequi, siquidem salus esset imitatione paranda, nos posse, magis sperare liceret, quam Christi exemplum, qui ab omni labe immunis tantus videtur, ut idem, quod ipse assecutus est, nostra impari sequela nunquam videatur obtinendum. Nos autem ideo hominem esse Christum gaudemus, & tuemur, quoniam alias nec potuisset vice nostra, satisfaciendo legi divinæ, fungi, nec morte pœnas a nobis ferendas ferre, & tollere. Hæc certe potissima est caussa, cui alias addi facile patimur.

4) *Si vestigiis ejus institerimus.* Pelagianæ hæ sunt sordes, anima autem Socinismi. Quid vero egregii præstitit Christus, si exemplum & præterea nihil est, salus autem per nos ipsos acquirenda? Sed præcedente nota jam hoc argumentum attigimus.

Postquam absolvimus, quæ *Racoviensibus* respondenda visa sunt, restat recentiorum commenta, quibus tractationem de Christi divinitate concludunt, examinare. Primo conantur exemplis adstruere morem accommodandi dicta Scripturæ ad res hominesque, de quibus non essent olim pronunciata; tum tria argumenta, cur nostra senten-

tia

tia ipsis periculosa videntur, addidere, non omisso illo *Racoviensium: negandam esse* stante nostra doctrina *humanam in Christo naturam.* Videamus de singulis! Sic quærunt: „*Habesne alios adhuc Scripturæ locos, ubi* „*verba de re, aut persona alia in Veteri Testamento pro-* „*lata, ad alium accommodentur in novo?* „ ac respondent: „ Habeo. Nam ut eos mittam locos, in quibus ea, „quæ de typo dicta olim fuerant, accommodantur in novo „ad antitypum, quorum non exiguus est numerus, vide„mus id, quod de Christo apud *Esaiam XLIX. 6.* prædi„ctum fuerat: *Ecce dedi te in lumen gentium, ut sis salus* „*mea usque ad extremum terræ*, accommodari ad *Paul-* „*lum & Barnabam*, *Act. XIII. 47.* Quæ de lege fuerant „pronunciata *Deut. XXX. 12. & 14.* applicari justitiæ „fidei, *Rom X. 6. 7. 8.* Quæ de cœlis *Psalm. XIX. 5. &c.* „ad *Rom. X. 15.* (videtur legendum: ad *Apostolos*; „*Rom. X. 15.*) Quæ de bobus triturantibus, *Deut.* „*XXV. 4.* ad evangelii doctores generatim, *1 Cor. IX. 9.* „Quæ de ventis ac fulminibus, *Psalm. CIV. 4.* dicta sunt, „referri ad angelos, *Ebr. I. 7.* alibi jam audivisti: Pri„mum fit propter subordinationem; cetera propter si„militudinem. „ Infeliciter ac falso hæc disputantur omnia. *Esa. XLIX. 6.* certissime de Christo, nec de quoquam alio, agunt, nam & *singularis numerus*, & cætera omnia, quæ nunc, cum de eo loco alibi egerim, haud repeto, evincunt de uno, non pluribus, sermonem esse. Rectissime autem ex eodem dicto colligunt Apostoli suum officium, docendi gentes; nam hoc præclare norant, Christum salutem gentium fore, non sine medio, sed per evangelium opera ministrorum ejus ubique prædicandum. Si *Paullus & Barnabas* voluissent in *Jesaia* se & collegas compellari, non dixissent τέθεικά σε, sed, quemadmodum est pluralis numeri ἐντέταλται ὑμῖν, ita pariter

 dicturi

dicturi fuissent τίθεικα ὑμᾶς. Verum explicentur, ut par est, verba apud *Esaiam* Dei Patris, de Filio ipsius Christo; facilis nihilominus est collectio: si Christo Domino hoc ex consilio Sacrosanctæ Trinitatis negotium datum est, ut gentibus exponat evangelium, simul legatorum Christi officium indicari. Nam quo audiunt imperatorem suum mitti milites, eo & sibi pergendum esse non dubitant. Itaque tametsi recte Sociniani hic *subordinationem* viderunt, Apostolorum nempe sub Christo, Domino; non sequitur tamen, dictum istud duplicem sensum habere, vel quasi haberet, applicari ad alios, de quibus non est dictum. Ita, cum lego: *Abrahamus Deo credidit, imputatumque ipsi est in justitiam*, nemo piorum dubitat, his ipsis verbis judicari, postulare Deum & a nobis hodie viventibus, fidem sibi habendam; nemo, inquam, dubitaret, si vel non scripsisset *Paulus Rom. IV. 23. 24. Propter nos quoque* scriptum extare. Absonum vero esset, inde colligere, accommodari sive explicari dictum de alio, quam qui ab auctore dicti intelligatur, *Rom. X. 6. 7. 8.* Leguntur quidem verba e *Deuter. XXX. 12. 14.* nota, sed cum non allegentur, non explicentur de quoquam, frustra dicitur, ea verba ab Apostolo ad aliud, quam de quo agunt dictaque sunt, accommodata esse. Nam de illa accommodandi ratione, qua verbis biblicis de quacunque re non dissimili vulgo uti solemus, nulla est controversia, verbi gratia, si quis nostrorum hominum dixerit, *Cajum* vicinum suum esse bis a *Titio* deceptum, posteriorem autem fraudem graviorem esse priore, non hoc vult agi notissimo isto dicto de *Cajo Titio*ve. Sed ubi Scriptores N. T. laudato dicto V. T. & *impletum esse* præfati, nos ad libros Prophetarum ablegant, tum vero absit unquam alio sensu verba repeti, quam quo olim dicta sunt Quæ modo dixi, referri etiam velim ad *Psalm. XIX. 5.* &c. & *Rom. X. 18.* Mihi liquet, in Psalmo de Apostolis nihil extare, sed de sole cœloque agi; cur vero

non

non licuerit Apostolo seu Spiritui Sancto, per Apostolum scribenti, id, quod dicturus erat, de sono Evangelii omnes terras pervagato, effari verbis e versione Græca *Psalmi XIX.* notis, equidem non video. Si conferas *Deut. XXV.* 4. & *1 Cor* IX. 9. patet, non legem de *bubus* datam, de *Apostolis* intelligi, sed argumentum a minori ad majus duci, & velle Deum ita a nobis colligi, ut, cum boum tantam habeat curam, multo magis prospectum velle ministris ecclesiæ censeamus. Denique de *Angelis*, non *ventis*, *Psalm.* CIV. æque ac *Ebr.* I. agi, demonstravi in *Dissertatione de sensu mystico*. sed & alii docti viri dudum idem demonstrarunt. Nihil ergo obtinent commentitia sua accommodatione adversarii nostri, neque effugiunt, quin loca clarissima V. T. de Christo palam agere, confiteri cogantur. Consideremus & paucis tria argumenta, cur suam de *una in Deo persona*, opinionem *ad salutem summopere utilem* contendant? Primo ajunt, transferri gloriam Patri debitam ad alium, Deumque privari ea gloria, quam in Christo exaltando quæsisset; nam si credatur Christus summus ipse Deus esse, nec potuisse exaltari, & si potuisset etiam, debere tamen eam exaltationem non cuipiam alteri, sed suæ divinæ naturæ. His ita respondeo: Si falsum esset dogma nostrum, ut est verissimum, non male observatum, transferri honorem Deo debitum ad alterum, quæ confessio Socinianorum præclare observanda est. Quid enim respondebunt, cum sic urgentur: divinus honor Deo soli debitus Christo exhibendus est, ipsismet fatentibus; sed a Deo ad alterum, qui non sit Deus, transferri nequit, sine blasphemia; ergo Christum oportet esse verum Deum. Verum id, quod de gloria Patris in exaltatione quæsita, per nostram autem doctrinam pereunte, ajunt, nihil est. Novimus Patrem & Filium unum esse; potest ergo simul actio exaltationis Christi hominis ipsiusmet divinæ naturæ, & Patris personæ tribui, neque alterum ab altero tollitur. Gloriam tribuimus

mus Patri in Filio, sed non ideo minorem ipsi Filio gloriam deberi constat. Nam Filius honorandus est sicut Pater. *Jo V, 23.* Eodem responso satisfactum etiam est *alteri argumento* Socinianorum, huic nempe: periclitari dogma de resurrectione nostra; quoniam Christus, si ipse sit verus Deus, sua propria virtute resurrexisse dicendus sit, nos autem in nobis nihil reperire, quod nos mortuos in vitam revocare queat; itaque posita hac disparitate Christi & fidelium, cum ille potuerit sibi ipse vitam reddere, hi non possint; vacillare argumentum *Paulli*, *1 Cor. XV.* qui e resurrectionis Christi exemplo nostram resurrectionem certo futuram collegerit. Frivola sane hæc omnia sunt. Patris & Christi unam eandemque esse potentiam, & Scriptura docet, & nos modo observavimus. Et quantum ad resurrectionem attinet, ut legimus Christum suscitatum esse gloria Patris, *Rom. VI, 4.* ita teste *Ioanne II, 19. 20.* Christus ipse templum corporis sui restauravit. Certitudini autem nostræ resurrectionis quid decedat, nemo dixerit. Modum sane non oportet eundem esse in nobis resuscitatis & excitato Christo. Neque ideo minus certum est, & nos suscitatum iri, quod Christus suis Patrisque, h. e. iisdem viribus, nos non nostris, sed Dei triniunius viribus suscitamur. Tertium argumentum Socinianorum, quoniam obscurissimum est, nec in compendium mitti potuit, recitabo integrum, confisus recitasse esse refutasse. Sic ajunt: *Qui tertium?* respondent: „Ex Christo enim facit ipsum illum unum Deum, & Dei „Filium esse dicit, qui ante hominis Jesu ex Spiritu S. con„ceptionem & ex virgine nativitatem, immo ante omnia „tempora reapse extiterit, atque in hunc cultum & hono„rem & fidem nostram dirigit: Cum interim is, qui „vere Christus & Dei Filius est, solus & in se spectatus vel „idolum illis sit, si colatur, vel non appareat, quo pa„cto simul & Deus ille unus, & homo esse, & tan„quam Deus ille unus & tanquam homo ab ipso exal-

„tatus

„tatus coli possit. „ Denique *B. W.* impudentissime repetit, quod supra profligavimus: apud *Eusebium H. E. L. V. c. 27. Artemonitis*, qui suam sententiam Christum nonnisi hominem esse, ab ipsis Apostolorum temporibus creditam asseruissent, neminem antiquiorem *Justino* oppositum esse. Verum tædet, quod semel abunde dictum est, bis dicere.

DE PROPHETICO JESU CHRISTI MUNERE.

191. Quæ spectant ad personam Christi intellexi: ad ea, quæ muneris ipsius sunt, progredere!

Optime. Tenendum itaque tibi est, Christi munus in eo consistere, quod is sit Propheta, Rex & Sacerdos noster.

192. Ubi vero Propheta in Scripturis vocatur?

De hoc singulare extat testimonium, quod Petrus e Mose repetiit, qui ad patres locutus est, Act. III. 22. Devt. XVIII. 18. Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester e fratribus vestris, quemadmodum me, eum audietis secundum omnia, quæ ad vos locutus fuerit.

193. In quo vero consistit ipsius munus propheticum?

In eo, quod nobis voluntatem Dei perfecte manifestavit & confirmavit.

194. Unde apparet, Christum nobis Dei voluntatem perfecte manifestavisse?

Hinc, quod ipse Jesus, perfectissima ratione eam a Deo in cœlis sit edoctus, & ad eam hominibus publicandam e cœlo magnifice sit missus, 1) & eam perfecte iisdem enarravit. Quod ex iis nominibus, quæ ipsi in Scriptura attribuuntur, apertissimum est, cum eum sermonem Dei, Deum & Dei Filium, imaginem Dei inconspicui, splendorem gloriæ Dei, Scriptura vocat: & cum asserit, omnem plenitudinem Deitatis in eo habitare corporaliter, id est, quod in doctrina ipsius tota Dei voluntas integre & reapse est patefacta. 2)

Notæ:

1) De munere prophetico Christi nulla est nobis cum Socinianis lis, agnoscimus voluntatem Dei a Christo nobis perfectissime manifestatam esse; sed in probatione hujus theseos ὕστερον πρότερον committitur. *Hinc*, inquiunt, *apparet, quod ipse Jesus perfectissima ratione in cœlis voluntatem Dei edoctus sit, & ad eam hominibus publicandam e cœlo magnifice sit missus.* Immo hoc de Christo in cœlis edocto & magnifice misso probandum prius fuerat, sed, Sociniano sensu, nunquam probari poterit. Quamquam enim voluntatem divinam Christo in consilio Sacrosanctæ divinitatis cognitam scimus, ea tamen cognitio non more humano adepta est, nec præcessit eam ignoratio. Porro venit sane de cœlo, *suscepta*

in

in utero virginis humanitate, & *magnifice* potest *venisse* dici; angelo prænunciante ipsius adventum. Sed, quod Sociniani perhibent de *raptu Christi in cœlum* anno ætatis trigesimo demum, saltem ante exordium muneris publici, *indidem descensu* post cognitam voluntatem Dei, & *magnifico* quidem descensu, mera sunt somnia, nulla litera Scripturæ demonstranda. Atque si hinc discendum est munus Christi propheticum, tota caussa misere vacillat.

2) Aliquot hic dicta recitantur, quæ munus Christi propheticum nulla ratione probant. Vocatur Christus *gloriæ Dei splendor*. Non quia Propheta est, sed quia unigenitus Dei Filius, Patris gloriam in se referens. De *Coloss. II. 9.* quæ nobis videantur, jam dicta sunt. Ea autem interpretatio, quam Catechesis habet, plane abit a veri specie. Quis dixerit *plenitudinem Deitatis* esse *voluntatem Dei integram*; & habitare in *aliquo corporaliter*, esse *per alicujus doctrinam patefieri*?

---

195. Ubi vero scriptum est, Christum fuisse in cœlo & e cœlo missum?

Jo. VI. 36. Descendi e cœlo; non, ut faciam voluntatem meam, verum ejus, qui me misit. Et inferius, v. 62. Cum ergo videritis Filium hominis adscendentem ubi erat prius. Et cap. III. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit e cœlo, Filius hominis, qui fuit in cœlo. Et inferius, v. 31. Qui e supernis venit, supra omnes est. Qui de terra est, de terra est, & terrena loquitur. Qui de cœlo venit, supra omnes est; & cap. VIII. 28. Sicut

me docuit Pater meus, hæc loquor; & cap. XVI. 28. Exivi a Patre, & in mundum veni; rursus relinquo mundum, & abeo ad Patrem. 1)

Notæ:

1) Absurditatem commenti Sociniani de ascensione in cœlum, ante eam, quam *Marcus XVI. 19.* & *Lucas, XXIV. 51. Act. I. 2.* narrat, supra jam vidimus, ubi *Abbadii* quoque ingeniosam refutationem rei fictæ exposuimus. Nunc aliqua de his ex *Joanne* laudatis, quamquam & ipsa jam attigimus, addemus. Eorum locorum, qui postremo laudatus est, *cap. XVI. 28.* palam refellit commentum. Isto enim a Patre egressu, quem prædicat, venit in mundum, at dudum & triginta quidem annis fuerat in mundo, & vixerat more reliquorum hominum, antequam evectio in cœlum a Socinianis facta dicitur. Porro, secundum præsentiæ rationem aspectabilem tum reliquit mundum, cum ivit ad Patrem, itaque non potest intelligi, jam antea ivisse ad Patrem & quidem cum prodire in conspectum mundi demum vellet. *Jo. VIII. 28. cum quo* & *v. 26.* conjungi velim, de iis, quæ didicisset & audisset a Patre, Christus verba facit. Quando vero cœpit ea facere, & dicere, quæ accepit a Patre dicenda & facienda? Anno certe duodecimo ætatis Sanctissimus Dominus noster jam fecit locutusque est aliqua huc pertinentia. *Luc. II. 46. 49.* Ergo oportuit jam tum factam fuisse illam ascensionem ad Patrem. At ejusmodi raptum in cœlum non observarant *Mater Maria* virgo, & *Josephus*, qui Patris loco fuit, cum quibus eo usque, ut decet morigeros pueros, *Nazarethæ* vixerat. *Jo. III. 31.* quis non videt originem Christi e supernis caussam esse, cur omnibus præferendus esset. At, nec fuisset origo Christi e super-

supernis, si hoc vellet, se in terra quidem, ut reliquos homines, existendi cepisse initium, sed fuisse aliquandiu, nescio quot momentis horisve, in cœlo, reliquam vero omnem ætatem trivisse in terra; nec posset ideo omnibus hominibus præferri. *Joannes* certe Baptista, omnium, quos unquam mulieres peperissent, teste Christo, longe maximus, *Matth. XI. 11.* in cœlo non fuerat, cum hoc ipsi elogium Christus adderet; quod falsum foret, si non esset falsa hæc Socinianorum detorsio verborum *Joannis*, seu Christi potius. Quod ad *Io. III. 13.* attinet, memini me supra exponere. Certe *Enocho* & *Eliâ* non esset major Christus, si, quam volunt adversarii, adscensio intelligeretur. Immo, nec dici potuisset, neminem adscendisse, cum hos ita evectos esse constet. Itaque de sua, futura tunc, nunc facta, quam omnes miramur, adscensione, non alius virtute, ut *Enocho* & *Eliæ* contigit, sed propria auctoritate facta, accipi vult verba Christus, quem & vox ὢν non *fuisse* in cœlo, sed *esse*, quamquam in terra obambularet, indicat. *Io. VI. 62.* fas est conferri cum *cap. XVII. 5.* unde intelligimus, eam gloriam, ad quam se aditurum isto loco narrat, fuisse, antequam mundus existeret, adeoque non, quæ obtigisset subito aliquo in cœlum raptu. Denique illa verba, quæ primo loco recitat Catechesis, *Io. VI. 38.* de raptu illo belle efficto intelligi nequeunt, nisi simul ajas, Christum ante eum totis triginta annis non Patris fecisse sed suam voluntatem.

---

196. Quæ vero est illa voluntas Dei per Iesum nobis patefacta?

Est illud fœdus novum, quod cum genere humano Christus nomine Dei pepigit. Unde etiam mediator novi fœderis vocatur.
1) Ebr. VIII. 6. 1 Tim. II. 5.

Notæ.

1) Falſum eſt, fœdus gratiæ demum cœpiſſe, cum Chriſtus venit; quamquam hujus adventu & ſatisfactione unice nititur. Qualis enim fuiſſet ratio patriarcharum ad ſalutem perveniendi? Quos per fidem ingreſſos vitam Apoſtolus *Ebr. XI.* narrat, per eam utique fidem, quam & illa epiſtola omnibus reliquis unicam ſalutis viam commendat, quæ Chriſtum ejusque meritum amplectitur. Chriſtus adeo non nunc ſolum, ſed ſemper, *hodie & heri*, *Ebr. XIII. 8.* ſponſor fœderis gratiæ fuit; ſed idem, quoad ſubſtantiam fœdus gratiæ, ob additum ante Chriſti adventum legum ceremonialium Schema, remotum vero ſub Chriſti adventum, duplicis *fœderis*, interdum & *teſtamenti* nomine venire, ſcire decuiſſet Chriſtianos omnes, & Socinianos quoque, ſi velint eſſe Chriſtiani. Itaque cum novum fœdus per *Ieremiam cap. XXXI.* alibique promittitur, non putandum, Chriſti meritum eo usque haud fuiſſe rationem potiundi ſalute, ſed nova ratione & clarius adeo, quam factum adhuc fuiſſet, idem fœdus gratiæ generi humano expoſitum iri, eoque vocari novum, ut *præceptum de amore*, non incognitum olim, ſed expreſſis verbis ſancitum, verum durante pariete intergerino inter Judaicam ceterasque gentes, non parum obſcuratum, *novum* a Chriſto & *Ioanne* ſubinde appellatur. Ceterum imperitiæ Socinianorum debetur, quod Chriſtum mediatorem novi fœderis vocari ajunt, quia pepigiſſet cum genere humano fœdus. *Mediator* enim non ipſe pangit fœdus, ſed, ipſius opera intercedente, pangit alter cum parte adhuc vel non fœderata, vel non ſic fœderata. Sed hæc quidem leviora ſunt. Tria verba addenda ſunt de duobus locis, quos laudant Sociniani. *Ebr. VIII. 6.* Meliores promiſſiones ſunt novi fœderis, quam antiqui, h. e. in eodem gratiæ pacto, quod antiquitus poſt lapſum generis humani Deus cum his mortalibus iniit, acceſ-

accesserat externa figura legis, non, ut tolleretur gratiæ fœdus, quod ne mente concipiamus, *Paulus* prohibet, *Gal. III. 17.* sed ob alias caussas, v. 19. expositas. Accesserant & promissiones hujus Seculi populo Israëlitico factæ, de terræ *Palestinæ* possessione & fructu, &c. In eodem vero gratiæ fœdere, quod nunquam tollitur, sub Christi adventum, remota illa lex est, quantum ad ceremonias pertinet; quantum ad moralia præcepta, non remota quidem ipsa, sed usus tamen coërcendi minaciter; porro accesserunt nova beneficia, promissionesque, majoris usus, libertatis ac parrhesiæ &c. Has promissiones cum promissionibus veteris ævi contendit Apostolus, & potiores prædicat illis esse. Et, quemadmodum additamentorum legalium mediator & interpres *Moses* fuerat; ita novarum promissionum mediator & interpres ipse Christus Dominus noster est. Ceterum ipsius fœderis gratiæ cum genere humano, si in substantia sua nunquam mutata consideretur, mediator nusquam dicitur *Moses*, sed is honor in solidum debetur Christo. Illustrem autem locum *1 Tim.* II. 5. non oportuit a Socinianis tangi. Eo enim loco, non hoc modo, quod diximus, Apostolus docet; fœderis, quod cum hominibus, non qui tunc viverent, sed, qui unquam, Deus percussisset, unicum sponsorem Christum esse: Sed præterea v. 6. Christum se dedisse pretium redemtionis, adeoque vere satisfecisse pro nobis, quod Sociniani impie negant; porro pro omnibus hoc præstitisse, non ut aliquo tantum tempore valeret, sed μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, quod suo tempore publica præconum h. e. Apostolorum voce toti orbi proclamandum esset.

197. Quid vero hoc novum fœdus comprehendit?

Duplex rerum genus, quorum unum Deum, alterum nos respicit.

198. Quod vero Deum respicit?

Sunt perfecta mandata & perfecta Dei promissa. 1)

Notæ.

1) Non esse perfectiora mandata libris N. T. explicata, quam dudum fuerant, in sequentibus demonstrabitur. Sed nec ipsa promissa, quantum ad substantiam fœderis gratiæ pertinet, hodie meliora esse, quam antiquitus, sed eadem, pariter ostendetur. Salvati enim & veteris ævi Patriarchæ sunt; quæ vero detur amplior promissio, quam salutis æternæ, equidem non capio.

Ceterum recentiores hoc caput Catecheseos aliter quidem digesserunt, & verbosiores sunt, re vero nihil abeunt a *Racoviensibus*, itaque non videntur seorsum excutienda, quæ hi addidere.

CAPUT I.

DE PRÆCEPTIS CHRISTI, QUÆ LEGI ADDIDIT.

199. Quænam sunt perfecta mandata Dei per Christum patefacta?

Pars eorum continetur in præceptis a Mose traditis, una cum iis, quæ sunt eis in Novo Fœdere addita: pars vero continetur in iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit.

200. Quænam sunt priora?

Sunt ea, quæ in decalogo continentur. I

201. Ergo dantur alia præcepta a Deo per Mosen tradita?

Sunt. Quorum alia ad ritus exteriores, vulgo ceremonias vocatos, alia ad judicia pertinent: Verum ea Christus partim expresse, partim tacite sustulit. Aperte, per Apostolos, potissimum vero per Paullum Apostolum, magnam partem præceptorum ad ritus exteriores seu ceremonias spectantium sustulit & abolevit. Alii vero ritus exteriores seu ceremoniæ, quæ aperte sublatæ non sunt, proprietate novi fœderis abolitæ censeri debent, propter eandem caussam, propter quam aliæ sublatæ sunt, quas aperte sublatas deprehendimus.

202. Quæ vera proprietas est novi fœderis?

Ea, quod plane spirituale sit, neque in ullis rebus externis, verum in interioribus sit positum. 1) Porro ritus exteriores, vulgo ceremoniæ vocatæ, spirituales non sunt, quippe cum exteriorem faciem respiciant. 2) Quare, nisi de ejusmodi re quapiam expressum in novo fœdere extet mandatum, nullo modo eam in novo fœdere servandam esse, credendum est. Itaque statuendum est, quicquid in prisco fœdere præceptum est, quod ad ceremonias vulgo vocatas refertur, ad novum fœdus nullo modo pertinere.

Notæ:

1) Vetus testamentum, h. e. illa ætas & externa conditio fœderis gratiæ, semper ejusdem, qua lex, moralis quidem minaci sua virtute, ceremonialis seu ritualis vero figuris suis & onere non levi viguit; externa utique multa, quæ hodie cessant, efflagitavit, sed & interiora. Ipsum vero gratiæ fœdus nunquam non interna, h. e. veram fidem & ejus fructus, bona opera omnis generis secundum normam decalogi instituenda postulat. Itaque, cum *2 Cor*. III. *6*., ad quem locum conferenda sunt *Rom*. VII. *6*. & si qua sunt loca similia, γράμμα πνεύματι, *litera Spiritui* opponitur, & Apostolici Doctores se *Diaconos Spiritus* prædicant, Sacerdotes Leviticos, *literæ ministros*; hoc vult Scriptura: *Mosaica* & sequentibus ætatibus usque ad Christi adventum, vera quidem & efficacia fuisse sacra, quibus sine Spiritu nulla poterat efficacia inesse; sed omnia tectiora, obscuriora, si cum luce posteriorum temporum contendantur; de rebus ad salutem pertinentibus, non tam uberem explicationem, quam facta est deinde. Nam, ne longe abeamus, eodem *cap*. III. *2. ad Corinth*. *v. 14. 15*. velamen quasi Judæorum oculis oppansum dicitur, cum legerent *Mosen*, id, nisi repugnent gratiæ vocanti, remotum iri, *v. 16*. Ergo per *Mosen* tradita sunt spiritualia, non agnita quidem maximæ parti Judæorum, sed tradita tamen; nam nisi essent in *Mosis* libris, neque illi, qui libera & nudata facie legerent, quidquam observare possent. Quod multos turbat, interdum & Theologos, ut de conditione V. T. nimis abjecte, & quasi de meris tenebris loquantur, hoc potissimum esse videtur, quod *Leviticum* Sacerdotium *ministerium literæ*; *Apostolicum* contra *Ministerium Spiritus* dicitur. Sed hæc utique non est ratio, quam multi sibi mente concipiunt, olim nihil in Sacris fuisse, quod Spiritum hominis ad Deum adduceret, Spiritusque Sancti nullam operationem fuisse, alioquin & dicen-

dicendum esset, hodie Scripturam seu literam nullam haberi, saltem nulli usui esse; in quod delirium & fanatici nonnulli inciderunt. Vera ratio hujus denominationis est in promtu. Quid *Moses* de monte *Sinai* pertulit ad populum? γράμμα, Scriptum, potissimum legem decalogi tabulis lapideis insculptam, tum & librum, qui leges rituales contineret: Recte ergo hujus ministerium vocatur διακονία γράμματος. Apostoli vero Hierosolymis, cum die Pentecostes, φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, in publicum prodierunt, quid pertulerunt ad populum, non unum, sed omnes? Scriptum nullum attulerunt, tabulas lapideas nullas, sed Spiritus Sancti mirifica & plane stupenda dona. Itaque horum ministerium pulcherrime vocatur διακονία πνεύματος. Quantum vero abest, ut Apostoli γράμματι, seu Scripto, penitus abstinuerint, ut potius vetustiores sacras literas semper in ore habuerint, *Act. XXVI. 22.* & ipsi libros, Spiritu S. suggerente, scripserint: Tanta vicissim cum injuria conjunctum foret, si *Mosaicum* sive *Leviticum* sacerdotium ministeriumve caruisse Spiritus S. præsentia & efficacia, diceretur. Porro, quodnam eorum, quæ *Moses* populo attulit in legislatione, potissimum argumentum est? minæ utique legales, quibus conscientias mortalium terreri necesse est, quæque mortis metum inferunt. Quis non videt, ob id rectissime dici id ministerium διακονίαν θανάτου & κατακρίσεως? Apostoli contra die pentecostes potissimum τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, in his, partam per Christum salutem nunciarunt confluenti multitudini ex omnibus oris terrarum. Summo ergo jure vocatur hæc διακονία τῆς ζωῆς & τῆς δικαιοσύνης. Verum, ut liquet, de lege minime silere Apostolos, quamquam hanc non potissimum explicarunt: ita non minus in aprico est, *Mosis* & Sacerdotum antiquorum ministerio, evangelium, quantum ad

beate moriendum necesse fuit, satis expositum esse, quamquam majori apparatu lex exposita est, cujus quidem pars ritualis ita comparata erat, ut sine aliqua cognitione antitypi, h. e. Christi, nemo iis, ratione Deo accepta, fungi posset. Est praeterea, quod lectorem meum monitum velim, cum v. 14. Veteris Testamenti mentio facta est, in cujus lectione caligent quasi velamine operti Judaei, non esse, quamvis hoc vulgo omnes facere video, de codice librorum Ebraicorum, ante Christi adventum Spiritus S. jussu conscriptorum, cogitandum. Tametsi enim verum est, Judaeos neque Prophetas, neque Psalmos, atque in iis luculenta de Christo testimonia, hodie intelligere, saltem, quod ad maximam hujus populi partem attinet: Non est tamen hodierna, certe non antiquissima acceptio vocum V. T. pro libris, quos Judaei in tria volumina digerunt, ut *Genesis* primum, duplex liber *Chronicorum* ultimum locum occupet, huc trahenda; potius *formula legum ritualium*, quae partem aliquam librorum *Mosis* conficit, secundum quam cum populo Israëlitico foedus illud Sinaiticum ictum est, intelligitur; hanc, ubi legunt Judaei, merito de Christo, omnibus istis ritibus cum regno suo praefigurato, cogitarent, sed plerique omnes, spreto nucleo in cortice haerent; quod & hodie, proh dolor! verissimum est, quoniam constat, quicquid inter Judaeos eruditionis gloriam affectat, aetatem *Talmudicarum* ineptiarum sedula investigatione terere, in quibus gemmulae, raro tamen in vasto gurgite sordium natant, vel oppressae potius sunt. Denique, quando delatus sum in *cap. III. 2 Cor.* neque hoc injucundum erit observasse: falsos esse omnes, qui consilio divino factum existimant, ut plurimi Judaei non intelligerent mysteria V. T. h. e. ut modo dixi, formulae legum ceremonialium. Certissimum enim est, crebro homines de solicita investigatione legum graviter admonitos, praedicante v. g. *Davide*, felicitatem eorum, qui id fecissent, egregio isto primo Psalmo, in quem finem docendi munus Sacerdotibus & Levitis injunctum fuerat,

Malach.

Malach. II. 7. Dolet potius Sanctissimum Numen cæcitatem hominum ordinario & sufficiente lumine gratiæ, non expugnatam. *Jerem. XXXII. 33.* Quod movere aliquem potest, in *v. 13. 14. cap.* III. *ep. 2. ad Corinth.* πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι &c. non consilium Dei, seu finem, quem intendisset, significat. Non obvelavit faciem suam *Moses*, ne possent Judæi antitypum ritualium sacrorum agnoscere; nec potuisset hoc fieri velamine isto, qui enim tegerentur eo mentes hominum? sed tecta sua facie *Moses*, quid *futurum esset* in cæco populo, neutiquam, quid *oportet fieri*, significavit. Itaque velatio faciei *analogiam* habet cum obscuris ingeniis Judæorum, *caussa* quidem eorum non est; quam ἀναλογίαν vocula πρὸς Apostolus pulchre explicat.

2) Non facile dixeris, quid hæc Catecheseos verba sibi velint: *Ritus exteriores Spirituales non sunt, quippe cum exteriorem faciem respiciant*. *Smalcius* in *versione Germanica* clarior: Aber die Ceremonien sind äusserliche Dinge, und an ihm selbst fleischlich und nicht geistlich. Sed additis voculis: an ihm selbst, quod latine dixeris: *Ritus in se spectati;* prodit, non posse simpliciter negari ritibus spiritualem virtutem, nempe si respicias ad ea, quæ ritibus istis figurantur. Ceterum, quam exilis fuerit *Fausti Socini* de antiquis ritibus opinio, docent ipsius verba, *Epist. 2. ad Matth. Radecium*, *p. 95.* „In eo tamen abs te dissentio, (ut minutiora quædam prætermittam;) quod videris concedere, viros pios, qui „sub Vetere Testamento fuerunt, ad Christum in ceremoniis illis & sacrificiis, in quibus adumbrabatur, respexisse, „& in spe illius venturi servatos fuisse. Id quod ego mihi „persuadere nulla ratione queo, vel ob id, quod expectatio futuri Messiæ, sicut nec aperta promissio, non fuit in „populo, nisi tandem paullo ante captivitatem Babylonicam, per *Hieremiam* Prophetam.„ Profana utique & infausta verba hujus *Fausti!* quem non puduit, negan-

do apertas promissiones de Christo ante *Ieremiam* extitisse, ipsi Servatori in faciem contradicere, qui *Io. V. 46. De me*, inquit, *ille (Moses) scripsit*. conf. *Io. I. 45.* Nec constat sibi *Socinus*, qui *epist. 3 ad Radecium p. 137. 138.* excusaturus ea, quæ modo recitavimus, sic verba facit: „De spe ac fide in venturum Christum, qua præditi „fuerint patres illi, sub Vetere Testamento, ita, ut in suis „sacrificiis ad illum respexerint, nihil aliud in præsentia di„co, nisi, me nullo modo diffiteri, Christum ibi adum„bratum fuisse. Sed nego hoc illos intellexisse, quod no„bis demum patefaciendum erat, ut cœlestis atque æter„næ veritatis & lucis confirmationem ex antecedentibus „figuris & umbris haberemus; sub quibus veteres illi „omnes conclusi erant, usque ad correctionis tempus, „ut loquitur Apostolus, *Ebr. IX. 10.* Et quod dixi de „Messia, *Hieremiæ* temporibus aperte promisso, ita ut „nova quædam promissio censeri debeat, verissimum est, „& per ea, quæ in ejus Prophetæ vaticinatione scripta sunt „cap. XXIII. & repetita cap. XXXIII. abunde confirmari vi„detur. Tametsi enim antea per alios Prophetas, præci„pue vero per *Esaiam*, Messiæ adventus ita prædictus fu„erit, ut nunc ejus vaticinationes legentes, historiam poti„us, quam vaticinationem legere, nobis videamur: tamen „eo tempore prædictiones istæ obscuriores erant, eæque „ad varios atque extraneos sensus accommodari poterant. „Cujus rei fidem faciunt, quæ hodie inter Judæos receptæ „sunt, earum interpretationes. Pleraque enim de Jesu „Nazareno ibi prædicta, non modo de illo accipere renu„unt, sed etiam de Messia, quem ipsi tamen expectant, „accipi posse nolunt. At vero, quæ de Messia ab *Hiere„mia* primum, deinde ab *Ezechiele* & *Daniele*, aliisque „prædicta sunt, qui etiam clarissimis verbis, anteceden„tem Babylonicam captivitatem, & ab ea liberationem cer„to tempore futuram, prædixerunt, adeo sunt aperta, ut „nulla extranea interpretatione obscurari possint, nec ad „ipsum Messiam ea omnino pertinere Judæi unquam ne-

„gare sunt ausi. Itaque, quod dicis, Christum ipsis etiam
„antiquioribus illis patribus fuisse promissum, id sane fate-
„or, sed nego, ita apertas fuisse promissiones, ut id ipsi
„intelligerent, nedum ad se pertinere arbitrarentur illud,
„quod non ipsis, sed eorum posteritati, se daturum Deus
„promiserat. Nam, quod, sive in *Epist. ad Hebr. cap. XI.*
„sive alibi, de spe futurorum sibi ipsis bonorum, qua pa-
„tres illi præditi essent, scriptum est; in eo, neque ad ipsi-
„us Christi personam illos respexisse traditur, aut illius
„ullam rationem habuisse, nec alius, quam vel mysticus
„sensus, vel eventum potius, quam ipsorum animum si-
„gnificans est admittendus. Sed requirit hæc res longio-
„rem disputationem, quam ut hisce literis includi possit.„
Non piguit verbosam orationem *Socini* describere, ut de re gravi sane & longiore disputatione dignissima constare lectori meo posset. Bene est, quod nunc fatetur *Faustus*, Christum adumbratum fuisse sacrificiis, quæ, nisi altius aliquid & excellentius figurassent, parum egregii in se habuissent; nam Deo, qui carnem non edit, nec bibit sanguinem animalium, tetro nidore combustarum carnium grati aliquid fieri posse, aut, hunc oblectari multiplici cæde animalium, quæ humanis usibus magis inservire poterant, quis dixerit aliqua judicandi facultate præditus? Sed & idem de sacrificiis in se spectatis, ipsa Scriptura judicat. *Psalm. L. 8-13. Ierem.* VII. *22. 23.* At, præfigurata illis ritibus esse sanctissima omnia, nec ulla tamen parte iis, quibus speciatim, ut genti a ceteris omnibus separatæ, leges mandatæ erant, cognita, vel cognoscenda; abludit a verisimilitudine. De Dei voluntate, ut mysteria innotescerent Judæis, haud est, quod dubites. Itaque *David*, *Psalm. CXLVII. 19.* de Deo prædicat: *Indicat verbum suum Iacobo, statuta & judicia sua Israëli.* Qualis vero hæc institutio erat, nulli alteri genti facta, si, quid sibi vellent ritus omnes, non esset indicatum? In multis, vel, si mavis, plurimis Israëlitarum, vitium hæsisse, ut parum de internis essent soliciti, externis, qualicunque modo, se

defun-

defunctos, contenti, non infieiabor, & historia docet. At summa injuria idem crederetur de multis piis hominibus. Et, quid appetiissent multi reges & prophetæ videre, quæ viderunt Christi discipuli, si nihil de Christo & eorum temporum felicitate, ipsis fuisset cognitum? Ignoti certè nulla est cupido Vid. *Luc. X. 24.* Sanctas autem animas, quas scrutatas narrat *Petrus*, *1 ep. I. 10 11.* de salute, quæ nobis obtigit, vel frustra ipsas fuisse, vel ita parum officio functas, ita inhumanas invidasque, ut cortice pascerent auditores hiantes, vel deluderent potius, nucleo sibi retento, dicendum esset; quorum neutrum suspicari fas est. *Nobis*, inquit, *demum patefaciendum erat, ut cœlestis atque æternæ veritatis & lucis confirmationem ex antecedentibus figuris & umbris haberemus.* Bene; si confirmatio nobis reservata est lucis, oportuit lucem & ante aliis visam esse, nunc illis, qui confirmatione fruuntur, uberiorem. Atque ita plane accidit. Itaque *Ebr. XI. 13. 16.* in fide diem obiisse prædicantur Sanctissimi Patriarchæ, qui, licet non attigerunt vivendo promissionem, h. e. Christi adventum, eum tamen eminus viderunt, salutaruntque, ut solent, qui promontorium navigantes primum vident, quæ vocis ἀσπασάμενοι emphasis est, speque bona pleni, agnita hujus vitæ fluxa conditione, cœlestem patriam ingressi sunt. *Ebr.* IX. *caput*, ut cetera omnia, non intellexit *Socinus.* Incipiamus a *v. 8.* Quod solus Pontifex, nec nisi semel in anno, Sancta Sanctorum ingredi potuit, significavit, tum nondum *viam Sanctorum*, viam, inquam, Sanctis datam, h. e. salutis auctorem Christum, qui se, *Jo. XIV. 6.* *viam* ipse esse profitetur, apparuisse. Nam, qui *viam ad Sanctuarium*, h. e. cœlum, tum nondum manifestatam fuisse colligunt, nec satisfaciunt phrasi, non enim ὁδὸς εἰς τὰ ἅγια, sed ὁδὸς ἁγίων extat, quod saltem dubio obnoxium est: & potissimum in re difficultatem inveniunt; addendum enim vident aliquid hoc modo: Viam non esse *plene*, sive *tam clare*, ut nunc mani-

manifestatam, qualia additamenta duriuscula esse nemo negabit. v. 9. tabernaculi constitutio analoga fuisse narratur tempori, quod tum agebatur, quo sacrificia subinde offerebantur, quibus tamen vis confirmandi conscientias nulla inerat. Nempe, quemadmodum tum in Sancta Sanctorum soli pontifici licuit ingredi, manere in eo, nemini; id quod Christum nondum venisse, palam indicavit: ita pari ratione crebra repetitio eorundem sacrificiorum declaravit, verum & unicum sacrificium nondum esse peractum. Expendat autem lector, pari modo sequi: Ut conscientia bona usi sunt pii veteres, non Leviticis quidem sacrificiis horumque virtute purgata, sed virtute sacrificii Christi: quis enim dixerit, non habuisse remissionem peccatorum & pacatam mentem? ita & Sancta Sanctorum, sive horum antitypon cœlum, ingressos esse pie defunctos, ejusdem Christi beneficio, quamquam ipse, qui unica via est, nondum apparuerat. Ex his facile intelligetur v. 10. non esse colligendum, quod collegit *Socinus*. Sequitur, sub adventum Christi cessare debuisse typos omnes, ritualesque leges de cibi potusque certis generibus: verum, non intellexisse veteres, quid illi typi legesque sibi velint, minime sequitur. Porro, *Jeremiæ* ceterorumque posteriorum Prophetarum claritati, quæ summa est, nihil equidem detractum velim; sed, cur hunc & suppares intellectos olim putet *Socinus*, non intellectum *Esaiam*, Evangelistam potius, quam Prophetam, id nulla ratione video, nec probare aliquo argumento potuit ipse, nisi quod Judæos pervertisse *Esaiæ* vaticinia ait, non ita *Ieremiæ*, *Ezechielis*que & *Danielis*, quorum quidem perversio & in *Esaiæ* & *Psalmorum* locis inficeta est, ut adeo nihil idonei huic exceptioni insit. Sed non videtur ipse *Socinus*, quæ de perspicuitate horum Prophetarum scribit, expertus esse. Nam, *epist. 5. ad Radecium, p. 181. Ingenue*, inquit, *fateor, me, utpote qui hanc sacrarum literarum partem, quæ ad prædictiones pertinet, leviter hactenus inspexerim,*

xerim, nihil dum, quid id significet, constituisse. quo loco de *Danielis* Prophetæ verbis agebatur. De *Ebr* XI. miserabilis est *Socini* disputatio. Negat sanctos viros, quorum fidem Apostolus meritis laudibus extollit, ad Christum respexisse. Quasi vero, vel *Abrahamus*, qui de visa die Christi, teste hoc ipso Servatore, *Jo.* VIII. 56. gavisus est, ceterique omnes aliam salutis viam ingressi sint, vel Apostolus voce, *fides*, aliud, quam quod ubique docet, nempe fiduciam in Christum ponendam, intelligere potuerit. *Mysticum sensum*, quem crepant Sociniani, explosi alias, ut indignum Scriptoribus Sacris, qui, ut moris in omnibus linguis est, unius dicti unum volunt, non multiplicem, sensum esse.

---

203. *Quæ vero caussa est, ob quam ceremoniæ quædam veteris Fœderis aperte sunt abolitæ?*

Ea est, quod eæ ceremoniæ umbræ sunt rerum futurarum, quæ jam præsentes sunt, & in fœdere novo apparuerunt. Quare umbris jam nihil loci relictum est.

204. *Extatne ejus rei aliquod in Scripturis expressum testimonium?*

Extat apud Paullum, Coloss. II. 16. 17. Nemo igitur vos judicet in cibo & potu, aut parte diei festi, aut neomeniarum, aut Sabbathorum, quæ umbræ sunt futurorum, corpus vero Christi. Atque hinc fit, ut omnes aliæ ceremoniæ, licet aperte abolitæ non sint, tacite tamen eas abolitas esse sit statuendum, cum omnes umbras extitisse constet eorum,

quæ in Novo Teſtamento apparuerunt. Etſi quædam priſci fœderis ceremoniæ ejusmodi extiterint, quæ propterea abolitæ ſunt, quod tantum ad vetus fœdus, nullo modo vero ad novum pertinebant.

205. Cedo, quænam ejusmodi ceremoniæ fuere?

Exemplum ejus rei habes in agno paſchali & die feſto tabernaculorum. Hæc & alia nonnulla ſimilia, nonniſi ad Iſraëlem tantum pertinebant, qui ſub priſco fœdere Dei populus extitit; ad gentes ad Deum per Chriſtum converſas, quæ hodie ſunt maxima populi Dei pars, nullo modo.

206. Quod vero attinet ad judicialia præcepta, qua ratione tacitene an manifeſte ſunt abolita?

Non manifeſte, verum tacite potius, etſi cauſſas propter quas abolitus eſſe ſtatuendum eſt, manifeſtas eſſe appareat.

207. Quænam eæ ſunt cauſſæ?

Tres potiſſimum: Prima, quod ſub priſco fœdere ſeveritas & rigor locum habuit, in novo vero fœdere gratia & miſericordia, 1) Secunda, quod ſub novo fœdere facta ſit promiſſio perfecta vitæ æternæ, quam antiquum fœdus non habuit; nihil expreſſe aliud promittens, quam hujus vitæ bona temporaria, 2) ut infra patebit. Tertia, quod

ſub

sub vetere fœdere populus Dei & rempublicam terrenam, & illius formam ab ipso Deo præscriptam & constitutam habuerit, qua republica deficiente, & ipsæ leges ac Judicia ad eam constituendam introducta evanuere. 3)

Notæ:

1) Fallit Catechesis, cum hanc rationem primo loco ponit, cur abrogatæ sint Judæorum civiles leges. Deus quidem Judæos priscos durius habuit, & pressit, quam Christianos hodie, jugo tot observationum ritualium, & forma minaciori ipsius legis moralis. Civilia vero instituta, secundum quæ facinorosi supplicio afficiendi, & litigantibus partibus jus dicendum esset, duriora certe non fuere, quam apud plerasque Christianorum gentes. Ut, verbi gratia, furto levior pœna dicta est, quam in Christianis populis fit. Et fugere neminem potest, libertatem populi, præsertim ante imperium Regum, multo fuisse majorem, quam Christianæ gentes plurimæ habent. Hic frustra mihi aliquis objiceret, quæ dixissem de furto, gravius in Christianis puniri solito, de libertate minori Christianorum in rebus civilibus, de exactionibus gravioribus, &c. de *facto*, quod ajunt, fatenda esse, sed fieri perperam, & ex Novi Testamenti indole fieri non oportere. Nam, etsi sævitiæ quorundam principum ego nolim patronus esse, hoc tamen constat, si voluisset Deus evangelio per Apostolos prædicato, ut in Christianis mitiores leges civiles, quam Judæorum fuissent, valerent; vel ipsos magistratus gentium, qui tum erant, fuisse divinitus abrogandos, vel certe cogendos, ut ex alia ipsis præscribenda formula jus dicerent, in qua formula secundum Socinianorum placita, de bellis gerendis & de capitalibus suppliciis, nihil

nihil extaret. Sed neutrum horum vel Deus ipse *immediate* fecit, vel per Christianos fieri curavit. Tantum abest, ut Christus ipse, tum *Petrus Paullus*que & reliqui, Magistratibus extorqueri auctoritatem vellent, aut potentiam minui, aut alias, quam v. g. Romanus Imperator Græcæve civitates recepissent, leges obtrudi, ut ad obsequiose parendum, & ad timendum, ubi peccassent, supplicia gravissime hortarentur Christianos. Nec ideo non viguit Novum Testamentum, quod nusquam essent Magistratus, qui eo more, quem Sociniani probant, imperarent. Nam bella vel gesserunt, vel gerenda, si res ita fieret, putarunt omnes, sontes vero affecerunt extremo supplicio. Frivola adeo sunt omnia, quæ de mitioribus legibus forensibus in Christianis disputant; nullis enim amplius Magistratibus opus esse forte non audebunt ipsi dicere. Illis autem, qui fuerunt, *non-christianis magistratibus* leges novæ civiles nunquam divinitus datæ sunt; Christianis potius a Deo mandatum, uti legibus præsentibus. Utrum vero ipsis christianis liceat magistratu fungi, anceps est & nunquam expedita inter Socinianos quæstio. Sed fac consentire omnes, *licere*; Eruntne leges politicæ a Deo præscriptæ novæ? Res docet, nullas extare. Itaque istis magistratibus necesse esset, vel retinere leges ab aliis usurpatas, quas invenissent, vel comminisci novas ex ingenio suo reipublicæ accommodatas. Quodsi alterum obtineat, Christiano non licere magistratum gerere, inanis est tota hæc disputatio: quales leges N. T. temporibus conveniant? Nam utendum est præsentibus, quæ placuerunt Magistratibus extra ecclesiam. Quam lubrica sit maximorum in Socinianis doctorum opinio, *Ieremiæ Felbingeri* epistola docet, cui nunc *Ostorodi* aliqua subjiciam: Unterrichtung *p. 183.* So halten wir es denn dafür, dass ein Christ wohl könne eine Obrigkeit seyn, ja auch ein König. Denn weil GOtt solchs ausdrücklich nicht verbotten, sehen wir gar keine Ursache, warum es nicht sollte

geschehen können. Nur dass Er in solchem Amt nichts thue, wider die Gebott Christi. So aber jemand sagte, dass es sich ansehen lasse, als wann wir uns selbst in diesem Punct zuwider wären, sintemal wir zuvor bekannt, dass es sich einem Christen nicht gebühre zu kriegen, noch jemand das Leben zu nehmen, ohne welche Dinge auf keine Wege die Obrigkeit bestehen könne; sintemal die das Böse zu straffen, und ihre Unterthanen wider den Feind zu vertheidigen und zu beschützen schuldig ist, welchs ohne Krieg und Blutvergiessen nicht abgehen könne: geben wir hierauf zur Antwort, dass, wo gewiss wäre, dass der Obrigkeit Amt ohne Blutvergiessen und Krieg nicht könte verwaltet werden, gewisslich ein Christ keine Obrigkeit seyn könne. Digreditur ab hoc *Io. Crellius in Commentar. in epist. ad Gal.* quem ex ejusdem praelectionibus conscripsit *Ionas Schlichtingius*, edidítque *Racoviae an. 1628.* Hic *p. 238.* in margine ponitur: *Magistratui non licet haereticos occidere. p. 239.* vero pariter in margine; *Alia crimina cur punire possit.* Quae oppositio nulla foret, nisi intelligeret alios facinorosos capitis poena affici posse. Quamquam non diffitendum, in ipso textu orationis non dicere *Crellium*, probetne an improbet supplicia sontium civili aliquo crimine? „ Alia, inquit, „est ratio ceterorum criminum, quae ipsa communis ratio „damnat, & quae ipse nocens damnare cogitur. Vel sal„tem, si sint contra positivam aliquam legem, quae nihil „inhonesti jubeat, commissa, excusare non potest, si sciens „prudens ea perpetravit; cum salva conscientia potuerit, „immo debuerit eam legem servare. De hujusmodi cri„minibus magistratus recte judicare & potest & solet, ut„ut tandem ipsa non sit a crimine immunis. „ Neque est in ejusdem *Crellii* de *bello* ulla regula, ut facile videas, nullum illi locum concedi in *Ethica Christiana*, quamquam in *Ethica Aristotelica* de ea dixerat, ita *suppliciorum capitalium* in *Ethica Christiana* nulla mentio. Ceterum

rum hæc ad proxime sequentem quæstionem repeti velim.

2) Neque hæc est vera ratio sublatarum forensium legum, quæ Judæis datæ fuerant. Nam, initio nullus est nexus promissionum vitæ æternæ, sive tu datas esse priscis temporibus, sive non datas tuearis; cum civili administratione reipublicæ. Deinde, falsissimum, nullas olim fuisse vitæ æternæ promissiones. Qua de re cum infra sit dispu- tatura Catechesis, eodem nos lectorem nostrum rejiciemus. Hic uno verbo moneo: recte posse dici, Vetus Testamentum non habere promissiones vitæ æternæ, prout nempe Vetus Testamentum, ut paullo ante ostendi, merito faciendum esse, non ipsum gratiæ fœdus antiquissimum illud & semper idem, sed *solennem actionem Dei cum populo Israëlitico, in monte Sinai*, significat, qui adjectus fœderi gratiæ tum factus, deinde remotus est. Sed quoniam Sociniani non hoc volunt, sed gratiæ fœdus antiquitus extitisse imperitissime negant, factumque demum tuentur, cum Christus venit, contradicendum fuit perversissimæ opinioni.

3) Hæc tandem vera & unica ratio est, cur non valere hodie Judaicæ reipublicæ leges intelligamus, nempe quod collapsa est eorum civitas. Eadem ratione ut *Atticæ* antiquæ leges hodie auctoritatem nullam obtinent.

---

208. Ergo magistratus & reipublicæ terrenæ regimen & ordinatio evanuit?

Nequaquam, cum omnis potestas a Deo sit. Rom. XIII. 1. Et potest ipse Christianus magistratum gerere, modo in ipso capessendo & administrando ita se gerat, ne quid contra leges & Christi mandata delinquat. 1)

Notæ:

1.) Communicabo hic cum lectore meo, in recentiori Catecheseos editione subjectam *notam B. W.* integram. „Arduam hanc de Magistratu quæstionem, non est hic loci „multis discutere. Recte in præcedentibus monstratum „est, nos neque ritibus, neque judicialibus legibus vete„ris fœderis, amplius obligari: cessavit enim tam politi„cus ille, quam sacerdotalis (utpote umbræ futurorum) „Israëliticæ ecclesiæ ordo; & per Christum, nostrum „summum legislatorem, sacerdotem atque regem, novi „ritus, novæque (secundum quas Christiani judicari de„bent,) statutæ sunt leges, pœnæque ejusdem generis, „contra eos, qui his legibus essent immorigeri. Regimen „etiam Rex iste, in Republica Novi Fœderis, novum insti„tuit: idque prout & memorata, secundum proprieta„tem hujus regni atque fœderis spirituale. *Ephes. IV. 11.* „*1. Cor. XII. 28.* Præter hoc autem regimen, alium ma„gistratum, aut alios præter se Reges Principesve, qui „vim coactivam, jusque vitæ ac necis, in subditos ejus, „fratres autem suos exercerent; nuspiam eum „ordinasse legimus. Imo discipulis suis, ne tali mo„do, in ecclesia regnoque suo (quod non ex hoc mun„do erat, *Jo. XVIII. 36.*) alii aliis dominarentur, vetu„isse, exemploque suo id sanxisse, patet ex *Matth. XX.* „*25. & sequ. Marc. X. 42. sequ. Luc. XXII. 25. sequ.* „Hinc igitur colligi potest; Christianis, qui hic non ha„bent manentem civitatem, *Ebr. XIII. 14.* sed quorum „πολίτευμα est in cœlis, optime convenire, ut in eo sta„tu, in quo Dominus eorum, primam fundavit ecclesiam, „& in quo per tria circiter floruit secula, sub cruce nimi„rum persecutioneque permaneant: Magistratum vero „civilem, hujus mundi hominibus relinquant, neque sibi „in alios potestatem exercendi, multo minus sanguinem „humanum fundendi, absque expresso supremi Domini „mandato, vel saltem permissu, jus usurpent. Hi enim, „qui

„qui hic citantur, quibus Paullus obedire, & pro quibus „orare mandat, ethnici Magistratus tunc fuere. Si vero „cuipiam difficultates circa hæc, vel his similia S. Scri„pturæ loca hæreant, eas inter alias enodatas dabit „*I. L. Wolzogenius*, *Baro Austriacus*, in libro, *de natura* „*& qualitate regni Christi*; item in scriptis suis contra „*Schlichtingium*. Is enim cum nonnullis coætaneis suis, „harum ecclesiarum membris, contrariæ fuit opinionis. „Immo sciendum est, primos in *Polonia*, hujus quæ in Ca„techesi hac proponitur, confessionis homines, primo „*Pinczovios*, post *Racovienses* nominatos, quorum an„tesignani *Gregorius Paulli*, *Bresinensis*, *Petrus Gonesius*, „*Georgius Schomannus*, *Martinus Czechovicius* &c. fue„re; docuisse, non licere homini Christiano Magistratum „gerere. Eademque mens fuisse videtur primorum, per „tria fere secula, ecclesiæ Doctorum: prout scripta eo„rum inspicienti patebit.„ Leges *judiciales* Judæorum cur umbras futurorum dixerit homo Socinianus, videtur ipse ignorasse, certe ratio nulla dari potest. Sed neque idonea ratione militat contra gregales suos, qui in Catechesi licere magistratum gerere Christiano, tuiti fuerant. Absonum est huc laudare *Ebr. XIII. 14.* si vel esset is sensus, quem ipse vult, cum potius *Hierosolyma* paullo post diruenda significat Apostolus. Non multo felicius se recipit ad *Jo. XVIII. 36.* Christi regnum, ad quod propagandum discipulos elegit, sane non erat terrenum regnum. Quis vero inde colliget, non posse simul aliquem terreno magistratu fungi, & ecclesiæ partem esse. Quos enim Propheta promisit fore nutritores ecclesiæ, tu putabis principes desinere esse? Immo cum Reges Principesque sunt manentque, externum statum ecclesiæ mirifice ornare & juvare possunt, quamquam interna ecclesiæ nulla humana virtute nituntur. Jejunum est patres trium seculorum primorum in partes vocare, quibus temporibus Christianos non præfuisse imperio civili constat. Itaque

cum protestati sunt Christiani, se minime affectare administrationem reipublicæ, recte hoc fecerunt & merito; nemo enim ideo Christianus est, ut potiatur reipublicæ. Neque est hominis christiani, non istis solum sed omnibus seculis, appetere magistratum aliis debitum. Nunquam vero demonstrabit homo Socinianus, vetustos Christianos hoc voluisse, ut Principi non liceret auctoritate sua uti & simul Christianum esse, quamquam de *doctoribus ecclesiæ publicis* notissimum illud *Matth. XX. 25.* non sine ratione laudarunt. Hos enim Magistratu fungi non vult Christus.

209. Expone tandem, quænam sint præcepta decalogi, & quæ cuique eorum Dominus JEsus addiderit?

Primum ordine præceptum est: Non habebis Deos alienos coram me.

210. Quid vero hoc mandatum in se contihet?

Hæc duo. Primum, quod Deus pro nostro Deo habendus sit, & is, divino cultu & honore a nobis sit afficiendus: Deinde, quod nullus alius præter eum, sit pro nostro Deo habendus, nec divino cultu & honore afficiendus. 1)

Notæ:

1) Bene hæc sunt dicta, sed quomodo cohærere possint cum doctrina, in qua *Socinus* quidem pro more, angue magis lubricum se præbuit, a *Niemojevio* & *Felbingero*

bingero graviter notatus, vulgo tamen a Socinianis asser- tur; nemo poterit esse tam perspicax, qui videat: Volunt enim, ut supra vidimus, Christum divino honore adorandum & invocandum, & verum esse Deum tamen negant. At, cum clarissimus sit hic locus Catecheseos, de sensu primi præcepti; *præter verum Deum nihil divino cultu & honore afficiendum esse*, ferrea consecutione sequitur, aut esse Christum verum Deum agnoscendum, aut idololatriam committi a Socinianis, aut non esse eum divinum honorem, quo Christum afficiunt. Alterum, quod dixi, h. e. idololatriam committi, stante hypothesi, Christum non nisi rem creatam esse, committit v. c. *Jo. Niemojevius in epistolis Socini*, p. 198. qui sic scribit: „Ego vero non „tantum posse sed & debere nos Jesum Christum invocare, „ab illoque bona nobis necessaria petere, affirmo; quod „hisce rationibus breviter confirmare volo: Debemus in „Jesum Christum credere, fiduciamque erga illum sincе- „ram concipere; ergo & invocare nomen ejus sanctum „debemus, non tantum possumus. Item debemus Jesum „Christum, Dominum, Regem, Gubernatorem, Ducem „Protectoremque nostrum agnoscere, cui tuto inniti ad „ejusque nos nutum componere debemus. Ergo eundem „invocare ab eoque precibus ambire, quo nobis auxilio „suo præsto sit, opemque non deneget, debemus. &c.„ *Jerem. Felbingerus* autem clarius in Epistola laudata sic ait: p. 17. „Tertium, de quo in præsenti scribere institu- „eram, est Christi regnum, quod a Patre cœlesti ad dex- „tram majestatis divinæ sedere jussus, accepit, extendens „se super omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, excepto solo „Deo, qui ipsi hæc omnia subjecit. Et hoc regnum non „administrat tanquam Prorex & Vicarius, sed tanquam „Rex, ut sic dicam, absolutissimus & liberrime guber- „nans. Nam Pater cœlestis neminem judicat, sed omne „judicium dedit Filio. *Io. V. 22*, eumque superexaltavit, „& donavit ei nomen super omne nomen, *Philipp. II. 9*. „ita, ut Scriptura non dubitet nobis ostendere, eum re-

„ſpectu adminiſtrationis regni Patri ſubjectum non eſſe, „(idem quoque denotat ſeſſio ad dextram Dei,) ſubjicie-„tur autem, quando tradet regnum Deo & Patri ſuo, „*1. Cor. XV. 24. 28.*„ Hæc *Felbingerus*, cui ſatisfaciam alibi, nam hanc epiſtolam, ubi vixero, cum perpetuis notis recenſere animus eſt. Certum autem & liquidum eſt, non poſſe hunc vere divinum honorem, Chriſto, ſi non ſit Deus, haberi, ſalva illa explicatione primi præcepti, quam recte dedit Catechesis. Ipſe *Fauſtus Socinus* autem eo crimine, quod tertio loco poſui, condemnandus eſt. Etſi enim non raro, v. g. *Epiſtolar. p. 195. ad Synodum Chmielnicenſem* videatur divinum honorem Chriſto aſſerere, ubi verba hæc ſunt: „In poſterum ab iſtis omni-„bus, qui Chriſto Jeſu adorationem & invocationem, cul-„tum denique divinum non concedunt, diligentiſſime „nobis caveamus, neve cum iis, qui tantæ blaſphemiæ „vel ſuſpecti quidem ſint, quicquam commercii habea-„mus:„ Apertum tamen faciam, ipſum *Socinum*, hujus, quam hic recte vocavit, *blasphemiæ*, non ſuſpectum tantum ſed convictum eſſe. Itaque deſcribam ejus viri amplum quidem, ſed, quoniam commemorabilis viſus eſt, non truncandum locum. Extat ille bis, nempe in *Epiſtolis Socini, p. 143.* & in *Miſcellaneis Socini, Racov. an. 1611.* editis, p. 267. „Video, nihil hodie edi poſſe „in tota Chriſtiana religione majoris momenti, quam hoc „ſit: Demonſtratio videlicet, quod Chriſto, licet rei „creatæ, tamen invocatio, & adoratio, ſeu cultus divinus, „conveniat. Nam hoc, præſertim quod ad invocationem „attinet, de qua nominatim inter me & *Franciſcum Davidis* „diſputatur, me in ea reſponſione ſatis demonſtraſſe con-„fido, cui addi poterunt diſputationes meæ cum *Chriſtiano* „*Franken*, cum quo præcipue de adoratione mihi diſce-„ptatio fuit, & ſic res tota clarius apparebit. Si enim hoc „demonſtratum fuerit, concident omnes *Trinitariorum*

„muni-

„munitiones, quæ revera uno hoc fundamento adhuc ni-
„tuntur, quod Christo adoratio & invocatio conveniat,
„quæ solius Dei illius altissimi omni ratione videtur esse
„propria; & ex altera parte, vera Christi potestas atque
„majestas ostendetur & in omnium animis confirmabitur:
„sine cujus cognitione nec Deus ipse, nec quidquam re-
„rum divinarum recte cognoscitur, salutis nostræ ratio
„revera ignoratur. Quicquid præsertim de expiatione
„nostrorum peccatorum per Christum in sacris literis le-
„gitur, pessime intelligitur: Ipsius Christi universa religio
„in dubium revocatur, aut saltem mutationi & fini in hoc
„ipso seculo obnoxia redditur; summum ac præstantissi-
„mum nostræ spei ac fidei in Deum fundamentum nobis
„eripitur; ac denique, ne omnia hinc provenientia mala
„& incommoda, quæ innumerabilia sunt, enumerare hic
„nunc velle videar, in ipsum Christum & Deum Patrem
„gravissime peccatur. Nam, quod tu pro maxima, ut
„inquis, habes: nullum de Christo adorando præceptum
„in sacris literis extare, unde concludere vis, non modo
„non debere, sed ne posse quidem jure Christum adorari,
„duplicem habet responsionem. Nam & assumtio & con-
„sequentia falsa est. Probo utrumque simul ex duobus
„sacris testimoniis; ex quorum utroque apparet, & De-
„um omnino velle, ut Christus a nobis adoretur, &
„non fuisse tamen necesse, ut hæc ejus voluntas expressa
„diserte fuerit. Rem enim per se ipsam monere, Chri-
„stum omnino a nobis adorandum esse. Prius testimoni-
„um sunt verba illa ipsius Christi: *Io. V. 22. Neque
„enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit
„Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Pa-
„trem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Pa-
„trem, qui misit illum.* Hic primum audis, Deum velle,
„ut Christus honoretur, sicut ipse honoratur. Ex quo
„aperte intelligitur, Christum eo genere honoris a nobis
„afficiendum esse, quo ipse Deus afficitur, & consequen-
„ter a nobis adorandum esse. Nam honoris genus, quo

„Deum afficimus, adoratio sine dubio est. NB. tametsi „enim particula *sicut* plenam similitudinem necessario non „significat, neque ego hoc loco significare volo, (nulla „enim alioquin esset differentia inter honorem Deo debi„tum & Christo, quam ego non minimam constituo,) ta„men, ut aliquam peculiarem similitudinem significet, „necesse est. Nam si nulla alia esset similitudo, nisi pror„sus generalis, id est, in eo simpliciter, quod uterque „honoratur, inutilia & vana omnino fuissent verba illa: „*Sicut honorificant Patrem.*„ Nimirum pulchra oratio de Christo invocando & adorando, quæ venusta facie blandiri poterat imperitis, in turpem piscem desinit. *Inter honorem Deo debitum & in Christo non minimam constituit Socinus differentiam.* Quid vero ludit homines homo vaferrimus voce *divinus*? Ille honor divinus appellandus est, qui debetur Deo. Quem accipit Christus honorem a *Socino*, quia non minima differentia inter hunc & Deo debitum honorem intercedit, appelletur, quocunque libitum fuerit, vocabulo, modo ne appelletur *divinus*, qui nihil minus quam divinus est. Quod *Trinitarios* (ut nos voce ambigua, posset enim *Tritheitas* significare; appellat,) hoc uno adhuc fundamento niti perhibet: Christum esse adorandum, atque adeo Deum, cum adoratio soli Deo debeatur; impudenter quidem loquitur, est enim hæc veritas quamplurimis argumentis e Scriptura petitis testata; sed bene tamen est, quod huic utique egregio argumenro inniti nos adhuc fatetur, nam cetera argumenta elevata esse, falso quidem, gloriatur: At eam demonstrationem: *videlicet, quod Christo, licet rei creatæ, tamen invocatio & adoratio seu cultus divinus conveniat*, esse demum vult. Ipsius quidem responsio ad hoc invictum argumentum infelicissima est, negat enim, quod multis verbis se tuiturum dixerat, Christum divino honore afficiendum, quandoquidem Deo majorem, Christo non parum minorem honorem adjudicat. Divinus vero honor

dici

dici non meretur, qui non est supremus; quemadmodum nec divina natura est, qua existit altera superior. Verum, cum videri tamen velint Sociniani, Christum a se affici honore divino, solicite investigavi, quid dicere possint, ne sint præcepti primi turpiter violati accusandi, quo *præter Deum neminem divino cultu afficiendum*, claris verbis intelligi volunt. Hoc inveni, quod quam sit miserum, lector per se intelliget. *Socinus, epist. 3. ad Radecium, p. 149.* ,,At respondebis: idcirco locum istum ,,ad rem facere, quia inde apparet, etiam post Christum ,,exhibitum vigere præceptum in lege Mosis datum de ,,solo Deo adorando, per quod Christus, cum is non sit ,,ipse Deus, non secus atque aliæ omnes res creatæ, ab ,,adoratione excluditur. Ad hoc primo loco respondeo, ,,post Christum exhibitum, dum ille adhuc mortalis in ,,terris degeret, non solum præceptum istud de solo Deo ,,adorando, viguisse, sed alia omnia, quæ in lege Mosis ,,scripta erant, quantumvis ceremonialia, &, ut sic dicam, ,,umbratilia; quæ tamen postea, Christo glorificato, ,,sublata sunt. Ex quo fit, ut hinc nihil concludere liceat. ,,Præsertim, cum post Christum glorificatum apparuerit, ,,tantam esse ex ipsius Dei voluntate in nos Christi potesta-,,tem & gubernationem, ut merito a nobis omnibus ado-,,rari debeat, adeo, ut necesse sit, si modo præceptum ,,istud eam vim habet, ut nullo modo quidquam præ-,,ter Deum ipsum adorari possit, id post Christi glorifica-,,tionem non amplius vigere. Secundo respondeo; Istud ,,præceptum minime istam vim habere, aut habuisse un-,,quam, nisi ex accidente, quatenus scil. nemo esset præter ,,Deum ipsum, qui adoratione dignus esset ex ipsius Dei ,,voluntate, cujusque adoratio tota ad Deum referretur. ,,Nam, quandocunque talis extitisset, nequaquam per ,,præceptum istud ejus adoratio prohibita fuisset. No-,,men enim *solus* & particulæ idem significantes, cum de ,,Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt sub-,,ordinati. Solus Deus, exempli caussa, est Servator; & tamen

„tamen multi homines quoque Servatores merito sunt ap-
„pellati, & ipse Christus passim Servator dicitur. Nem-
„pe, quia isti omnes, quamvis revera servaverint, aut ser-
„vent, non tamen ex seipsis, aut aliunde, quam ab ipso
„Deo, id potestatis adepti sunt. Quis negaverit (ut de
„præcepto aliquo simili agamus) soli Deo confidendum
„esse? Et tamen, ut alios omittam, Christo confidendum
„esse, passim est scriptum. Caussa hujus rei est, quod, ut
„ipse Christus dixit, qui ipsi confidit, sive in ipsum cre-
„dit, non in ipsum credit, sed in eum, qui misit illum;
„cui videlicet soli confidendum est. Sic dicere possumus,
„& quidem summo jure, quod, qui Christum adorat,
„non ipsum Christum adorat, sed Deum, qui illi ea dedit,
„unde ad gloriam ipsius Dei adorari & possit & debeat.
„Nam, ut *Petrus* diserte ait, quod omnis lingua confitea-
„tur JEsum Christum esse Dominum, hoc ad ipsius Dei
„Patris gloriam pertinet. Tantum abest, ut dubitare
„possimus, ne honor, qui Christo tribuitur Dei honori
„quidquam deroget. Itaque, ut multa alia ejusmodi
„exempla in ipsius Christi persona reticeam, si quis velit
„ex præcepto de solo Deo adorando concludere, Chri-
„stum non esse adorandum, oportet, ut vel ipse probet
„Christum ea non habere, quibus adoratio conveniat,
„aut certe ejus adorationem ad ipsum Deum non referri,
„vel ea diluat, ex quibus contrarium ab aliis probatur.
„Alioquin nihil aget." Infelix pugna contra manifestam
veritatem! Quæ primo loco respondet *Socinus*, post
Christi glorificationem non amplius valere primum præ-
ceptum, arguunt animum in summas angustias redactum.
Itaque supersedeo demonstrare, summum esse & hodie
hujus ac præceptorum reliquorum valorem; hoc mo-
nuisse contentus, Catechesin ex ipsius licet *Socini* scriptis
potissimum collectum, palam de ponte dejici, quæ hoc
præceptum, & merito quidem, non in sublatis per Chri-
stum, sed repetitis, & quam maxime hodie vigentibus,
censet. Aeque frigida est dubitatio de sensu hujus præ-
cepti,

cepti, quam his verbis prodidit: *Si modo praeceptum istud eam vim habet, ut nullo modo quisquam praeter Deum ipsum adorari possit.* habere enim praeceptum eam vim, dubitare per Catechesin non licet. Altera responsio plane inficeta est. Hunc affingit praecepto sensum lepidum atque absurdum: *Neminem adora praeter Deum, tum scilicet aliquid adoratione dignum praeter Deum venerit, tum & illud adorabis.* Hoc vult praeceptum, nihil unquam esse futurumque esse adoratione dignum, praeter unum verum Deum. Hinc illa aliquoties repetita in *Esaia* Propheta: *Ante me nemo fuit, post me nemo erit: Ego primus; ego novissimus, praeter me non est Deus.* Si in eum modum cavillari licet, poterit aliquis sexti praecepti hanc dicere mentem esse; abstine ab uxore alterius, dum nullam habueris, quae velit tibi copiam sui facere; at, si obtigerit tibi aliqua, consentiente fortasse & volente ejus marito, poteris & illa uti. Hoc modo grassari in sanctissima praecepta Domini, res est indignissima & plane detestabilis. Itaque, ut sexti praecepti constans est significatio, esse aliena conjuge abstinendum, non ex accidenti, sed semper & ubique: Ita primi praecepti haec est vis: negandum esse omnibus, qui non sunt verus Deus, divinum honorem, minime ex accidenti, sed semper & perpetuo. Quae de voce *solus*, & similibus, credi vult, sunt omnia falsissima. Subordinata fane omnia excluduntur, cum Deo soli aliquid tribuendum est. In nobis carpunt Sociniani, immerito quidem, cum negamus sequi, ubi Pater dicatur Solus verus Deus, Christum Sanctumque Spiritum excludi, hae enim personae non sunt à Patris essentia divulsae, sed eadem cum ipso Patre essentia, sunt, teste Christo ipso, *unum*: Quanta vero indignitas a *Socino* nec *subordinata* exclusa dici, cum aliquid de *Solo Deo* praedicatur? Certissime neganda est dignitas regia administris, cum soli regi deberi dicitur, qantumvis illi sint subordinati. Conatus est *Socinus* circumspicere

aream,

exempla commento suo similia, sed nec vidit, nec videre potuit vel unicum. Nam, quod de vocabulo *Servator*, verba facit, nihil est. Explica *Fauste!* qualem *Servatorem* velis. Sunt aliqua, e quibus humanis viribus servari possumus. Tum vero non solus est Deus Servator, quamquam hic est maximus, & certissimus. Deinde pleraque sunt periculorum & malorum genera, unde nulla humana angelicaque virtus eripere quemquam potest, ut mors & conscientiæ cruciatus. Hic vero Deus ita est Servator noster, ut, qui alium quemcunque præterea dicat Servatorem, blasphemiæ reus sit. Paucis, eo sensu, quo Deus Servator solus dicitur, nemo alius Servator dici potest. Et pari modo, si idem sensus est vocis: *honor divinus;* ut sane esse debet, nempe, ut significet *supremum honorem, quo major dici non potest*, eoque honore afficiendus est *Solus Deus*, manifestum est excludi omnes, qui non sunt Deus, excludendum etiam Christum fuisse, nisi esset Deus. Laudat porro quasi simile exemplum, cum reapse idem sit, legi in Scriptura, Soli Deo confidendum esse, sed pariter legi, esse & Christo confidendum. Verum ex his similibusque locis decuisset *Socinum* discere, Christum esse verum Deum. *Syllogismus cornutus*, quem ultimo loco ponit, veritatem ferire nequit, nedum evertere. Probare nos jubet, non esse in Christo ea, quibus adoratio debeatur. Nos respondemus, secundum ipsius hypothesin, deesse Christo *divinitatem*, cui soli adoratio debetur. Nam adorare jubemur Deum Dominum nostrum, eique soli servire. Reliqua non est opus exagitari. Sed aliquid *Theophili Antioch. L. I. ad Autolyc.* huc referam: *Τοιγαροῦν μᾶλλον τιμήσω τὸν βασιλέα, οὐ προσκυνῶν αὐτῷ, ἀλλὰ εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ. Θεῷ δὲ τῷ ὄντως Θεῷ καὶ ἀληθεῖ προσκυνῶ, εἰδὼς ὅτι ὁ βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ γέγονεν. Ἐρεῖς οὖν μοι διὰ τί οὐ προσκυνεῖς τὸν βασιλέα; ὅτι οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι γέγονεν, ἀλλὰ*

εἰς

εἰς τὸ τιμᾶσθαι τῇ νομίμῳ τιμῇ. Θεὸς γὰρ ἐκ ἔστιν, ἀλλὰ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεῦ τεταγμένος ἐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι, ἀλλὰ εἰς τὸ δικαίως κρίνειν. Quare magis honorabo Cæſarem, non tamen eum adorabo, verum pro eo orabo. DEum, qui vere & verus Deus eſt, adorabo, ſciens, Cæſarem ab ipſo eſſe ordinatum. Dices ergo, quare Cæſarem adorare recuſas? Quia non ad id inſtitutus eſt, ut adoretur, ſed ut legitimo honere colatur. Cæſar enim non eſt Deus, ſed homo a DEo ordinatus, non ut adoretur, ſed, ut juſte judicet.

---

211. Cum ſuperius intellexerim, qui Deus pro Deo habendus ſit; nunc ſcire velim, qua ratione divino cultu & bonore afficiendus ſit?

Ad eum modum, ut is cultus & honor omnem cultum & honorem humanum, qui ordinariè exhiberi cuicunque conſuevit, multis partibus excedat: & nos ita in eo nos geramus, ac ſi DEum oculis noſtris, qui tamen inaſpectabilis eſt, coram cernere-mus. 1)

Notæ:

1) Subdole hæc videntur dicta. Cultus divinus hoc modo intelligi poſſet etiam rei creatæ deferendus, modo ſimul cogitemus Deum præſentem eſſe & velle rem, cui ipſe honorem tribuiſſet, & a nobis ſed cultu ab eo, quo ipſe colitur, diverſo, affici. Brevius & accuratius cultus divinus dicitur, quo non poteſt dari major.

212. Qua

212. Quæ vero in re cultus & honor Dei consistit?

Breviter loquendo, in adoratione.

213. Quo pacto adoratio Deo exhibenda est?

Adoratio, quam DEo debemus, duplex est, interior & exterior.

214. Qualis vero est interior?

Ejusmodi, quæ in se comprehendat summam animi nostri in DEum reverentiam; adeo, ut ex ipso cordis & animi sensu, DEum, non solum in corpus nostrum, verum etiam in animas nostras, absolutissimam potestatem habere, iisque leges ponendi, ac eas judicandi auctoritatem illi esse, summam, agnoscamus & profiteamur.

215. Quæ vero est exterior adoratio?

Quæ corporis nostri summissionem longe omnium infimam comprehendit, eamque, quæ interioris adorationis testis sit & index, & quæ omnem honorem externum, qui rebus conditis 1) exhibetur, infinitis partibus longe superet.

Notæ:

1) Cogitet hic lector, an possint Sociniani Christo Domino nostro, quem, quantus quantus est, rem conditam esse, sibi persuadent, divinum honorem tribuere.

216. Non-

216. Nonne ad eandem adorationem, ut coram Deo in genua & facies nostras procidamus, pertinet?

Prorsus: ac præterea eadem exterior adoratio in se celebrationem nominis divini, ac pro beneficiis acceptis gratiarum actionem publicam, & in necessitatibus implorationem divini auxilii, continet. 1)

Notæ:

1) Exteriorem adorationem hic commendant & ipsam genuflexionem, nec immerito. Sed nescio, cur alibi signum reverentiæ, apertionem capitis, vel inflexionem corporis, cum Dei Christique nomen pronunciatur, vehementer rejiciant. Ita *Ostorodus*, Unterrichtung, p. 344. Dass aber etzliche dieselbe Symbola kniend nehmen, und ihnen dazu ins Maul reichen lassen, halten wir für einen Aberglauben, welcher nicht weit sey von der Päbstischen Abgötterey, und derhalben halten wir es dafür, dass es von allen wahrhafften Christen soll vermieden werden.

217. Quid vero ad hæc addidit Dominus IEsus?

Primum hoc, quod nobis certam orandi rationem præscripserit. 1)

Notæ:

1) Si hoc est legem perfectiorem reddere, & *Paulus*, in quo aliquot breves quidem precum formulæ habentur, & Theologorum nostrorum pars maxima pariter legem fecerunt perfectiorem, & addiderunt aliqua. Sed non intelligitur qualiscunque uberior explicatio & expli-

catio rerum jam extantium, jam notarum. Itaque cum sit ingens Christi beneficium, quod discipulos adeoque & nos orationem dominicam docuit, tamen in mentem venire homini non potuisse diceres, ideo Christum pro novo legislatore habendum; adeo absona est collectio. Describam huc in lectoris gratiam verba quædam *Cypriani martyris, de Orat. Domin. p. 264.* „Inter cetera salutaria sua monita & præcepta divina, quibus populo suo „consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, „ipse, quid precaremur, monuit, & instruxit. Qui fecit „vivere, docuit & orare, benignitate ea scilicet, qua & „cetera dare & conferre dignatus est, ut, dum prece & „oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, „facilius audiamur. &c.„ Sunt & cetera lectu dignissima, quæ ibi sequuntur, sed huc non transferenda. Per vocem: *evangelica præcepta* autem, qua eum librum incipit, omnia a Christo nobis exposita complectitur.

---

218. Quæ vero isthæc est?

Ea, quæ Matth. VI. 9. & sequ. & Luc. XI. 2. & sequ. habetur: Pater noster, qui es in cœlis, &c.

219. Quid vero hæc oratio continet?

Duplicis generis petitiones; quarum priores gloriam Dei respiciunt, posteriores ad nostros usus referuntur.

220. Quæ vero sunt, quæ Dei gloriam respiciunt?

Tres priores ordine positæ.

221. Quæ est prima?

Sanctificetur nomen tuum!

222. Explica mihi eam petitionem?

In hac petitione a DEo, ut nos omni ratione juvet, quo nomen illius verbis, hymnis, ſcriptis aliisque, quibuscunque id fieri poſſit, modis, a nobis celebretur, contendimus.

223. Quæ eſt ſecunda?

Adveniat regnum tuum.

224. Explica illius vim?

In hac petitione rogamus DEum, ut is, eo modo, quo conſuevit, novit & poteſt, ſive uno, ſive pluribus, nos, ut animum illi noſtrum conſecremus, inducat; quod potisſimum fit veritatis ipſius, & ſingulariſſimarum promiſſionum ejus in animis noſtris patefactione & obſignatione. Tum enim vere Deus regnat, cum in animis & cordibus noſtris regnum exercet.

225. Quæ eſt tertia petitio?

Fiat voluntas tua, ut in coelis, ſic & in terra.

226. Explica vim petitionis iſtius?

In hac oratione precamur DEum, ut nobis in obedientia præſtanda, quæ ei debetur, & quæ vita & factis exprimenda eſt, opem afferat; multum enim opis homo indiget, ut ea, quæ DEus ei potiſſimum ſub Evan-

gelio mandavit, præstare possit. Sunt enim ea ejusmodi, quæ vires ipsius multis partibus superent. 1) Est autem in ea petitione & tacita confessio infirmitatis nostræ, & fiduciæ, quam ergà DEum habemus ac spei, quam de divina benignitate concipimus: cum audemus id ab eo contendere, ut nos, non minus quam angelos, qui in cœlis sunt, & faciem ejus intuentur, ad obedientiam aptos reddat. 2)

Notæ:

1) Recte hic Catechesis, ut ferè Pontificii & reliqui, sordibus Pelagianis maculati, cum ad preces explicandas hominumque miseriam contemplandam accedunt, mitius loqui discunt. v. g. *Bellarminus de grat. & lib. Arbitrio, libr. VI. cap. 9 p. 672. Tom. IV. opp.* „*Calvinus* & „*Kemnitius* duo docent, primo voluntatem nostram nihil „omnino boni spiritualis & salutaris efficere posse, sine „auxilio gratiæ DEi, atque hac in re recte sentiunt; sed „non recte contrariam sententiam Catholicis attribuunt. „&c. Secundo docent, voluntatem nostram in bonis pie-„tatis operibus sic agi a DEo, ut non possit non agere &c. Quo posteriore quidem *Kemnitio* nostro, qui talia nunquam docuit, injuriam facit. Quid vero alibi idem *Bellarminus*, & magis etiam, qui hodie *Quesnellum* oppugnant, doceant, non fugit eruditos. Idem accidit Socinianis hoc loco, qui agnoscunt, opem nobis afferri necesse esse, ut possimus præstare DEo obedientiam, quamquam, si de hominibus nondum renatis sermo sit, neque sic satis bene locuti sunt. At longe pejus in *libello suasorio*, in quo tamen operam dederant, ne nimis offenderent

Evan-

Evangelicos, quos ad communionem cœtus sui invitatos voluere, p. 15. sic loquuntur: „Nihil dubitarunt, (Evan-„gelici,) quin firmiter tenendum esset hominis arbitrium „in iis, quæ ad salutem æternam pertinent, nullam prorsus „libertatem habere. Quod tamen dogma ejusmodi est, „ut ipsum per se omnem religionem ac pietatem pessun-„dare possit: Nam quomodo fieri potest, ut religiosus & „pius is esse curet, qui persuasum habeat, sibi ne hoc qui-„dem liberum esse, ut religiosus & pius esse velit: Quis „porro, ut ad rem propius accedamus, operam daturus „est, ut in nullo eorum vitiorum seu peccatorum hæreat, „quæ Christi disciplina damnat, si credat, se in hoc rerum „genere ne liberam quidem voluntatem habere? Annon „quotidie audimus, eos, qui ita credunt, cum propter „peccata, quibus sunt obnoxii, reprehenduntur aut mo-„nentur, respondere, humanas vires in peccatis vitandis „nullas esse, & propter primi hominis peccatum atque in-„obedientiam, universum humanum genus ipsius volun-„tatis libertate, in bene agendo, Deoque obediendo, pri-„vatum esse? &c. „ quibus quidem perperam dictis, respondebimus suo loco.

2) Falsa est hæc fiducia, quam hic Sociniani, e verbis petitionis tertia colligi posse, ajunt, nempe, ut Deus nos non minus, quam Angelos, qui in cœlis sunt, & faciem ejus intuentur, ad obedientiam aptos reddat. Hæc sapiunt perfectam sanctitatem labis omnis expertem, cujus spem, hac quidem in terra obtinendæ, nusquam nobis Scriptura fecit, quæ & *Paullum* se, si ex propria innocentia æstimandus esset, negantem justificari posse, sistit. *1. Cor. IV. 4.*

227. Quæ vero petitiones sunt ad usus nostros spectantes?

Reliquæ tres, quæ easdem ordine sequuntur.

228. *Quæ est prima?*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

229. *Explica hanc petitionem?*

In hac petitione petimus a DEo, primum, ut donum gratiæ spirituali vitæ nostræ sustinendæ atque fovendæ necessarium, deinde res omnes, quæ ad vitam præsentem tuendam quoquo modo pertinent, nobis conferat. 1)

Notæ:

1) De spirituali pane, præter ea, quæ ad hanc vitam pertinent, Antiqui etiam acceperunt, quibus in præsenti nolo contradicere; quamquam vulgarem explicationem de rebus ad hanc vitam spectantibus tantum, merito præfero, motus, cum vocis ἐπιούσιος origine, quæ sine dubio a verbo ἔπειμι descendit, & *connexum* aliquid & *durabile*, nec pro uno tempore destinatum significat, quasi tu *diurnum* seu ἡμερήσιον panem diceres; tum &, quod alioquin nulla petitio rerum hujus seculi, quæ tamen expetendæ a Deo, sanctorum hominum exemplo sunt, in perfectissima orationis dominicæ formula esset. Recitabimus tamen antiquissimi Interpretis harum precum, *Cypriani*, aliqua: *p. m. 268.* „Quod potest & „spiritualiter & simpliciter intelligi. Quia & uterque „intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam pa„nis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed „noster est. --- Hunc autem panem dari nobis quotidie „postulamus, ne, qui in Christo sumus, & evcharistiam „quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo „gra-

„graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a
„cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur,
„ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui
„de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet
„in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro
„mea est, pro seculi vita. Quando ergo dicit in æter-
„num vivere, si quis ederit de ejus pane; ut manifestum
„est eos vivere, qui corpus ejus attingunt & evcharistiam
„jure communicationis accipiunt: Ita contra timendum
„est & orandum, ne, dum quis abstentus separatur a Chri-
„sti corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso
„& dicente: Nisi ederitis carnem Filii hominis, & bibe-
„ritis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Et
„ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quo-
„tidie petimus, ut, qui in Christo manemus & vivimus,
„a sanctificatione ejus & corpore non recedamus. Potest
„vero & sic intelligi, ut, qui seculo renunciavimus, & di-
„vitias ejus & pompas fide gratiæ spiritalis abjecimus,
„cibum nobis tantum petamus, & victum. „ Hoc cer-
tum nobis, utrumque simul non significari.

230. Quæ secunda est?

Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

231. Expone hanc quoque?

In hac petitione illud a DEo contendimus, non solum, ut ea peccata, quæ, postquam nos legibus Evangelii subjecimus, designavimus; verum etiam multo magis illa, quæ ante cognitam veritatem patravimus, nobis condonet. Quandoquidem hæc sunt & longe graviora, & facilius eadem a vitæ

æternæ possessione nos excludere, & in damnationem æternam conjicere possunt. 1) Quod vero additum est: Quemadmodum & nos remittimus debitoribus nostris; statuendum est, nullo modo peccatorum veniam nobis sperandam esse, nisi nos offensas aliis condonemus; idque ex animo & corde, ita, ut ab omni vindictæ cupiditate animum nostrum prorsus avocemus.

Notæ:

1) Quamquam censuram merentur & hæc verba: *Postquam nos legibus Evangelii subjecimus;* & illa altera: *Facilius a vitæ æternæ possessione nos excludere possunt;* cum, si quis revera conversus sit, habeat peccatorum olim commissorum veniam, nec necesse sit eam subinde deprecari, nisi quod ob perpetuam peccandi, non consilio quidem sed improvide continuationem, posset Deus, si vellet, & remissa peccata in forum suum revocare: Fuse tamen de his in præsenti disputare non placet.

---

232. Quæ est tertia petitio?

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.

233. Eam declara?

In hac petitione 1) a DEo petimus, ut nobis succurrat, ne in afflictionibus, quoties in eas vel voluntate DEi vel permissione incidimus, quæ quidem credentibus explorandi

caussa

caussa immitti solent sæpius, succumbamus: Utque nos a Satana liberet, id est, nos iis afflictionibus, quibus ille ad nos opprimendos, tanquam machinationibus quibusdam utitur, opprimi nullo modo patiatur.

Notæ:

1) Cur sextam & septimam petitionem, quasi una esset, complectantur, quas distinxit & seorsum singulas explicavit *Cyprianus*, equidem rationem nullam video. Deinde nescio, cur suavissimo capite & fine pulcherrimo truncata sit in Catechesi, & ne vocis *Amen* quidem expositio addita. Facile videbit lector, quanto præstantior sit *B. Lutheri*, in Catechesi sua, opera.

234. *Nonne aliter orare licet?*

Prorsus. Nec enim Dominus nobis id, vel hic vel alibi, interdixit, modo illud ne sit ejusmodi, quod voluntati divinæ nobis aperte præscriptæ adversetur. Quodsi vero ejusmodi quid sit, de quo non sit nobis DEi patefacta voluntas, tum vero id votum DEi voluntati est plane subjiciendum. 1)

Notæ:

1) Non male hæc Catechesis. Sed cogitare debuerant Sociniani, nihil esse, quod addidisse nova præcepta Christus dicatur. Nam si essent addita, formula hæc ita constituta necessario, nec alia utendum esset. De *Cypriani*

mente poterat aliquis dubitare. Hic *l. c. p. 264. a.* scripsit: „Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam „quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? ut „aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & „culpa.„ Sed, qui totum librum legit, videbit, non prohibere sanctum virum modo alio verba fieri in precibus, sed nullam formulam huic præferendam, esse autem huic merito in publicis & privatis precibus frequentem usum concedendum.

235. Quo fine ergo Dominus IEsus præcepit, ut ad eum modum, ut dixisti, oremus?

Ut nobis certo constet, quæ semper & necessario a DEo sint petenda.

236. Quid præterea Dominus IEsus huic præcepto primo addidit?

Id, quod etiam Dominum JEsum pro DEo agnoscere tenemur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, & cui nos divinum exhibere honorem, obstricti sumus. 1)

Notæ:

1) Ita plane nihil pudet! Christum ajunt addidisse ad primum præceptum, de se, ut DEo, colendo. Pone nihil moveri Socinianos clarissimis V. T. dictis, quæ nos convincunt, Angelos adorasse, cum DEo Patre etiam Filium & Spiritum S. *Esa. VI.* hunc Filium a Sanctis aliquot viris & visum & adoratum, quam in rem aliqua *libri Iudicum* testimonia supra sunt exposita: saltem erubescere decuisset hos homines, cum scriberent, Christum præce-

ptum

ptum de se colendo ipsum addidisse, cujus verba; *Jo. VIII. 50.* legerunt: *Ego non quæro gloriam meam, est, qui quærit & judicat.* Cultus Christi ipso primo præcepto æterna lege continetur.

237. In quo is honor divinus Christo debitus consistit?

In eo, quod, quemadmodum adoratione divina 1) eum prosequi tenemur, ita in omnibus necessitatibus nostris, ejus opem implorare possumus. Adoramus vero eum, propter ipsius sublimem & divinam ejus potestatem.

Notæ:

1) Huc referet lector, quæ supra abunde exposuimus, de divino honore, quem perhibet Socinus se DEo præstare, cum nihil minus quam divinus honor sit, si demas opinionem divinitatis ei, quem colas. Quamquam, cum Scrutatorem cordium & renum esse Christum fatentur, & nobis non corpore quidem sed potentia tamen sua præsentem, hominem tamen nudum; quam vituperant in Pontificiis idololatriam, reapse committunt.

238. Quid præterea ad honorem Christi divinum pertinet?

Administratio cœnæ ipsius, de qua inferius audies.

239. Unde vero probas divinam Christo deberi adorationem?

In multis Scripturæ locis ejus rei extant docu-

documenta. Nominatim vero, Jo. V. 22. 32. Christus ait: Pater omne judicium, id est regimen & gubernationem, dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et, Philipp. II. 9. 10. 11. Propterea DEus eum superexaltavit, & donavit illi nomen supra omne nomen, ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium terrestrium & inferorum, & ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus est JEsus Christus ad gloriam DEi Patris.

240. At, qui ostendes nos ad Dominum JEsum in omni necessitate confugere posse?

Primum, hac ratione, quod nobis opem afferre & possit & velit. Deinde, quod ad eam rem habeamus incitamenta, tum ab ipso Domino, tum ab Apostolis ipsius. Denique, quod exempla ejus rei in hominibus sanctis cernere liceat.

241. Christum Dominum opem nobis afferre posse & velle, unde doceri potest?

Ea de re inferius audies, ubi de ipsius Regio & Sacerdotali munere acturi sumus.

242. At ubi Dominus, ubi ipsius Apostoli isthæc incitamenta nobis proposuere?

Primum, Jo. XIV. 13. 14. & XV. 16. & XVI. 23. 24. 26. Ubi Dominus ipse ait:

Quic-

Quicquid petieritis in nomine meo; id est, confisi nomini & virtuti meæ, ego faciam. Et Apocal. III. 18. Consulo tibi, ut emas apud me aurum igne probatum. Et Hebr. IV. 14. 15. 16. ubi auctor ille ad eum modum scribit: Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit coelos, JEsum Filium DEi, teneamus confessionem. Etenim, non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, verum tentatum per omnia, in similitudinem absque peccato. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus in opportunum auxilium. Et Rom. X. 13. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, servabitur.

243. Exempla ubi ejus rei extant?

Luc. XVII. 5. Apostoli inquiunt; Domine, adauge nobis fidem! Similiter: Matth. VIII. 25. Domine, serva nos, perimus. Item Act. VII. 59. ubi Stephanus invocans in hæc erumpit verba: Domine JEsu, suscipe Spiritum meum! ac iterum v. 60. Domine! ne id imputes ipsis pro peccato. Item, 2. Cor. XII. 7. 8. Et, ne præstantia revelationum efferar, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satan, ut me colaphizet, ne efferar: Propterea ter rogavi Dominum, ut a me recedat. Item, 1. Thess. III. 11. Ipse vero DEus & Pater

ter noster & Dominus noster JEsus Christus dirigat viam nostram ad vos. Idem videre est, in omnibus salutationibus Apostolicis, in quibus gratiam, misericordiam & pacem, ut a DEo Patre, ita a Filio ipsius JEsu Christo, Domino nostro, credentibus precantur.

244. Ea vero additione, quod Christum pro Deo agnoscere & eum cultu prosequi divino teneamur, nonne hoc præceptum prorsus immutatur?

Nequaquam ipsum præceptum immutatur. Omnis enim, qui Christo exhibetur, cultus, in DEi Patris gloriam redundat; Verum ipsius ratio & modus nonnihil immutatus est. Etenim, ante Christum immediate tantum, at sub Christo etiam mediate DEus colitur. Præterea, cum ea lex velit, ne DEos alienos habeamus coram DEo, Christus vero DEus alienus non sit, sed in eo ipso cultu, qui ipsi exhibetur, DEo sit subordinatus, apparet, legem nullo modo mutari, cum subordinata non pugnare, notissimum sit. 1)

Notæ:

1) De tota hac caussa ita actum est, occasione oblata, ut otium nunc habeamus. Et videbit præmonitus lector facile, miserum esse effugium Socinianorum. *Deos*, inquiunt, *alienos* nefas est adorari; Christus autem non est *Deus alienus*, est enim *vero Deo subordinatus*. Primum

mum falsum est, excludi ab honore adorationis, *alienos* tantum, h. e. quorum opera & ministerio Deus non utatur, non enim habetur נכר, נכרי, זר, aut similis aliqua, sed אחר, quæ quemvis alterum palam significat; quamquam in latina lingua minime aspernamur vocabulum *alienus*. Nam, cum non nisi unus Deus sit, quicunque non est unus ille Deus, alienus a Deitate est. Quæro ergo, an habeant Christum pro uno illo vero Deo? certum est non habere ipsos, itaque est *alter*, *a Deo distinctus*, &, qui hunc colit, alterum a DEo distinctum colit, divino honore; quod nullo modo nullaque arte conciliari cum primo præcepto potest. Deinde, quod *subordinatum* ajunt Christum Deo, ideoque posse divino cultu affici, ita absonum est, ut cæcitas sit stupenda. Immo, quia *subordinatus* est, eundem cultum non potest accipere. Hoc vero est, Pontificiorum errorem, de cultu Sanctorum, qui quasi in familia divina sunt, a quo errore videri volunt Sociniani quam longissime refugisse; non confirmare solum, sed & augere vehementissime.

---

245. Ergo is honor & cultus Christo ad eum modum tribuitur, ut nullum sit inter Christum & Deum hoc in genere discrimen?

Immo permagnum est. 1) Nam adoramus & colimus DEum, tanquam caussam primam salutis nostræ; Christum tanquam secundam: aut, ut cum Paullo loquamur, DEum tanquam eum, ex quo omnia, Christum, ut eum, per quem omnia. 2).

Notæ:

1) Quod sæpe dixi, plane liquet, verbo fallere conari

nari Socinianos lectorem suum. Si permagnum est discrimen inter Christum & Deum, etiam ratione cultus & honoris, ille honor, qui Christo habetur, jam non est divinus. Quicunque differt a Deo, sive tu dicas multum, sive parum differre, infinito intervallo distat, nam ut non magis ab infinitate numerus millenarius quam denarius remotus est, quoniam neuter cum illa comparari potest, licet inter se possint contendi, & dici, quantum alter ab altero vincatur: Ita rerum creatarum aliqua est inter se æstimatio, at nullius rei creatæ cum infinito creatore ulla comparatio. Quicquid ergo de *divino honore* loquantur, si simul tueantur, Christi personam esse rem creatam, vel nugæ sunt vel fraudes.

2) Commode nos ablegat Catechesis ad *1. Cor. VIII. 6.* quem locum supra contemplati sumus accurato studio, & vidimus Θεὸς & κύριος duo esse vocabula prorsus idem significantia in Apostolo.

Hic video inserenda esse, quæ in recentiore Catecheseos editione habentur, de *Jeremiæ X. 11.* quem locum sibi maxime obstantem mirabili ratione tollere conantur miseri disputatores. Recitabimus ipsorummet verba: Sic quærunt: „Cur ergo Scriptura dicit, *Jerem. X. 11.* „*Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de* „*terra, & de his, qui sub cœlo sunt?* Respondent; „Quia de idolis & statuis gentiumque falsis Diis loquitur, „qui cum a Deo nullam divinitatem acceperint, nec ipsi „cœlum & terram crearint, & sic neque a seipsis divinitatem habeant; & tamen ab hominibus pro Diis falso co„lantur, merito eos, eorumve nomina (neque enim ali„ud quidquam erant, quam vana nomina) perire optat „de terra, & de sub cœlo propheta. Quo ipso docet, se „de Diis loqui, qui in cœlo nullum habeant locum, sed in „terra tantum & sub cœlo sola eorum simulacra & statuæ „reperiantur. Proinde loci illius verba ad eos non spe„ctant, qui in cœlis cum Deo degunt, Deorum nomine

„in

„in Scriptura S. nonnunquam insigniti, quales sunt an-„geli, immo nec ad eos, qui in terris inter homines sum-„mum rerum humanarum arbitrium adepti, ab ipso Deo, „audire meruerunt: Vos Dii estis, & Filii altissimi omnes; „adeo ut non nisi impie ad Christum a dextris Dei in cœ-„lestibus collocatum referri queant.„ Hæreo, quid dicam de iis, quæ postremo loco dixere Sociniani. Si nolunt excludi Angelos & rerum dominos in terris, voluntne his cultum divinum haberi? Nolent ni fallor. Quod vero idola & statuas, de quibus hic præcipue loqui *Ieremiam*, nemo negat, sola putant ab honore divinitatis excludi, addita ratione, quoniam nec in se habeant, nec a Deo acceperint divinitatem, hem quam absonum est! vident rationem Prophetæ, qui ita argumentatur: Quicunque non creavit cœlum & terram, non est quasi Deus colendus. Quod si non sit universalis ratiocinatio, nihil inde jure colligetur. Si est, ut certissime est, universalis, alterutrum velint nolint, concedendum est, vel creasse Christum cœlum & terram, quod adhuc præfracte negarunt Sociniani, vel non esse Christum cultu divino afficiendum, quod claritate Scripturæ adacti non audent dicere.

---

246. Quid vero sentis de iis hominibus, qui Christum non invocant, nec adorandum censent?

Prorsus non esse Christianos sentio, cum reipsa Christum non habeant. Et, licet verbis id negare non audeant, reipsa negant tamen. 1)

Notæ:

1) Hic in se duram quidem sed justam sententiam dicunt Sociniani, nam, licet non audeant verbo negare

Christum adorandum, reipsa tamen negant. Non agnoscunt enim in eo, id, quod solum adoratione dignum est, naturam divinam.

---

247. *Dixisti nos secundum Deum, Christum colere debere, an quisquam praeterea colendus sit, doce!*

Nullo prorsus modo, nec enim ullum extat divinum testimonium, ex quo cuiquam, Christo excepto, datam in nos divinam esse potestatem appareat. Quod vero hodie in Romana Ecclesia Virgini Mariæ & Sanctis potestas aliqua divina attribuitur, id totum in ipsorum opinione fundatum est.

248. *Nonne jure excusari possunt, cum eo animo id faciant, ut Deo cultum exhibeant?*

Nequaquam; nam in cultu divino non satis est opinione, quantumvis speciosa, niti, ut omnium est sententia; verum etiam veritate ipsa ad eam rem opus est.

249. *Perspectum mihi est, neminem præter Deum & Christum colendum esse; verum, num licet invocare Virginem Mariam & Sanctos, non ut nobis ipsi aliquid dent, verum, ut precibus suis apud Deum & Christum impetrent?*

Nullo modo licet, ob caussam paullo ante expositam: ac etiam, quod in iis rebus, quæ ad cultum Dei pertinent, certissime oporteat esse persuasum, hæc, quæ fiant, secundum Dei

Dei voluntatem fieri posse. Verum e Scripturis Sacris nullum testimonium proferri potest, ex quo constet, Virginem Mariam & alios Sanctos vel aliquam curam habere, eorum, quæ a nobis fiant. Aut eos vel scire vel intelligere ullo modo aut preces nostras audire. De quibus tamen certo persuasum esse oporteret eum, qui preces ad eos directas vellet. 1)

Notæ:

1) Respondeant, quorum interest. Nos hic plane probamus Catechesin, sed, hoc monendum: Cum ad preces sancte faciendas necesse sit, certos nos esse, de ejus, ad quem preces fiunt, auctoritate & potentia divina: Socinianos, qui ad Christum preces dirigunt, cum divinitatem naturæ a divinitate potentiæ divellunt, eodem crimine, quo condemnant Pontificios, ipsos condemnandos esse.

250. Arbitror me, quam hoc præceptum primum in Christiana Religione vim habeat, percepisse: accede igitur ad secundum!

Præceptum secundum est: Non facies tibi imaginem, nec ullam similitudinem eorum, quæ in cœlis sursum, quæ in terra deorsum, & quæ in aquis sub terra: Non adorabis ea neque coles.

251. Quæ est sententia præcepti hujus?

Ea, nullam imaginem eo fine fingendam, ut adoretur aut colatur: Neque ejusmodi imago ullo modo fingenda est, qua occasionem adorationi & cultui ejusmodi dari possit.

252. Quæ vero sunt imagines ejusmodi, quas homines eo fine faciunt, ut adorentur & colantur?

Sunt eæ omnes, quas homines religionis opinione & studio faciunt.

253. Qua ratione adoratio & cultus ejusmodi perficitur?

Cum non solum imagines ipsæ adorantur; verum etiam ante ipsas imagines adoratio instituitur, & cum religiose vestiuntur, multo vero magis, cum cerei coram iis accenduntur, thura incenduntur, vota iis nuncupantur, ad eas peregrinationes instituuntur.

254. Verum ajunt, hec non imaginibus exhiberi, neque imagines ipsas, sed eos, quos referunt, adorari?

Hoc effugium nihil eos juvat. In isto enim interdicto nulla fit mentio ejus differentiæ, ut hoc imaginum caussa fiat, vel non; sed, ut prorsus hoc non fiat, præcipitur. Hoc vero effugium admitti non debere, ostendunt exempla vituli illius, quem in deserto Israëlitæ

litæ conflaverant, & eorum, quos Jeroboamus Israëlitis in ea terra, quam a Deo in hereditatem acceperant, adorandos proposuerat. Etenim, certum est, cultum illum, qui exhibebatur illis vitulis, non ipsis vitulis, sed Jehovæ Deo Israëlitarum exhibitum fuisse. Quippe, cum Israëlitæ illis referri Jehovam Deum Israël opinarentur. Eum tamen cultum adversatum fuisse præcepto Jehovæ, ex ipsa historia satis notum est.

255. *Qua ratione vero probabis Israëlitas in illo vitulo in deserto conflato, Jehovam coluisse?*

Id quidem e facto ipsius Aaron & populi doceri potest: Ac ex Aaronis facto quidem, quod Aaron precibus populi compulsus, ut iis faceret Deum, qui illis præiret, vitulum illum conflavit. Certum porro est, Aaronem alium Deum præter Jehovam non habuisse: Quod etiam hinc elucet, quod Aaron de illo vitulo, cum eum dedicaturus esset, ad eum modum locutus sit; cras erit solennitas Jehovæ. Exod. XXXII. 5. Ex Israëlitarum porro facto, quod ii de vitulo dicerent eum fuisse Deum, qui eos e terra Aegypti eduxisset. Notissimum vero iisdem fuit, neminem nisi Jehovam eos ex Aegypto eduxisse. Etenim tota hæc actio eductionis ex Aegypto, opera Mosis, sub expresso nomine Jehovæ peracta fuit. 1)

Notæ:

1) Nobis hæc placent omnia, sed lectorem velim attendere ad hanc professionem Catecheseos: *Neminem præter verum & unum Deum dici Iehovam.*

---

256. Qui de illis vitulis, quos Ieroboam fabrefecerat, idem ostendis?

Primum ex eo, quod isti vituli populo ab ipso Jeroboamo propositi fuerunt, in eum finem, ut adorarentur, idque iis verbis: Ecce Deus tuus Israël, qui eduxit te e terra Aegypti. Deinde ex ipsa historia satis perspicuum est, immo in ea expressum, propterea a Jeroboamo eos vitulos fabrefactos fuisse, ne populus Hierosolymam Jehovæ colendi caussa, iret. Etenim, nunquam illi Hierosolymam frequentare destitissent, neque cultui vitulorum acquievissent, nisi illis persuasum fuisset, in illis vitulis a se Jehovam coli.

257. Quid vero additum est in novo fœdere huic præcepto?

Ut non solum imagines non adoremus, verum etiam easdem prorsus fugiamus, ut habeamus, 1. Jo. V. 21. Filioli, fugite idola; & 1. Cor. VIII. & cap. X. 14. Propterea fratres dilecti, fugite ab idololatria. 1)

258. Qua ratione vero vitanda sunt idola?

Ne vel illic, ubi adorantur, aut coluntur

tur imagines, ſimus, 2) neque iis conſecratorum participes exiſtamus, ut ex iisdem locis, quos ſuperius paullo citavimus, perſpicue ſatis apparet.

Notæ:

1) Huic ſecundo præcepto (nam de numerandi ratione non opus eſt diſputare, nobis quidem potius videtur hoc pro appendice præcepti primi haberi, quod de idololatria omnis generis agit) additum aliquid a Chriſto & Apoſtolis volunt. Hic placet ad Judæorum hodie viventium arbitrium ablegare Socinianos. Judæos conſtat ab imaginum cultu ita eſſe remotos, ut templa noſtra, Pontificiorum maxime, vix unquam, ſaltem rariſſime, adire auſint, ne vel aſpectu imaginum polluantur. Hos eam, quam ſibi datam putant, legem, certe nemo dixerit ab Apoſtolis Chriſti didiciſſe. Sed & eadem imaginum & ſimulachrorum deteſtatio in Antiquioribus Judæis, qui ante Hieroſolymorum vaſtationem vixere, fuit, quod *Joſephus* dubitare nos vetat. Itaque hi omnes Moſaicæ legi eam vim tribuerunt, quam Sociniani per Apoſtolos demum acceſſiſſe opinantur. Immo tanta accuratione fugiunt Judæi pictas ſculptasque imagines, quanta nunquam idem fecere Chriſtiani, ut adeo poſſet aliquis ſuſpicari, per Chriſtum & Apoſtolos detractum aliquid rigori legis eſſe Tantum abeſt, ut nunc demum rigidior facta dicenda ſit. Verum noſtra ſententia neque detractum neque additum quidquam ulla parte eſt huic præcepto ab Apoſtolis. Nempe hoc vult Deus, imagines cujuscunque generis ad facienda ſacra & cultum Dei, nec paranda nec habenda eſſe, & diſplicere Deo vehementiſſime cultum per ſimulacra, tametſi ſibi deſtinatum. Picturas aut ſculptas imagines in uſum hiſtoricum & rerum commemorabilium conſervandam memoriam, nusquam Deus prohibuit,

hibuit, nec Judæis nec Christianis, & constat, in ipso templi ædificio hunc imaginum usum obtinuisse. Neque adeo scrupulosa imaginum fuga, cum nulla cultus opinio locum habere potest, laudem meretur. Ceterum, fugiendum esse cultum imaginum, & ejus cultus consortium, vehementius nunc, quam ante Christum natum, unde probare velint Sociniani, equidem nescio. Nam, *1. Io. V. 21. 1. Cor. X. 14.* quamquam seria est adhortatio ad studium maximum in vitanda idololatria; magis tamen non est serium Apostoli monitum, quam quod genti Israëliticæ antiquitus præceptum fuerat, quibus & nomina effari Deastrorum vetitum. *Exod. XXIII. 13. Ios. XXIII 7.* Diruenda erant loca, ubi cultus idolorum olim fuisset. *Deut. XII. 2. 3.* Ipse, divino quidem jussu paratus serpens æneus, cum cœpisset in abusum a superstitiosis converti, ab *Hiskia* rege confractus est, *2. Reg. XVIII. 4.* ut alia non incognita, silentio præteream. *1. Cor. VIII.* quod caput nos Catechesis legere jubet, facile videas superstitiosam istam & nimiam religionem Judæorum, qui cibos ab ethnicis paratos, quasi impuros fastidierunt, Apostolo parum probari, qui & ab hominibus prudentibus, &, quantum liceret, gnaris, comedi carnes qualescunque, si vel essent antea Deastro oblatæ ac deinceps in macello venum expositæ, minime prohibuit, cum eo tamen, ne offendatur infirmus frater, qui nondum animum induxit credere, ea esse licita.

2) Ita, ut verba hic jacent in Catechesi, nemo demonstrabit Apostolos docuisse, nempe, ne ibi, ubi adorantur & coluntur imagines, simus. Quod nec *Paullus* fecit, qui sane *Atheniensium* templa & aras adiit, nec sine dolore vestigia idololatriæ nefandæ observavit. Usum imaginum intra templa Christianorum, saltem ædificia conventui destinata, vel plane nullum, vel parcissimum fuisse, & ad cultum certissime nullum, constat. Vid. *Ioseph. Binghamus, Origin. Eccles. L. VIII. c. 8. Vol. III. p. 297.*

p. 297. sequ. Sed ita non sunt reformidatæ imagines, ut nec adspicere liceret, si quidem abesset cultus opinio. Nec credimus male agere, qui vel hodie historiæ caussa, & ut quid agatur, sciat, ea loca viderit, ubi idololatria committitur. Sed prudentis est dispicere, utrum possit an minus, a consortio pravitatis, & vel dando vel acipiendo scandalo, si id fecerit, sibi cavere. Ubi difficulter caveri posse videtur, fas est absistere.

---

259. Dic, quod tertium sit præceptum?

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

260. Quid vero est, nomen Domini in vanum assumere?

Est, Deum testem vocare in rebus falsis.

261. Quid huic precepto additum sub novo fœdere?

Primo, quod non solum Deum, verum etiam Dominum JEsum Christum in testimonium vocare possimus. 1) cum Dominus JEsus corda & renes scrutetur. Apocal. II. 23. Deinde, quod nobis non solum pejerare non liceat; verum etiam, ne in veris quidem jurare, nisi longe gravissimis caussis adactis, iisque, quibus Dei gloria nitatur, ad idque non temere, verum cum magno Dei metu & cautione summa accedendum. 2)

262. Ubi ea de re scriptum est?

Matth. V. 33. 34. 35. 36. 37. Audistis dictum fuisse antiquis; 3) Non pejerabis, sed

reddes altissimo vota tua. Ego vero dico vobis, ne juretis omnino, neque per cœlum, cum sit thronus Dei; neque per terram, cum sit scabellum pedum ejus; neque per Hierosolymam, cum sit urbs magni regis; neque per tuum ipsius caput jurabis, cum nec atrum nec album pilum facere queas. Sermo vero vester sit, ita, ita, non, non. Quod vero supra hæc est, a malo est. Qua de re etiam Jacob. V. 12. habetur.

Notæ:

1) Comminiscitur Catechesis, hoc sub novo fœdere additum, ut & Christum in testimonium vocari liceat. Sed, quo loco Scripturæ additum sit, dicere non possunt. Et postquam demonstratum est, Christum esse æternum Deum, de hac religiosa invocatione Christi semper & licita & debita, non est, quod dubitemus. Et cum parum intersit, utrum Deus ad testimonium vocetur, an ad impertiendam prosperitatem, utraque enim religiosa est, hujus vero invocationis luculentum extet exemplum, *Genes. XLVIII. 16.* ubi *Angelus redemtor*, non creatus Angelus, a quo talia non peti, nec de eo prædicari possent, nec ipse Pater est, qui a nemine est *missus*: liquet Christum antiquitus ad testimonium invocari potuisse. Sed est, quod præcipue monitos velim Socinianos. *Esa LXV. 16.* de temporibus N. T. Sermonem esse nemo facile negabit, neque hoc dubium, אלהי אמן esse verum & æternum Deum, *Deum Amen*, seu *veritatis*. Quod si ergo in characteribus fidelium N. T. est, *jurare per Deum Amen*, idem vero per Christum fieri, Novi Testamenti temporibus, Sociniani perhibent; Christus erit ille *Deus Amen*.

Pul-

Pulcherrimum profecto Christi epitheton, præsertim, si conferas, 2. *Cor. I. 20. Omnes Dei promissiones etiam in ipso sunt, & Amen in ipso.* Et *Apoc. III. 14. Hæc dicit Amen, testis fidelis & verax, principium creaturæ Dei.* Nec prætereundum, haud videri sine ratione Christum toties in sermonibus suis hac voce uti, quæ & mihi quidem videtur sæpius ita vertenda: *Ego Amen*, sive, *Ego qui sum ille Amen*, dico vobis.

2) Itane olim licuit temere & sine reverentia Numinis ad jusjurandum accedere? Nam, si a Christo demum additum hoc legi est, ut ne temere, nec nisi gravi de caussa, ac magno cum metu Dei, & cautione juretur, sequitur plane, olim licuisse effutire Sacramenta. Quod quam sit & per se absonum, & contrarium toti Scripturæ, dicere abstineo. Legat aliquis ipsum *Mosen*, v. g. *Genes. L. 5. Num. XXX. 3. Ios. IX. 20.* & infinita alia loca, maxime *Zachar. VIII. 17.*

3) *Antiquos* non *Mosen* nec *Prophetas* fuisse, sed *Pharisæos*, tum satis jam antiquos, ita clarum est, ut nihil possit esse clarius. Itaque horum corruptelas damnat quidem Christus, & a sordibus, quas alleverant pessimi homines, repurgat legem & pristino nitori reddit, sed novam ideo legem, vel additamentum etiam novum minime facit. Ceterum, si cum Anabaptistis mihi res esset, demonstrarem, nec *Matthæi* nec *Iacobi* penitus usum Sacramentorum seu jurisjurandi tolli, at, cum Sociniani concedant in gravi negotio licere jurare, otium nobis factum.

---

263. Ergo, cum Dominus jurare vetet omnino, unde probabis in gravissimis caussis licere jurare?

Ea vox, omnino, non eum sensum habet, ac si nullo modo jurare liceret, est enim oppo-

opposita juramentis spontaneis & a levitate proficiscentibus, qualia, modo vera essent, lex Mosaica non prohibebat, 1) cui hac in parte Dominus JEsus doctrinam suam opponit. Præterea, legimus Apostolos jurasse, ut videre est, Rom. I. 9. 2. Cor. I. 23. & cap. II. 31. Philipp. I. 8. 1. Thess. II. 5. 10.

Notæ:

1) Vana & futilia juramenta in Judæis quidem, eo tempore, quo Christus in terra cum hominibus ambulavit, vulgo pro licitis habita esse facile concedimus; sed non esse Mosaica lege prohibita, id sine blasphemia ferri non potest. Ipsa verba legis aliud palam indicant. לשוא non *mendax*, sed *vanum* frustraque aut temere factum significat. Itaque antiqui Interpretes, vocibus idem significantibus, reddidere. Chaldæus *Onkelos* למגנא h. e. *gratis*, quamquam, forte quod nollet idem vocabulum repetere, & cum vanitate plerumque mendacia conjuncta sint, secundo loco posuit לשקרא quæ vox *mendacium* significat. Græci habent: ἐπὶ ματαίῳ. Vulgatus: *in vanum, frustra, & super re vana.* Hodierni etiam Ebræi vertunt umsunst. Hoc loco addam Observationem B. W. quam lectoris arbitrio permitto neque ipse exsequiam. „Observandum est, inquit, Christum, interdictum hoc de non jurando, opponere juramentis promissoriis, & quæ ad futuras res spectabant: de quibus „homines incerti sunt, ac proinde facile pejerare possunt. „Notandum est, in sacris literis veteris fœderis vix uspiam de alio, quam tali, quod futura respiciat, legi juramento. *Cicero* etiam *juramentum* definiens dicit: „*Jusjurandum est affirmatio religiosa: quod autem affirmate, quasi Deo teste, promiseris, tenendum est.* A talibus

„libus itaque juramentis (qualium etiam nullum in novo
„fœdere exemplum reperimus) Christianis omnino ab-
„stinendum est. Ceterum religiosæ asseverationes, qua-
„rum in N. T. exempla habemus, non nisi in gravissimis
„ad gloriam Dei spectantibus rebus, (ut supra dictum)
„adhibendæ sunt: idque cum magna circumspectione.
„In reliquis vero rebus curandum est, ut verbis nostris,
„tanquam juramentis, credatur: sicut & sapientes ethni-
„corum docuere. &c."

---

264. Cur vero Dominus IEsus etiam in veris ultro ac leviter jurare vetat?

Ut nomen Dei altissimi & ipsius Domini JEsu apud nos sit in summa veneratione: Deinde, ne levitate jurandi pejerare consuescamus.

265. Licetne jurare per alios, excepto Deo & Christo?

Non licet ullo pacto. Nec enim cuiquam Deus id, ut scrutator cordium esset, Christo excepto, dedit. 1)

Notæ:

1) Scrutatorem esse cordium & renum, ita est Deo proprium, ut qui non sit Deus, nullo modo hoc elogio condecorari possit; nimis enim clarus & illustris est locus, *1. Reg. VIII. 39.* cum quo conferri possunt, *Psalm. VII. 10. Psalm. CXXXIX. 1. 2. 1. Sam. XVI. 17. Ierem. XI. 20. XVII. 10. Luc. XVI. 15. Actor. I. 24.* Si communicata est cum Filio Patris omniscientia, certissime propria vero Deo, est & fatendum, esse cum eodem communi-

municatam divinam naturam, quod & Scriptura generatione æterna factum docet.

266. Quod est quartum præceptum?

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. &c.

267. Quid vero de hoc præcepto censes?

Esse sublatum sub novo fœdere, quemadmodum alias ceremonias, ut vocantur, censeo.

268. Cur vero decalogo insertum est?

Ideo, ut absolutissimam legis Mosaicæ partem, non fuisse perfectam, appareret, & quoddam indicium extaret ejus rei, legem successuram Mosaicæ legi, longe perfectiorem, legem nempe Domini nostri JEsu Christi. 1)

Notæ:

1) Ea quidem ratio, cur abrogandum, Novi Testamenti tempore, præceptum de Sabbatho, insertum tamen sit decalogo, plane nihil habet verisimilitudinis. Nam cui apparere debuit ex eo præcepto addito, imperfectio legis? Antiquis? At illi, cum maxime rigida esset hujus legis exactio, plane non poterant hoc colligere. Hodie viventibus? Hi vero, si est abrogatum hoc præceptum, ceteris tamen salvis, adeo non possunt colligere legem moralem esse imperfectam, ut sit potius plus quam perfecta, & vel mutilata isto præcepto, tamen integra. Verum tuetur hoc præceptum & hodie locum numerumque suum. Quam-

Quamquam in eo sunt, quæ ad populum Israëliticum solum pertinent, ut & in exordio ipso aliqua ad hunc populum solum referenda sunt. Judaicum ideo Sabbathum sublatum esse, constat, tum ipso usu Apostolicæ ecclesiæ, tum luculentius, *Coloss. II. 16*. Sed, quoniam lex spiritualis est, monente Apostolo, etiam hoc præcepto, cultus divini sancte instituendi rationem tempusque aliquod servari vult Deus, eamque voluntatem cave dixeris sublatam esse. Est adeo certum tempus constituendum cultui publico Dei, & ab ipsa nascente ecclesia constitutum. Nam primi diei in hebdomade, sancta observatio ex *1. Cor. XVI. 2.* similibusque locis liquet, quamquam, formula hujus constitutionis nusquam extante, illis accedo, qui in ecclesiæ libertate ponunt, diei certi electionem, ita tamen, ut aliquis eligatur, legique decalogi sua vis integra maneat. Recentiores Sociniani ipsa quidem verba Catecheseos servarunt, sed subolfecerunt rationem hujus præcepti decalogo inserti, quam modo explosimus nullam esse, itaque *Martinus Ruarus* subjecta notula, enodandum esse dixit, cur ubique, cum otium Sabbathi præcipitur, ea ratio afferatur, quod eo die Deus ab opere creationis quieverit, denique illum sanctificaverit? *Cur*, inquit, *hæc caussa hic reticetur? Videmur id eo facere, ne, quia caussa hæc generi humano communis est, Sabbathi observatio nos adhuc quoque obstringere videatur*. Quod enodandum hic *Ruarus* dixerat, loco aliquo epistolarum suarum enodare conatus est, in hanc sententiam; „Sanctimoniam Sabbathi ab exordio quidem mundi a Deo decretam ob perfectam ante illud rerum creationem, legem tamen de illo feriando, jam tum nullam fuisse latam, quæ genus humanum universum obstringeret; sed populo demum Israëlitico, accedentibus & aliis illi peculiaribus caussis irrogatam.„ Speciatim observat in *legibus Noachicis*, quas vocant Judæi, nullam esse Sabbathi mentionem. Equidem nolo fusius in hanc disputationem excurrere,

non improbantur tamen mihi hæc *Ruari* verba: „Quam„quam vero non existimem, nos præcepto decalogi de „Sabbatho directe obligari; recte tamen sic concludi „putem: si Israëlitæ septimam vitæ partem cultui divino „consecrare jussi sunt, quid nos facere æquum est?„

269. *Nonne Christus constituit, ut diem, quem vocant, dominicum, Sabbathi loco obiremus?*

Nullo modo. Cum religio Christi, quemadmodum alias ceremonias, uti vocantur, ita delectum dierum prorsus tollat. 1) uti Coloss. II. 16. aperte scribit Apostolus. Verum, cum diem dominicum antiquitus celebrari a Christianis videamus, nos eandem libertatem omnibus Christianis permittimus.

Nota:

1) In voce *delectus* est aliqua ambiguitas, evolvenda, ni errare velis. Potest intelligi opinio de aliquorum dierum præcipua sanctitate, hanc utique Apostolus abjiciendam censet. Verum potest etiam significare electionem alicujus diei, ad rem sacram faciendam, quæ electio hactenus libera est, non ut possit plane omitti nullusque adeo dies eligi, sed, ut possit, qui placuerit, dies, eligi.

270. *Expone quintum præceptum.*

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut prolongentur dies tui supra terram.

271. *Quid porro est honorare parentes?*

In omnibus iis dicto audientem esse, quæ modo

modo non pugnent cum Dei præceptis, & omnem gratum animum iis pro beneficiis acceptis præstare. Eph. VI. 1. 2. & 1. Tim. V. 4.

272. Quod vero officium est parentum?

Ne liberos irritent, verum eos enutriant in disciplina & admonitione Domini. Ephes. VI. 4. Coloss. III. 21.

273. Quid vero est irritare liberos?

Est vel sine caussa eos castigare, vel modum in castigando excedere, vel semper jus suum persequi, & nihil eis ignoscere. His enim rationibus animum despondent liberi, Apostolus vero mandat, ne patres irritent liberos, quo animum non despondeant.

274. Quid est eos enutrire in disciplina & admonitione Domini?

Est, eos in vias Domini introducere & conservanda Dei præcepta, tum piis collocutionibus, tum adhortatione, tum exemplo & conversatione, uti Devt. II. 19. singulare ea de re præceptum extat, ubi Deus mandat, ut mane, vesperi, non domi tantum, verum etiam in itinere, de lege ipsius, cum liberis colloquantur.

275. Quid Dominus IEsus huic præcepto addidit?

Nihil huic additum apparet. Nihilominus ea omnia, quæ de subditis & magistratu,

de uxoribus & maritis, de servis & dominis, in literis divinis tradita sunt, huc referenda videntur, propter mutua, quemadmodum inter liberos & parentes cernere est, officia.

276. Quod vero officium est subditorum erga magistratum?

Ut magistratui pareant non solum propter metum, verum etiam propter conscientiam: tributa, census, vectigalia pendant, honore prosequantur, eum metuant. Rom. XIII. 5. 1)

Notæ:

1) Non prætereundum tamen, secundum *Socini*, sed lubrice disputantis, opinionem, detrectandum militare munus, hactenus saltem, si occidendi sint hostes. Ex quo sequitur, si magistratus sontes ultimo supplicio affici imperet, carnificem neminem esse posse, qui *Socini* placita velit sequi. Verba *Fausti Socini, Epistolar. p. 408.* ad *Eliam Arcissevium*, hæc sunt verba. „Quamvis ita „statuam, Christiano homini privato non concedi quem„quam, etiam per occasionem propulsandi belli interfi„cere, membrove aliquo corporis mutilare; magistratu „licet supremo, id ut fiat, jubente. Ceteroquin armari, „& una cum aliis ad impetum invadentium hostium repri„mendum, sine cujusquam cæde proficisci, tunc credide„rim homini Christiano licere, ubi prius omnia tentave„rit, quo minus ipse proficisci cogatur, sed pecunia suam „ejusmodi profectionem redimere queat. Quod si ob„tinere seu impetrare non possit, præstat, judicio meo, „aliquod periculum futuri scandali infirmorum in fide, incur-

„incurrere, quam certissimam sibi suisque ruinam accer-
„sere. Ut nihil dicam de scandalo, quod non minus, im-
„mo multo magis, plurimis datur, cum quis Magistratui
„suo supremo parere recusat. Cui tamen in iis, quæ
„aperte contra Christi præcepta non pugnant, parendum
„omnino esse, inter omnes constat. „ Egregium vero militem, qui post diutissimam tergiversationem eo consilio intelligatur ad bellum venire, ut gestatis armis, si se terreri patiatur hostis, terreat, si nolit territus aufugere, non feriat eum, non repellat! Nos, etsi cumprimis optamus pacem & almam concordiam ubique florere, certique sumus privatos homines, injurias sibi illatas, salva fide, *ulcisci* non posse cum ullo adversarii damno, avertere quidem ne inferatur, per magistratum, quodsi hic appellari nequeat, vi etiam posse; hoc, ad conservandam rempublicam necessarium existimamus, non deesse cives Magistratui, sive unum, sive plures publicæ privatæque tranquillitatis turbatores, punituro, neque posse eum boni civis fungi officio, qui, ubi res tulerit, jussu principis sui adversus injustos aggressores arma etiam expedire nolit. Nam, non dari ejusmodi nefarios homines, quamquam optabile est, stulti tamen, saltem imperiti esset, arbitrari. His resisti a Magistratibus debere, quæ caussa est dubitandi? At resisti non potest, nisi civibus uti possit Princeps. Itaque huic jus est exigendi illa officia, cui in civibus respondet obligatio se suasque vires pro ratione ingruentis necessitatis Magistratui præbendi. Sociniani igitur, dum hæc, quæ e *Socino* recitavimus, tuentur, cives, quibus munita sit civitas, esse nequeunt. Nam licet, dum pauci sunt in civitate, eorum, militiam & arma defugientium vicem alii ære eorum conducti, facile suppleant, longe tamen alia facies rerum existet, si contigerit, quod illi percupiunt fieri, totam aliquam gentem ejusmodi opinionibus imbui. Idem fere de *Anabaptistis*, sive, ut appellari malunt, *Catabaptistis Mennonitis*ve judicandum mihi videtur, de quibus ob affinitatem caussæ *Hermanni Schyn*, celebris inter

ipsos Doctoris, verba huc retulisse, non erit lectori ingratum. Is, in *Historia Mennonitarum*, *Amsteledami*, *an. 1723.* edita, *p. 215.* de Magistratu politico sic verba facit: „Nostri officii est, Deum omnipotentem pro eis „deprecari, illique pro bonis & æquis Magistratibus gra„tias agere, atque absque murmuratione justa tributa & „vectigalia reddere. Potestatem hanc politicam Dominus „JEsus in regno suo spirituali, ecclesia Novi Testamenti „non instituit, neque hanc officiis ecclesiæ suæ adjunxit, „neque discipulos aut sequaces suos ad regalem, duca„lem, vel aliam potestatem vocavit, neque præcepit, ut „illam arriperent & mundano more gubernarent, multo „minus ecclesiæ suæ membris dedit legem tali muneri aut „dominio convenientem: sed passim ab eo (cui voce e „cœlo audita, auscultandum erat) vocantur ad imitatio„nem inermis ejus vitæ & vestigia crucem ferentia, & in „quo nihil minus apparuit, quam mundanum regnum, po„testas & gladius. Hisce omnibus igitur exacte perpen„sis (atque insuper non pauca cum munere potestatis „politicæ conjuncta esse, ut bellum gerere, hostibus bona „& vitam eripere, &c. quæ vitæ Christianorum, qui „mundo mortui esse debent, aut male aut plane non con„veniunt) hinc a talibus officiis & administrationibus nos „subducimus.„ Fac totam gentem hæc sentire, *ἀναρχίαν* & hinc turbas maximas oriri necesse est. Quamquam, qui hodie vivunt, sua ingenia a *Monasteriensium* ingeniis alienissima esse perhibent, ita tamen comparata res est, ut, ubi contigerit multos vel plurimos in republica hæc dogmata fovere, sibi scilicet haud licere Magistratu fungi, cum tamen pravitas omnibus mortalibus congenita non exuatur; quis jura dabit, quis tuebitur innocentiam, quis luxuriam compescet? Itaque ego nec Socinianorum nec Mennonitarum sententiam civitati accommodatam esse, aut cum reverentia debita Magistratibus, componi posse arbitror, nec cum ipsa *professione Mennonitarum*, qui l. c. *Schynii*, *p. 214.* Magistratum *necessariam Dei ordinationem* confitentur.

Nam,

Nam, si necessaria est ordinatio, erit & tum necessaria, cum erit, quod ipsi sane vellent fieri, tota civitas ὁμόψηφος. Sed nemo erit, qui fungatur Magistratu, si illud munus vitæ Christianorum aut male aut plane non convenit.

277. *Quod officium Magistratus erga subditos?*

Ut potestatem sibi in alios collatam divinitus, agnoscat, in defensionem bonorum & metum facinorosorum, quemadmodum Rom. XIII. 1. ad 5. fuse docetur. 1)

Notæ:

1) Qui possint Magistratibus officia in Catechesi explicari, hique de facinorosis puniendis moneri, cum nec satis inter ipsos constet, an liceat Christianis Magistratu fungi, saltem supplicia capitalia & bella penitus prohibita ipsis videantur, alii viderint; ego, qua ratione hæc cohærere queant, me videre nego.

278. *Quod vero officium uxorum erga maritos?*

Ut in omnibus maritis pareant, ut ecclesia Christo, & eosdem metuant. Eph. V. 24. 33. 1. Petr. III. 5. Coloss. IIII. 18.

279. *Quod officium est maritorum erga uxores?*

Ut eas ament, quemadmodum Christus dilexit ecclesiam, & quemadmodum suum ipsius corpus, & tanquam vasi infirmiori, honorem exhibeant, &, ne adversus eas sæviant. Eph. V. 25. 28. 1. Petr. III. 7. Col. III. 19.

280. Quod est officium servorum erga Dominos?

Ut Dominis obsecundent cum metu & tremore & sinceritate cordis, tanquam Christo, non ad oculum servientes velut hominibus placentes; verum, ut servi Christi, voluntatem Dei facientes ex animo, cum benevolentia servientes tanquam Domino, & non hominibus, scientes, quod quisque, quicquid boni fecerit, id reportaturus sit a Domino, sive liber sive servus. Ephes. VI. 5. 6. 7. 8. & 1. Petr. II. 18. ut subjecti sint Dominis, cum omni metu, non solum bonis & æquis; verum etiam iniquis. Et Tit. II. 9. 10. ut Dominis placeant, non contradicentes, non fraudantes; verum omnem fidem ostendentes. Et 1. Timoth. VI. 1. 2. Ut, quicunque servi sint sub jugo, Dominos ipsorum omni honore dignos judicent, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Et, qui Dominos habent fideles, ne eos despiciant, quod fratres sint; verum impensius serviant, quod fideles sint & dilecti, ejusdem beneficii participes.

281. Quod vero officium est Dominorum erga servos?

Ephes. VI. 19. ut servis, quod justum & æquum est, tribuant, minas remittant, scientes, quod & suus & eorum Dominus est in cœlis, nec apud eum est acceptio personarum.

282. Expone sextum mandatum!

Non occides.

283. Quid huic addidit Dominus JEsus?

Ne fratri irascamur, neque verbis asperis ex ulciscendi libidine prodeuntibus, eum offendamus. 1) Quæ Dominus JEsus vocibus, Racha & fatue, expressit. 2) Quo illa verba pertinent, Ephes. IV. 31. Omnis amaritudo & excandescentia & ira & clamor & maledicentia tollatur a vobis cum omni malitia.

Notæ:

1) Quod additum dicunt a Christo, plane nihil est. Repurgavit legem a commentis Pharisæorum inficetis. Et plane indigna res est, persuadere nobis conari, licuisse Sanctis Patriarchis, *temere irasci, & ulciscendi libidine flagrare.* Legatur modo, *Levit. XIX. 17. 18.* quo loco, qui non videt, idem plane, quod nos hodie ex ore Christi docemus, de compescenda ira & sincero reliquorum hominum amore, præcipi, illi nescio quid faciam. Pharisæorum glossa, qui *fratrem* putarunt non nisi suæ gentis hominem esse, misera est. Nam *Levit. XIX. 33. sqq.* advenarum amor sancte jubetur, quoniam & ipsi advenæ in Aegypto fuissent: Aegyptiis autem plane fuere peregrini Israelitæ, nec nisi sola humanitatis cognatione conjuncti. Hinc Christus non novam dedit legem, sed antiquæ genuinum sensum monstravit, parabola de eo, qui in latrones incidit, *Luc. X.*

2) Quod si essent Christi verba de *Racha & fatuo*, ut plerorumque fert opinio, non sequeretur tamen Christum addidisse aliquid legi; docuisset modo, ut jam dixi,

nec verbis asperioribus invehi in alterum per legem licere. Sed dudum communicavi cum Eruditis conjecturam meam, voces *Matth. V. 22.* ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Ῥακὰ κ. τ. λ. usque ad finem commatis, cum v. 21. connectendas esse, & pertinere ad dogma Pharisæorum, quod his ipsis verbis demum absolvatur, ut adeo primæ voces v. 22. quibus Christus docet, etiam irascentes alteri judicio obnoxios esse; in parenthesi collocandas videantur. Certe ad Pharisæos magis, quam ad Christum videtur spectare, cum *ablegatio ad Synedrium*, tum solicita distinctio inter vocabula *Raka* & *Fatuus*, quatum utraque iracundiæ indicium est. Simile exemplum, quo recitatis alterius verbis aliquot, respondetur, deinde reliqua ejusdem verba subjiciuntur, extat *Matth. XXIII.* nam postquam v. 17. exprobrata esset Pharisæis stoliditas verborum, jam recitatorum, pergitur in reliquis eorundem hominum recitandis, v. 18. Idem *Galat. III. 19. seqq.* accidisse, porro in *Epist. ad Rom. cap. IX.* docemus alibi. Verum hæc in gratiam eruditorum dicta sunto, ad caussam, quæ nobis cum Socinianis agitur, nihil attinent.

---

284. Quid vero est dicere alicui Racha vel fatue?

Est hoc, ac si quem nomines hominem nihili aut flocci, aut ratione carentem.

285. Quod si contingat, ut fratrem offendamus, quid faciendum est?

Summo studio reconciliandus est. Nisi enim reconciliemur fratri, religio nostra inanis est, & periculum, ne in judicium Dei incidamus.

286. Ergo nulla ratione irasci licet?

Hac ratione, quemadmodum Dominus vetat, irasci non licet, id est ultionem expetere: Verum tamen, si quis irascatur, rei turpitudine motus, nec tamen ultionem ullam meditetur, neque in ira persistat, ad eum modum irasci, nequaquam vetitum est. 1)

Notæ:

1) Non sapiunt hæc ἀκρίβειαν. Ajunt nequaquam vetitum esse, si quis ita, rei alicujus turpitudine motus, irascatur, ut in ira non persistat. At mihi sic videtur, si aliqua ira licita, immo sancta est; & persistere in ea licitum sanctumque esse; vicissim vero, si non liceat persistere in ira, naturam illius iræ malam esse oportere, neque adeo ab ipso initio non vetitam fuisse. Videntur Catecheseos auctores in animo habuisse *Eph. IV. 26.* ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν. Sed παροργισμὸς non videtur iram justam & sanctam significare, sed semper vitiosam, quæ si occupaverit pios etiam, mox, cognito vitio, ante solis occasum ad frugem seu tranquillitatem mentis redeundum esse Apostolus vult.

---

287. Quid præterea huic præcepto adjecit Dominus JEsus?

Inhibuit omne ultionis genus, non solum privatum, verum etiam quod fit per magistratum: ea ratione, quod, si quis vel corpus vel fortunas, vel nomen nostrum læserit, ut paratiores simus, aliam injuriam potius

accipere, quam nos ulcisci. Quod Dominus JEsus illis verbis docuit: Matth. V. 39. 40. 41. Ego vobis dico, ne resistatis malo: Verum si quis percusserit dextram maxillam tuam, exhibe ei alteram; & qui voluerit tecum jure contendere, ac tunicam tuam tollere, permitte ei & pallium. Et, qui te solicitaverit ad milliare unum, abi cum eo duo. 1).

288. Ergo ea verba Domini non simpliciter accipienda sunt ut sonant?

Non. Legimus enim: Jo. XVIII. 23. de ipso Servatore, eum, cum alapa ei impacta fuisset, non solum non exhibuisse malam alteram; verum etiam se percutienti ea verba opposuisse: Si male loquor, ede testimonium de malo. Sin bene; quid me cædis? Idem legimus de Apostolo Paullo, Act. XXIII. 3.

Notæ:

1) Diceres fieri non posse, ut simul aliquis in utramque extremum procurrat. Sed in explicando, vel pervertendo *Matth. V. 39. sqq.* Socinianis *Racoviensibus*, nam recentiores hic aliqua, subodorati fortasse absurditatem, delerunt, utrumque simul accidit. Nam, primum, tam acute vident, ut, si ipsis credas, addita sint aliqua longe sanctiora legi antiquæ, paullo post negant Christi verba simpliciter intelligenda; ipsum non fecisse, quæ dixisset, nec fecisse Apostolum. Quod genus interpretandi sane molestum est. Verba Christi sunt clarissima, & simpliciter, ut sonant, intelligenda, neque continent quidquam

quam aliud, nec plus minusve, quam quod præcepto de *amore proximi*, dudum continebatur. *V. 38.* narrat Dominus perversionem Pharisaicam legis Mosaicæ, qui putabant, quod de jure talionis Magistratibus imperatum est, privatis licere; posse aliquem, si ipsi sit dens excussus ab altero, huic vicissim dentem elidere. Hanc ita absurdam opinionem, ut ipsa ratio facile capiat, civitatem, si hæc liceant, consistere non posse, & oriturum bellum *Hobbianum* omnium contra omnes; refutavit Dominus noster, demonstrata fœditate ultionis privatæ, cujus verbis simpliciter acceptis, omnes Christianos oportet obsecundare. Ita scilicet a privata vindicta abstinendum est ut potius multiplicatas injurias patienter feramus, quam nos ulciscamur ipsi. Id fecit Apostolus, neque se ultus est *Act. XXIII.* &, si esset humani aliquid passus, quod quidem nulla ratione ostendi potest, non foret in eo laudandus. Christus vero patientissimus agnus, adeo non est ultus, ut de eo *Esa. L. 5. 6.* dictum sit: *Ego non rebellavi, retro non recessi, tergum meum dedi percutientibus, & maxillas meas vellicantibus: faciem meam non occultavi a contumelia & sputo.* In verbis, quæ *Jo. XVIII. 23.* leguntur, ultionis nullum est vestigium. De quo loco, quoniam occasio oblata est, dicam sententiam meam. Servus Pontificis videtur ex iis fuisse, qui Christum antea in templo frequentius audiverant, non sine commotione animi, verum e numero τῶν προσκαίρων. Nam, tales præsto tum fuisse, credere nos jubet hæc Christi oratio: *v. 21. Quid me quæris? Roga eos qui me audiverunt, quid ipsis dixerim? ecce, hi norunt quæ ego dixi.* Aderant ergo, qui illico poterant interrogari, quos digito vel potuit monstrare Christus vel monstravit. Hic sermo videbatur servo *Hannæ* eo pertinere ut suspectus ipse fieret hero suo, quasi assecla Christi. Itaque, ut se alienum ab hoc captivo JEsu Nazareno luculento specimine proderet, pugnum inflixit, ne fario scelere,

Christ

Christo, quem nunc profitendi egregia occasio fuisset, additis verbis: *Ita respondes Pontifici?* h. e. pro te loquere, caussam tuam age, quid nos conaris Pontifici suspectos facere? Nam, quod vulgo putatur, exprobrare apparitorem Christo, quod ignominiose Pontifici respondisset; id mihi non videtur probabile, hujus enim accusationis in Christi responsione *Hannæ* data, ne quidem speciosa ratio inveniri potest. Neque inflicturus erat lictor alapam reo, nisi jubente Pontifice, si injuriam huic aliquam verbo illatam putassent. Itaque nefarius servus se peti arbitratus, nam Pontifex *de discipulis Christi* percontari cœperat, v. 19. Christus autem adesse aliquot auditores suos significarat, v. 20. præcipiti affectu prosiluit ad cædendum Christum, ne quis ipsum forte pro clandestino Christi discipulo haberet. Hoc modo Christi lenissimum responsum rectius intelligi potest. *Si male locutus sum*, non nunc, sed in concione populi, in templo, cui te interfuisse negare nequis, *age*, *testare malum fuisse*, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ. Quæ verba minus bene vertuntur: *Demonstra malum esse*, quod verbum μαρτυρέω non significat. *Quodsi autem bene sum locutus*, si tua te conscientia redarguit, me nonnisi *verba vitæ* dixisse, *quid cadis me?* Hæc, meditatione utique dignissima, qui accurate expendet, videbit tantum abesse, ut hæc sint e cupiditate ulciscendi profecta, ut potius Christus ad resipiscentiam vocarit hominem, blandis, sed gravibus verbis, quemadmodum obtutu suo *Petrum* in crimine non nimis dissimili, nam ejuravit Christum. Sed hunc ad sanitatem reductum legimus, de illo non constat, quid sit factum.

---

289. Non licet ergo per Magistratum jure agere?

Licet, modo absit ultio. Hanc quippe solam

solam vetat Servator. Ultio vero est, ubi quis e..., qui in ipsum injurius extitit, par pari referre studet; ut in lege concessum fuit, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pro pede pedem, pro ustione ustionem, pro livore livorem petere. 1)

Notæ:

1) *Exodi XXI.* habetur ea lex, quam laudat Catechesis, sed Magistratibus datam esse, docet, ut, quid sit ipsis agendum, scirent, licuisse vero peti a læsis ultionem seu pœnam talionis, de auctore sceleris sumendam, nusquam extat. Sufficit caussam deferre ad judicem, hunc oportet e legibus scire, quid sit facto opus.

290. Quod vero est septimum mandatum?

Non mœchaberis.

291. Quid huic addidit Dominus IEsus?

Matth. V. 28. primum ne mœchemur, non solum reipsa, verum etiam, ne mulierem, ita ut eam concupiscamus, aspiciamus. Id innuens, eum, qui eam concupiscat, in corde suo, adulterium patravisse. Præterea idem, ibid. v. 32. addidit, eum, qui uxorem excepta caussa adulterii, dimittat, & aliam ducat, mœchari; &, qui etiam dimissam duxerit, eum pariter mœchari. Postremo, omnem scortationem & impuritatem, ac etiam omnem sermonem turpem & obscœnum, & scurrilitatem, & jocos nobis interdixit. 1. Cor. VI. 9.

VI. 9. 10. 13. 18. Ebr. XIII. 4. 1. Thessal. IV. 3. 4. Ephes. V. 3. 4. 5. 1)

Notæ:

1) Hic dubius sum, quid de Catecheseos auctoribus tum *Racoviensibus*, tum recentioribus dicam, nam hi nihil emendarunt in pessime dictis, sed auxerunt absona observatione, *polygamiam* esse a Christo interdictam, quasi non ipse ad primam institutionem matrimonii nos remisisset. Non videtur hic ignorantia sola versari, sed impudentia non mediocris. Nam, si hæc omnia addita sunt, recentioribus temporibus, lascivia in aspectu gestibusque, scurrilitas, ipsaque Scortatio olim licuit. Cum Sanctitas morum, non modo naturæ lumine, sed tot clarissimis dictis Mosis & Prophetarum ab Israëlitis exigatur. Vid. e. g. *Devt. XXII. 20. seqq. XXIII 17.* cujus capitis præcedentia quoque commata de puritate castrorum Israeliticorum conferenda sunt. De divortio non probato unquam, nisi caussa gravis esset, quamquam aliquandiu concesso, non potuerant ignorare *Sociniani Matth. XIX. 8.* Quo loco Christus palam se recepit ad institutionem matrimonii legesque adeo antiquissimas. Et tamen audent dicere, hæc omnia per Christum demum addita esse. Et, si esset quoque, quod falsissimum, divortiorum licentia divinitus probata, pertineret ad forenses Judæorum leges. Gravissimis monitis Apostolorum, quæ nobis ex epistolis laudant, si non invenere in *Proverbiis Salomonis*, ut de *Syracide* taceam, Prophetarumque libris similia, fateantur se exiguum habere in Scripturis usum. Fateor, quo major lux est Evangelii nostris temporibus, & quo ampliora beneficia divina, eo acrius oportere studium nostrum esse, sancte casteque vivendi. Verum hinc nemo colliget novas esse Sanctitatis leges datas.

292. Quid ad idem mandatum pertinet?

Id, ne fidelis infidelem uxorem ducat, nec fidelis uxor infideli marito nubat, ne per ejusmodi connubium fidelium corda seducantur, ob quam caussam in lege videmus a Deo ipso expresse vetita hujusmodi connubia. 1. Cor. VII. 39. Exod. XXXIV. 16. Deut. VII. 3. 4.

293. Quodsi ex infidelibus alteri contingat fidelem fieri, num infidelis fideli deserendus est?

Nullo pacto, si infidelis cum fideli habitare consentiat. Quod si nolit infidelis cum fideli habitare, non est in hujusmodi subjectus servituti fidelis; ut Paulus docet 1. Cor. VII. 10. 11. 12. 13.

294. Quod est octavum mandatum?

Non furtum facies!

295. Quid prohibetur hoc mandato?

In his rebus, quæ ad commodum proximi spectant, omnis ratio intervertendi: Quod fit, ubi, vel ea, quæ habet, tollimus, aut, cum non ei egeno opem afferimus.

296. Qua ratione proximo, quod ejus est, tollitur?

Aut per vim, aut per interversionem dolosam. Qua ratione per vim, cuivis planum est. Interversionis autem callidæ multæ sunt rationes. Aut enim in emtione vel venditione, aut in permutationibus, aut conducto & locato, aut in commodato & aliis actionibus

nibus eas invenire facile est. Ut habeamus quoad venditiones vetus interdictum divinum, Lev. XIX. 35. 36. & Devt. XXV. 14. 15. Non habebis in domo tua duplex Ephah, verum justum pondus habeto & justum Ephah.

297. Nonne usura huc etiam referenda est?

Prorsus.

298. Quid vero est usura?

Est in pecunia commodata extorsio commodi, cum oppressione alterius. Quod apparet ex hebrææ vocis vi, qua usura in Testamento veteri appellatur. Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 36. 37. Devt. XXIII. 19. 20. quæ sonat morsum: unde apparet, commodum a pecunia commodata percipere, sine morsu vel detrimento alterius, nec peccatum esse, nec usuram. Quo factum est, ut in Evangelio nusquam vetita sit ejusmodi commodi perceptio, nisi tum, ubi avaritia aut rapina prohibetur; licet ea omnia, quæ contra Spiritum sint & doctrinam JEsu Christi, non uno in loco speciatim commemorata & expressa sint.

299. Quid ad id præceptum adjecit Dominus IEsus?

Ne simus avari. Luc. XII. 15. 1)

Notæ:

1) Incognitam fuisse *Mosis* ætate turpitudinem avari-

avaritiæ, nemo dixerit, qui *Jethronis* sapiens consilium considerat, *Exod. XVIII.* 21. Et castigati sunt veteres, ob avaritiam, per Prophetas sæpissime, v. g. *Esa. V.* 8. 9. Itaque, quod de additamento comminiscuntur, planissime falsum est.

300. Quid vero est avarum esse?

Est plus habere velle, quam ad tuendam vitam, tum tuam, tum tuorum omnium, pertineat; Ebr. XIII. 5. 1. Tim. VI. 8. 9. 10. 11.

301. Qua vero id fit ratione?

Ea nimirum, dum homines præter privatam & justam necessitatem, aut quærunt aut recondunt; 1) ut Luc. XII. 15. & sequ. a Christo docetur.

Notæ:

1) Recondere cur non liceat legitime parta, quamquam paucioribus nostræ & nostrorum necessitati consultum esse videamus, nec sint, quibus necesse esset nunc illa abundantia subveniri, nescio unde velint probare Sociniani, qui ejusmodi assertionibus nescio cujus Sanctitatis opinionem captare videntur. Prudenter administranda esse bona, duce amore Christiano, scimus fatemurque omnes. Sed parum sapienter agunt, qui a nemine, quod nunc superfluum videtur, recondi volunt; potest enim oriri publica calamitas, ut de privata nihil dicam, ubi rerum ita reconditarum egregius est usus. Et cum velint liberalitatis speciem aucupari, qui sine necessitate opibus se suis exuunt, hoc agunt, ut orta necessitate, jam nihil sit, quo possint liberalitatem exercere. Ceterum hanc totam de *avaritia*, quam Christus demum prohibuisset, disputationem, omiserunt Sociniani recentiores hoc loco, at rejecerunt in caput sequens.

302. Quæ vero justa necessitas ad tuendam vitam pertinens?

Victus cultusque corporis, ac ea, sine quibus vita præsens conservari nequit.

303. In quos igitur usus vertere debent Christiani, quæ justæ necessitati supersunt?

Ea omnia vel in usus gloriæ divinæ, vel ad sublevandos pauperes, inprimis domesticos fidei, vertere debent: ea tamen cautione adhibita, ut ne quid studio privatæ gloriæ faciant, quod docet illis verbis Christus: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. Matth. VI. 3.

304. Qui vero victui cultuique corporis ponendus modus?

Eo pacto, ne qui luxus aut corporis voluptas in nobis inveniatur.

305. Qui vero luxus & corporea voluptas vitari potest?

Cum cibi & potus usum ad valetudinem tuendam accommodabimus, cultum vero eum adhibebimus corpori, in quo nec luxus nec levitas appareat.

306. Quid vero in ciborum & potus usu luxum vocas?

Gulam & ebrietatem, quo pertinent comessationes, quas prohibet palam Servator, uti

uti Scripta Novi Teſtamenti apertiſſime planum faciunt. Luc. XXI. 34. Rom. XIII. 13. Galat. V. 21. 1)

Notæ:

1) Parum explicat hic Catecheſis, nec fere clariora ſunt reſponſa, quam quæſtiones, non immerito a recentioribus plane prætermiſſæ. Comeſſationes, cum nimium editur, bibitur, tempus perditur, non Chriſtus demum vetuit, ſed ipſa ratio prohibitas eſſe docet. Honeſta & moderata convivia nusquam Chriſtus interdixit, quin talibus ipſe interfuit.

307. Quod eſt nonum præceptum?

Non falſum teſtimonium dices in proximum tuum!

308. Quid ad præceptum hoc pertinet?

Mendacium quodvis, quod non ſolum ab animo fallendi cupido proficiſcitur, verum etiam ex levitate: præterea omne obtrectationis & detrectationis & damnationis genus. Apoc. XXI. 8. Epheſ. IV. 25. Rom. I. 29. 30. 1. Petr. II. 1. Matth. VII. 1. Luc. VI. 37.

309. Quod eſt decimum mandatum?

Non concupiſces domum proximi tui, nec concupiſces uxorem ejus, nec ſervum, nec ancillam, nec bovem neque aſinum, nec ullam rem ex iis, quæ ipſius ſunt.

310. Quid est concupiscere domum proximi sui?

Est, in corde constituere, ut rem proximi tui, quam appetis, consequare, etiam iniquissima ratione.

311. Quid vero huic præcepto additum est in novo fœdere?

Non solum ad eum modum concupiscere non licere; verum etiam rei cupitæ nullo modo animum adjiciendum esse, etiamsi, ut eam assequatur, nullo modo cogitet, verum ea ipsa tantum concupiscentia voluptatem aliquam in corde suo quærat. Quod enim facere, vel possidere turpe est Christiano, id ne concupiscendum quidem illi est. 1)

Notæ:

1) Hoc est in faciem contradicere, quod & recentiores fecerunt, Apostolo, *Rom. VII.* 8. 14. qui legem spiritualem agnovit, atque ex ea didicit, quod sola ratio ipsum non docuisset, concupiscentiam peccatum esse. Hoc quidem facile est ad intelligendum, non licere *secum constituere, ut rem proximi vel iniquissima ratione assequamur.* Itane Apostolum nobis fingemus ratione adeo crassa usum, ut, quod omnes viderunt, qui ex ipsis Ethnicis de officiis præceperunt, non videret. *Seneca Consolat. ad Helviam cap. XIII.* „Si cogitas, libidinem non voluptatis caussa „homini datam, sed propagandi generis: quem non vi„olaverit hoc secretum & infixum visceribus ipsius exiti„um, omnis alia cupiditas intactum præteribit. Non sin„gula vitia ratio, sed pariter omnia prosternit, in univer„sum semel vincit.„ De cupiditate homini congenita, quæ

quæ *Seneca* agnovit, non agnovisse, non sensisse ingenio suo, quo polluit, Paullum Apostolum, nefas est dicere. Sed non agnovit, nisi lege Magistra, quæ amplius aliquid docet, quam ratio per se agnitura fuisset. Hoc est, non actum modo concupiscendi, non voluptatem ex illa cupitæ rei consideratione, captam, tantum prohiberi, quod Catechesis a Christo demum additum credi vult, sed ipsam pravitatem naturæ, qua fit, ut ad cupiditates proni simus, contra legem esse & displicere Sanctissimo Numini. Hinc arbitror in aprico esse, falsa omnia & conficta esse, quæ de additamentis legis moralis Catechesis nobis persuadere conata est.

CAPUT II.

DE PRÆCEPTIS CHRISTI SIGILLATIM AB EO TRADITIS.

312. *Exposuisti mihi præcepta Christi, quæ mandatis Dei per Mosen expositis, & iis, quæ Christus Mosaicis adjecit, continentur: superest, ut ea quoque exponas, quæ Christus nominatim proposuit?*

Ea sunt duplicia: Quædam enim mores, quædam externos actus religiosos, qui vulgo ceremoniæ vocantur, respiciunt.

313. *Quæ vero respiciunt mores?*

Hæc: abnegatio sui ipsius: crucis tolerantia & perpessio: Imitatio Christi. Matth. XVI. 24.

314. *Quid vero est abnegatio sui ipsius?*

Est privatæ voluntatis & cupiditatum mundanarum & carnalium renunciatio.

315. Quæ vero sunt istæ cupiditates?

Sunt eæ, quæ vel ad voluptatem carnis, vel ad opes & divitias, vel ad vitæ fastum referuntur; quod Joannes, 1. Jo. II. 15. 16. in his verbis comprehendit: Ne ametis mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, &c. nam, quicquid (est) in mundo, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo. Quæ quidem Joannes, non solum cum incommodo valetudinis aut aliorum injuria vel contumelia quæri prohibet; verum etiam, si citra hæc fidelibus contingant, despici atque contemni vult, ab iis omnino.

316. Quid vero est isthæc crucis portandæ ratio?

Est animi, non solum ad afflictiones quasvis; verum etiam ad mortem, vel acerbissimam & ignominiosissimam Christi caussa subeundam, præparatio & exceptio istorum voluntaria, atque cum quadam etiam voluptate tolerantia & perpessio.

317. Quæ porro est Christi imitatio?

Est vitæ nostræ ad vitæ Christi regulam compositio.

318. In quo ea consistit?

In conservatione earum virtutum, quas Dominus JEsus nobis in seipso, tanquam in vivo exemplari, repræsentavit.

319. Quæ vero hæ sunt virtutes?

Præcipuæ sunt: Fiducia in Deum, charitas perfecta, humilitas, in precibus assiduitas perpetua.

320. Quæ est in Deum fiducia?

Inferius ea de re audies.

321. Quæ charitas?

Ea vel Deum, vel proximum, spectat.

322. Quæ in Deum charitas perfecta?

Ut Deum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus supra omnia ames.

323. Quæ charitas in proximum?

Ea vel in fratrem vel inimicum dirigitur.

324. In qua perfecta charitas consistit erga fratrem?

Ea in re, ut vitam etiam pro eo profundamus: Quod etiam Dominus JEsus mandatum suum vocat novum. Unde apparet, fratrem esse amandum, non solum ut nos ipsos, verum etiam supra nos ipsos. 1. Jo. III. 16. Jo. XIII. 34. & XV. 12.

325. Quid vero est animam seu vitam pro fratre profundere?

Ut fratrem serves, non solum nullis aliis rebus parcere: verum etiam discrimen vitæ non recusare: Quemadmodum a Paullo in Priscilla & Aquila, & Epaphrodito, ejus rei

exemplum propositum videmus. Rom. XVI. 3. 4. Philipp. II. 30.

326. In quo vero consistit erga inimicum charitas?

Ut inimicus multiplex est, ita charitas in eum diversa. Nam nos execrantibus tenemur bona precari: Iis, qui nos oderunt, benefacere: pro iis vero, qui nos affligunt, & persequuntur, orare; cum rogant, iis dandum est; cum esuriunt, sunt cibandi; cum sitiunt, potandi. Et, cum mutuo sumere velint, in necessitate vera atque propria, a nobis nequaquam sunt rejiciendi. Matth. V. 44. Luc. VI. 27. 28. Rom. XII. 20.

327. Quid est humilitas?

Est animi tui summissio, etiam si summus sis, & ministeriorum etiam vilissimorum, aliis, quantumvis vilibus præstandi promtitudo: Quam in seipso expressit Christus, cum servorum suorum, Apostolorum nempe, pedes lavit. Philipp. II. 3. 4. Jo. XIII. 4. 5. &c.

328. Quid est denique assiduitas in precibus perpetua?

Est animi nostri quam sæpissime ad Deum, quovis in loco sublatio, eidem commendatio omnium necessitatum, tum credentium, tum omnium hominum, potissimum regum, & co-

& eorum, qui præsunt cum imperio. 1. Tim. II. 1. 2.

329. Quibus rebus instructi esse debent orantes?

Ut Deo confidant, eum nempe posse dare, quod petunt, nequaquam dubitent. Ut secundum Dei voluntatem precentur, id est, ea, quæ Deus promisit. Denique voluntatem Dei compleant, potissimum, ut, si quid adversus aliquem habeant offensæ, remittant, atque ita manus puras tollant, sine ira & disceptatione. Quam quidem ad rem multum juvat jejunium, quod credentes ultro ob eam caussam, sibi ipsis imponunt, in quo maxime vitanda hypocrisis. Jac. I. 6. Marc. XI. 24. 1. Jo. V. 14. 1. Jo. III. 22. Jo. IX. 31. 1. Tim. II. 8.

330. Quid est jejunium?

Jejunium, de quo hic agitur, nihil aliud est, quam a cibo & potu ad certum tempus, continentia, ut e multis exemplis in sacris literis propositis observare licet.

331. Nonne est jejunium, ubi homines a certis cibis abstinent?

Ex jejunii descriptione deprehendere poteras, a certo ciborum genere abstinere nequaquam esse jejunium: Sed potius ciborum delectum, quem Apostolus redarguit & inter dogmata Satanæ recenset. 1. Tim. IV. 3.

332. Jejunantes an certis diebus adstringi debeant?

Nullo pacto. Id enim est contra proprietatem & libertatem religionis Christianæ, quæ spiritualis est, nec ullo modo ullis temporibus astringitur. Nec vero jejunium est Deo acceptum, nisi id Dei gloria, aut nostra salus & aliorum, aut aliæ necessitates, exprimant. Quare, totum illud tempus, quod jejunio tribuitur, impendendum est in studia Christiana, ut sunt exercitatio in lege Domini, ardentes preces & pia colloquia. &c.

Notæ:

Quæ toto hoc capite exponuntur, ita sunt comparata, ut in nostris auctoribus melius quidem & accuratius doceantur, carpenda tamen haud videantur, nisi quod fratrem amandum esse *supra nos* perhibent, quem Scriptura amari jubet *ut nos*. Sed hoc fidem superat, fieri potuisse, ut pro Christi singularibus præceptis venditentur, ab iis hominibus, qui Scripturæ peritissimi videri volunt. Quos vero homines arbitrantur Sanctos Patriarchas fuisse? *Abrahamum* & *Isaacum* & *Jacobum* & *Mosen* ignorasse credunt, quid sit *sui abnegatio?* Quorum ille excedente e patria, & offerendo unico filio loco holocausti, tantum specimen abnegationis sui & sinceri obsequii, quæ omnia fidei veræ fructus fuere, edidit, ut non videatur a quoquam unquam victus, quamquam & alii strenue hunc credentium Patrem, iisdem vestigiis, secuti sunt. Isti, non una calamitate perfuncti sunt fide candida in Deo vivente reposita. Hic sprevit *temporalem voluptatem & aula Ægyptiaca delicias*, electa potius Christi ignominia. *Ebr. XI. 24. 25.* *Davidem* vero preces faciendi facultate

divina

divina non polluisse, & *Jobum* ignorasse, quid sit patientia, & Patriarchas omnes jejuniis, omnibusque tandem pietatis exercitiis non dedisse operam, qui sibi persuadere possunt, hos ego negabo unquam legisse codicem sacrum. Ut adeo merito quæras, ubi *Racoviensibus* mens fuerit, cum ea scriberent. Recentiores viderunt absurditatem, sed vitare tamen noluerunt. Sic quærunt: „Annon vi„tia ista etiam in veteri fœdere prohibita censeri debent?„ Respondent autem: „Non nisi eatenus, quatenus cum „aliorum injuria aut contumelia, aut alterius alicujus præ„cepti divini neglectu essent conjuncta. At, sub novo „fœdere etiam per se sunt vetita, idque sub amissione sa„lutis; ut ex ipso *Joannis* loco, 1. *Jo. II.* 15. 16. satis in„telligi potest.„ Quæ verba digniora sunt indignatione, quam refutatione. Jam ista teterrima vitia ceterorum omnium radices per se non sunt mala, nisi cum aliis conjuncta, & nunc demum cœperunt esse per se mala, quod sua natura non fuerant!

CAPUT III.

DE COENA DOMINI.

333. Quæ vero sunt præcepta Domini JEsu, ut vulgo vocant, ceremonialia?

Est unum duntaxat, 1) cœna nempe Domini.

334. Quid vero est cœna Domini?

Est Christi Domini institutum, ut fideles ipsius panem frangant, & comedant, & ex calice bibant, mortis ipsius annunciandæ caussa. Quod permanere in adventum ipsius oportet.

335. Quid vero est annunciare mortem Domini?

Est publice ac sacrosancte Christó gratias agere, quod is, pro ineffabili sua erga nos charitate, corpus suum torqueri & quodammodo frangi, & sanguinem suum fundi passus sit, & hoc ipsius beneficium laudibus tollere & celebrare.

336. Cur vero hujus potissimum rei memoriam Dominus in cœtu suo celebrari voluit?

Eo quod ex omnibus Christi actionibus, ea sit summa & ei maxime propria. Licet enim a mortuis resurrectio & exaltatio Christi sint longe majores, 2) eas tamen Deus ipse Pater, non autem Christus ipse peregit.

337. Nonne alia caussa, ob quam cœnam instituit Dominus, superest?

Nulla prorsus. 3) Etsi homines multas excogitarint. Cum alii dicant esse sacrificium pro vivis & mortuis. Alii usu ipsius se consequi peccatorum remissionem & firmare fidem sperant: & quod eis mortem Domini in mentem revocet, affirment.

338. Quid vero de his opinionibus statuendum est?

Nullam ex illis subsistere posse. Etenim, cum is finis cœnæ Domini usurpandæ sit, ut pro beneficiis acceptis Christo gratias agamus, apparet, non eo institutam esse, ut ali-

quid

quid illic sumamus. Immo qui vult digne cœnæ Domini participare, eum de remissione peccatorum ex parte Dei, certum, ac fide confirmatum esse oportet, & prorsus ita animatum, ut ex illius animo nunquam mortis Domini excidat memoria.

Notæ:

Cur solam *cœnam* S. huc referat Catechesis, neglecto baptismate, dispiciemus, cum ad illud caput perventum fuerit. Hic satis erit observasse, recentioribus cœnæ jungendam immo præponendum visum esse baptisma, de quo quid ipsi dixerint, suo loco exponetur. Ceterùm nos, neutro instituto legem auctam esse credimus. Utrumque Sanctissimum Sacramentum firmiter credimus sigillum esse gratiæ Evangelii additum, quemadmodum de *circumcisione* idem Apostolus prædicat, *Rom. IV.* 11. *Et signum accepit Abrahamus circumcisionis, sigillum justitiæ fidei.* Utriusque autem Sacramenti excellentissimus fructus est, quem *Paullus* 1. *Cor. XII.* 13. nobis describit: *In uno Spiritu omnes ad unum corpus baptizati sumus. Sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi, & omnes in unum Spiritum potati sumus.* Nemo poterit jure dubitare agi hoc loco de baptismate & cœna Domini. Et, quemadmodum *Pontificiis*, qui maximam partem Christiani populi bibitione fraudant, hoc dictum Apostoli fulmen in auribus esse debet: Ita Sociniani ex eodem loco discere poterant, cui fini sint ista Sacramenta destinata, nimirum Spiritus S. illis est efficax; & quemadmodum homines baptismate vel inseruntur corpori Christi mystico, vel, si per fidem jam sint inserti, non sine maximo augmento gratiæ in eo confirmantur: ita in eodem Christi mystico corpore aluntur & augentur subinde magis sacræ cœnæ legitimo usu. Quod ut rectius accipiatur, observandum, agere

Apostolum, in præcedentibus de donis miraculosis, pro arbitrio divino, tum in ecclesia primitiva distributis. Jubet adeo unumquemque eo dono, quod nactus esset, & contentum esse, & sancte uti: graviter autem vetat mutuum contemtum, vel de potiori mensura accepta, fastum & superbiam. Nam, si vel contingeret aliquem horum miraculosorum munerum plane expertem esse, non fore ideo minus felicem, cum maneat communis omnium Christianorum, ut palmitum in una vite, Christo, felicitas, quod uno baptismate abluti sint, uno potentur calice. Quibus verbis tam non excluditur participatio panis evcharistici, corporisque Christi cum eo conjuncti, quam 1. *Cor. X.* 17. vocibus: *Unum panem omnes participamus*, calix, inque eo sanguis Christi, non excluditur. Sed cœcus est, qui non videt dari, aliquod, & præclarum quidem beneficium utroque Sacramento, & hoc potissimum, de quo nunc loquimur, Christianis, nimirum, ut simus, & maneamus in corpore Christi, ut viva membra.

2) Quam friget hic Catechesis! Fatetur, mortis Christi caussa, ut ejus perpetua memoria seu recordatio, seu commonefactio (utramque enim conjunctam esse, licet hanc solum græca voce ἀνάμνησις *Socinus* intelligi velit, res docet:) Fatetur, inquam, in memoriam mortis institutum esse sacrum epulum, perpetuo duraturum ad finem mundi; at, præclarissimum hoc esse, quod in Christo considerandum sit, fateri tamen non vult, perhibetque esse longe majores actiones, resurrectionem & exaltationem, sed mortis tamen ideo memoriam potius conservandam, quoniam *illam* Christus sustinuerit, has, non ipse, sed Pater peregerit. Videt Lector, omnia hic esse falsissima. Quid vero? Resurrectio & exaltatio, seu occupatio gloriæ cœlestis non est ab ipso Christo peracta? Quid vero ista verba Christi: *Jo. II.* 19. 21. *Dissolvite hoc templum, scil. corporis mei, & post tres dies excitabo illud?* Si non excitavit ipse, falsa prædixit. Si excitavit, quod certissime factum est, ipsius erit actio ista resurre-

ctio,

ctio. Sed & sessio ad dextram Patris seu occupatio gloriæ ipsi tribuitur. *Ebr. I.* 3. *VIII.* 1. itaque occupasse cœlum dicitur, *Act. III.* 21. nam *Beza* perversionem ejus loci nemo peritus rerum probabit, contra quem recte disputant *Erasmus Schmidius* & *Jo. Hammondus* iniqua hic censura vexatus a *Jo. Clerico.* Sed, pone verum esse, quod vidimus esse falsissimum; Fac, non resurrexisse Christum ipsum, non consedisse ipsum ad dextram Patris, sed resuscitatum a Patre, collocatum a Patre, quod & verissimum est, & multis locis dicitur, nam Patris & Filii actio & potentia una eademque est: Tamen, si fides nostra potissimum consideratione gloriæ Christi alitur, quale præmium & nobis sancte viventibus propositum sit; mortisque adeo nulla alia ratio fuit, quam ut esset occasio adeundi gloriam, quemadmodum in via nihil est præclari, quæ ad pulcherrimos hortos ducit, nisi quod calcanda est, cum alioquin hortos ingredi non possimus; si hæc omnia, ita, ut vult *Socinus*, habent, nemo dixerit, cur *mortis* potius, quam *exaltationis* μνημόσυνον institutum sit tam sacrum, tam perpetuum? Nam nihil obesset *in Christo*, non item *a Christo*, facta esse illa opera gloriosa, ad nos saltem excitandos in alacri cursu Sanctitatis magis illa facerent, quam *mortis* subinde recurrens tristis imago. Quanto rectius & solidius Evangelici colligunt, cum *mortis* Christi, quamquam nec *gloriæ* obliviscimur, *Rom. VIII.* 34. potissimum celebranda sit memoria, hac ipsa morte repertam esse æternam redemtionem. Itaque *Ebr. I.* 3. Apostolus dicit Christum, facta purgatione peccatorum per se ipsum, consedisse ad dextram Majestatis in cœlo.

2) *Nulla prorsus* alia ratio videtur Catechesi institutæ sacræ cœnæ, nisi ut gratiæ Christo agantur. Pervicit ergo detestabilis opinio *Fausti Socini*, quamquam alii *Unitarii* seu *Poloni Fratres*, ut se vocant, potissimum *Jo. Niemojevius* acriter intercesserant. Interest lectoris scire rem gestam, quam e libello *Racovia* anno 1618. edito, enar-

enarrabo. Libri hæc est inscriptio: *Fausti Socini Senensis de cœna Domini tractatus brevis, una cum ejusdem adversus scriptum Domini Joannis Niemojevii defensione, &c.* Hinc primum *Socini* levissimam de sacra cœna opinionem, porro *Niemojevii* objectiones, tum quæ *Socinus* respondere conatus est, recognoscere juvabit. Igitur *Faustus* p. 8. „Ut igitur ad propositum revertamur & concludamus, dico, in sumtione illa panis & vini, quæ fit in cœna Domini, nihil præter panem ipsum & vinum, sive a credentibus, sive a non credentibus accipi, non corporaliter, neque spiritualiter, quandoquidem non aliquid nobis dandi caussa ritum hunc instituit Dominus; sed ut, quæ jam dedit, a nobis commemorentur, deque iis gratiæ agantur. Idque communiter comedentibus & bibentibus nobis simul ex eodem pane & ex eodem poculo, unde nos ejusdem corporis esse intelligatur, omnesque simul, eorundemque beneficiorum Christi participes, & indissolubili mutuæ charitatis nodo inter nos conjunctos. Ex quo factum est, ut hic ritus, ab antiquissimis temporibus, nominibus communionem & conjunctionem significantibus appellatus fuerit. Itaque non percipitur ullo modo, nec ab ullis in cœna Domini ex vi aliqua singulari sive ex ipsa cœna manante, sive inibi potius, quam alibi, divinitus proficiscente, corpus & sanguis Domini, sed jam sumtum utrumque eo modo fuisse, quo sumi potest, declaratur.„ Item p. 33. „Cum ex ipsius Christi & *Paulli* verbis manifestum sit, propter se illum institutum fuisse (ritum), i. e. ad sui commemorationem, sine ulla mentione boni alicujus, quod ipsius fideles inde percepturi essent, nedum propter ipsos fideles, non autem propter Christum hic ritus institutus dicatur. Scio quidem, Christianorum vulgus ita ad cœnam Domini accedere, quasi a Christo aliquid, per ejus ministri manum, accepturum, quæ persuasio omnis erroris, qui circa hunc ritum extitit, pravæque superstitionis & idololatriæ tandem prima origo & caussa fuit. Nam, si vel hoc unum, ut sacris literis testatissi-

mum

„mum est, sic nobis Antichristianus Spiritus illibatum „reliquisset, cœnam videlicet Domini, ex ipso Christi „instituto, nostrum plane esse opus ad ipsius Christi nomen „concelebrandum prorsus pertinens, non autem ad ali„quod bonum, tanquam a Christo ibi datum, nobis „comparandum, quam longissime perpetuo abfuissent „a Christianorum cœtibus tot tantaque circa hunc sacrum „errorem monstra atque portenta.„ Audivimus forte plus satis audacissimum *Faustum*, quem non puduit scribere, hanc suam detestandam sententiam *in Christi & Apostoli verbis testatissimam esse.* Cum Christus dixerit, *accipite*, nihil dedisse censendus est. Cum Apostolus dicit, *participamus* panem & calicem Domini, item mensam Domini, nihil vult nobis datum esse, præter panem, quem attulimus ipsi! Cur ergo est *Domini mensa*, si nihil nobis dat Dominus? *Niemojevius* acriter respondit, longe gravius id facturus, si, ut par est, veram corporis & sanguinis Christi in cœna manducationem & bibitionem ipse credidisset. Sic tamen ait *p.* 19. *Ingenue fateor, meam sententiam tantum distare ab opinione D. Socini, quantum cœlum a terra distat. P.* 20. *Quod ad cœnam Domini attinet, id cogor dicere, me neminem hactenus legisse, qui adeo contemtim hac de re sentiat. P.* 26. *Usui vero sacramentorum an minus tribuere debemus, quam auditioni verbi divini? Fortasse ita videtur D. Socino, sed non spero, homines Deum timentes, & res divinas considerantes & recte de iis judicantes illi hac in parte assensuros. P.* 50. recitatis verbis *Socini*, subjungit: *Cor pium ad hac verba contremiscat!* Urget adversarium suum *Niemojevius*, his potissimum rationibus, *p.* 23. tricas esse *Socini*, quod inter *recordationem* & *commemorationem* distinguat, quasi ad hanc solum publice instituendam cœna sit a Christo sancita, esse enim necessariam simul recordationem ejus rei, quæ commemoretur. *Socinus* respondet: *Ego quidem institutionis cœnæ Domini finem istum unum agnosco*, &c. & contendit recordationem mortis

Christi antecedere oportere usum cœnæ. *P.* 25.26. *Socino* neganti cœnæ usu fidem confirmari, quia sit opus nostrum, oggerit, esse & auditionem verbi opus nostrum, hoc modo sequi, neque ex ea fidem confirmari posse; cui *Socinus, p.* 27. infeliciter respondet, verbum Dei habere in se rationes, quæ ad credendum hominem moveant, sed ritum cœnæ esse *simplicem nostram actionem, omnibus probationibus eorum, propter qua fit, quod ad nos ipsos attinet, destitutam.* *P.*29. *Niemojevius* sic ait: *Dominus noster JEsus Christus, porrigens panem, commemorat corpus suum pro peccatis nostris traditum; similiter calice porrecto sanguinem pro peccatis effusum. Quod dum audio, & apertissimum horum omnium typum in usu cœnæ Domini habeo, annon corroborari in fide debeo? quando hæc verba a Christo semel prolata in usu cœnæ Domini ita considerantur ac recipiuntur, non ut verba humana, sed ut verba Christi Domini, & actio cœnæ Domini.* Pergit: *Unde contra D. Socinum concludere possumus, quod legitimus cœnæ Domini usus non tantum sit opus nostrum, sed etiam opus Christi.* Quam parum apte responderit *Socinus*, ex his ejus verbis *p.* 31. colligi poterit: „Sed præterea diligen„ter considerandum est, minus verum esse, in cœna Do„mini ita mentionem fieri corporis Christi pro peccatis „nostris traditi, & sanguinis fusi, quasi Christi verba in „ipsa instituenda cœna dicta repetantur, & ejus nomine „iterum proferantur. Neque enim in hunc finem Chri„stus ea verba protulit, eave suo nomine postea repeti jus„sit; sed, sic locutus est, (videtur omissum: *ut osten„deret;*). quinam finis & usus esset, ejus ritus, quem in„stituebat, & suis discipulis, non quidem ipsius nomine, „sed proprio ipsorum, posthac peragendum. Nulla et„iam est præscripta a Christo verborum forma in ritu hoc „peragendo: ut præter id, quod historia ipsa docet, ex „suo capite Pontificii somniarunt.„ Lectori hoc tribuo, ut, quam sint frivoli hæc dicta, per se intelligat, neque enim faceret idem, quod Christus fecit, qui non cogitaret

de

de morte Christi pro peccatis generis humani facta. *P.* 34. *Niemojevius* opportune adversario objicit, non sine caussa poculum appellari *poculum Novi Testamenti*, nam, quocunque modo explicet ea verba *Socinus*, nihilominus tamen fatendum, aut sigillum aut signum aut testimonium novi fœderis usum sacræ cœnæ esse. Constrictum esse *Socinum* hoc argumento facile prodit ejus frigidissima responsio: *P.* 35. Nusquam legi Christum appellasse poculum illud poculum Novi Testamenti, sed ipsum Novum Testamentum, ut est apud *Lucam* & *Paullum*, vel sanguinem suum Novi Testamenti, ut est apud *Matthæum* & *Marcum*. Nam, si poculum, h. e. quod eo exhibetur, *ipsum* est *Novum Testamentum*, oportet sane aliquid, quod ad fœdus hoc novum pertinet, dari, & frustra se in omnes partes versat *Faustus*, ut neget rem plane liquidam. *P.* 37. urget *Niemojevius Socinum* propria hujus confessione: posse quidem in ipsa cœna Domini celebranda confirmari & augeri fidem, sed non ex illa panis & vini sumtione, nec ex virtute aliqua divina, quæ ibi potius, quam alibi exseratur, sed ex mutuis cohortationibus &c. Itaque hic ait: *Vide quomodo veritas hominem constringat. Et, quisnam ex nobis cœnam Domini sine his rebus & præsertim sine doctrina verbi Dei describit & statuit?* Effugere se posse putat *Socinus*, dicendo, res illas, quibus fides in sacra cœna augeri possit, adjunctas tantum esse, non pertinere ad ritus istius substantiam; & *Niemojevii* argutationi sic satis respondere videtur, neutro nimirum veritatem vidente. Porro, *p.* 42. recitat *Niemojevius Socini* verba, in sacra cœna nihil præter panem & vinum accipi; aitque istiusmodi sermonem fidelibus horribilem esse necesse esse. Nam, etiamsi panis & vinum naturam suam non perdant, non posse tamen pro simplice pane & vino reputari, atque haberi. *Socinus* regerit, dicendum esse adversario, quidnam illud sit, quod præter panem & vinum accipi ipse credat? nihil esse horribile in sermone suo. *Certe*, inquit, *Zvvinglius, & alii, qui, ut ipsi homines nostri sentiunt, pri-*

mi omnium omnes perniciosiores crassioresque de cœna Domini opiniones ex Christi ecclesia exterminare cœperunt, hoc idem dixerunt, quippe qui aperte vidissent, cœnam Domini non eo institutam fuisse, ut ibi aliquid ad salutem accipiamus, sed, ut ad eam pertinentia accepta quadam, commemoremus, deque iis gratias agamus. Sub finem libelli subjuncta sunt aliquot loca *Zwinglii,* aliorumque, de quibus viderint *Reformati*, quorum interest. Ego contentus ero duo loca repetiisse: Ita *Zwinglius* p. 72. *ex declaratione, de peccato originali, ad Urban. Regium, circa finem Tom. II. fol.* 122. *a.* ,,Signa igitur nihil quam externæ res sunt, quibus nihil ,,in conscientia efficitur. Fides autem sola est, qua bea- ,,mur. Ea vero fides, quæ Dei promissis veraciter ac ,,firmiter hæret. Symbola igitur sunt externa ista rerum ,,spiritualium, & ipsa minime sunt spiritualia, nec quid- ,,quam spirituale in nobis perficiunt, sed sunt eorum, qui ,,spirituales sunt, veluti tesseræ.,, Idem *de Baptismo tractatu postremo, Tom. II. fol.* 63. *a.* ,, Ceterum uti de signis ,,quoque nonnulla diximus, inprimis necessarium est, ut ,,error, quo & nobis a quibusdam impositum est, in lu- ,,cem, omnibus conspiciendus, protrahatur. Quosdam ,,in ea opinione fuisse cernimus, ut docuerint, signa in hunc ,,finem data esse, ut fidem internam confirment, & id, ,,quod edocti sumus, aut, quod nobis promissum est, ceu ,,sigillo quodam infallibili, obsignent. Qui hæc tradide- ,,re, a vero longissime aberrarunt.,, Paullo post: ,, Nec ,,tamen ea negamus esse signa quædam in hunc finem nobis ,,divinitus concessa, ut in fide certiores magisque securos ,,reddant, & carni, quæ nunquam non novis turbis fidem ,,exagitat, aliqua ex parte, satisfaciant. Hæc autem signa ,,miraculosa sunt, non sacramentalia, quibus *Mosis vir-* ,,*gam, Gedeonis vellus,* & alia quædam hujus generis infi- ,,nita, quæ veteribus tradita sunt, adnumerare licet. &c ,, Aliam objectionem *Niemojevii,* si sacra cœna non confirmet fidem, præstantiorem censendum esse hostiarum sanguinem, quo fœdus confirmatum esset; hoc modo amo-

liri

liri *Faustus* studet: „argumentum a sanguine pecudum „non recte ductum esse: Siquidem sanguini illi, non vi„num illud, quod in cœna Domini bibitur, sed Christi „sanguis respondeat, quo confirmatum fuerit novum fœ„dus, quemadmodum sanguine illo pecudum, vetus fue„rat confirmatum. Vinum autem illud non adhiberi in „sacra cœna ad confirmandum novum fœdus, sed ad Chri„sti sanguinem, quo semel tantum in æternum confir„matum fuit, adumbrandum, & commemorandum. „Itaque multo præstantiorem sine dubio respectu veteris „fœderis fuisse sanguinem illum pecudum, quam respectu „novi sit panis ille & vinum. &c.„ Hic velim observari, premi posse *Socini* impietatem vehementissime hoc argumento: Neque enim fas est negari, amplius aliquid contineri *instituto ipsius Christi*, quam *typico isto Mosaico.* Cum ille sanguis pecudum non bibitus sed sparsus tantum, potuerit eos, qui in vera fide offerrent, certos de expiatione peccatorum facere, multo magis necesse est, eos, qui in S. cœna non animalium sanguinem, sed Christi Domini accipiunt, nec asperguntur eo foris, verum bibunt ipsum, hos, inquam necesse est, tam luculento & efficaci signo gratiæ divinæ, porro ipsius Christi cum fideli homine intime uniti efficacia, confirmatissimos de salute sua & plane certos ac hilares fieri. Verum *Niemojevius* & illi omnes, qui corpus Christi vere comedi, sanguinem vere, h. e. *ore* bibi negant, hoc validissimo argumento infeliciter utuntur. Recte enim *Socinus* regerit, *sanguinem animalium* non respondere *vino*, sed *Christi sanguini.* Nos itaque *Socino* hoc concedimus, sed ipsum Christi *sanguinem*, non modo *vinum*, in cœna sacra sumi, Domino ajenti: *hoc est sanguis meus, Novum Testamentum*, sive: *hoc est novum Testamentum in sanguine meo*, credimus, immo liquere arbitramur, Christi verbis nullum idoneum sensum inesse, si calix evcharisticus pro umbra & typo sanguinis, non pro ipso sanguine Domini habeatur. Quid enim hic esset præcipui, cum utrobique figura ejusdem rei esset?

Immo præcipuum haberet institutum vetus, nam sanguis animalium, si velis figuram, melius figurare sanguinem humanum Christi potuit, quam idem sanguis figuratur vino, tametsi rubro. Fœdus autem duplex, antiquum & novum a Socinianis plane non intelligi, monitum supra est. Non hoc cogitandum, gratiæ fœdus, quo & Patriarcharum salus nitebatur, nunc demum cæpisse, & sanguinem hostiarum non pertinuisse ad illud unicum gratiæ fœdus. Pertinuit sane; &, quicquid virium ille sanguis habuit, Christi sanguini debetur. *Vetus* autem *Testamentum* dicuntur instituta per Patriarchas, maxime autem per *Mosen* Fœderi gratiæ addita; *Novum Testamentum*, instituta per ipsum Christum eidem fœderi gratiæ semper manenti addita, demtis prioribus, quæ non sunt lex nova, sed gratiæ pignora nova. Verum hæc instituta tanto oportet esse præstantiora, quanto præstantior μεσίτης Christus est, quam *Moses*. Itaque præstantior etiam sanguis est, in hoc Christi instituto, nempe ipsius Domini sanguis, quam qui in Paschate ceterisque hostiis olim fuit. Pergit *Niemojevius*, cujus omnia argumenta nolo repetere, *p.* 51. & exprobrat *Socino*, hæc ab ipso scripta: *Quod autem hoc cœna Domini non testetur, vel ex eo satis patet, quod fieri posset; ut Christus pro nobis mortuus non fuisset unquam, & tamen nos hac ceremonia uteremur, &c.* His male sanis verbis recitatis, subjungit: *Per Deum te rogo, dilecte frater Georgi! ut, cum timore Dei judices, quomodo in rebus divinis lasciviat humana ratio, & quam noxium sit nimium sapere, & non sapere ad sobrietatem. An fieri hoc posset, si Christus non fuisset mortuus, ut nos ceremoniam, quæ in memoriam mortis ipsius, aut in commemorationem, (quæ Socino placet interpretatio) instituta est, obire possemus?* Respondet *Socinus* vehementer absone, p. 52. „Ad ceremoniam ipsam rite a nobis peragendam nullo pacto requiritur, ut revera, (quamquam id alioqui verissimum „est,) Christus pro nobis mortuus fuerit, sed tantum, ut „nos id verum esse credamus. Credi autem idque firmis-

sime,

„sime, aliquid fieri posse, & tamen id minime verum esse, „quis est, qui nesciat? Rectissime igitur ac consultissime, „& sine ulla ne minima quidem, piarum aurium offensione; „dictum est a me fieri posse, ut Christus pro nobis mor- „tuus non fuisset unquam, & tamen ceremonia ista ute- „remur.„ Hinc intelligere lectorem credo, quale *Socini* ingenium fuerit. Paucis tango, ne plane prætercam, *p.* 54. carpere *Niemojevium* in *Socino, quod sanguinem martyrum & externa miracula, atque opera hominum pia usui cœnæ Domini præferat, atque adeo satis audacter institutum Christi contumelia afficiat, appellans munera illa terrena muta ac mortua.* Sed hæc in *Niemojevio*, veræ doctrinæ de præsentia corporis & sanguinis Christi adversario, non difficulter refellit *Socinus*. Porro *p.* 59. constringit *Niemojevius* adversarium verbis Apostoli: *Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est?* &c. & subjungit: *Perspicuum est, usum cœnæ Domini, communionem, quam habeamus in corpore & sanguine Domini JEsu Christi testari.* Constrinxisset fortius, nisi & ipse aberrasset a veritate. Cetera omnia, quibus se mutuo *Cadmai fratres* urgent, libens omitto, sed hoc non erit injucundum nosse. *P.* 55. *Niemojevius* hæc ait: „Quamquam non miror ipsi, qui cœna Domini non uti- „tur, eam non sapere: & quemadmodum baptismum „sprevit, ita etiam de cœna Domini contemtim scribere.„ Huic criminationi respondet *Socinus*, *p.* 58. „Dicis mihi „cœnam Domini non sapere, qui illa videlicet non utar. „Dico, me illa nunc non uti, quia illi, quorum ecclesiæ, „utpote ceteris in hoc regno puriori, alioqui publice ad- „hæsi, quantumvis a me rogati, id mihi non permittunt, „quia scilicet jugo, quod illi præter jus & æquum, sacro- „rumque testimoniorum sensum, idque cum maximo in- „firmorum offendiculo & renovati Evangelii cursus re- „tardatione, fratribus imponunt, me summittere nolo, „meoque exemplo ipsorum magnum hunc errorem con- „firmare: ut certe propter vocationem & professionem

„meam fieret. Atqui alibi, quam in hoc regno, videlicet „*Tiguri, Lugduni, Basileæ, Claudiipoli,* sæpius, idque mea „sponte ac perlibenter cœna Domini sum usus, & mihi illam plurimum sapere deprehendi, quamvis nullam unquam meæ fidei confirmationem vel augmentum ex eo „ipso ritu sim expertus. Vehementer enim semper affe„ctus sum gaudio, interioreque lætitia perfusus, ex pu„blica illa commemoratione & concelebratione JEsu Chri„sti Domini & Servatoris mei & mortis ejus. Propter „quæ, non autem propter confirmationem & augmentum „fidei nostræ, quod inde omnino proficiscatur, sapere „nobis cœna Domini debet, si modo divinis testimoniis „& rationi manifestæ immo communi sensui reluctari no„limus.„ Nimirum is fuit *Socinus,* quales sua ætate *Ignatius martyr ad Smyrnæos,* §. *VII.* graviter reprehendit: Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ Θεοῦ συζητοῦντες ἀποθνήσκουσι. *Ab eucharistia & oratione abstinent; eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Servatoris nostri JEsu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur.* Idem, quod adhuc in *Catechesi Racoviense* e *Socini* impia sententia haustum damnavimus, retinuit & recentior editio, & pariter cœnæ fructum esse debere fidei & pietatis augmentum, strenue negat. Quod tamen aliquibus ipsorum displicuisse duæ *notulæ* docent, quas consultum duxi huc describere. *M. R.* sic ait: „Si „pars est Christianæ pietatis, utique ad justificationem, „atque ita & ad remissionem peccatorum nobis prodest, „quod tamen in initio quæstionis hujus simpliciter nega„tum fuit.„ *B. W.* vero hæc habet: „Ritus is merito

pars

„pars pietatis Christianæ dici potest, est enim Christi præ-
„ceptum, ad ipsius ac proinde & Dei honorem spectans.
„Quamvis autem externa hæc actio non ideo instituta sit,
„ut per eam remissio peccatorum acquiratur; nihilomi-
„nus tamen prout & de baptismo superius notatum dici
„potest, ad justificationem salutemque adipiscendam no-
„bis prodesse: ad salutem enim observatio mandatorum
„Christi requiritur.„

---

339. *De ea re vero, cœnam Domini esse sacrificium pro vivis & mortuis quidnam censendum est?*

Hanc opinionem summum prorsus errorem. Etenim Scriptura testatur oblationem Christi nunc in cœlis peragi, nec in terris peragi posse. Præterea, cum Christus ipse sit & Sacerdos & oblatio, efficitur, ut Christum offerre nemo possit, nisi Christus ipse. Denique, cum oblatio Christi sit usque quaque perfecta, cum sit una, qua in æternum consummavit sanctificatos, certe repetitione nulla opus habet, alioqui non esset perfecta nec absoluta. 1) Ebr. VIII. 1. 2. 3. 4. IX. 24. Ebr. VII. 27. X. 14.

Notæ:

1) Si unquam alias, hic verum est illud; Duo cum faciunt idem, item cum loquuntur idem, non est idem. Detestamur & ipsi Pontificiorum horrendum dogma, qui Sacramentum cœnæ in sacrificium pro vivis & mortuis convertunt. Sed aliter instituimus, & illud argumentum tantum probamus, quod oblatio Christi usque qua-

que perfecta, cum sit una, repetitione nulla opus habeat. Porro & hoc: Cum Christus sit ipse & Sacerdos & oblatio, Christum ab alio nemine offerri posse. Sed, quod primo loco ponit Catechesis, *oblationem Christi in cœlis peragi, nec in terris peragi posse,* falsissimum est. Quamquam enim inserit vocabulum *nunc*, ut aliquis existimare possit, non negari sacrificium *olim* a Christo in terra peractum, audiemus tamen infra, omnino a Catechesi & *Socino* negari sacrificium Christi in cruce peractum. Deinde, neque hoc est verum, *nunc* oblationem fieri a Christo in cœlo, ejus enim sacrificii, quod semel præstitit, ea vis est, ut non sit opus quotidie offerri, quamquam intercedere pro nobis Christum *Paullus* docet. Verum Sociniani plane aliud, quam quod nos, vocabulo, *sacrificium*, intelligunt, qua de re suo loco agetur. In præsenti monendum, dictum, *Ebr. VIII.* 1 - 4. sine ratione huc rapi, Apostolus, cum dicit, Christum, si in terris esset, Sacerdotio fungi non posse, minime negat ipsius sacrificium in terris esse peractum, de quo tot verba ipsa hac epistola facit; sed, *Hierosolymis*, quæ urbs tum nondum vastata fuerat, Sacerdotio Levitico fungi non posse, quoniam non de tribu *Levi*, sed de tribu *Juda* ortus esset. Ceterum Sociniani ab ipso errore Pontificiorum non tam procul absunt, quam videri volunt abesse. Nam nihil inveniunt in cœna Domini, quod nobis a Deo detur, & habent, pro actione nostra in honorem Christi instituta, quæ adeo *sacrificio*, secundum ipsorum placita, longe similior est, quam *sacramento.*

---

340. *Quæ vero sententia illorum verborum: Hoc est corpus meum?*

Non uno eodemque modo ab omnibus accipiuntur. Etenim alii censent, panem in corpus, vinum in sanguinem, reipsa mutari,

quod

quod illi transſubſtantionem vocant: alii corpus Domini, in pane, ſub pane, cum pane eſſe ſentiunt. Sunt denique, qui in cœna Domini vere corporis & ſanguinis Domini participes exiſtere ſe autumant, ſpiritualiter tamen, quæ opiniones ſunt omnes fallaces & erroneæ.

341. *Qui vere iſtud monſtrabis?*

Ea ratione, quod in his verbis: hoc eſt corpus meum; particula, hoc, ad univerſam frangendi & ſumendi panis & fundendi vini actionem referri poteſt. 1) Quare nequaquam ad panem & vinum ab adverſariis refertur neceſſario, neque hinc captioſæ illorum opiniones necti & confici poſſunt. Præterea, quod attinet ad ipſam transſubſtantiationem, ut vocant, cum Scriptura panem, quem ſumimus in ipſo uſu panem vocet, ut e verbis Paulli perſpicuum eſt, 1. Cor. X. 16. & cap. XI. 26. 27. 28. apparet panem illic remanere, ſine ulla prorſus in corpus Domini transmutatione. 2) Adhæc, eadem Scriptura teſtatur, corpus Chriſti in cœlis eſſe, & illic ad reſtitutionem omnium eſſe oportere. Quare in terris exiſtere nequit amplius. 3) Denique, ſi panis in corpus Chriſti converteretur, efficeretur modo corporeo ſumi corpus immortale, 4) quaſi Chriſtum nunc

prædi-

prædituum esse inter omnes constat. At hoc fieri nequit, ut corpus immortale modo corporeo sumatur. Quare nec illud, ut panis vertatur in Christi corpus. Quod vero ad secundam opinionem attinet, ea, ut ob rationes superiores consistere nequit, potissimum hanc, quod Christi corpus in cœlis versetur, ita propter hoc inconveniens, quod ea opinio proprietates corporis Christi prorsus detrahat. 5) Denique tertia opinio locum habere nequit, cum ea pugnent inter se reipsa, corporis Christi participem & spiritualiter illius participem esse. Et opinionem istam nullo modo certam esse, ipsi produnt, cum fatentur modum hunc sumendi corporis Christi esse prorsus inexplicabilem, aut, qui id fiat, se plane ignorare. 6)

Notæ:

1) Misere disputant Catecheseos auctores, etiam illa parte, qua verum tuentur, quod operæ pretium est considerare. Particula, *hoc*, ad *frangendi* & *sumendi universam actionem* referri posse ajunt, quo magis absonam interpretationem vix me legere usquam memini. Qua specie dicetur *actio* aliqua corpus. Et comedendum sane bibendumque fuit, quacunque id ratione factum dici placeat, quod voce *hoc* intelligi vult Christus. Itane vero *actio frangendi* comesta & bibita est? Tædet plura dicere, sed digna est ejusmodi vecordia homine, qui quidvis dicere & conari mavult, quam cedere veritati. Ceterum hoc non male dicitur, non necessario ad *panem* & *vinum* referen-

rendum esse; nam vox *hoc* significat, id, quod porrigitur, & manducari bibique jubetur, &, si voluisset Christus vocula *hoc*, *panem* proprie intelligi, clarius dixisset, *hic*, sive οὗτος, quoniam ἄρτος vox *masculini generis* est. Sed nec improbamus eorum loquendi morem, qui panem evcharisticum *Christi corpus* appellant, ob unionem panis cum corpore, mysticam quidem, at veram & realem. Nam, cum urceum vino plenum alteri porrigimus, recepto more loquendi, & eodem plane sensu, vel sic loquimur: *Hoc est vinum*, nempe, quod in urceo est; vel: hic urceus est vinum, ille est cerevisia. Ubi quidem in hominem non videtur eadere, ut sic intelligat: urceum desiisse esse urceum, & in substantiam vini migrasse. Sed, vicissim sine sensu loqueretur, qui præter urceum vacuum nihil porrigeret. Itaque controversia, nisi homines contentiosi essent, carere debuerat, non *solum* panem, *verum* tamen panem, sed præterea aliquid discipulis a Christo porrectum, idque esse ipsius corpus. *Actio frangendi* vero nec porrigitur, nec accipitur, nec editur, nec corpus Christi est.

2) De *transsubstantiatione*, respondeant, quorum interest; ad nos nihil attinet. Sed non sequitur hoc commentum ideo concedendum esse, quod ajamus panem dici corpus Christi; nam dolium plenum vocamus *vinum Hungaricum*, cum nihil minus in mentem veniat, quam ea commutatio substantiæ.

3) Vellem locum Scripturæ indicari, ubi extet, corpus Christi in cœlis esse, & illic usque ad restitutionem omnium esse oportere. Quoniam, in præsenti, non cum *Reformata ecclesia* Theologis mihi res est, sed, cum Socinianis, qui præter humanam naturam in Christo nullam admittunt. Lubet ex his quærere: Quidnam putent *Paullo* in *via Damascena* apparuisse? *Act. IX.* Christum fuisse historia sacra vetat dubitare. Fuitne sola anima Christi? Non dicent, opinor, nam sic separata fuisset a corpore suo, hocque adeo tantisper fuisset mortuum,

dum

dum rediret anima, novaque adeo statuenda esset a mortuis resurrectio. Itaque corpus Christi cum anima, h. e. totus Christus, secundum Socinianorum placita, in via præsens adfuit. At, cur potuerit in ista via præsens esse, corpus Christi, non esse præsens in sacra cœna, nemo dixerit. Deinde, explicent, si possunt, hi homines, quid vel Christus sibi voluerit, cum se *adfuturum* suis, in hac terra viventibus, usque ad finem mundi, promisit, *Matth. XXVIII.* 20. vel ipsi Sociniani intelligi velint, quando, ut supra vidimus, deberi Christo adorationem contendunt, preces ad eum dirigendas, quas & audiat & juvet nos, & sit nobiscum & regat atque dispenset omnia? Eritne aliquis tot verborum, tot asseverationum sensus, si Christi corpus in terra non est, sed, nescio quo, in cœlis loco? Non repetam, quæ modo dixi, animam non evolare e corpore, divina autem natura, qua posset esse suis præsens, si his hominibus credas, nulla est in Christo. Ingemisce mecum lector miseriam rationis Socinianæ! Eo tandem prolabuntur, qui suæ indulgent δοκησισοφίᾳ, ut manifestissime pugnantia tamen admittant, etiam, quando sapientes sibi videntur, & a contradictionibus alienissimi. Præsens, inquiunt, nobis hic est Christus; qua re, inquam, corporene? Minime, inquiunt. Anima vero? Neque hac, quæ in corpore suo habitat. Estne aliquid præter animam corpusque in Christo? Nihil est. Qua re ergo præsens est? Virtute, inquiunt, sua, potentia, majestate? Verum eritne illa virtus, potentia, majestas extra corpus animamque Christi aliquid? migrabit ex eo aliquo? erit, ubi ipse Christus non est?

4) Conversionem panis in corpus Christi equidem serio, juxta cum Catechesi, nego; sed acumen hujus argumenti, ego saltem, non capio. *Efficeretur*, inquit, *modo corporeo sumi corpus immortale; At hoc fieri nequit, ut corpus immortale modo corporeo sumatur.* Si conversio, seu transsubstantiatio, quam perhibent Pontificii, facta esset, cur *corporeus modus sumtionis* sequatur in corpore immor-

immortali; non sequatur autem ille *modus corporeus*, si, quod nos, Evangelici, facimus, negetur illa *conversio;* non intelligo, & mirabor, si quis poterit clarum facere. Ut neque hoc assequor, quid *immortalitas* in corpore, ad hunc aliumve modum sumtionis conferre possit. Res, ut dixi, meum captum superat, & vereor, ne Socinianorum quoque ipsorum tantæ subtilitatis auctorum.

5) Idem *Ostorodus* contendit, per nostram doctrinam de comestione carnis Christi, non posse defendi, Christo corpus, tale esse, quale tamen constet esse. Hæc lectorem arbitror ita intelligere, vereri Socinianos, ne non credatur Christi corpus proprie sic dictum corpus h. e. crassiusculum esse; & haberet disputatio aliquam speciem, nam virile corpus adulti hominis, majus esse videri poterat, quam ut, manens, quale est, tamen comedatur ab hominibus, id non sentientibus. Verum hæc non est sententia Catecheseos, quam multis partibus subtiliorem *Ostorodus* nobis prodit. Nimirum negant hi homines in Christi corpore esse hodie eas proprietates, quæ sint in aliis corporibus, itaque, etiamsi alia corpora possint manducari, hoc tamen Christi corpus carne & sanguine destitutum minime posse comedi. Sic ait: Unterricht: *cap. XXXVIII. p.* 335. Die vierdte und letzte, (*Ursach*) ist, dass diese Meinung streitet, mit dem allervornehmsten Artickel, (wie mans heist) unsers Christlichen Glaubens, nemlich mit dem, dass Christus ist in den Himmel aufgenommen und sitzet zu der Rechten GOttes seines Vatters. Nun ist diss eine gewisse Regul bey allen Theologis, wenn eine Rede der H. Schrifft streitet mit einem Punct des Glaubens, dass dieselbe, nicht, wie sie lautet, sondern figürlich müsse verstanden werden. Dass aber diese Rede streitet mit dem erstgemeldten Punct unsers Christlichen Glaubens, beweisen wir also: Wo man Christi Fleisch und Blut wahrhafftig im Nachtmahl isset und trincket, so muss Christus jetzt Fleisch und Blut haben: Hat Christus aber noch Fleisch und Blut, so ist Er noch

nicht

nicht in den Himmel aufgenommen, und sitzet auch nicht zur Rechten GOttes. Sintemal der Apostel spricht, dass Fleisch und Blut das Reich GOttes nicht besitzen kan. 1. *Cor. XV.* 50. Welche Wort denn sollen, wie sie lauten, verstanden werden. Wie solchs aus vorgehenden und nachfolgenden Worten des Apostels klärlich zu ersehen ist. Wovon wir hernach in dem Tractat, welches Titel, was Christus jetzt für einen Leib habe, und was wir für Leibe haben werden, &c etwas mehr und explicatius oder deutlicher handeln werden. Derhalben, weil Christus das Reich GOttes besitzet, so muss Er nach der Regel der Apostel gewiss weder Fleisch noch Blut haben. Wenn dieses schon sonsten mit keinem Articul des Glaubens stritte. Woraus man denn nothwendig schlüssen muss, dass Er uns sein Fleisch und Blut nicht kan zu trincken geben. &c. Video mihi veniam exorandam esse tot nugarum, nam, quo alio appellem vocabulo? descriptarum, sed sine hac explicatione *Ostorodi* ignorassemus, quid sibi Catechesis vellet. Negant Christum hodie carnem & sanguinem habere, negant & electos in resurrectione carnem & sanguinem resumturos. Quade re in *articulo de resurrectione* uberius exponendum erit. Hoc loco satis est, observare, habuisse Christum jam resuscitatum veram carnem & verum sanguinem, etsi gloria illustratum corpus, *Luc. XXIV.* 39. Nos autem recepturos olim carnem eandem, quam in morte ponimus, ut de pulchro loco *Jobi* nunc taceam. *Paullus* docet, *Philipp. III.* 21. Ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. *Transfigurabit humile nostrum corpus, ut sit figura, simile glorioso suo corpori.* Quæ verba ostendunt & Christum habere suum corpus, sed gloria collustratum, & habituros nos corpora nostra, sed & ipsa magnifice exculta.

6) *Reformatorum* quidem hic est respondere, duplici

argumento Socinianorum, quorum prius non caret acumine. Ajunt pugnare inter se, *reipsa corporis esse participem*, &, *spiritualiter esse participem:* alterum vero nihil est. Nam, licet res sit nobis inexplicabilis, si in verbo Dei doceatur, negari ideo nequit. Sed Socinianorum religio libera est a mysteriis. Paucis tangi oportet, quæ hic addiderunt Sociniani recentiores. Tribus separatis quæstionibus, primum *Pontificiorum*, tum *nostram*, denique *Reformatorum* sententiam de sacra cœna, jugulare conantur. De his observo, graviter premi ratiocinio Socinianorum, non posse esse *realem*, quod volunt tamen *Reformati*, participationem carnis Christi, si non alterum reipsa jungatur alteri, non jungi autem corpus Christi, si in cœlo maneat, pani eucharistico, itaque nec ejus participationem esse; frustra eos dicere *per fidem* fieri illam comestionem, nam fide non accipi substantiam corporis Christi, sed fructus modo. Quibus quid responsuri sint Reformati Doctores, ipsi viderint. Nobis opponunt, idem quod *Racovienses*, destrui opinione nostra doctrinam de corpore Christi, qua de re, quæ disputata sunt, repetere nolo. Porro putant, eas rationes, quas opposuerunt Pontificiis, & nos maximam partem ferire; v. g. sic disputant: *Sacræ literæ aperte testantur, Dominum JEsum e cælis descensurum, atque ad nos venturum; at, si jam hic esset sub specie panis & vini, venire amplius non posset.* Quid si aliquis sic colligeret: Deus per omnipræsentiam apud conditores turris Babylonicæ dudum fuerat, ergo non potuit ad eos descendere; quid tu responderes? deleres fortasse, quæ *Gen. XI.* narrantur? Nimirum non unus est modus præsentiæ divinæ, & cum nunc hoc modo cœpit adesse rei, nihil obstat, quin alio modo dudum fuerit præsentissimus. Ad unam vero præsentiæ rationem adstringere carnem Domini nostri cum persona τῦ λόγυ unitam inque eam receptam, quo jure dixeris? Neque melior est hæc ratiocinatio:

spondendum; quod objiciunt, perire eorum multos, qui sacra cœna tamen utantur, at Christum dicere, quicunque carnem suam comedat, victurum in æternum, refelli ex v. 40. ubi Christus iis, qui se viderint, & crediderint in se, eodem modo salutem pollicetur, non προσκαίροις utique & aliquando credentibus, sed constanter ad finem, atque ut doceat, quænam salus destinata sit fidei. Sic & manducantibus carnem Christi, digne nimirum & cum fide, promissio fit vitæ æternæ.

---

343 *Qui vero illa Paulli verba accipienda sunt: Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? Et panis, quem frangimus, nonne est communio corporis Christi? 1. Cor. X. 16.*

Ad eum modum, quod ii omnes, qui calicem hunc benedicunt, id est, eo usi, 1) sancte nomen Domini celebrant, similiter, qui panem communiter frangunt, aperte testatum faciunt, quod participes sint corporis & sanguinis Domini, i. e. omnium bonorum, quæ Christus nobis per mortem suam peperit, 2) ut inferius paullo de Israëlitis etiam ait: Israëlitas, qui victimas manducabant, altaris participes fuisse, id est, ad ea omnia, quæ in illa religione promissa fuere, pertinuisse.

Notæ:

1) Quoniam Sociniani mira temeritate Sanctissimum

mum Sacramentum cœnæ Dominicæ, cui & nomen *Sacramenti* dari nolunt, (vid. *Ostorodus* Unterrichtung, p. 330.) non modo inefficax ad augendam fidem criminantur, sed præterea modum celebrandi apud nos consuetum acerrime vituperant: ipsi autem se jactant apostolico more celebrare, & antiquitatum primæ ecclesiæ apprime gnari videri volunt. Operæ pretium est, hic ostendere, falli eos homines misere, & genuinæ antiquitatis, hoc saltem in argumento, esse ignarissimos. Volunt nempe Pani & calici eucharistico non benedicendum esse a ministro ecclesiæ, sed ab omnibus, idque fieri, dum usi eo sancte Dei nomen invocent. Et hanc esse mentem Catecheseos testantur *Fausti Socini* verba, *ex epistola secunda ad Radecium*, p. 126. huc describenda. „De Sacramentis porro, „id est, ut fere ab iis receptum est, de baptismo aquæ, & „cœna Domini; quod ad cœnam Domini attinet, nihil „est, cur suspicari possimus, eam, a quolibet Christi no„men profitentium cœtu celebrari non posse. Neque „enim pacabilissima hæc & simplicissima ceremonia Apo„stolis ut Apostolis a Christo præscripta fuit; sed simpli„citer, ut ipsius discipulis, seu, mavis, Christianis. Id „quod & verba *Paulli* 1. *ad Corinth. XI.* manifestum fa„ciunt, & satis ostendunt, ipsa Christi verba a *Paullo* ube„rius exposita, quibus ipsius ceremoniæ finis contine„tur: qui est commemoratio dominicæ mortis & annun„ciatio, donec ipse Dominus veniat. Cui gratiarum acti„onem pro eadem morte esse conjunctam, & res ipsa „aperte monet, & satis indicat antiquissimum hujus ritus „nomen; εὐχαριστία. Jam & Christi mortem comme„morare atque annunciare, & pro ea gratias publice age„re, ad omnes Christianos peræque pertinere, nemo est, „quin fateri cogatur. Nec vero est in hoc ritu alicujus „divinæ rei ulla datio seu ministratio, (sic enim loqui „oportet,) & propterea nullus certus homo requiritur, „qui quasi Christi vicem gerens panem & vinum ceteris „distribuat aut porrigat. Quamvis ab ipso initio, cum

vertit: *In quibus, etiam, qui ante Soterem presbyteri ecclesiæ præfuerant, cui nunc præsides, Anicetum dicimus & Pium & Hyginum, & Telesphorum, & Xystum, neque ipsi sic observarunt, neque posteris suis præceperunt,* (sic potius vertendum videtur: *Neque iis, quos secum habebant,* sive autoritati suæ obnoxios, *permiserunt;*) *Et tamen nihilominus ipsi, non servantes* (*scilicet, jejunium*) *pacem cum illis retinuerunt, qui ex illis parœciis ad ipsos venerunt, quæ servabant; cum tamen istarum observantia contraria esset non observantibus.* (Neque hæc intellexit *Musculus. Irenæi* enim mens est, non servare magis contrarium esse τῷ servare, quam Paschatis celebrationem alio die à *Polycrate* & *Asianis*, factam, celebrationi ejusdem festi eo die, quo mallet *Victor* fieri. Vertendum ergo: *Quamquam, cum plane non servatur,* jejunium, *id magis adversum iis, qui non servant* (*neque quisquam aliquando propter hujusmodi jejunii speciem,* clarius, *propter rem ejusmodi externam*) *est abjectus, sed Presbyteri illi ipsi, qui te præcesserunt, eucharistiam fratribus illarum parœciarum, qui sua more servabant, miserunt. Justini* verba laudat ex parte *Binghamus, Orig. Eccles. Libr. II. cap.* 20. §. 7. sive, *Volumine I. p.* 304, ex editione *Grischovii: Justinus martyr, Apolog. II. p.* 97. *opp.* Ἐυχαριςήσαντος δὲ τῦ προεςῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τῦ λαῦ οἱ καλύμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάςῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τῦ ἐυχαριςηθέντος ἄρτυ καὶ οἴνυ καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς ὐ παρῦσιν ἀποφέρυσι. *Postquam præses gratias egit, & totus populus fausta acclamavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ acta sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt.* Hinc constat, gratias jam fuisse ἀπὸ τῦ προεςῶτος, ab Episcopo vel Presbytero (quas quidem voces *Irenæo* etiam idem significasse, modo vidimus) actas,

actas, antequam perferrentur panis vinumque aqua, ut potissimum Asianis in usu est, temperatum. Eodem loco *Binghamus* vetustum auctorem *Constitut. Apostolicarum* laudat: Ubi *libro VIII. c.* 13. sic extat: Ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων, Σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ λεγόμενος λεγέτω, Ἀμήν. Ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω· αἷμα Χριστοῦ ποτήριον ζωῆς. Καὶ ὁ πίνων λεγέτω· Ἀμήν. *Episcopus det oblatam, his verbis: Corpus Christi; & qui accipit, dicat Amen. Diaconus vero teneat poculum, & dans illud dicat: Sanguis Christi, calix vitæ; & qui accipit, dicat Amen.* Exhibet porro *Nicenæ Synodi* canonem, sed, quoniam illa sordet Socinianis, missa facio illa in præsenti, nec recentiores ullos testes appellabo. *Cyprianum* vero nolim sperni, qui *Epistola, XI. ad Martyres & Confessores, p. m.* 27. presbyteros aliquos accusat ob nimiam festinationem porrigendi evcharistiam lapsis. Verba hæc sunt: „Illi „contra Evangelii legem, contra vestram quoque honori„ficam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exo„mologesin gravissimi atque extremi delicti, factam, ante „manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam imposi„tam, offerre lapsis pacem, & evcharistiam dare, id est, „Sanctum Domini corpus profanare audeant; cum scri„ptum sit: Qui ederit panem aut biberit calicem Do„mini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. „Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi; quis „enim non mortuus vivificari properet? quis non ad „salutem suam venire festinet? Sed præpositorum est „præceptum tenere, & vel properantes vel ignorantes „instruere, ne, qui ovium pastores esse debent, lanii fi„ant. &c. „ Nec *Tertulliani* testimonium ulla ratione rejici potest. Qui *de corona militis, p. m.* 460. cum disputasset, observatas adhuc traditiones posse retineri, etsi non jussas in Scriptura, nec vetitas tamen & antiquissimas, subjicit: „ Denique ut a baptismate ingrediar: Aquam

„edituri, ibidem sed & aliquanto prius in Ecclesia, sub „Antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo, „& pompæ & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur am-„plius non aliquid respondentes, quam Dominus in Evan-„gelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis con-„cordiam prægustamus. Exque ea die lavacro cottidia-„no per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ „Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus man-„datum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de „aliorum manu, quam præsidentium sumimus.„ Hæc postrema verba maxime sunt observatione digna. Nam quanquam Christus inter cœnandum primum hoc Sacramentum instituit celebravitque, merito tamen Christiani existimarunt, licere quocunque diei tempore, etiam in antelucanis cœtibus, qui metu tyrannorum habiti sunt, sacrum hoc epulum institui. Porro, quamquam Christus non unum aliquem discipulorum jussit idem deinde facere, sed omnibus dicit: hoc facite in mei memoriam, rectissime tamen veteres Christiani, certi, velle Deum omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν in ecclesia peragi, de manibus antistitum acceperunt. Huc pertinet & *Clemens Alexandrinus, Stromatum L. I. p. m. 271. C.* ἣ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ, λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. *Quemadmodum eucharistiam, cum quidem, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo, ejus partem sumere.* Itaque certum, etiamsi in modo accipiendi non semper observata est eadem ratio, saltem antistites semper & consecratione & fractione panis functos. *Irenæus* autem, qui *Libro IV. cap. 34. p. m. 237.* ait: *Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant;* satis testatur, presbyteros, antequam acciperetur esca sacra, illi benedixisse seu egisse gratias. Quod usque adeo verum est, ut *Isaacus Habertus* & *Bona Cardinalis,*

dinalis, celebres auctores in Pontificiis, non negent verba consecrationis ad decimum usque seculum clara voce a presbytero pronunciari solita, ut populus audire posset, novatumque aliquid esse, quod hodie summissa voce, quasi demurmurentur. Quorum verba recitat *Joseph. Binghamus, l. c. Volum. VI. p.* 368 Poteram & huc referre, historiam de adolescente, seniori nescio cui, ab *Joanne Apostolo* commendato, quem hic institutum prius τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, h. e. baptismate abluit, deinde & *phylacterii* seu sacræ cœnæ fecit participem; quam rem e *Clemente Alexandrino Eusebius* narrat. *H. E. III.* 23. nisi hunc ipsum locum laudasse *Centuriatores*, jam dictum foret. Addam ergo *Ignatium* epistola ad *Trallianos*, §. 2. Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν, οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσιν διάκονοι ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. *Oportet autem & Diaconos mysteriorum JEsu Christi ministros, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum & potuum* (scil. vulgarium) *ministri sunt, sed ecclesiæ Dei ministri.* Mysteria vero certissime intelligit Sanctus Martyr Sacramenta, & potissimum evcharistiam per Diaconos perferri ad fideles solitam. Neque est alius sensus verborum Apostoli: 1. *Cor. IV.* 1. ubi se & conservos, *dispensatores* appellat *mysteriorum Dei.* Verum hæc ad refellendum *Socini* errorem satis, & abunde fortasse erunt.

2) En aliam significationem plane novam vocum *corporis & sanguinis Christi!* Paullo ante videbatur Catechesi significare posse *totam actionem*, quæ fieret frangendo & comedendo pane, &c. nunc significat corpus sanguisque Domini, *omnia bona, quæ Christus per mortem peperit*, quæ quidem, si Socinianorum φλυαρίας admittas, vel nulla sunt, vel admodum exigua, morte Christi parta. Paullo post sequetur tertia, non minus absona, interpretatio, ut vertigine mihi rapi videatur auctor Catecheseos.

Nobis

Nobis non constat unquam ulla lingua, *ea bona, quæ aliquis peperisset, carnem & sanguinem ejus* dici. Verum hoc constat, Christum, præter mysticum corpus, h. e. ecclesiam, quæ significatio huc nullo modo quadrat, unum habere corpus, quod de cruce pependit, idque intelligendum esse clarius dicere non potuit, quam iis verbis, quæ dixit: *Quod pro vobis traditur.* Tria sunt verba addenda de loco *Ignatii*, non, quod sciam Socinianorum aut ceterorum adversariorum aliquem eo adversus nos usum, sed, ne quis aliquando posse se eo uti, existimet. *Epist. ad Trallianos.* §. 8. *οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τοιοῦτόντι ἐν ὑμῖν, ἀλλὰ προφυλάσσω ὑμᾶς ὄντας μου ἀγαπητοὺς προορῶν τὰς ἐνέδρας τοῦ Διαβόλου. Ὑμεῖς οὖν πραυπάθειαν ἀναλαβόντες ἀνακτίσασθε ἑαυτοὺς ἐν πίστει, ὅ ἐστιν σάρξ τοῦ κυρίου, ἐν ἀγάπῃ ὅ ἐστιν αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ.* „Non, quod „noverim tale aliquid inter vos: Sed quod præmuniam „vos, ut Filios meos carissimos, prospiciens insidias dia„boli. Vos itaque mansuetudinem assumentes recreate „vosmet ipsos in fide, quod est caro Domini, & in cha„ritate, quod est sanguis JEsu Christi.„ Si incorrupta esset epistola, qualem post alios edidit *Thomas Ittigius*; cum palam sit in mendis plurimis cubare, *fides* vocaretur Christi *corpus*, charitas autem diceretur *sanguis*. Verum ejusmodi denominatio ita *ἄκυρος* est, ita abhorrens ab usu aurium, ut nihil supra. Et in hoc ipso loco vitia manifesta sunt, nam ante *ἐν ἀγάπῃ* deest, *καὶ*, & pro *ἀνακτίσασθε* videtur scribendum *ἀνακτήσασθε*. In verbosiore editione ejusdem epistolæ, quam credunt interpolatam, loco nostro sic extat: *Ὑμεῖς οὖν ἀναλαβόντες πραότητα γίνεσθε μιμηταὶ παθημάτων καὶ ἀγάπης αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς δοὺς ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν λύτρον κ. τ. λ.* Conjecturæ ergo locus erit. Mihi sic videtur: De sacra cœna esse Martyri sermonem, cujus

pio usu in unitate fidei conservatos vult *Trallianos* suos. Huc quadrat verbum προφυλάσσω, nam supra ex *Eusebio* vidimus cœnam dominicam, præter alia nomina φυλακτήριον dici solitum. Et in eundem sensum interpolata editio paullo ante nostra verba ponit: Προποτίζων ὑμᾶς τὰ φυλακτικὰ τῆς λοιμικῆς τῶν ἀνυποτάκτων νόσε. *Prepotans vos medicamine præmuniente contra imminentem pestilentiam.* Quæ cum ita sint, *Ignatii* hanc suspicor mentem esse; *Præmunio vos*, i. e. sacræ cœnæ frequenti usu, quem constat Christianis aliquandiu quotidianum fuisse, vos præservo, *in fide*, quoniam, (sic velim ὅτι pro ὁ legi) *caro Christi est*, cum quo adeo arctissime uniti estis, *& in charitate, quoniam sanguis Christi est*, videlicet in ista cœna, cujus largiter effusi memoria ad similem charitatem inflammare Christianos debet. Fuisse autem in *Trallianis*, qui se consortio Episcopi, Presbyterorum & Diaconorum abstinerent, neque adeo sacram cœnam acciperent, præcedens septimus paragraphus non obscure indicat.

344. *Expone igitur mihi verum & genuinum illorum verborum Domini, hoc est corpus meum, sensum.*

Nativus & genuinus horum Christi verborum sensus est, ac si Christus dixisset: Hæc actio frangendi & manducandi panis hujus, est commemoratio & adumbratio quædam ejus, quod corpore meo futurum est. 1) Et hæc actio fundendi & bibendi vini hujus, commemoratio & repræsentatio quædam est, quid sanguine meo fiet. Vel, ut verba Paulli Apostoli explicemus, 1. Cor. XI. 25. bibitio ex eo calice est commemoratio illius ingentis divinæ charitatis,

quæ nobis in novo fœdere exhibita ac morte Christi est confirmata, 2) Atque ad eum modum scriptum extat, Exod. XII. 11. 27. de illo insueto agni paschalis edendi more, (etenim lumbos erant accincti, pedes calceati, ac baculum manibus gerentes, & comedebant eum festinantes,) eum fuisse transitum Domini. Tum etiam de illorum crinium parte secta, parte exusta, parte dissipata, parte servata, & ex iis quadam igne consumta: hoc esse Hierusalem. Ezech. V. 1. 2. 3. 4. 5. 3)

Notæ:

1) Nunc demum bone lector! Catechesis genuinum & nativum sensum verborum Christi, *hoc est corpus meum*, tecum communicat. Quid est ergo *corpus?* Est *commemoratio & adumbratio quadam ejus, quod corpori futurum erat, nunc autem factum est.* In re seria, cave rideas. Sed hoc quæro, quid fuerat corpori Christi futurum? Futuræ, inquies, erant, omnis generis afflictiones, flagellatio, laceratio, &c. Istæ autem afflictiones possuntne *corpus Christi* vocari? Ineptum, inquies, non sunt ipsum corpus, sed accidunt corpori, neque adeo possunt corporis vocabulo intelligi. Mihi vero mirari subit, si ipsæ hæ calamitates, quæ futuræ erant corpori Christi, non possunt *corpus* vocari, qui fiat, ut hoc nomine appellari queat, *nuda adumbratio* earum calamitatum. Nam, si homo, quem adumbramus in tabula, non potest rex dici, ipsa adumbratio multo minus rex dicetur? Itaque hæc explicatio, quamquam venustissima visa est Socinianis, mihi videtur oppido deformis.

2) Ver-

2) Verborum Christi, quæ recitantur 1. *Cor.* XI. 25. homini veritatis cupido, clara est sententia. Ut gratiæ Dei signum olim fuit, sanguis hostiarum, quo adspersi sunt peccatores, ita longe luculentius signum ejusdem gratiæ Dei est ipse sanguis Christi accipiendus & bibendus. Quam nobis obtrudere Catechesis vult explicationem dicti gravissimi, perversio est, in qua nihil non est falsissimum. *Bibitio*, inquit est *commemoratio*. Quis vero mortalium unquam ita est locutus? Nos quidem cum bibimus, accipimus aliquid, non commemoramus. Potest commemoratio beneficiorum vel præcedere vel sequi, sed ipsa bibitio utique commemoratio non est. Porro, quamquam, commemorationem charitatis Dei morte Christi confirmatæ, fieri in sacra cœna, immo oportere fieri, extra controversiam est; bibitio tamen id non significat, quæ non commemorat quidquam, sed, quod jussi sumus divinitus bibere, revera bibimus accipimusque. Quam certum ergo est sanguinem paschatis, quo postes adspersi sunt, quo magnum beneficium Israëlitis concessum, non significatum, non adumbratum esse, sed revera adfuisse, idque quod jussi erant Israëlitæ isto sanguine facere, non esse significatum adumbratumque, sed factum: Ita certum indubitatumque est, sanguinem, in quo novum testamentum conditur, hoc est, Christi sanguinem, non significari, non adumbrari, sed adesse, ejusque jussam bibitionem non adumbrari, non significari, sed fieri. Qui posset, ni hoc ita se haberet, *panis* benedictus dici *κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ*; 1. *Cor.* X. 16. *Vinum* vero *communio sanguinis*. Pone *Faustum Socinum Senensem*, qui fortunarum suarum in patria jacturam subinde conqueritur in epistolis, accepisse nuncium *Senis*, habiturum ipsum *κοινωνίαν τῶν ἀγαθῶν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*, si quis deinde voluisset ita interpretari, posse *Socinum* immo & debere *commemorare* bona sua *Senis* relicta, posse ea laudare & concelebrare verbis; possessionem quidem eorum, cum maneant *Senis*, quo ipsi in hac vita revertere non liceret,

ret, non aditurum; an tu non putas futurum fuisse, delusum se miser *Socinus* conquereretur, quemadmodu corvum hiantem in fabula. Cui istud genus interpretat placet, is fumos nobis & umbras pro re vendere con bitur.

3) Ab his duobus dictis Veteris codicis rectius abst nuisset Catecheseos auctor, nam ea nulla parte intelligi *Exod. XII.* 11.27. non est *mos ille insuetus comedendi* dict *transitus Jehovæ.* Nec est פסח ipse *transitus Domini*, se *sacrificium paschale*, vel, *totum festum* in Dei honorem celebratum, quod a re potissima merito nomen nactus est, quamquam propter transitum ita appellatum est, & commode Sociniani laudant *v.* 11. & 27. itaque, quod priori loco simpliciter פסח dicitur, id altero loco sensu plane eodem vocatur זבח פסח *sacrificium Paschatis.* Unde simul liquet ליהוה non esse vertendum utroque loco, *Domini, secundo casu;* sed *casu tertio, Domino. Sacrificium Paschatis Domino sacrum.* Itaque, quod b. *Lutherus* dudum, post hunc innumeri, in quibus potissimum *Seb. Schmidius* laudandus, viderunt solideque demonstrarunt, *Mosis* verba hunc habent sensum: Id, quod vos paratis, mactatis, comeditis, &c. *Pascha* est, sive sacrificium Domino sacrum, quemadmodum paullo post dictum est; *hoc* est *Man;* nimirum, id quod videbant, colligebant, edebant, *Man* fuit. *Exod. XVI.* 31. *Ezechielis* autem loco haud facile dixeris, quid sibi velit Catechesis. Nam, etsi sunt iique docti Interpretes, qui *cap. V.* 5. זאת ירושלים vel ad *figuram in latere designari jussam, cap. IV.* 1. *seq.* referunt, quæ quidem ipsa interpretatio mihi non placet, quoniam liquet, capite hoc quinto novum mandatum Prophetæ datum incipi; vel ad *portiones capilli separatas*; vix tamen levissimam speciem aliquis inveniet, cur *capillus urbi* comparetur, immo hujus nomine appelletur. Sed nescio quid in re plana hæreant doctissimi Interpretes. Sic verto: *Hæc Hierosolyma!* hoc modo contemplari urbem Propheta jubetur, *in mediis gentibus posui eam*

Nequ

Neque vero potest ea, quam vult Catechesis, explicatio, locum habere. Nam vehementer dubito, an unquam vocula ואת vicem *verbi substantivi, est,* suppleat. Quæ significatio pronominis הוא vel היא est. Hoc modo & doctrina de sacrosancta cœna Domini a corruptelis Socinianorum *Racoviensium* satis vindicata erit. Sed & *Reformata ecclesia* Theologi, quamquam cum ipsis nunc non est res, facile poterunt, si volent, observare, non stare a sua parte veritatem. Restat, verbis, quam fieri potest, paucissimis respondere commentis recentiorum. Hi igitur primo classicum locum 1. *Cor. X.* 16. conantur nobis eripere. hunc ajunt intelligendum esse „ad eum modum, „quod ii omnes, qui calici huic benedicunt, i. e. eum gra„tiarum actione & nominis Domini celebratione sanctifi„cant; similiter, qui panem hunc una frangunt, si nimi„rum digne ritum hunc obeant, communionem corporis „& sanguinis Domini, id est, omnium bonorum, quæ „Christus nobis per mortem suam peperit, habeant, idque „etiam hoc ritu testentur.„ Superat fidem, esse posse, cui tam absurda explicatio placeat. Nam, non modo, quod supra notavimus, *bona, quæ Christus nobis per mortem suam peperit,* sine ratione *corpus* & *sanguis* Christi dicuntur; sed & *calix benedictus,* & *panis fractus* non sunt his hominibus, id, quod verba significant, sed *ii, qui panem & calicem sanctificant,* quo nihil videtur dici posse magis absonum. Tum vero duobus locis, a *Racoviensibus* laudatis, a nobis vero jam excussis, *Exod. XII.* & *Ezech. V.* alia duo addunt, unde *signum rei signatæ* nomen sustinere pateat. *Gen. XVII.* 13. ajunt *circumcisionem* fœdus dici, quæ *fœderis* tantum *signum* sit, *v.* 11. Ita & Sabbathum fœdus appellari inter Deum & Israëlitas. *Exod. XXXI.* 16. quod pariter signum modo fœderis fuerit. Infeliciter vero & hic caussam suam agunt Sociniani. Neque enim quæritur, an dentur alicubi exempla *metonymiæ, rei signatæ pro signo,* & vicissim *signi pro re signata,* nemine inficiante, & dari ea & non esse rarissima; istam vero *metony-*

miam in verbis institutionis cœnæ Domini esse, nos idoneis rationibus negamus, adversarii nullis argumentis fulti, ajunt. Sed hæc exempla *metonymiæ* incaute selegerunt. *Circumcisio*, fœderis signum utique fuit, sed *ipsum fœdus* alicubi dici, vereor, ut demonstrari possit. Certe *Gen. XVII.* 13. non probat, quod Sociniani volunt. Verba hæc sunt: *Et erit fœdus meum in carne vestra, perpetuum fœdus.* Sive tu *carnem*, membrum corporis, in quo circumcisio fit, intelligas, quod mihi non improbatur, sive gentem Israëliticam, cui & externi homines ita initiati inseruntur, hoc liquet, fœdus in carne esse *perpetuum*, dum Christus venisset; nam vocis עולם significationem hic non est necesse explicare: *Circumcisio* quidem ipsa sane non dicitur *fœdus*. Idem plane repetendum de voce *Sabbathum*, *Exod. XXXI.* 16. fœdus perpetuum dicitur, ex cujus formula Sabbathum observandum esset; verum ipsum Sabbathum ibi dici *fœdus*, frustra isto loco quæsiveris. Denique Sociniani obstare sibi videntur *Paulli* locum, 1. *Cor. XI.* 27. 29. eum qui indigne ederit biberitque, ipsius corporis & sanguinis Domini reum haberi; effugere autem frustra conantur, cum sensum esse perhibent: corporis & sanguinis Christi læsi reum esse, qui signum memoriale & figuram ejus indignis modis tractarit. Constat autem, Principem quidem posse læsum dici, cujus imago vel statua male habita est; sed non posse, statua vel imagine læsa, *corpus* ipsius Principis violatum appellari. At cum hoc fiat ab iis, qui sacra cœna abutuntur, necesse est sumi corpus Christi etiam ab indignis.

CAPUT IV.

DE BAPTISMO AQUÆ.

346. *Quid vero sentis de aquæ baptismo?*

Id, quod sit ritus exterior, quo homines vel

vel e Judaiſmo vel e Gentiliſmo ad religionem Chriſtianam accedentes, manifeſte profitebantur, ſe Chriſtum pro ſuo Domino agnoſcere. 1.)

Notæ:

1) Hic docendus eſt lector, cur factum ſit, ut de baptiſmate non idem dicerent Sociniani, quod de cœna Domini, quam unicum Chriſti præceptum ceremoniale dixerunt. Nimirum *Socinus* negat, baptiſma rem eſſe, quam Chriſtus ſemper & ab omnibus utendam inſtituiſſet, cui, quamquam multi contradixere, pervicit tamen ejus deteſtabilis opinio, & hac Catecheſi publice a Socinianis approbata eſt. Scripſit autem *Socinus, Diſputat. de Baptiſmo aqua: Racoviæ.* 1613. edita; *p.* 28. „Nos verum eſſe „negamus, omnes peræque, qui Chriſti diſcipuli jure ap„pellari velint, aquæ baptiſmo indigere.„ Idem toto hoc libro, multis locis, agit. Et in *Epiſtola III. ad Radec. p.* 127. „De aquæ baptiſmo ego ita ſentio, eum eccleſiæ „in perpetuum præſcriptum non fuiſſe, nec unquam, ut „illum acciperent, iis præceptum, neque a Chriſto, neque „ab Apoſtolis fuiſſe; qui jam ipſi Chriſto alia quacunque „ratione publice nomen dediſſent, vel a primis annis in „Chriſtiana diſciplina educati atque inſtituti eſſent. Qua „de mea ſententia, cujus alii etiam ante me fuerunt, juſtum „librum conſcripſi, in quo omnia teſtimonia ſacra omnes„que rationes diligenter examino ac diluo, quæ illum infir„mare poſſe videantur; cui titulum feci: *An homini Chri„ſtiano aqua baptiſmo carere liceat, diſputatio.* Fratrum „autem rogatu eum conſcripſi, qui tamen talem ſententi„am prorſus abominantur, & tandem precibus meis ad„acti curarunt, ut ad ea, quæ ibi ſcripſeram, reſpondere„tur; hocque munus *Alexandro Vitrelino* demandarunt, „qui tamen, non eccleſiæ, ſed privato nomine reſpondit.

„Sed tot probra, convicia, maledicta, calumnias denique „in me una cum responsionibus suis admiscuit, (quæ qua„les sint, aliquando fortasse pii homines dijudicabunt;) „ut fratres ipsi illum acriter reprehenderint; ego vero ab „ejusmodi scripto refutando, quamvis id alioqui per exi„gui laboris mihi esse videatur, hactenus deterritus fue„rim. Verum, ut ad propositum revertar, dico, aquæ „baptismum, ad ecclesiam externam hoc tempore instau„randam, meo judicio, nihil pertinere, remque indifferen„tem esse; in qua, utinam fratres nostri nihil novare ten„tassent; atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in „hoc proposito explicatius dicam. Crediderim tamen, „si is hodieque retinendus sit, propter eos, qui ab aliis re„ligionibus ad Christi religionem convertuntur, potissime „retinendum esse; quos non video, cur ii baptizare non „possint, qui illis Christum annunciaverint; aut, si nemi„nem ex hominibus, genitorem, ut ita dicam in Christo „habuerint, cur id facere non possit is, qui huic muneri, „ab eo cœtu, cui se adjungere voluerit, destinatus fue„rit, cum aquæ baptismus, in JEsu Christi videlicet no„mine ministratus, nihil aliud sit, quam adumbratio re„missionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nomi„nis aperta professio, atque in ipsius religionem initiatio „quædam: id est, per eum nihil revera detur, sed tantum„modo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certis„simum est, externa quædam agnitio significetur.„ Ex hoc verboso loco *Socini* lector abunde intelliget, quæ fuerit *Fausti* hujus de sacrosancto Baptismatis Sacramento levissima opinio. Scripta est autem hæc *tertia* ad *Radecium* epistola, vel liber potius, ut ipse appellat, *Cracoviæ, die* 8. *Januar.* 1586. Nos justam refutationem totius libri *Socini de baptismo aquæ* daturi fueramus, sed ne nimis divellatur disputatio, illustria testimonia de baptismate cum faciendo tum facto, porro de ejusdem efficacia hic vindicabimus. Quamquam non tam difficile est caussam nostram tueri, quam credere fieri potuisse, ut auderet

ret aliquis rem adeo manifestam & testatam negare.

In *præfatione p.* 3. cum conquestus esset scindi ecclesiam litibus de baptismo, subjicit: „ Atqui nihil horum es„set, nisi persuasissimum omnibus hactenus fuisset, bap„tismum aquæ externum ita a Christo ejusque Aposto„lis institutum & præceptum fuisse, ut nemo prorsus sit, „qui eo, vel neglecto, vel non rite suscepto merito Chri„stianus appellari possit. Quod certe non persuasum mo„do 1. sed plane compertum iis potissimum esse debebat, „qui hac ætate nostra, ejusce ritus tantum caussa a cete„ris secessionem aut jam fecerunt, aut facere sunt parati, „&c/„ paullo post, *p.* 4. „Nam omnia Evangelistarum „& Apostolorum scripta diligentissime perquirens, nus„quam nec apertis verbis baptismum aquæ externum om„nibus in perpetuum, qui Christiani esse velint, peræque „præceptum esse invenio, nec aliquid dictum, ex quo „eam sententiam elici omnino debere aut posse, appareat.„ Tum postquam monuisset se velle omnia Scripturæ S. huc pertinentia loca excutere, pergit, quasi caussæ suæ bonitate fretus: „ Magnum quoddam opus, haud ignoro, „moliri videbimur, qui hac ratione terrenæ aquæ bapti„smo Christianum hominem carere, eoque abstinere pos„se, demonstrare aggrediamur, nosque ipsos compluri„um conviciis & maledictis objiciemus, sed non propterea „veritas supprimenda est, quæ a nobis, ut spero, multo „aptius & melius, quam a quibusdam, qui eam ipsi non„dum plane sunt assecuti, fortassis antehac tentatum fu„it, in lucem prolata, nihil prorsus mali, sive recepta fu„erit, sive non, parere posse videtur, sed tantum„modo multum boni, ubi fuerit recepta, omnino „paritura est, concordiam scilicet saltem & pacem &c.„ *Capite I.* contendit *Socinus* e *Matth. III.* 15. non posse necessitatem baptismatis probari. Quibus nos, cum illo loco pugnare nolimus, nefas esset immorari. Quid nobis videatur de sententia eorum verborum, expositum est

in *Syntagm. Observ. Sacr.* Caput II. autem destinavit pervertendo, *Matthæi* loco, quem merito vocat *insignem*, *cap. XXVIII. in fine. P.9.* ait suam disputationem, in duas partes distribuendam „In quarum, inquit, priore, con„cedemus, Dominum JEsum in illis verbis de baptismo „aquæ præceptum dedisse, nec tamen omnes Christianos „eo præcepto teneri ostendemus. In altera, de aquæ bap„tismo eum locutum non fuisse, demonstrare conabi„mur.„ Age audiamus prodigium illud & monstrum Sophisticationis! „ Certe videndum est, inquit, cujus„modi fuerit mandatum istud, & quales esse debeant „baptizandi in ipso comprehensi. De hoc enim potissi„mum quærimus. Apparet autem istos non eos omnes „esse, qui Christi discipuli nominentur: sed eos tantum, „qui ab ipsis Apostolis eorumve successoribus Christi ev„angelium edocti fuerint.„ Quæ cum dixisset, & obstare sibi credidisset exemplum *Paulli*, qui *Act. XIX.* aliquot discipulos non suos baptizari curasset, item *Ananiæ*, qui baptizasset *Paullum* non a se conversum; conatus est ad ea exempla respondere, quæ excutere omnia supervacuum arbitror; hoc potius moneo, *Socinum* imprudenter sua vineta cædere. Nam si baptizandi omnes illi sunt, qui vel a successoribus Apostolorum, vel ab Apostolis ipsis evangelium docentur docendique sunt, palam est *omnes baptizandos*, nemo enim est, qui per se evangelium norit, sed e doctrina ecclesiæ & institutione successorum Apostolicorum hauriendum ab omnibus est. De *pædobaptismo* posset disputari dicique præcedere debere institutionem, sed, quoniam de eo separatim agetur, in præsenti sufficit docuisse, oportere a *Socino* saltem de adultis omnibus necessitatem suscipiendi baptismatis concedi. Porro *p.* 12. excipit: Si vel detur, omnes ab Apostolis aliisve edoctos, vel quacunque ratione ad Christi cognitionem perductos, aquæ baptismo tingendos esse, non tamen sequi, omnes prorsus, qui Christiani dici velint, ab ipsis baptizandos esse, sed eos tantum, qui aliam, quam Christi religi-

religionem aliquando fuerint professi. Ratio cur ad hos solos baptisma pertinere credat *Socinus* hæc est *p.* 13. *cum baptismus aqua ab Apostolis & eorum successoribus usurpatus nihil aliud revera sit, quam Christi nominis publica & solennis quadam professio: quemadmodum ex iis, qua infra dicenda sunt, clarius patebit.* Falsissimum autem esse nos docebimus, baptisma nihil aliud fuisse quam *professionem fidei,* hic observetur tantum *Act. II.* 38. *Baptizetur unusquisque vestrum, in nomine JEsu Christi in remissionem peccatorum.* & *Act. XXII.* 16. *Baptizare & ablue peccata tua;* unde liquet *remissionem peccatorum* fructum hujus lavacri esse. Denique *Socinus p.* 13. sic instituit, si & hoc concedatur omnium hominum esse eandem rationem, „nihil tamen amplius ex Christi verbis colligi posse, quam „debere omnes, quos Apostoli eorumve successores aqua „baptizare velint, ab istis eum baptismum accipere; cete„rum neminem, ut aqua baptizetur, ipsummet per se „curare cogendum; ita fieri posse, ut multi aquæ baptismo „sponte careant, nec tamen aliquid adversus hoc Christi „mandatum committant.„ Hem quam absone; si ponas, omnes homines esse natura similes, quo nihil est certius, nam natura omnes perditi lavacro hoc indigent, ponas etiam discipulos Christi esse jussos omnibus offerre baptisma, denique ponas, accipere debere omnes, si ipsis offeratur baptisma; prona est consecutio, etsi eam *Faustus* nolit videre, neminem esse posse Christianum, qui baptismate careat.

Pergit *Socinus: Sequitur altera pars disputationis, in qua demonstrandum nobis est, in Christi præcepto illo, de baptismo terrena aqua verba non fieri.* Hoc conatur duplici ratione facere. prior hæc est: Si de aquæ baptismo sermo esset, Apostoli æque ad baptizandum ac ad docendum missi essent, quoniam hæc duo in præcepto Christi conjuncta sunt; non esse vero Apostolos tam ad baptizandum, quam ad docendum missos, itaque non esse in Christi illo mandato de baptismo aquæ actum. hic ju-

bet legi, 1. *Cor. I.* 17. Non merentur hæ nugæ refutationem, sed accipiant tamen. Palam est Apostolos juberi a Christo utrumque, & docere & baptizare, sed non minus liquet, non semper *ipsos* utroque illo munere functos esse, vel fungi etiam potuisse, sed & aliorum discipulorum Christi, & eorum, quos ipsi impositis manibus inaugurassent muneri, opera usos esse. Sic *Act. II.* 41. ter mille homines, adducti *Petri* potissimum Sermone, baptizati sunt, a quo? id non extat, ceterum facile ad credendum non omnes ipsius *Petri* manu ablutos. Itaque quamquam *Paullus* non ad baptizandum potissimum missus est, partitus scil. cum collegis suis operas, neminem tamen a se conversorum non curavit baptizari, idque faciendum esse jussu Christi credidit, vid. *Gal. III.* 27. Frigidam disputationem Socini de 1. *Cor. I.* 17. qua aliquot folia commaculavit, ut persuaderet lectori Apostolos nullum mandatum baptizandi accepisse, sed injussu Christi interdum baptizasse, lubens transilio. *P.* 18. autem, *Altera,* inquit, *ratio, qua omnino probari videtur, ibi de aqua baptismo non esse sermonem, talis est. Præcipit ibi Christus Apostolis, ut baptizent in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Atqui, cum Apostoli aqua postea baptizarunt, aut baptizari jusserunt, id in nomen, sive in nomine tantum Christi, non semel, sed semper factum legimus, ubi nominis, in quod, sive in quo baptismus ille ministratus fuit, fit mentio. Igitur in eo Christi præcepto non de aqua baptismo, sed de alio quopiam actum est, nisi velimus Apostolos aliter fecisse, atque Christus eos facere jusserat.* conferri jubet: *Act. II.* 38. *VIII.* 16. *X.* 48. *XIX.* 5. Nobis non est dubium fecisse Apostolos eorumque successores, quod jussi fuerant, baptizasse nempe invocato Patris & Filii & Spiritus S. Sacrosancto nomine, qua de re vetustorum auctorum testimonia infra laudabuntur, quid vero obstet, baptizasse eos *in nomine Christi,* h. e. ut pertineant, qui ita abluti sunt, ad Christum, vel, si mavis, jussu Christi; me fateor non posse videre. Respondet aliquid *Socinus,* sed ipse jugulat eodem respon-

responso caussam suam, *p.* 19. *Respondeo, longe aliam esse rationem prædicationis, quam baptismi. Nec enim Dominum JEsum quis annunciare potest, quin Patris simul & Sancti Spiritus aperte meminerit, siquidem Dominum JEsum annunciare, non est simpliciter ipsum JEsum commemorare, sed muneris, præceptorum, promissionum potestatis denique ipsius meminisse deque ipsis explicate docere. Quod sine Patris a quo hæc omnia profecta sunt, & ad quem omnia sunt referenda, nec sine Sancti Spiritus, cujus vi eadem omnia & facta sunt, & fiunt, aperta mentione fieri nequit. Sed nihil vetat, quo minus in JEsu nomen aquæ baptismus ministretur, nulla nec Patris, nec Spiritus S. expressa mentione facta.* Quod de *prædicatione* Domini JEsu, quæ sine Patris & Spir. S. mentione fieri nequeat, dixit *Socinus*, bene habet, aliam autem esse rationem ejusdem rei in baptismate, nec ostendit nec sane ostendere potuit. Frustra ergo nescio quod mysticum baptisma, pro notissimo illo & in omni ecclesia usitato, in isto *Matthæi* loco comminiscitur. Confidentior factus *Socinus p.* 22. ait: „Si modo in eo præcepto aquæ baptismus comprehenditur, non posse illum ab Evangelii prædicatione separari. Sed necesse esse, ut, qui aqua baptizare velit, iis, quos baptizaturus sit, evangelium prædicaverit, aut prædicet, atque ea ratione eos simul interius lavet atque expurget. Ubi ergo nulla evangelii prædicatione opus fuerit, ibi nullus ei Christi præcepto locus esse poterit. Quocirca si eos, qui prædicatione ulla non egent, ab Apostolorum successoribus baptizandos esse velimus, aliunde, quam ex præcepto illo id colligi omnino oportet. Itaque apparet, nullam Christi verbis interpretationem adhiberi posse, qua baptismum aquæ in ipsis comprehendi, nedum præcipue significari demonstretur, nisi hoc saltem concedatur, ex præcepto illo probari non posse illud, de quo potissimum disputatur, & nos verum esse negamus, omnes

 per-

miam in verbis institutionis cœnæ Domini esse, nos idoneis rationibus negamus, adversarii nullis argumentis fulti, ajunt. Sed hæc exempla *metonymiæ* incaute selegerunt. *Circumcisio*, fœderis signum utique fuit, sed *ipsum fœdus* alicubi dici, vereor, ut demonstrari possit. Certe *Gen.* *XVII.* 13. non probat, quod Sociniani volunt. Verba hæc sunt: *Et erit fœdus meum in carne vestra, perpetuum fœdus*. Sive tu *carnem*, membrum corporis, in quo circumcisio fit, intelligas, quod mihi non improbatur, sive gentem Israëliticam, cui & externi homines ita initiati inferuntur, hoc liquet, fœdus in carne esse *perpetuum*, dum Christus venisset; nam vocis עולם significationem hic non est necesse explicare: *Circumcisio* quidem ipsa sane non dicitur *fœdus*. Idem plane repetendum de voce *Sabbathum*, *Exod. XXXI.* 16. fœdus perpetuum dicitur, ex cujus formula Sabbathum observandum esset; verum ipsum Sabbathum ibi dici *fœdus*, frustra isto loco quæsiveris. Denique Sociniani obstare sibi videntur *Paulli* locum, 1. *Cor. XI.* 27. 29. eum qui indigne ederit biberitque, ipsius corporis & sanguinis Domini reum haberi; effugere autem frustra conantur, cum sensum esse perhibent: corporis & sanguinis Christi læsi reum esse, qui signum memoriale & figuram ejus indignis modis tractarit. Constat autem, Principem quidem posse læsum dici, cujus imago vel statua male habita est; sed non posse, statua vel imagine læsa, *corpus* ipsius Principis violatum appellari. At cum hoc fiat ab iis, qui sacra cœna abutuntur, necesse est sumi corpus Christi etiam ab indignis.

CAPUT IV.

DE BAPTISMO AQUÆ.

346. *Quid vero sentis de aquæ baptismo?*

Id, quod sit ritus exterior, quo homines

vel

vel e Judaiſmo vel e Gentiliſmo ad religionem Chriſtianam accedentes, manifeſte profitebantur, ſe Chriſtum pro ſuo Domino agnoſcere. 1)

Notæ:

1) Hic docendus eſt lector, cur factum ſit, ut de baptiſmate non idem dicerent Sociniani, quod de cœna Domini, quam unicum Chriſti præceptum ceremoniale dixerunt. Nimirum *Socinus* negat, baptiſma rem eſſe, quam Chriſtus ſemper & ab omnibus utendam inſtituiſſet, cui, quamquam multi contradixere, pervicit tamen ejus deteſtabilis opinio, & has Catecheſi publice a Socinianis approbata eſt. Scripſit autem *Socinus, Diſputat. de Baptiſmo aquæ: Racoviæ.* 1613. edita; *p.* 28. „Nos verum eſſe „negamus, omnes peræque, qui Chriſti diſcipuli jure ap„pellari velint, aquæ baptiſmo indigere.„ Idem toto hoc libro, multis locis, agit. Et in *Epiſtola III. ad Radec. p.* 127. „De aquæ baptiſmo ego ita ſentio, eum eccleſiæ „in perpetuum præſcriptum non fuiſſe, nec unquam, ut „illum acciperent, iis præceptum, neque a Chriſto, neque „ab Apoſtolis fuiſſe; qui jam ipſi Chriſto alia quacunque „ratione publice nomen dediſſent, vel a primis annis in „Chriſtiana diſciplina educati atque inſtituti eſſent. Qua „de mea ſententia, cujus alii etiam ante me fuerunt, juſtum „librum conſcripſi, in quo omnia teſtimonia ſacra omnes„que rationes diligenter examino ac diluo, quæ illum infir„mare poſſe videantur; cui titulum feci: *An homini Chri„ſtiano aqua baptiſmo carere liceat, diſputatio.* Fratrum „autem rogatu eum conſcripſi, qui tamen talem ſententi„am prorſus abominantur, & tandem precibus meis ad„acti curarunt, ut ad ea, quæ ibi ſcripſeram, reſponde„retur; hocque munus *Alexandro Vitrelino* demandarunt, „qui tamen, non eccleſiæ, ſed privato nomine reſpondit.

„Sed tot probra, convicia, maledicta, calumnias denique
„in me una cum responsionibus suis admiscuit, (quæ qua-
„les sint, aliquando fortasse pii homines dijudicabunt;)
„ut fratres ipsi illum acriter reprehenderint; ego vero ab
„ejusmodi scripto refutando, quamvis id alioqui perexi-
„gui laboris mihi esse videatur, hactenus deterritus fue-
„rim. Verum, ut ad propositum revertar, dico, aquæ
„baptismum, ad ecclesiam externam hoc tempore instau-
„randam, meo judicio, nihil pertinere, remque indifferen-
„tem esse; in qua, utinam fratres nostri nihil novare ten-
„tassent; atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in
„hoc proposito explicatius dicam. Crediderim tamen,
„si is hodieque retinendus sit, propter eos, qui ab aliis re-
„ligionibus ad Christi religionem convertuntur, potissime
„retinendum esse; quos non video, cur ii baptizare non
„possint, qui illis Christum annunciaverint; aut, si nemi-
„nem ex hominibus, genitorem, ut ita dicam in Christo
„habuerint, cur id facere non possit is, qui huic muneri,
„ab eo cœtu, cui se adjungere voluerit, destinatus fue-
„rit, cum aquæ baptismus, in JEsu Christi videlicet no-
„mine ministratus, nihil aliud sit, quam adumbratio re-
„missionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nomi-
„nis aperta professio, atque in ipsius religionem initiatio
„quædam; id est, per eum nihil revera detur, sed tantum-
„modo eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certis-
„simum est, externa quædam agnitio significetur.„ Ex
hoc verboso loco *Socini* lector abunde intelliget, quæ fue-
rit *Fausti* hujus de sacrosancto Baptismatis Sacramento le-
vissima opinio. Scripta est autem hæc *tertia* ad *Radeci-
um* epistola, vel liber potius, ut ipse appellat, *Cracoviæ,
die* 8. *Januar.* 1586. Nos justam refutationem totius
libri *Socini de baptismo aqua* daturi fueramus, sed ne nimis
divellatur disputatio, illustria testimonia de baptismate
cum faciendo tum facto, porro de ejusdem efficacia hic
vindicabimus. Quamquam non tam difficile est caussam
nostram tueri, quam credere fieri potuisse, ut aude-
rét

ret aliquis rem adeo manifestam & testatam negare.

In *præfatione p.* 3. cum conquestus esset scindi ecclesiam litibus de baptismo, subjicit: „ Atqui nihil horum esset, nisi persuasissimum omnibus hactenus fuisset, baptismum aquæ externum ita a Christo ejusque Apostolis institutum & præceptum fuisse, ut nemo prorsus sit, qui eo, vel neglecto, vel non rite suscepto merito Christianus appellari possit. Quod certe non persuasum modo: sed plane compertum iis potissimum esse debebat, qui hac ætate nostra, ejusce ritus tantum caussa a ceteris secessionem aut jam fecerunt, aut facere sunt parati, &c/„ paullo post, *p.* 4. „Nam omnia Evangelistarum & Apostolorum scripta diligentissime perquirens, nusquam nec apertis verbis baptismum aquæ externum omnibus in perpetuum, qui Christiani esse velint, peræque præceptum esse invenio, nec aliquid dictum, ex quo eam sententiam elici omnino debere aut posse, appareat.„ Tum postquam monuisset se velle omnia Scripturæ S. huc pertinentia loca excutere, pergit, quasi caussæ suæ bonitate fretus: „ Magnum quoddam opus, haud ignoro, moliri videbimur, qui hac ratione terrenæ aquæ baptismo Christianum hominem carere, eoque abstinere posse, demonstrare aggrediamur, nosque ipsos complurium conviciis & maledictis objiciemus, sed non propterea veritas supprimenda est, quæ a nobis, ut spero, multo aptius & melius, quam a quibusdam, qui eam ipsi nondum plane sunt assecuti, fortassis antehac tentatum fuit, in lucem prolata, nihil prorsus mali, sive recepta fuerit, sive non, parere posse videtur, sed tantummodo multum boni, ubi fuerit recepta, omnino paritura est, concordiam scilicet saltem & pacem &c.„ *Capite I.* contendit *Socinus* e *Matth. III.* 15. non posse necessitatem baptismatis probari. Quibus nos, cum illo loco pugnare nolimus, nefas esset immorari. Quid nobis videatur de sententia eorum verborum, expositum est

„utrumque simul recte intelligi posse. Quid enim est, „quod per baptismum convenientius significari possit, „quam pœnitentia vera, quæ animæ & Spiritus ablutio „est? aut Evangelii & nominis JEsu Christi professio pu„blica, cum baptismus ipse aquæ, ab Apostolis usurpa„tus, in eum finem potissimum respiceret, ut quis pu„blice Christo nomen daret?„ Quanta pervicacia alia omnia potius significare dicere baptismum, quam quod constans vocis usus vult? Nec *doctrina*, nec doctrinæ *professio publica*, nec *pœnitentia* usquam unquam dicitur *baptismus*. Trahit quidem in suas partes *Eph. V.* 26. & *p.* 39. confidentissime sic loquitur: *Quis negare potest eo in loco aqua lavacrum nihil aliud significare, quam veram pœnitentiam, per quam peccator mundatur?* Sed ad eum locum paullo post delatus, refutabo impudentiam. Idem & de *Tit. III.* 5. fiet. Ad *Ebr. X.* 19. seq. excurrere non est necesse: quamquam & ibi baptisma aquæ intelligi neutiquam dubito. *P.* 42. pugnat, si vel concedatur agi in *Marci* loco de baptismo aquæ, non tamen sequi, eum omnibus esse necessarium; & revolvitur ad ea, quæ de loco *Matthai* disputasset, plane immemor, se initio capitis fassum, responsiones ad *Matthai* locum huc non esse idoneas.

Capite IV. res est *Socino* cum classico loco. *Jo. III.* 5. Hoc argumentum nostrum *Thraso* suspendit adunco naso, sic orsus: *Quamvis neminem fere hodie esse credamus, in divinis literis paullo exercitatiorem, qui locum istum ad externum aqua baptismum pertrahat, &c.* Pergit, p. 45. „Dico igitur, ex eo solo satis constare, hic de aquæ terre„næ baptismo sermonem non esse, quod alioqui nemi„nem in Dei regnum ingressurum esse sequeretur, nisi eo „baptismo initiatus foret, quod, ut supra dictum, ne ad„versario quidem ipsi affirmare audebunt.„ Sequitur sane, neminem qui lavacrum hoc regenerationis noluerit sibi applicari, ingressurum regnum Dei. Itaque graviter monetur *Nicodemus*, ne spernat baptismate regenerari, quam-

quamquam senex jam & Magister in Israële. Itaque post narratum hoc Christi cum *Nicodemo* colloquium *Joannes* illico *v.* 22. & 23. de Christi, per Discipulos cœpto baptismate, & nondum cessante *Joannis*, exponit p. 46. *Socinus: Verum,* inquit, *quid aqua nomine hoc loco intelligi debeat, non perinde inter omnes constare video.* Quid mirum, cum quod res est, aquam veram & naturalem in baptismate adhibitam intelligere nolint, in oppido absurdas opiniones digredi homines? Sibi ait *Socinus* maxime probari eos, qui voce *aqua, pœnitentiam* ipsam, per quam a peccatis abluimur, significari credant. Sed securus est miser homo, de exemplis hujus usurpationis, nam nec habet exempla ulla, quibus *aqua* significet *pœnitentiam*, nec habere potest, *p.* 48. nec alios improbat, qui *aqua* nomine ipsum Spiritum Sanctum intelligant, monetque si eam interpretationem sequamur, nihil esse reliquum pro baptismo aquæ ex eo loco adstruendo; neque putat obstare, mentionem Spiritus Sancti seorsum factam, posse enim sic intelligi; *ex aqua, h. e. e Spiritu S.* ut *καὶ expositiva particula* vicem gerat; accommodatissimumque sibi esse ait simile exemplum, *Matth. III.* 11. *Luc. III.* 16. *Ipse baptizabit vos Spiritu S. & igne;* in quibus verbis *nemo non videat, pro eadem re accipi ignem & Spiritum Sanctum.* Nostra hæc est sententia, figuram, quam Grammatici *hendiadys* appellant, idoneis exemplis, saltem in libris non poëticis, fortasse & in his, destitui; minime autem omnium *Matth. III.* 11. locum habere, nam largiter effusum esse die pentecostes non Spiritum modo Sanctum in Apostolos, sed & *ignem*, quo is medio uti voluit, ut in baptismatis Sacramento, aqua, historia sacra docet *Act. II.* 3. Et visæ *sunt illis dispertitæ linguæ*, seu flammulæ, linguæ humanæ figuram imitantes, *quales sunt ignis.* Frivolum est, quod eadem *pag.* 49. *Socinus* disputat; cum liqueat *Joannem* terrena aqua baptizasse, Christum in colloquio cum *Nicodemo spiritalem aquam* intellexisse. Neque enim opponit suum baptismum aquæ, baptismo *Joannis*, quem

Evan-

Evangelista diserte narrat, Christo jam baptizante, nondum desiisse baptizare ad remissionem peccatorum; ad alterutrum ergo baptisma, quod quidem substantia idem fuit, ablegatur *Nicodemus*, non ab aqua externa, ad nescio quam spiritalem. *P.* 50. *Socinus* scripsit: *Quoniam igitur Christus aquam commemorans nihil diversum ab ipso Spiritu intellexerat &c.* oblitus nimirum, se paullo ante scripsisse, maxime sibi probari, per *aquam* intelligi *pœnitentiam*, nunc haud dubitat, *aquam* esse *Spiritum S.* Denique *p.* 51. contendit, *ingredi in regnum Dei* sic exponi debere, *ut ad divinarum rerum cognitionem referatur*, ita autem explicato dicto, aquæ baptismum externum intelligi non posse, quoniam ista ceremonia cum divinarum rerum scientia nihil commune habeat. Quis vero, obsecro, sine tabula & teste, jussit *Socinum* vocibus pro lubitu, novas significationes imponere?

Capite V. tractatur *Act. II.* 38. Hic *p.* 52. caussatur, præceptum hoc seu *Petri* seu Apostolorum, nec universale nec perpetuum esse; non *universale*, nam paucis esse datum, nec adeo pertinere ad alios, in quibus dissimilitudo aliqua gravioris momenti inveniatur; non *perpetuum*, nam respicere tantum præsens tempus, nec haberi vestigium in sermone *Petri*, hujus ritus perpetuo observandi. Nos paucis respondemus, hic sane institutionem baptismatis non esse, sed egregium exemplum administrati baptismatis, & documentum maxime luculentum, quomodo acceperint Apostoli mandatum Domini sui de baptismate. Dissimilitudo vero hominum, qua fiat, ut non sit omnibus ita necessarium Sacramentum, ut istis *Act. II.* fuit, sine ratione confingitur a *Socino*. Natura omnes peræque *caro* sunt, ergo ita volente Christo, regenerandi omnes; Spiritu & aqua. Neque aliud docet praxis Apostolorum. *P.* 54. haud erubescit dicere, præceptum perpetuum de baptismate ab omnibus suscipiendo, pugnare cum libertate Christiana, *in quam nos*, inquit, *Christus vindicavit, qui nihil ejusmodi unquam præcipit, cujusque lex, qua tota*

Spiri-

Spiritualis est, totaque interiorem hominem præcipue respicit, ab istis carnalibus & plane externis ritibus, in universum non abest solum, sed penitus quodammodo abhorret. In quibus verbis haud caret blasphemia, cum, quod pervicaciter negat a Christo præceptum, quod ne poterat quidem clarioribus verbis, quam factum est, præcipi; tum quod baptisma *ritum carnalem* & plane externum impudenter vocat, quo *Paullus* factum ait, ut simus *filii Dei. Gal. III. 26. 27. P. 58. 59.* repetit, quæ jam habuimus, *nihil in baptismate accipi, sed fieri tantum professionem fidei publicam.* Nimirum nihil hominem movent, clarissima dicta, quæ baptismate peccata ablui, remissionem peccatorum haberi, Christum indui, filios Dei fieri, regenerari & renovari, testantur.

Totum *caput VI.* in quo copiosa oratione *Socinus* sex qui negat, quoniam Christus sponte baptizatus sit, nemini licere sponte carere baptismate; ad nos nihil pertinet, qui ita non argumentamur.

Cap. VII. occupatur in refellendo hoc argumento: Carere nemo potest remissione peccatorum, at illa baptismate accipitur, *Act. XXII. 16.* itaque nec baptismate quisquam carere potest. Hic præter ceteras cavillationes, *p.* 78. negat ab *Anania* baptismo vim peccata abluendi tribui, sic enim scriptum esse: *Et ablue peccata tua invocato nomine Domini.* h. e. per invocationem nominis Domini ablue peccata tua, ita ut hæc sermonis pars posterior per se stet, neque ad baptismum, de quo in priore dictum fuerat, referri debeat. Quis vero hic non videt græca vocabula, quorum & grammatica forma eadem est, βάπτισαι καὶ ἀπόλυσαι conjunctissima esse? & in baptismate certe fit *ablutio*, non in *invocatione* nominis Domini, ad quam sanctam licet actionem, tropica vox *ablutio* non pertinet. Tum *p.* 79. ait: *Postremo autem sciendum est, verba ista, abluendi, lavandi, purgandi, mundandi, expiandi, remittendi, & si quæ sunt similia, sæpe in sacris literis, non rem ipsam, quam proprie denotant, sed ejus rei declaratio-*

nem significare. Laudat *Vatablum* & *Lev. XII.* 7. 8. *XV.* 15. 30. *XVI.* 30. Nos, in capite de satisfactione Christi hæc falsissima omnia esse docebimus, quo lectorem nostrum ablegari necesse est: Hic sufficiet monuisse, sacerdotem leviticum, ejus rei, quam expiare ipsius erat, non significasse expiationem, sed revera certissime fecisse. Hic & notanda venit imprudentia *Socini*, qui cum p. 80. *Act. II.* 38. sic exponi vult: Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum, h. e. ut palam ostendatur, deleta esse peccata; non videt refelli, quod antea dixerat, *nihil nobis in baptismo divinitus dari*, nam, si datur testimonium deletorum peccatorum, seu remissionis eorum, hoc ritu, datur sane aliquid divinitus, *judicis* enim & *læsi* actio est, testari, esse sibi satisfactum, non *rei* seu *accusati*.

Caput VIII. extorquere conatur nobis locum illustrem 1. *Cor. XII.* 13. Hic liquet pio lectori, argumentum concordiæ in Christianis servandæ inde peti, quod idem Spiritus Sanctus uno baptismate nos in unum ecclesiæ corpus cooptavit, & ex uno calice eucharistico omnes potavit, ut essent unus Spiritus, h. e. mens una, & summa in piis concordia regnaret. At incredibili vafritie *Socinus* negat & hic de baptismate sermonem esse. *Sebastiani Castellionis* versione abusus, inficiatur nos *per unum Spiritum*, quamquam græca ἐν ἑνὶ πνεύματι alibi quater ita versa sint, nos baptizatos, sed *uno spiritu*; Itaque non esse de *baptismo aquæ* sermonem, quo nec possimus corpori Christi inseri, sed tantummodo testemur, jam insertos esse; Spiritus vero baptismo ablutos fieri Christianos; ceterum *Spiritus* hunc *baptismum* opponi *aquæ baptismo*, *Matth. III.* 11. *Marc. I.* 8. *Luc. III.* 16. *Jo. I.* 33. *Act. I.* 5. *XI.* 16. Porro verbo ἐποτίσθημεν, quamquam fortasse allusum sit ad sacram cœnam, de ea tamen hic non agi, nam de cœna sacra alibi quidem *comestionis* vocem solam usurpari, nusquam vero *bibitionis* tantum. Hinc liquere arbitratur, sensum totius loci: *Usus est*, inquit, *Apostolus*

elegan-

elegantissime, duplici hac translatione lavandi, & potandi, ut quemadmodum, si quis liquore aliquo & lavetur simul & potetur, totum corpus & exterius & interius ejus liquoris fit particeps: sic Christianos eo tempore, & exterius & interius, id est, totos & omnino unius divini Spiritus participes cunctos factos fuisse evidenter significaret. Gravem vero rationem esse oportet, quæ faciat, ut ἐβαπτίσθημεν non de *baptismate*, quo abluti essent omnes, accipiamus. Eam cum *Socinus* non habeat, potius *Spiritus* illud *baptisma*, testibus illis ipsis, quæ laudavit, locis, nonnisi *dona miraculosa*, non omnibus, sed aliquibus tantum, *Ebr. II.* 4. concessa, complectatur; contra baptisma, quo nos insertos ait Apostolus uni corpori, universalissimum sit, ut taceam, donis miraculosis neminem vel fieri Christianum, vel in Christiana fide & sanctitate confirmari illum, qui ea habeat, quamquam in commune ecclesiæ incrementum olim data sunt, 1. *Corinth. XII.* 31. in aprico est, non abeundum esse ab ordinario & usitato significatu *baptismatis*. Sic *Ephes. IV.* 4. 5. Christiani *unum corpus* & *unus Spiritus* dicuntur, cum propter unam spem, unum Dominum, unamque fidem, tum propter *baptismatis unitatem*. Mirandum, venisse *Socino* in mentem hunc locum ad *Ephesios*, & extorsisse tantum, ut se p. 90. nolle acriter pugnare diceret, quin totum hunc locum similem concedat esse illi: *Unum corpus & unus Spiritus*, &c.; addere autem: *modo ne hic de cœna Domini, supra vero de aqua baptismo agi dicamus, nisi fortasse ad utrumque alludere voluerit Paullus. Nam aliter, ut diximus, relatio illa prorsus inepta esset.* Nos quidem dicimus alludi uno loco ad alterum, cum idem hic, quod ibi est, intelligi vult scriptor, quamquam non multis verbis illud ipsum dicat. Si ergo alludit *Paullus* ad ea, quæ alibi scripsit, quid negat *Socinus*, utrobique eundem esse sensum? Cur vero relationem ineptam dicit? p. 87. dixerat: *Relatio illa corporis & Spiritus inepta est, quia non magis per aqua baptismum unum corpus fiunt Christiani, quam per poculum cœna Domini, nec magis per*

cœna Domini poculum unus Spiritus fiunt, quam per aquæ baptismum. Quod *ineptum* vocat impius *Socinus*, sapientissime dicitur, scire enim debuerat *baptisma initiationis* Sacramentum esse, ut *cœna sacra* est Sacramentum *confirmationis.* Hinc illud *regenerationis lavacrum* vocatur, quæ regeneratio sacræ cœnæ non tribuitur; semel acceptum illud est semper in ecclesia, nam *initiatio una* sufficit, hæc crebrius usurpata, nam *confirmatione* subinde est opus. Rectissime ergo dictum, unum *corpus* fieri Christianos baptismate, *unum* vero *Spiritum*, h. e. mente concordissima conservari, pio usu evcharistiæ, quod τῆς ἀγάπης Sacramentum est. Frivola est exceptio de evcharistiæ Sacramento non posse explicari vocem: *potati sumus*, quod alibi *comestio* potius de sacra cœna usurpetur. Nam cum utrumque in sacra cœna fiat; ut edatur corpus Christi & bibatur ejusdem sanguis, parum interest ab utra parte tota actio nomen accipiat. Neque apud nos est dubium *Joannem* 1. *Ep. V.* 6. quando Christum cum *sanguine & aqua venisse* prædicat, utrumque hoc Sacramentum intellexisse.

Capite IX. posito plane pudore audet *Socinus* negare *Paullum*, celebri loco, *Ephes. IV.* 5. de *baptismo aquæ* agere, sed de *baptismo Spiritus* contendit esse sermonem, quem is toto cœlo diversum ab aquæ baptismo esse persuasus est. Si quis hodie b. *Pfefferkornium* elegantis hymni: Wer vveiss vvie nahe mir mein Ende &c. auctorem, istis versibus: Ich habe JEsum angezogen, schon längst in meiner heiligen Tauff, item. Ich habe JEsu Fleisch gegessen, &c. negaret de utroque Sacramento, baptismatis aquæ & cœnæ Domini cogitasse; sed de baptismate Spiritus nescio quo, & comestione spirituali Christi; rideretur suo merito a pueris nostris. At *Socinus* sapiens etiam sibi videtur in similibus nugis. Itane oblitum censemus Apostolum baptismatis aquæ, quod a *Joanne*, & a Christi discipulis jam longo tempore administratum præclare norat, ipse susceperat, multis impertiverat saltem curave-

tat

rat impertiri? & non intellexisse censendus erit, quod trita vocis significatio secum fert? Quod vero habet tantæ impudentiæ velum? *p.* 92. sic ratiocinatur: „Nemo infi„ciari poterit baptismum hoc loco recenseri, non modo „ut rem ad Christianos pertinentem, verum etiam ut ali„quid Christianorum proprium, id est, quod ipsis unis „perpetuo conveniat; quemadmodum ipsis unis perpe„tuo convenit & Dominus & fides, & Deus Pater. Si„quidem, qui Christianus non est, is nec Dominum, id est, „Christum, nec fidem illam, quam *Paullus* intelligit, nec „Deum Patrem habet. Qui autem vel unum ex istis „habet, is Christianus sit, necesse est. Quare statuen„dum omnino videtur, eum quoque qui baptismum ha„beat, de quo hic agitur, prorsus Christianum esse. Atqui „innumerabiles vel sunt vel esse possunt, qui aqua rite bap„tizati fuerint, & propterea aquæ baptismum habere „merito dicantur, & tamen revera Christiani non sint. „Sed nemo Spiritus Sancti baptismum habere jure dici „potest, quin idem vere sit Christianus.„ Certissimum est in caussis servandæ concordiæ censeri thesauros toti ecclesiæ communes, quos participant omnes vere Christiani. In his vero thesauris tam liquet baptisma aquæ esse, quam certum est huc non pertinere, baptismum Spiritus illum, qui intelligendus est *Matth. III.* 11. similibusque locis, cum non sit universalis sed paucis datus. Frivole objicitur gratiam baptismatis perdi posse, nam & Dei gratia & fides abjici possunt, quæ nemo propterea negabit bona ecclesiæ esse. Sed tædet nugarum, quæ tamen, ne quis putet sapientiorem fuisse *Socinum*, quam extitit, perstringendæ fuerant.

Capite X. grassatur *Faustus* in *Galat. III.* 27. Primum dubitat, an de *aquæ baptismo* eo loco agatur, *p.* 97. ait: „De aquæ baptismo locum istum non loqui, id do„cere *fortasse* potest, quod proxime hæc verba antece„dunt: Omnes enim Filii Dei estis per fidem.„ Fidem vero negat *Socinus* per aquæ baptismum accipi. *P.* 98. sic

ait: „*Profecto, non de aquæ baptismo, qui quantum-*
„*vis rite susceptus fuerit, licet ipse duret, tamen fieri po-*
„*test, ut Christi indutio illa, ut ita dicam, cessaverit: Sed*
„*de baptismo Spiritus, quo durante, eam quoque indu-*
„*tionem durare necesse est, eum verba facere, statuendum*
„*plane videtur.*„ Quod hic *profecto* & *plane statuendum* putat, vertiginosum cerebrum eadem pagina rejicit, se multo propensiorem prædicat esse in contrariam sententiam; *Fateor*, inquit, *locum istum ad aquæ baptismum referendum esse, sed aliam esse prorsus loci sententiam, atque adversarii existiment plane affirmo.* Quænam illa? sic ait: *p. 99.* „*Quamobrem con-*
„*cludendum est, nihil aliud Paullum dicere voluisse, quam*
„*Galatas, cum in Christum baptizarentur, necessario pro-*
„*fessos fuisse, se Christum & induisse, & induere velle,*
„*quandoquidem hæc professio ejus baptisma scopus est &*
„*finis, seu potius ejus natura atque essentia Nec vero*
„*alia exempla istius figuratæ locutionis desuat, eum sci-*
„*licet aliquid esse affirmatur, non, quia revera sit, sed*
„*quia esse debeat, & sic pro se ferant ii, in quibus id esse*
„*dicitur.*„ Nolo hic ostendere, falso confingi ejusmodi exempla, nisi *mimesis* seu *ironia* locum habeat; hoc ajo, nostro loco contrarium palam esse. Probandum fuit Apostolo Christianos N. T. non amplius sub Pædagogo esse, sed posse suis a Deo donatis bonis liberius, quam olim factum fuisset, uti, hoc pulchre probatur inde, quod *Filii* Dei essent omnes fide facti, Christumque quasi vestem, quam adeo omnes haberent, posito gentium ordinumque discrimine, eandem, induissent. Nulla vero ratione probasset Apostolus thesin suam, si hoc modo voluisset, *simulare Galatas indutum* esse Christum, vel *fateri induendum.* Denique *p.* 101. huc se recipit; si & concedatur, per aquæ baptismum Christum a nobis vere indui, non tamen sequi, nulla alia ratione, quam per aquæ baptis-

baptismum Christum a nobis vere indui posse. Quod frustra & temere disputatur, nam hoc volumus, per baptismum aquæ, non excluso, sed incluso potius verbo Dei, Christi nos participes reddi, Filiosque Dei fieri. Quænam præterea media habeat *Socinus*, equidem ignoro.

Caput XI. occupatum est in *Ebr. VI.* ejusque primis *commatibus*, quæ cum ad præsens negotium plane non pertineant, & a me explicata sint alibi, pergo.

Capite vero *XII.* tangitur locus plane insignis, 1. *Petr. III.* 21. qui ut nobis merito est carissimus, ita ab injuria *Socini* vindicandus, quamquam se sua claritate ipse vindicat. *Perspicuum est*, inquit, p. 105. *Petrum baptismatis nomine, non aquæ baptismum intellexisse, de quo nos loquimur, sed aliud omnino baptismi genus. Nam, quod quidam ea verba ita interpretantur, quasi dictum fuerit, baptismum quidem aquæ, sive in quo aqua ministratur, nos servare, non tamen quatenus corpus abluit: sed quatenus eo fit, ut bona conscientia interroget, &c. sive, non quatenus in eo sordes corporis deponuntur, sed quatenus in eo bona conscientia interrogat, &c. Hæc, inquam, ipsis verbis nullo prorsus pacto consentanea est, in quibus nec dictio, quatenus, nec alia, quæ idem polleat, legitur: Sed ejusmodi sunt, ut nominis baptismatis explicationem in ipsis contineri necesse sit.* Carere debuerat controversia sensus *Petri* plane in aprico positus; ut scilicet olim aquæ diluvii de terra expurgassent pravos homines, ita sordes peccatorum expurgari ex animis nostris salutari baptismate, in quo de corporis ablutione non sit cogitandum; sed de facto cum Deo fœdere, in quo vitæ sanctitatem nos Deo pollicemur, vicissim stipulati divinam gratiam. Friget exceptio non haberi hic vocabulum *quatenus;* sufficit per se claram esse sententiam. Nam, cum duo sint in baptismate consideranda, *corporis ablutio*, quam oculi vident, & *fœdus cum Deo*, quod in

 baptis-

baptismate *circumcisioni* surrogato, factum esse & fieri, *Coloss. II.* 11. 12. dubitare vetat; illi vero vis *salutifera* negetur, per se liquet, baptisma *salutare* dici, quatenus fœdus cum Deo complectitur. Quæret lector, quid ergo *Socino* sit baptisma a *Petro* dictum? En ejus verba *p.* 109. „Sic hodie baptismus, baptismus, inquam, non, „quo corporis sordes eluuntur, sed conscientia ab operi„bus mortuis expurgatur, nos in medio omnium malo„rum, quæ Deus ad impiorum hominum scelera vindi„canda orbi terrarum immittit, & immissurus est, per„petuo & conservat, & conservabit. Ita aquis diluvii in „hac comparatione, non baptismi aquæ, sed mala, quibus „cœlitus demissis, homines obruuntur, omnino respon„dent.„ Eadem pagina dixit baptismum comparari cum *arca Noe*, quemadmodum hæc instrumementum fuerit servandarum octo animarum, ita baptismum h. e. calamitates, quibus impii obruantur, pii vero ab illecebris mundi eruantur & sursum tollantur. Nos non fugit aliquando *cruciatus imminentes* a Christo baptismum dictos esse, sed tropus eo loco facile intelligi poterat. Verum hic non modo nihil est, quod nos de malis publicis mundo tum immissis, deque iis rebus omnibus, quas ex ingenio suo *Faustus* commentus est, cogitare jubeat: Sed præterea voces: *non remotio sordium corporis &c.* admissa hac perversione, plane nihil significant. Nemini enim in mentem venire potest, sordes corporis ablui publicis calamitatibus. Itaque *Socinum* plane hic desipuisse non est dubitandum.

Cap. XIII. excutiendum sibi sumit argumentum, a *circumcisionis* necessitate ad necessitatem *baptismatis* ductum, in quo cum clarissimi loci *Coloss. II.* 11. 12. ne quidem mentio injecta sit; supervacuum duco hærere.

Cap. XIV. aliud argumentum de cœnæ sacræ adeoque & simili baptismatis necessitate sibi proponit elevandum. Neque de hoc dicere animus est.

Cap. XV. de praxi Apostolorum disputat. Qua de re, quantum necesse est, ad quæstionem proximam exponere decrevi.

Cap. XVI. gloriatus *nihil a se vel testimoniorum vel rationum prætermissum esse, unde adversariorum sententiam probari cupiam sano homini videri posse* putaverit, *atque ea in re optima cum fide perpetuo* se *versatum esse*; cum tamen in aprico sit illustrium locorum *Ephes. V.* 26. & *Tit. III.* 5. vix obiter *p.* 39. factam esse a *Socino* mentionem, ubi absurdissime, *lavacrum regenerationis & lavacrum aquæ in verbo*, *pœnitentiam* esse credi postulat, ita verba faciens: *Quis negare potest eo in loco aquæ lavacrum nihil aliud significare, quam veram pœnitentiam, per quam peccator mundatur, & sine macula & ruga gloriosus efficitur?* quasi aliud *aquæ lavacrum* in ecclesia notum fuisset, quam ipsum sacrosanctum nostrum baptisma, aut *pœnitentia* unquam usquam hoc vocabulo appellaretur. Hæc inquam præfatus perfricte fronte *Socinus, cap. XVI.* audet argumenta colligere, quibus baptisma non esse in perpetuum & universalem usum ecclesiæ institutum, lectori persuadeat. Quæ cum sint levissima, paucis expediri poterunt. *P.* 131. e *Luc. III.* 16. *Act. I.* 5. ineptissime colligit, non aqua, sed Spiritu Christianos baptizandos esse hodie, cum res loquatur, Spiritus & ignis illud baptisma de miraculosis donis capiendum esse, quo die pentecostes discipuli Christi perfusi sunt. *P.* 132. e *Gal. III.* 27. mirabile argumentum nectit. *Paulli verba*, inquit: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, aperte ostendunt aliquos fuisse inter eos, ad quos scribit, qui vel non essent, vel possent non esse baptizati. Nam, si omnes omnino baptizati fuissent, non, quicunque baptizati estis, sed, omnes, quia baptizati estis, &c. sine dubio dixisset.* Respondeo, quamquam facile est ad credendum in ecclesia *Galatarum* subinde aliquot Catechumenos fuisse nondum adeptos baptisma, sed paullo post adepturos, quo ipso observato, cadit cavillatio *Socini*; potius tamen obser-

observari velim, manifestissime *omnes credentes*, quos epistolam hanc legere jubet, baptizatos dici. Quæ enim alias foret Apostoli collectio: *omnes* esse filios Dei per fidem, *quia* quotquot baptizati essent, induissent Christum; si pauciores essent, quos *baptizatos* ponit, quam quos vocat filios Dei? Falsum autem est semper, ubi vox *quotquot* similisve extat, excipi alios. v. g. Solemus homines exemplo Christi hortari, ut quotquot aures habeant, audiant, non quasi putaremus esse in coetu, qui careant auribus, sed ut, quia omnes habent aures, singuli ad se pertinere monitum intelligant. Itaque argumento hoc *Socini*, cui ipse ratus est nihil responderi posse, vix quidquam cogitari potest magis invenustum. Habet ejusdem furfuris plura *Faustus*, sed piget sane omnia explodere.

Tandem *cap. XVII.* libello huic a se *Cracoviæ an.* 1580. *d. XV. Aprilis* scripto finem imponit, protestatus se nolle cum *Novato* baptismum abrogare, posse hunc ritum libere usurpari, immo & infantibus applicari, si quis velit, sed necessarium nullo modo esse, saltem non illis, qui in ecclesia a Christianis parentibus essent geniti & a pueritia doctrina Christiana imbuti; suadet retineri ritum in iis, qui aliunde, v. g. a *Turcis*, *Judæis* &c. ad Christianos evenissent.

Hanc *Socini* & *Racovienſium* pessimam ac detestabilem sententiam non videntur probasse recentiores; quorum hic verba longe sunt tolerabiliora, hucque adeo describenda: „Quid sentis de aquæ baptismo? Id, quod „sit ritus initiationis, quo homines, agnita Christi doctri„na, & suscepta in eum fide, Christo auctorantur & di„scipulis ejus seu ecclesiæ inseruntur, renunciantes mundo, „& moribus erroribusque ejus, profitentes vero se Pa„trem & Filium & Spiritum Sanctum, qui per Aposto„los locutus est, pro unico Duce & Magistro religionis „totiusque vitæ & conversationis suæ habituros esse, ipsa„que sui ablutione & immersione ac emersione decla-

rantes

„rantes ac veluti repræsentantes, se peccatorum sordes „deponere, Christo consepeliri, proinde commori & ad „vitæ novitatem resurgere velle, utque id reipsa præstent, „sese obstringentes, simul etiam hac professione & obli-„gatione facta symbolum & signum remissionis peccato-„rum ipsamque adeo remissionem accipientes. *Act. II.* 38. „ Tolerabiliora hæc dixi, quam illa *Fausti*, sed quantopere & hi errent, cum nolunt baptismati vim regenerandi tribui, paullo inferius exponetur.

346. Num ergo ad eum ritum infantes pertinent? 1)

Nullo pacto. Nam, nec in Scripturis ullum mandatum, 2) aut exemplum, 3) ea de re habemus, neque ipsi, ut res ipsa indicat, Christum pro suo Servatore agnoscere per ætatem possunt. 4)

Notæ:

1) Perplexa quæstio est, quæ, nisi alias de Socinianorum mente constaret, sic posset intelligi: an infantes ritu fungi deberent? Sic ergo dicendum fuit: Num ergo ritus is ad infantes pertinet?

2) Mandatum universale sufficit. Et qui omnes gentes baptizari vult, non opus habet infantum peculiarem mentionem facere, nam sine infantibus nulla gens est. Infantibus vero spiritualia dona destinari a Deo, testis exceptione major est Christus, qui discipulis eadem tum opinione, quæ Socinianorum & Anabaptistarum est, ut videtur, imbutis, utpote, qui non odissent infantulos, his salutem & felicitatem minime inviderent, sed parum idoneos esse, ut a Christo aliquid nanciscerentur, existimarent;

gravi-

graviter respondit: Sinite parvulos ad me venire, neque prohibete eos, nam talium est regnum cœlorum. Quibus & gratiam suam impertivit, amplexus eosdem manibus etiam impositis,

3) Exempla baptizatorum infantulorum mihi videntur iniquissime postulari, postquam constat totas domos hoc Sacramento initiatas esse. Nam, si quis eodem modo exemplum peteret servi baptizati, & baptizatæ ancillæ, vel septuagenarii viri, quid tu responderes homini in hunc modum otio suo abutenti? Baptizatæ sunt domus multæ, interdum, totæ fere gentes, in his servos aliquos, ancillas aliquas, septuagenarios aliquos fuisse, vix dubitari potest. Sed pone nullos fuisse, hoc tamen certum, si fuissent, ad omnes pertinuisse baptisma. Nec tam quærendum, fuerint ne hic vel istic homines ingenuæ servilisque conditionis, paucorum pluriumve annorum? nam catalogum hominum baptizatorum nusquam habemus; quam, sciendum, baptizatos esse, quales Apostolis virisque Apostolicis obtigissent.

4) *Res ipsa* indicat Socinianis, crasse philosophantibus, qui in tota religione mysteria nulla habent, infantes per ætatem non posse agnoscere Christum. Horum hominum si quis Christum ea dicentem audivisset, quæ legimus *Matth. XVIII. 6.* oggessisset, *rem docere*, fieri per ætatem non posse, ut pueruli tantilluli fidem in Christum haberent. Verum, qui suæ rationi plus tribuit, quam verbis Christi, non est idoneus ad regnum Dei.

---

347. *Quid vero de iis sentiendum est, qui infantes baptizant?*

Quantumvis hac in re errent, non licet tamen ideo eos condemnare, modo alioquin idololatræ non sint, sed pie secundum Christi

sti præcepta vivant, & alios sententiam ipsorum repudiantes non persequantur. 1) Non consistit enim regnum Dei in hujusmodi externis, sed in justitia, pace & gaudio in Spiritu Sancto. 2)

Notæ:

1) Cum nos non ut rem indifferentem, sed, ut maxime præceptam sacramque administremus pædobaptismum, & ajamus Sacramentum regenerationis esse; oporteret errorem, si erraremus, non levem sed gravissimum esse; porro damnandus esset abusus sanctissimi nominis divini, quo nos in pædobaptismo sancte uti credimus.

2) Nefarius hic est abusus pulcherrimi dicti, *Rom. XIV.* 17. ubi negat Apostolus multum interesse, utrum utatur aliquis libertate sua comedendi res levitica lege vetitas, an abstineat uti, cum nec crescere in fide & gaudio spirituali possit, si comedat, nec, si non comedat, ideo decrescere. Quid vero hoc ad præsens nostrum negotium? *Externa*, inquiunt, *res non efficiunt regnum Dei.* Verum cave dicas de omnibus externis rebus, nam, quas constat divinitus esse ordinatas & promissionibus divinis ornatas, eas, quamquam externi aliquid, & quod in sensus incurrit, habeant, scito maxime internas & efficaces esse. Quod de sacra cœna in præsenti repetere nolo, si de *cincinnis Simsonis* ita aliquis, ut hic Catechesis facit, philosophatus esset: res externa est, quæ ad internas vires corporis nihil facit, (quod &, si abfuisset jussio divina, verum esset,) quid putabimus hominem Socinianum responsurum fuisse? Sed baptisma, cum sit, Apostolo teste, lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto, ita pertinet ad regnum Dei, ut quod maxime. Nam, quam-

quamquam negat *Socinus*, de baptismate sermonem esse Apostolo, temere tamen & frustra facere, constat, atque demonstratum supra est. Observandum vero *Socinum* hic relictum à recentioribus non esse, qui & ipsi pædobaptismum pro errore habent, qui possit tamen ut inveteratus & pervulgatus christiana charitate tolerari, donec veritas magis magisque patescat. Ceterum quod omnes Sociniani, quibus hic cum Anabaptistis & aliquot aliis Fanaticis caussa communis est, audacter perhibent, *si veteris Apostolicæ ecclesiæ morem spectes, & finem, in quem hic ritus fuit ab Apostolis institutus, ad infantes non pertinere*, frangenda est insolentia hominum, & certis auctoritatibus veterum, quas quidem dudum nostrates Theologi laudarunt, nunquam in ecclesia de valore & efficacia pædobaptismi dubitatum esse, quod & *Hugo Grotius* laudatus in hoc argumento ab adversariis ad *Matth. XIX.* 14. fatetur, vulgo & infantulos esse baptizatos, quamquam alii erant, qui ad christiana sacra conversi differrent baptisma, non quod in tenera ætate suscipi non posse crederent, sed, quod cuperent in puritate baptismate accepta mori, vererentur autem fore infirmitate carnis, ut post mature acceptum baptisma laberentur; quod ipsum tamen in his nemo laudaverit: Recitemus duo loca digna & hic legi, *Irenæi* alterum, *alterum Cypriani*. Ille *L. II. cap.* 39. *p. m.* 106. de Christo ita scribit: „Omnes enim venit per semetipsum „salvans, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in „Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes & se„niores. Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus „infans factus, sanctificans infantes, in parvulis parvulus, „sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, &c.„ Vir sanctus ut de re vulgo in ecclesia cognita & indubitata loquitur, infantes & parvulos per Christi gratiam *renasci*; quod quin factum fuerit baptismatis Sacramento, non est, quod quisquam dubitet, idem enim *Irenæus* præclare de aquæ baptismate sentit *L. III. cap.* 18. *p. m.* 179. „Sicut „arida terra si non percipiat humorem, non fructificat, sic

& nos

„& nos lignum aridum existentes primum, nunquam „fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. „Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad „incorruptionem, unitatem acceperunt. Animæ autem „per Spiritum, unde & utraque necessaria, cum utraque „proficiuat in vitam Dei.„ *Cypriani* vero antequam hunc „epistolam lectu dignissimam describam, præmittenda „aliqua duxi ex *Augustini* incomparabili *epistola XXVIII. ad Hieronymum, p.* 106. *edit. Altdorfina:* „Deinde, quis „ferat, si credant se illi, qui ad baptismum cum suis par„vulis currunt, propter carnes eorum, non propter animas, „currere? Beatus quidem *Cyprianus* non aliquod decre„tum condens novum; sed ecclesiæ fidem firmissimam ser„vans; ad corrigendum eos, qui putabant, ante octavum „diem nativitatis non esse parvulum baptizandum; non „*carnem*, sed *animam* dixit esse *perdendam*, & mox na„tum rite baptizari posse, cum suis quibusdam coëpiscopis „censuit. Sed contra *Cypriani* aliquam opinionem, ubi, „quod videndum fuit, fortasse non vidit, sentiat quisque, „quod libet: Tantum contra Apostolicam manifestissi„mam fidem nemo sentiat, qui ex *unius delicto omnes in* „*condemnationem duci prædicat*, ex qua condemnatione „non liberat, nisi gratia Dei per JEsum Christum Domi„num nostrum, in quo uno omnes vivificantur, quicunque „vivificantur. Contra *ecclesiæ fundatissimum morem* nemo „sentiat, ubi ad baptismum, si propter sola parvulorum „corpora curreretur, baptizandi offerrentur & mortui„ *Cypriani* igitur Epistola ab *Augustino* nobis laudata, hæc est: *Ep. LIX. p. m.* 134. *Cyprianus* & ceteri collegæ, qui in concilio affuerant, numero LXVI. „FIDO fratri salu„tem. Legimus literas tuas frater carissime! (hic aliqua „sunt de pace lapso alicui præmature data, quæ omitti„mus,) Quantum vero ad caussam infantium pertinet, „quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati „sint, constitutos baptizari non oportere, & consideran„dam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octa-

„vum

„vum diem, eum, qui natus est, baptizandum & sanctifi-
„candum non putares; longe aliud in concilio nostro om-
„nibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faci-
„endum, nemo consensit, sed universi potius judicavimus
„nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam dene-
„gandam. Nam, cum Dominus in Evangelio suo dicat:
„Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed
„salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima
„perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in utero
„Dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis no-
„stris, secundum dierum secularium cursum, accipere, qui
„nati sunt, incrementum videntur, ceterum, quæcunque
„a Deo fiunt, Dei factoris majestate & opere perfecta
„sunt. Esse denique apud omnes sive infantes, sive majo-
„res natu, unam divini muneris æqualitatem, declarat no-
„bis divinæ Scripturæ fides, cum *Helisæus* super infantem
„Sunamitis viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita se De-
„um deprecans superstravit, ut capiti caput, & faciei facies
„applicaretur, & superfusi *Helisæi* membra singulis par-
„vuli membris, & pedes pedibus, jungerentur. Quæ res
„si secundum nativitatis nostræ & corporis qualitatem co-
„gitetur, adulto & provecto infans non posset æquari, nec
„cohærere & sufficere possent parva membra majoribus.
„Sed illic æqualitas divina & spiritalis exprimitur, quod
„pares atque æquales sint omnes homines, quando a Deo
„semel facti sunt; & possit ætas nostra in incrementis cor-
„porum, secundum seculum, non secundum Deum, ha-
„bere discrimen: nisi si & gratia ipsa, quæ baptizatis da-
„tur, pro ætate accipientium, vel minor, vel major tribu-
„itur; cum Spiritus S. non de mensura, sed de pietate at-
„que indulgentia paterna, æqualis omnibus præbeatur.
„Nam Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem,
„cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqua-
„litate librata, præbeat Patrem. Nam &, quod vestigi-
„um infantis in primis partus sui diebus constituti, mun-
„dum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc
hor-

„horreat exoſculari; nec hoc putamus ad cœleſtem gra-
„tiam dandam, impedimento eſſe oportere, ſcriptum eſt
„enim: Omnia munda ſunt mundis. Nec aliquis no-
„ſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere.
„Nam, etſi adhuc infans a partu novus eſt, non ita eſt
„tamen, ut quisquam illum in gratia danda, atque in pace
„facienda horrere debeat oſculari; quando in oſculo in-
„fantis unuſquisque noſtrum pro ſua religione ipſas ad-
„huc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homi-
„ne modo formato & recens nato, quodammodo exo-
„ſculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur.
„Nam, quod in Judaica circumciſione carnali octavus dies
„obſervabatur, Sacramentum eſt in umbra atque in ima-
„gine ante promiſſum, ſed veniente Chriſto veritate com-
„pletum. Nam, quia octavus dies, id eſt, poſt Sabba-
„thum primus dies futurus erat, quo Dominus ſurgeret
„& nos vivificaret, & circumciſionem nobis ſpiritalem
„daret; hic dies octavus, id eſt, poſt Sabbathum primus
„& dominicus præceſſit in imagine. Quæ imago ceſſa-
„vit ſuperveniente poſtmodum veritate, & data nobis ſpi-
„ritali circumciſione. Propter quod neminem putamus
„a gratia conſequenda impediendum eſſe ea lege, quæ jam
„ſtatuta eſt, nec ſpiritalem circumciſionem impediri car-
„nali circumciſione debere, ſed omnem omnino homi-
„nem admittendum eſſe ad gratiam Chriſti, quando &
„*Petrus* in *Actibus Apoſtolorum* loquatur & dicat; Domi-
„nus mihi dixit, neminem communem dicendum & im-
„mundum. Cæterum, ſi homines impedire aliquid ad
„conſecutionem gratiæ poſſet; magis adultos & prove-
„ctos & majores natu poſſent impedire peccata graviora.
„Porro autem, ſi etiam graviſſimis delictoribus & in De-
„um multo ante peccantibus, cum poſtea crediderint, re-
„miſſa peccatorum datur, & a baptiſmo, atque a gratia
„nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet
„infans, qui recens natus, nihil peccavit, niſi quod ſecun-
„dum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ

„prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum
„hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur, non pro-
„pria sed aliena peccata. Et idcirco frater carissime! hæc
„fuit in concilio nostra sententia, a baptismo atque a gra-
„tia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est,
„neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa
„universos observandum sit atque retinendum, tum magis
„circa infantes ipsos & recens natos observandum puta-
„mus, qui hoc ipso de ope nostra ac de misericordia plus
„merentur, quod in primo statim nativitatis suæ ortu plo-
„rantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.
„Optamus te, frater carissime, semper bene valere!„

348. *Quid vero ea de re statuis, quod sint, qui putent se hoc ritu regenerari?*

Falluntur vehementer ejusmodi. Etenim regeneratio nihil aliud est, quam rationis & voluntatis nostræ transformatio, 1) & ad Christi conservatoris nostri doctrinam compositio, ut ipsa vox regenerationis indicat. Verum ejusmodi transformatio in infantibus locum habere nequit, qui ignorant, quæ dextra & sinistra sit, tantum abest, ut res tanti momenti in eos cadat. 2) Adultos vero, in quibus mentis & voluntatis transformatio locum habet, aqua regenerari posse, tantum a veritate abest, ut etiam videatur quidpiam hoc idololatriæ simile, cum rei materiatæ hoc adscribitur, quod ipsi Deo & sacro ejus verbo tantum adscribendum est, cum is sit, qui nos volens genuit, verbo veri-

tatis

tatis suæ, & semen illud non corruptibile, sed incorruptibile, quo nos regenerari oportet, sit illud verbum Dei vivum & in æternum perseverans. 3) Jacob. I. 18. 1. Petr. I. 23.

Notæ:

1) Regenerationem, de qua parce exponunt Sociniani, nam quid sit, plane ignorant, adeo, ut vir celebris putarit, nusquam de ea hos homines loqui, quod tamen falsum esse libellus *Socini de loco Paulli ad Rom. VII. Racovia an.* 1612. editus, docet. *Regenerationem*, inquam, hic Catechesis ad rationem & voluntatem simul merito refert. At *Socinus*, parum sibi, quod necesse est fieri, constans, libro, quem dixi, ad voluntatem solam retulit. Nam, *p.* 33. hæc scripsit: „Quandoquidem in homine „tres sunt partes, ratio, seu mens, voluntas, & appetitus. „Ratio & appetitus invicem dissident, & de imperio quo„dammodo in homine contendunt, suntque tanquam duo „extrema. Voluntas media quodammodo inter utrum„que est, & modo uni, modo alteri, adhæret. Utri autem „ex duobus istis extremis ipsa adhæserit, jam illud obti„nuisse certum est. Cum igitur in Psalmo primo volun„tatis fit mentio, quam quis habeat in lege Domini, signi„ficatur, in isto rationem obtinuisse, quæ legi divinæ ob„temperandum esse monet. At vero, cum apud *Paullum* „legitur, de delectatione legis divinæ, secundum homi„nem interiorem, qui, ut apparet, idem est, quod mens, „seu ratio, intelligendum est, in isto, de quo est sermo, „rationem quidem nulla ex parte depravatam, sed re„ctam plane atque integram esse, nondum tamen obti„nuisse, neque eam delectationem ad voluntatem adhuc „pertigisse, &c.„ Supersedeo hic multis absurditatem hujus commenti ostendere. Nam nemo ignorat, *lucem* nos in Domino demum fieri, natura esse *tenebras*. *Ephes. V.* 8. conf. *Ephes. II.* 2. 3. 1. *Cor. II.* 14.

2) Tanti momenti res in infantes non videtur cadere posse *Socino*. At in *Joannem*, intra uterum maternum satisantem, cadere potuit, ut Spiritu Sancto plenus esset. *Luc. I.* 15. Sociniani negarent in *lapides* cadere posse, ut ex iis fierent *filii Abrahamo*. Sed Christus cadere posse affirmat *Luc. III.* 8. Molestissima est & Christiano homine indigna disputatio, quid possit, quid non possit in hominem cadere, quando constat Deum velle omnipotentia sua uti. Nostrum est assuefacere mentem, tot exemplis in sacro codice nobis propositis, ut credamus, Deum posse facere, ultra id, quod nos scimus & intelligimus. Nam, muros Hierichuntinos collapsuros septemplici circuitione, & turbarum clangore, opinari nemo mortalium poterat; forte nec defuerunt *Socini* similes, qui riderent stultitiam *Josua* & populi, & negarent in istam circuitionem tubasque inflatas cadere posse, ut mœnia, cum id fieret, corruerent, sed corruerunt. Sic *Naaman Syrus*, vir ingenio, auctoritate, & sapientia excellens, facile quovis Sociniano potior, cadere non putavit in aquam *Jordanis*, ut tolleret lepram; sed sustulit, Deo, qui, quod vult & potest facere, ita volente. Itaque, modo constet, velle Deum aliquid, Christiani hominis est, de re futura nihil dubitare; oportet ἐνδυναμῦσθαι τῇ πίςει exemplo *Abrahami, Rom. IV.* 20. Nos autem in nostro argumento de voluntate Dei, qui velit infantulos gratiæ suæ & remissionis peccatorum & salutis fieri participes, longe sumus certissimi. Sed fusiore disputatione hic non est opus, postquam de pædobaptismo jam, quantum satis, actum est.

3) Hem pietatem Socinianorum! Videntur vereri, ne injurius sit in dignitatem verbi divini, qui Sacramenta dixerit media regenerationis & renovationis. Quasi, qui Sacramenta laudant, detrahant verbo divino, & non utrumque velint esse in usu conjunctissimum! Nostra hæc est sententia; aquæ in baptismate, si per se spectetur, Virtutem nullam esse, at, postquam jussu divino, & invo-

invocato ejus sanctissimo nomine usurpatur, salutare esse lavacrum regenerationis.

---

349. At Apostolus ait: Deum nos servasse per lavacrum regenerationis. Tit. III. 5.

Verum est Apostolum ita loqui, at non affirmare lavacrum illud regenerationis esse aquæ baptisma. Nec vero in Scripturis inusitatum est, purgationem animorum nostrorum, quæ verbo fit, figurate lavacrum dici. Paullus enim ad Ephes. V. 26. Christum sanctificasse ecclesiam suam, ea purgata lavacro aquæ in verbo, id est, per verbum 1) & auctor ad Hebræos hortatur, X. 22. eos, qui Christo nomen jam pridem dederant, nec amplius aquæ baptismo egebant, ut corda aspersa haberent, a conscientia mala, & corpus ablutum aqua munda. 2) Denique ipse Apostolus, eodem loco ipso, quem præ manibus habemus, seipsum explicat, quid per lavacrum regenerationis intelliget, ea verba subjiciens, quæ superioribus lucem afferunt: Et renovationem Spiritus Sancti. Hanc autem particulam, &, tantum valere posse, quemadmodum, hoc est, superius demonstravimus. 3)

Notæ:

1) Nihil pudet Socinianos, atque ipsum maxime

Faustum Socinum, cujus librum de *aqua baptismo* supra vidimus: Itaque & Catechesis audet negare illustri loco *Tit. III.* 5. de baptismate agi. Indigna vero res est, cum de baptismate constet, cum ritu hoc, si placeat eo vocabulo uti, ab Apostolorum ætate initiati sint novi Christiani, vocem *balnei* de alia quacunque re potius, quam de baptismate, accipere. Si esset verum, quod perhibent, non inusitatum esse, purgationem animorum nostrorum, quæ verbo fit, figurate lavacrum dici; tamen, pudentis hominis non esset, in re ita clara ac manifesta, cum mox *lavacri*, mox & addito vocabulo altero, *lavacri aquæ* mentio fit, cui insignia beneficia divina inesse prædicantur, non intelligere illud baptismatis lavacrum, quod subinde exerceri in ecclesia, & notissimum esse omnibus vides. Quodsi quis, observans alicubi vocabulum *calcei* tropico sensu accipi, idem etiam de voce *pes* factum; velit deinde *extractionem calcei* in Historia *Ruthæ* de nescio quo calceo tropico, & *ablutionem pedum*, quam Christus in discipulis fecit, de *spirituali purgatione* explicari; hunc sapientes, non refutandum sed increpandum, summo jure censerent. Sed verum non est, quod Catechesis solita audacia perhibet. Non dicitur, quantum recordari possum, quamquam tropus minime injucundus foret, usquam purgatio animorum *lavacrum*. *Cypriano Martyri* plane contrarium visum est, qui *Epist. ad Cæcilium*, *p. m.* 144. *b.* sic ait: „Quotiescunque aqua sola in scripturis sanctis nominatur, baptisma prædicatur, ut apud *Esaiam* significari videmus, (cap. 43.). Nolite, inquit, priora meminisse, & antiqua nolite reputare. Ecce ego facio nova, quæ nunc orientur, & cognoscetis, & faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, plebem meam, quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret. Prænunciavit illic per prophetam Deus, quod apud gentes, in locis, quæ inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, & electum genus Dei, id est, per regenerationem baptismi

Filios

„Filios Dei factos adaquarent.„ Paullo post eadem pag. „Per baptisma enim Spiritus S. accipitur, & sic a baptizatis & Spiritum Sanctum consecutis ab bibendum calicem Domini pervenitur.„ Sed, si habuerunt Sociniani exempla *lavacri* pro purgatione animorum accepti, cur nullum laudant? *Ephes. V.* 26. nobis laudant, hoc est, eum locum, quo nullus darius de baptismate aquæ loquitur. Audiamus hic eundem beatum *Cyprianum*, qui, si habuisset adversarium similem Catecheseos auctori, graviter detestaturus fuisset, ita posito pudore, manifestissimam veritatem negari posse. Igitur ille, *Epistola ad Pompejum, p. m.* 192. *a.* „Peccata purgare & hominem „sanctificare, aqua sola non potest, nisi habeat & Spiritum „Sanctum. Quare aut & Spiritum necesse est concedant „esse illic, ubi baptisma esse dicunt; aut, nec baptisma est, „ubi Spiritus non est, quia baptisma esse sine Spiritu non „potest. Quale est autem asserere & contendere, quod „esse possint Filii Dei, qui non sint in ecclesia nati? Baptisma enim esse, in quo homo vetus moritur, & novus „nascitur, manifestat & probat beatus Apostolus dicens: „Salvavit nos per lavacrum regenerationis. Si autem in lavacro, id est, in baptismo est regeneratio, quomodo „generare Filios Dei hæresis per Christum potest, quæ „Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola, quæ Christo conjuncta & adunata spiritualiter filios generat, „eodem Apostolo rursus dicente: Christus dilexit ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, „purgans eam lavacro aquæ. Si igitur hæc est dilecta „& sponsa, quæ sola a Christo sanctificatur, & lavacro „ejus sola purgatur; manifestum est, hæresin (quæ sponsa Christi non sit, nec purgari nec sanctificari lavacro ejus „possit,) filios Dei generare non posse. Porro autem, non „per manus impositionem quis nascitur, quando accipit „Spiritum Sanctum, sed in baptismo &c.„ De baptismate ab Hæreticis administrato, quæ fuerit b. *Cypriani* opinio, abstineo in præsenti dicere, sed hoc patet, quo

sensu utrumque dictum Scripturæ tum acceptum sit item illud *Gal. III.* 27. de quo paullo ante eadem *p.* 192. sic dixerat Martyr: „Qui enim peccatis in baptismo expo-„sitis sanctificatus est & in novum hominem spiritaler re-„formatus, ad accipiendum Spiritum Sanctum idoneus „factus non est? Quando Apostolus dicat: Quotquot „in Christo baptizati estis, Christum induistis. Qui po-„test apud Hæreticos baptizatus Christum induere; mul-„to magis potest Spiritum Sanctum, quem Christus misit, „accipere. &c.„ Addam *Tertulliani* locum *adversus Praxeam. p.* 443. *Novissime mundans,* (Christus) *ut tinguerent in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; non in unum, nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tinguimur. Et quid ego in tam manifestis morabor?* Nihil prohibet plura loco vetustissimorum auctorum de baptismate huc describere: *Justinus Martyr libro de resurrectione*, cujus fragmenta *Jo. Ernest. Grabius* exhibet, *Spicilegii Tom. II. p.* 189. cum multa disputasset de carne salutis, æque ac anima est, participe; pergit: Ἢ φθονερὸν ποιῦσι τὸν Θεὸν; ἀλλὰ ἀγαθός ἐςι καὶ σώζεσθαι πάντας θέλει, καὶ δι᾽ αὐτῦ, καὶ τῦ κηρύγματος αὐτῦ· ὐχὶ μόνον ἤκυσεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν, καὶ σὺν αὐτῇ ἡ σάρξ, καὶ ἐπίςευσαν ὅμως εἰς Χριςὸν Ἰησῦν. Ἀλλ᾽ ἀμφότερα καὶ ἐλύσαντο, καὶ ἀμφότερα τὴν δικαιοσύνην εἰργάσαντο. κ. τ. λ. „An invidum faciunt „Deum? Atqui bonus est, & omnes vult salvos fieri, „& per se, & per Evangelii præconium. Neque solum „anima nostra illud audivit, sed, cum illa simul & caro: „Et in Christum JEsum simul crediderunt. Sed & ambæ „ablutæ sunt, & ambæ justitiam operatæ sunt.„ Cum hoc *Justini* testimonio contendit *Grabius* in notis, p. 249. alterum *Tertulliani*, cui & nos hic locum concedimus: *de resurrectione cap. VIII.* „Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro si-

„gnatur,

„gnatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione „adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro cor- „pore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo „saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas „opera conjungit.„ Extat liber, quem *Grabius* primi seculi fœtum esse opinatur, saltem ad initia secundi referendum censet, *Testamentum duodec. Patriarchi*: de quo libro nos infra cum cura agemus, in eo libro. & quidem *Testamento Levi* §. 18. *p.* 172. *Tomo I. Spicilegii* de Christo hæc dicuntur: Καὶ πνεῦμα συνέσεως καὶ ἁγιασμοῦ καταπαύσει ἐπ' αὐτόν. Ἐν τῷ ὕδατι αὐτὸς δώσει τὴν μεγαλωσύνην κυρίου τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ ἐν ἀληθείᾳ εἰς τοὺς αἰῶνας. *Spiritus intellectus & sanctificationis requiescet super ipsum, in aqua ipse dabit magnificentiam filiis suis in veritate in seculum.* *Hermas*, Apostolici Seculi celebris doctor, *Pastore, Mandat. IV. L. I. p. edit. Fabric.* 852. *Et dixi illi: Etiam nunc Domine! audivi, a quibusdam doctoribus, quod alia pœnitentia non est, nisi illa, cum in aquam descendimus & accipimus remissionem peccatorum nostrorum, ulterius non peccare, sed in castitate permanere.* Hic nemo a me postulabit, ut, utrum *Novatianorum* hæresi præluserit *Hermas*, nec ne, exponam. Sufficit hinc intelligere, publicam doctrinam Apostolici Seculi fuisse, quæ hodie est, nempe in baptismate accipi remissionem peccatorum. Alium locum *Hermæ*, *Jo. Ernest. Grabius, Spicileg. Tom. I. p.* 332. laudat, ut demonstret vocem σφραγίδος de baptismate non modo in *Constitutionib. Apost.* sublestæ fidei libro, sed & in certissimo ejusdem Apostolicæ ætatis libro, nempe *Hermæ pastore* haberi. Igitur ille, *p.* 1008. *edit. Fabriciana: Illi igitur defuncti, sigillo Filii Dei signati sunt, & intraverunt in regnum Dei. Antequam enim accipiat homo nomen Filii Dei, morti destinatus est: at, ubi accipit illud sigillum, liberatur a morte & traditur, vitæ. Illud au-*

tem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, ascendunt vero vitæ assignati; & illis igitur prædicatum est illud sigillum; & usi sunt eo, ut intrarent in regnum Dei. *Irenæus* quid de baptismate Apostolico crediderit, docet *L. I. c. XVIII. p.* 39: cum in hæreticis sui ævi vituperat, quod aliud baptisma substituere voluerint usitato. Sic ait: *Et baptisma quidem*, dicunt, *apparentis JEsu in remissionem esse peccatorum, redemtionem autem esse ejus qui in eo descenderit Christus ad perfectionem, & illud quidem animale, illa autem spiritalia esse repromittunt Et baptisma quidem ab Joanne adnunciatum in pœnitentia, redemtionem autem ejus, qui in eo est Christi, positam esse ad perfectionem: & hoc esse, de quo dicit: Aliud baptisma habeo baptizari; & valde propero ad illud.* B. *Ignatius Martyr ad Polycarpum Epist. 2. p. 20. edit. Ittigianæ*, τὸ βάπτισμα ὑμῶν μενέτω ὡς ὅπλα· ἡ πίστις ὡς περικεφαλαία· ἡ ἀγάπη ὡς δόρυ. *Baptismus vester, maneat ut arma; fides, ut galea; caritas, ut hasta. &c.* Hic nolo quidquam ex *Epistola ad Philippenses de baptismo* describere, quæ, ut facile videas, *Ignatio* immerito tribuitur & ad tempora *Nicenæ Synodi* referenda videtur; & præterea de *baptismate*, fallente lectorem inscriptione, oppido pauca habet. *Theophili* autem *Antiocheni* locus pulchrior est, quam ut hic prætereatur. Nam postquam alia quædam ex historia creationis cum iis, quæ in regno gratiæ consideranda sunt, comparasset, sic ait, *ad Autolyc. L. II. p. m. 255. edit. Tigurinæ, an.* 1546. h. e. omnium primæ: Τῇ δὲ πέμπτῃ ἡμέρᾳ τὰ ἐκ τῶν ὑδάτων ἐγεννήθη ζῶα. δι᾽ ὧν καὶ ἐν τούτοις δείκνυται ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. τίς γὰρ δύναιτ᾽ ἂν τὴν ἐν αὐτοῖς πληθὺν καὶ γονὴν παμποίκιλον ἐξαριθμῆσαι; ἔτι μὲν γὰρ καὶ εὐλογήθη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τὰ ἐκ τῶν ὑδάτων γενόμενα, ὅπως ᾖ καὶ τοῦτο εἰς

δεῖγμα

δεῖγμα τοῦ μέλλειν λαμβάνειν τοὺς ἀνθρώπους μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν διὰ ὕδατος καὶ λουτροῦ παλιγγενεσίας πάντας τοὺς προσιόντας τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀναγεννωμένους καὶ λαμβάνοντας εὐλογίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ. *Quinta autem die animalia ex aquis facta sunt. Unde & in his demonstratur multivaria Dei sapientia. Quis enim poterit enumerare in illis multitudinem & copiosam generationem. Porro enim ideo benedicta sunt divinitus ea, quæ ex aquis facta sunt, ut & hoc esset signum, accepturos homines aliquando resipiscentiam & remissionem peccatorum per aquam, & lavacrum regenerationis, omnes, qui accedant, & renascentes & accipientes benedictionem a Deo.* Denique maximi Doctoris *Basilii* aliqua huc referenda duxi, quoniam subinde exprobravit nostratibus *Socinus*, nescio quem errorem, qui illud aquæ baptisma, quod administrassent Apostolici viri in nomine Domini Christi, confunderent cum baptismate longe alio, de quo Christus *Matth. XXVIII.* præcepisset. Vidit hanc objectionem & accurate refutavit dudum S. *Basilius libro de Spiritu S. cap. XII.* Καὶ μηδένα παρακρουέσθω τὸ τοῦ Ἀποστόλου, ὡς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐπὶ τῆς τοῦ βαπτίσματος μνήμης πολλάκις παραλιμπάνοντος, μηδὲ διὰ τοῦτο ἀπαρατήρητον οἰέσθω τὴν ἐπίκλησιν εἶναι τῶν ὀνομάτων. ὅσοι, φησιν, εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε. Καὶ πάλιν ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθητε, ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία τοῦ παντός ἐστιν ὁμολογία. δηλοῖ γὰρ τόντε χρίσαντα Θεὸν, καὶ τὸν χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα, τὸ πνεῦμα. ---- Φαίνεται μέν τοι καὶ μόνου τοῦ πνεύματος ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος μνημονεύσας. Πάντες γάρ φησιν,

φησιν, ἐν ἑνὶ σώματι εἰς ἓν πνεῦμα, ἐβαπτίσθημεν. συμφωνεῖ δὲ τούτῳ, καὶ τὸ ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ, αὐτος ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τοῦτο τέλειον ἄν τις εἴποι βάπτισμα, ᾧ μόνον τὸ πνεύματος ἐπεκλήθη. κ. τ. λ. *Et neminem ad errorem impellat illud Apostoli, quod nomen Patris ac Sancti Spiritus in baptismatis mentione sæpe omittit; neque ob id putet nominum nomenclaturam non necesse esse observari. Quicunque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis Et rursus, Quicunque in Christum baptizati estis, in mortem ipsius baptizati estis. Nam Christi appellatio totius est confessio. Declarat enim & Deum qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unguentum. --- Porro videtur aliquando etiam solius Spiritus in baptismate mentionem fecisse. Omnes enim, inquit, in uno corpore, in unum Spiritum baptizati sumus Huic consonum est illud: Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto. Et, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* (hunc quidem locum rectius omisisset *b. Basilius*) *At non ob id perfectum quis dixerit baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est* Quoniam & reliqua in eo loca *Basilii* egregia sunt, describam omnia ad finem capitis, sed latine tantum. Sic pergit: *Oportet enim immobilem manere traditionem in vivifica gratia datam. Qui enim liberavit vitam nostram ex corruptione, potestatem renovationis nobis dedit, quæ potestas inexplicabilem caussam habet & in mysterio abstrusam. verum magnam animis salutem afferentem. Quare addere quid aut detrahere, palam est elapsus a vita æterna. Si igitur separatio Spiritus in baptismate a Patre & Filio, periculosa est baptizanti, & inutilis baptismum suscipienti;*

quomodo

quomodo nobis tutum est, a Patre & Filio divellere Spiritum Sanctum? Fides & baptisma duo salutis modi sunt inter se cohærentes, & inseparabiles. Fides enim perficitur per baptismum; baptismus vero fundatur per fidem; & per eadem nomina utraque res impletur. Sicut enim credimus in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, sic etiam baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et præcedit quidem confessio ad salutem inducens, consequitur autem baptisma obsignans nostram confessionem ac pactum.

2) Infeliciter versatur Catechesis, in explicando dicto Apostoli, *Ebr. X.* 22. quem locum magno consensu veteres recentioresque de baptismate accipiunt. Nec est, quod dicat, sermonem esse de Ebræis, qui dudum Christo nomen dedissent, neque adeo baptismate amplius haberent opus; nam nec jubet eos demum baptizari, sed, quoniam a peccatis essent purgati quoad mentem, neque hoc solum, sed & ipso corpore accepissent baptisma, ad constantiam graviter suos hortatur Apostolus.

3) Absona argumentatio Catecheseos! Quia lavacrum non *regenerationis* solum dicitur, sed additur: *& renovationis Spiritus Sancti;* ergo non est baptisma. Quasi Spiritus Sanctus baptismati opponeretur, & non potius per hoc ipsum Sacramentum efficax esset. Ceterum, quod Sociniani hic *regenerationem* & *renovationem* pro re eadem habent, condonandum videtur eorum imperitiæ, nam, cum nesciant, quid vera sit *regeneratio*, a *renovatione* distinguere eam ipsos non posse, haud mirandum.

---

350. At de illis verbis Ananiæ Paullum compellantis, surge, baptizare, & ablue peccata tua; quid statuendum est? Act. XXII. 16.

Tenendum id prorsus est, quod etiam

multis

multis aliis locis Scripturæ lucem afferre poterit. Cum in Scripturis novi fœderis actui vel ceremoniæ exteriori id asscribitur, quod ad salutem prorsus pertinet, nulla ratione eo id fieri, ac si ceremonia illa exterior eam vim haberet; sed eo, quod actu illo duntaxat adumbratio quædam rei illius, quæ ad salutem prorsus pertinet, fiet. 1) Ita, cum dicitur, 1. Cor. X. 16. Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? Et panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi? Et alibi: Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Gal. III. 27. 2) Atque hac ratione Ananiæ verba & intelligi possunt & debent. Etsi ad eum quoque modum accipi possint: Ananiam non id egisse, ut Paullus per baptismum peccata ablueret, verum, ut baptizaretur, & peccata ablueret invocando nomen Domini. Cum tempus jam illud venisset, quo omnis invocans Dominum servandus esset. Act. II, 21. Rom. X. 13. 3)

Notæ:

1) Nihil est illo loco, *Act. XXII.* 16. luculentius. Neque dubitarunt veteres ecclesiæ Doctores de eo effectu sancti hujus lavacri. Itaque cum supra aliquot veterum testimonia de efficacia Baptismatis laudarim, nunc subjiciam verba, quæ mihi oppido pulchra visa sunt, Cle-

Clementis Alexandrini, Pædagog. L. I. cap. VI. pag. 93. Τὸ δὲ αὐτὸ συμβαίνει τοῦτο καὶ περὶ ἡμᾶς, ὧν γέγονεν ὑπογραφὴ ὁ κύριος. βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα. φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα. τελούμενοι ἀπαθανατιζόμεθα. Ἐγώ, φησιν, εἶπα, Θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες. Καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο χάρισμα καὶ φώτισμα καὶ τέλειον καὶ λουτρὸν. λουτρὸν μεν δι' οὗ τὰς ἁμαρτίας ἀπορρυπτόμεθα. χάρισμα δὲ ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται. φώτισμα δὲ δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς σωτήριον ἐποπτεύεται. τουτέστιν δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωποῦμεν. Τέλειον δὲ τὸ ἀπροσδεὲς φαμέν. „ Hoc „ipsum nobis quoque evenit (nempe quod Christo „baptismate Joannis initiato, qui quidem non opus eo „habuit, suscipere tamen æque ac circumcisionem libere „voluit,) quorum fuit exemplar Dominus. Tincti illu„minamur; illuminati in Filios adoptamur: Adoptati per„ficimur; perfecti immortales reddimur. Ego, inquit, „dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes. Multis autem „modis vocatur hoc opus; gratia, illuminatio, perfectum, „& lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata ab„stergimus: Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ „peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam san„ctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per „quam id, quod est divinum, perspicimus. Perfectum „autem dicimus, cui nihil deest.„ *Clemens* igitur & merito quidem, summa omnia in baptismatis Sacramento vidit; Sociniani nihil vident. Sed videamus, quid disputet Catechesis? Præclaram sibi videntur observationem commenti: *Cum in scripturis novi fœderis actui vel ceremonia exteriori id asscribitur, quod ad salutem prorsus pertinet, nulla ratione eo id fieri, ac si ceremonia illa exterior eam vim haberet, sed eo, quod actu illo duntaxat adum-*

bratio

bratio quadam rei illius, quæ ad salutem prorsus pertinet, fiat. Ita credunt hi homines, multis aliis locis scripturæ lucem afferri; Ego vero ajo offundi tenebras. Cur non palam dixerunt potius, non credendum esse scripturæ, quicquid dixerit, si tu ratione tua, capere illud quod dictum est, nequeas? Non fieret injuria his hominibus, si, quando maxime esuriunt, ad prandium vocentur magna asseveratione, cibos appositum iri, copiosos, dulces, salutares, præstantissimos; deinde vero, cum venissent, moneantur haud ægre ferendum hodie jejunium, nam, quæ dicta forent de dulcedine, salubritate, copia ciborum, nulla ratione ita intelligenda esse, ac si ceremonia illa exterior prandii eam vim haberet, sed adumbrationem modo fieri eo actu, earum rerum, quæ ad satiandum ventrem & gulam deliniendam facerent. Dici non potest, quam sit frigida, elumbis, & misera, sed præterea quoque exitiosa damnabilisque observatio. Sed fortasse in promtu habent exempla, quibus audacissimo asserto faciant fidem? Nullum plane. Ita, inquiunt, *cum dicitur* 1. *Cor. X.* 16. *Calix benedictionis &c. & Gal. III.* 27. *Quotquot in Christum baptizati estis,* &c. Quasi nescirent, ab iis, quos oppugnant, hæc loca, prorsus eodem modo, quo locum *Actorum*, quem explicari aliter volunt, intelligi. Igitur, alia circumspicienda erant, quibus vel ad speciem ostenderent, tribui aliquando ritui sacro vim, quam is non habeat. Sed, ut dixi, nihil invenire potuere.

2) Pulcherrima hæc duo testimonia exponimus alibi, neque nunc denuo idem agendum.

3) *Socini,* hominis quavis anguilla magis lubrici, hoc commentum est, ut vidimus, cui vero catechesis jam reapse contradixit. Nam, si illa priori ratione *Ananiæ* verba *intelligi debent,* quod catechesis modo dixerat, non *possunt* ad eum modum accipi, quem nunc e *Socino* repetit. Modus vero ille torquendi hic est: jussum esse ab *Anania Paullum,* & suscipere baptismum, & abluere

peccata,

peccata, non hoc quidem per baptismum, sed per invocationem nominis Domini. Itaque si *Socinus* audiendus, baptisma, tantum ne nihil diceret, *Ananias Paullo* commendavit, neque fuit Sancti *Ananiæ* mens, quæ *Petri* fuit, *Act. II.* 38. *Resipiscite & intingatur unusquisque vestrum in nomine JEsu Christi ad remissionem peccatorum.* Sed tædet hic repetere, quæ ad *Socini* librum de *baptismo aquæ* jam diximus. Verbo moneo, non opus fuisse, laudatis *Act. II.* 21. *Rom. X.* 13. dici: tempus venisse, quo omnis invocans Dominum servandus esset. Nam invocatio Domini male opponitur baptismati, cum potius utrumque arctissime conjungendum sit.

---

351. Nonne ipse Servator Christus cum Nicodemo agit de aquæ baptismo? Jo. III. 5.

Nullo modo. Etenim illic agit Dominus de generatione superna, id est, cœlesti, præterea, de ejusmodi generatione, sine qua nemo in cœlum intrare potest, quod dici non posse de aquæ baptismo, ipsa ratio indicat. 1) Quod vero illic ait de aqua & Spiritu, ea non esse diversa, verum per aquam ipsum Spiritum, vel aquam spiritualem intelligi ex eo videtur planum esse, quod ea particula, &, hoc loco significare possit, id est, ut in simili oratione significare videmus, ubi dicitur, quod Christus baptizaturus esset Spiritu & igne. 2) Atque ideo etiam Christus in eodem colloquii progressu nullam amplius aquæ, sed tantum Spiritus mentionem facit.



Notæ:

Notæ:

1) *Nullo modo.* Sic ferociter Catechesis negat Christum de baptismo aquæ cum *Nicodemo* loqui; cum ipsa verba *regenerari ex aqua & Spiritu*, ad rem in Judæa tum usitatissimam, cum ab *Joanne* tum paullo post ab ipso Christo per discipulos exercitam, *Jo. III.* 22. 23. lectorem clarissime ablegent. *Nicodemus* non poterat ignorare, cum esset in supremo senatu Judæorum, unde legati ad *Joannem* non ita pridem de baptismate missi fuerant, quid rerum ad *Jordanem* & in terra Judæa ageretur; baptizari vulgo, dudum *a Joanne*, deinde a Christi discipulis; tribui ei baptismati, quod resipiscenti animo susceptum esset, remissionem peccatorum; & tamen, cum audiret auctorem & magistrum ejus sanctissimi instituti de *aqua*, unde renascendum esset, disserentem, *nullo modo* de baptismo aquæ cogitare debuit? Ita *Racovienses Faustum* suum, quem supra vituperavimus, secuti, volunt jubentque. Sed possuntne fidem facere assertis suis? Hic vere dicas, *nullo modo.* Quicquid dicere possunt, hoc est: *ipsam rationem indicare, generationem, sine qua nemo in cœlum intrare possit, de aqua baptismo dici non posse.* Itane non pudet miseri argumenti! Ratio hoc videt aquæ naturali non inesse tantam virtutem; posse autem, si velit, Deum, præter & supra naturales vires, per istam aquam aliquid efficere, ratio, modo secum habitet & modesta sit, negare nequit. Itaque abit res ad testimonia Scripturæ Sacræ, in quibus palam vicit nostra sententia. *Irenæum* hic audiamus, qui, *Libr. III. c.* 18. *p. m.* 179. sic scripsit: „*Sicut enim de arido tritico massa* „*una fieri non potest*, &c.„ quæ verba supra exhibuimus. Ceterum verbo monendum duxi, vocem ἄνωθεν, quam Catechesis, *superne*, vertit, quamquam res non absurda est, cum Sacramenta certissime sint res cœlestes, tamén rectius verti: *denuo;* sic enim intellexit *Nicodemus*, qui de reditu in uterum matris cogitabat, non reprehensus

in

in illa vocis acceptione a Domino. Porro baptisma & regeneratio, quæ per illud fit, ita res cœlestis est, ut in terris tamen fiat. Hinc eæ res, cœlestis licet originis, v. 12. ἐπίγεια dicuntur, opposita τοῖς ἐπουρανίοις, ut, *ascensioni in cœlum* & similibus.

2) Lector hic observet supinam negligentiam & incuriam Catecheseos, in his verbis: *Quod vero illa ait de aqua & Spiritu, ea non esse diversa, verum per aquam ipsum Spiritum, vel aquam spiritualem intelligi, ex eo videtur planum esse, quod ea particula*, &, *hoc loco significare possit*, id est, &c. Nemo facile credet, idem esse *Spiritum*, & *aquam spiritualem*. Sed ponamus idem esse, quomodo demonstrat, id ita explicandum esse, quod Christus dixit? *Videtur*, inquit, *planum esse*; quod si quæras, cum satius esset, non, *videri*, sed, *esse* planum; unde tamen ipsis planum videatur? Quod particula, &, inquiunt, *potest* significare, *id est*. Erubescendum facimus, rem ab omni antiquitate testatissimam, qualis est nostra sententia: Christum cum *Nicodemo* de aquæ baptismo locutum esse; proterve abjicere, quia *possit* aliqua vocula aliud significare! Nam etsi, figuram in Poëtis quidem magis, quam qui prosa oratione scribunt, agnoscerem, quam Græci ἓν διὰ δυοῖν appellant; voculæ, *id est*, tamen non congruunt; v. g. ubi dixeris, gladio ferroque prostratum hostem, facile intelligo gladium ferreum, sed absone intelligeretur vel exponeretur: *gladio, id est ferro*. Exemplum conata est Catechesis laudare unum, sane quam infeliciter; quod *Christus baptizaturus esset Spiritu & igne*. Supra jam *Socino* regessimus, constare, hoc vaticinium impletum esse die pentecostes. Sed & hoc constat, non modo Spiritum Sanctum intus occupasse & illustrasse Apostolos, sed & foris flammulas visas, vel in Apostolis, quod plurimi putant, sive in capitibus, sive in ipso ore & linguis, vel, quod mihi videtur verius, ab Apostolis. At, si, ut Catechesis nos jubet,

sic exposueris: *Baptizabit Spiritu*, h. e. *igne*, sequetur Spiritum Sanctum ignem esse, quod vereor, ut quisquam, qui non desipit, Socinianis credat.

3) Negatur *aquæ* amplius mentio fieri in istis, quæ *Jo. III.* 5. sequuntur, quod & ipsum, tametsi verum esset, nihil nostræ sententiæ derogaret. Neque enim ita imperitus erat rerum tum gestarum *Nicodemus*, ut nesciret a *Joanne* maximam hominum multitudinem baptizari, adeoque vox *aquæ* sæpius esset repetenda. Monendus tamen est lector, eodem cap. *Jo. III. v.* 23. sqq. porro *Jo. IV.* 1. *sqq.* baptismatis expressissimam fieri mentionem.

Ceterum recentiores Catecheseos editores, quamquam non in omnibus φλυαρίας *Socini* sequi, jam observatum est; ausi tamen & ipsi sunt perhibere, non agere illustrissima illa loca, *Ephes. V.* 26. *Ebr. X.* 22. 23. de baptismate nostro, quibus non est operæ pretium sigillatim respondere, quando de iis locis abunde actum est. Paucis, quæ hic addiderunt, excutienda sunt. Negant *Tit. III.* 5. 6. de baptismate sermonem esse, quamquam *lavacri* fiat mentio, nam nos id fateri cogi, quoniam velimus infantes tantum per baptismum regenerari, in adultis autem regenerationem, fide, baptismum antecedente, factam, baptismo tantum designari (obsignari). Facilis hic est responsio: Vocatur baptisma lavacrum *regenerationis* & *renovationis*, illud est *regenerandis*, hoc *renovandis*, in quas duas classes omnes certissime abimus. Neque vero ideo non debetur baptismati nomen *lavacri regenerationis*, quod non omnes eo regenerentur, cum, quod jam sint regeniti, ut adulti credentes, tum, quod abutantur baptismate, quod faciunt, qui Christianam fidem simulant. Sufficit aliquos isto lavacro regenerari, ut hoc nomen mereatur. Ita providentiam Dei *vivificam* dicimus, non quod omnes demum vivos faciat, nam qui jam vivunt, conservatione tantum & directione opus habent, sed, quod aliquos reddat vivos. Porro *Ephes. V.* 26. *Christum purgasse ecclesiam lavacro aquæ in verbo*

hoc.

hoc esse ajunt: purgasse per verbum quasi per lavacrum aquæ, nam alludere ad morem lavandi sponsas, ad quam Deus ipse ex parte respexisset, cum apud *Ezech. XVI. 9.* populum Hierosolymitanum alloquens ajat: *Lavi te aqua;* quod figurate intelligendum esse locus ipse apertissime doceat. Ego vero, cui bono huc laudetur locus *Ezechielis*, non capio, eodem enim jure lotiones omnes in libris Mosis & alibi narratæ huc referrentur. Minime vero figurata aqua ab *Ezechiele* intelligitur, sed vera utique & naturalis, quamquam persona puellæ vera & naturali aqua ablutæ populus Judaicus adumbratur. Præterea observant recentiores: *Spiritus Sancti effusionem in homines nequaquam baptismo aqua fuisse alligatam, cum videamus, eam nunquam in ipso baptismo fuisse factam, sed plerumque, & quidem manuum Apostolicarum impositione interveniente, eum secutam fuisse, nonnunquam etiam antecessisse.* Nolunt autem videre hi homines discrimen inter dona *miraculosa* Sancti Spiritus, & *sanctificantia*, quorum illa ad baptisma plane non sunt alligata, hæc non ita alligata, ut sine baptismate plane nemini obtingant, sed, ut ordinarie per baptisma concedantur, nisi homo ipse defectu fidei impediat efficaciam.

CAPUT V.

DE PROMISSO VITÆ ÆTERNÆ.

352. *Exposuisti mihi perfecta Christi mandata: illius quoque promissa exponi velim.*

Maximum omnium, &, quod omnia in se comprehendit, est vita æterna: Verum etiam aliud superest, ad prius obtinendum vehementer pertinens.

353. *Quod vero istud est?*

Donum Spiritus Sancti.

354. *At nonne eadem promissa comprehensa fuere in lege Mosis?*

Immo nullum eorum comprehensum fuit. Etenim, nusquam in lege Mosis reperies vel vitam æternam aut donum Spiritus Sancti obedientibus præceptis legis, promissum, quemadmodum in lege per Christum data, promissa esse constat. 1)

Notæ:

1) Nusquam in lege *Mosis* vel vitam æternam, vel donum Spiritus Sancti obedientibus præceptis legis promissum esse, potest, si recte intelligas, concedi Socinianis; ut vice versa, quod ajunt constare, in lege per Christum data, ea omnia promissa esse, longe est falsissimum. Nam, ut ab hoc incipiam, cum non dederit Christus novam legem, quod adhuc vidimus, nec possunt promissa esse præmia, illis, qui eam legem, quæ nusquam est, observassent. Quoties egit de lege, veterem & dudum cognitam, sed a Pharisæis obscuratam explicuit, atque illi veteri legi additam esse vitæ æternæ promissionem docuit, ita quidem, si quis fecisset omnia, *Luc. X.* 28. eaque re ad agnitionem suæ impotentiæ & serium desiderium perfectioris justitiæ, quæ extra Christum frustra quæritur, deducere voluit hominem, ut toto isto capite legi potest. Ceterum & ipse δωρεὰν *aquam vitæ* elargitur, *Apoc. XXI.* 6. *XXII.* 17. conf. *Matth. X.* 8. & Sancti ipsius Apostoli idem ubique docuerunt. v. g. *Rom. III.* 24. *Ephes. II.* 8. 9. Legi ergo nunquam dona Spiritus Sancti & vitæ æternæ ita annexa

nexa sunt, ut post lapsum ejus observatione reapse obtineri queant. vid. *Rom. II.* 12. 13. Hinc intelligitur, ut falso legi Christi promissiones ejusmodi tribuantur, ita verissime *legi Mosaicæ* negari, cum non extent diversæ leges, per legem autem, sive, ut data per *Mosen* est, sive, ut explicata per Christum repurgataque, agnitio quidem *peccatorum*, minime vero *salutis*, veniat. Verum hoc non voluit Catechesis, nam Sociniani negant, non modo *lege factam* esse promissionem Spiritus Sancti vitæque æternæ, quod ipsis lubentissimi concederemus, sed, in *libris Mosis*, quos, qui cum *lege Mosis* confundit, vehementer errat, Prophetarumque, inficiantur ejusmodi promissiones extare, factas demum nato passoque & resuscitato Christo. Ita enim *Faustus Socinus*, *Miscellaneorum* libro, *Racoviæ an.* 1611. edito, *p.* 5. „Certe (dicant, quicquid „velint, Judæi) nihil unquam promisit *Moses*, præter hu„jus vitæ bona, eamque felicitatem, quæ ex iis potissi„mum, quæ extra nos sunt, in hac vita contingere po„test; quemadmodum universam ejus legem perscru„tanti cuilibet aperte constabit, quamquam satis est eos „locos inspicere, in quibus nominatim & ex professo, „promissa recensentur iis facta, qui Dei mandata illa „conservaverint. Quales præcipui sunt, *Exod. XXIII.* „*Levit. XXVI. Deut. VII. & XXVIII.* in quibus nulla „prorsus bonorum futuræ vitæ, sive aliqua ratione vitæ „ipsius futuræ facta est mentio.„ Tametsi vehementer cœci sunt Judæi, & carnale ingenium ubique produnt, multis tamen modis cœcior est *Socinus*, qui in his carpit, quod ultra hujus vitæ angustias prospexerunt. Mirum vero est, si sine rubore legere potuit Christi verba: *Jo. V.* 39. *Scrutamini Scripturas, nam vos arbitramini in illis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testificantur de me.* Quæ verba si conferas cum præcedente commate: *Et sermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia, quem misit ille, huic vos non creditis:* facile apparet, Judæos increpitos quidem esse, a Christo, quod sibi viderentur

vitam habere, cum tamen minime, ut par erat, scrutarentur ea scripta, alioqui fontem vitæ, hoc est Christum, reperturos fuisse, & accessuros ad Christum, ut in ipso acciperent vitam, *v.* 40. Hæc vero, & quæ *v.* 46. 47. extant: *Moses de me scripsit;* quomodo potuisset obsecro! Christus dicere, aut quo sensu dixisset, si promissiones spirituales e *Mosis* & Prophetarum libris exularent? Nemo ergo fuit, qui intelligeret explicaretve, quænam esset illa victoria semini mulieris de cacodæmone, antiquo serpente, obtinenda? Et Sancti omnes, qui vitam divinam egerunt, quorum *Henochus* sine morte vitam ingressus est, omnium vero *fides* in *Epistola ad Ebræos cap. XI.* prædicatur; hi, inquam, omnes possuntne sine summa injuria, tantæ vel socordiæ ignaviæque vel stupiditatis accusari, ut *crederent* quidem, sed, quid crederent, ignorarent; ut pergerent ad mortem, sed, quo esset post mortem veniendum, parum essent soliciti; quotidie immolarent, sed, quid sibi vellent tot sacrificia, penitus abstinerent quærere, aut non possent edoceri? *Abrahamus* certe, *amicus Dei* & ad summam familiaritatem aliquando admissus, cum judicem fore Deum totius generis humani præclare scivit, *Gen. XVIII.* 25. cum quo *Enochi* vaticinium ab *Juda* Apostolo memoriæ proditum, conferendum est, de salute piis & credentibus adjudicanda nihil novisse censendus erit? Porro *David*, cum Spiritum Sanctum retinere ardentibus precibus petit, *Psalm. LI.* 10. 14. si non habuit promissiones de Spiritus S. donis, si, quid esset Spiritus S. ignoravit, non homo, nedum Propheta, sed stipes fuisse judicandus est. Sed tanta est hujus φλυαρίας *Socini* indignitas, ut tædeat quidquam addere. Neque vero multo saniora habent in recentiore Catechesi, nempe, promissum vitæ æternæ, quod ad novum testamentum reservatum esset, in Mose non haberi, potuisse tamen veteres vitam æternam, ut rem maxime expetendam, sperare vel sine promissione, potuisse etiam, quod *Ruarus* adjicit, colligere, habere Deum, quo etiam

post mortem cultorum suorum pietatem compenset, cum nonnunquam maximis calamitatibus oppressi fuerint; hac ratione Maccabaicis potissimum temporibus spem illam futuri Seculi in cultoribus Dei excitatam fuisse videri. Verum hæc omnia frigent, nisi credentium veterum fides verbo & promissionibus divinis niti potuit.

355. *Attamen prorsus aliquam spem vitæ æternæ in Dei populo ante Christum fuisse apparet?*

Nihil obstat sperare quidpiam, etiamsi promisso Dei careas, modo res ea sit summopere expetenda & ejusmodi, quam credibile erat, eam Deum cultoribus suis daturum. 1) Vita vero æterna nec magis est quidquam expetendum, nec est quidquam credibilius, quam Deum cultoribus suis eam daturum, tanquam mercedem, quæ ipsius personæ vehementer conveniat, sine qua cetera bona, etiamsi a Deo proficiscantur, vix sint digna divinæ mercedis nomine.

Notæ:

1) Socinianos plane Ethnicam impietatem magna quidem pietatis specie induisse, hinc palam est. Sperari posse a Deo, etiam, quæ non promisisset, ajunt, idemque recentiores, ut modo vidimus, repetere non verentur. Præclara illa, quæ de *fide* Apostolus, *Ebr. XI.* 1. prædicat, plane dememinerunt. Jam ipsis sufficit, *credibilem* rem esse, quam speres. Nos quidem aliam fuisse conditionem fidei in *Abrahamo* novimus. *Rom. IV.* 19. 20. 21. Hoc modo, si non sit necesse scire, per quem placati

(certe, quod ad veteres attinet, placandi,) simus Deo; si sufficiat hoc unum ex ipsa ratione colligere, esse Deum beneficum, esse placabilem; non video, cur non sit *Seneca* Christianus, qui de bonitate Numinis passim egregie loquitur. v. c. de *beneficiis L. VII.* paullo ante finem: „Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui „maledictis suorum infantium arrident, non cessant Dii „beneficia congerere, de beneficiorum auctore dubitan„tibus: sed æquali tenore bona sua per gentes populos„que distribuunt, unam potentiam sortiti prodesse. Spar„gunt opportunis imbribus terras; maria flatu movent, „siderum cursu notant tempora, hiemes æstatesque inter„ventu lenioris spiritus molliunt, errorem labentium „animarum placidi ac propitii ferunt.„ Christiani aliter instituunt. *Hi norunt, in quem credant,* norunt etiam, *non esse aliud nomen sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos salvari, quam nomen JEsu.* Credibile, ajunt Sociniani, esse, Deum vitam æternam cultoribus suis daturum. Verum si nescias, quomodo colendus sit Deus, quomodo pro peccatis satisfactio præstanda Deo, & tum credibile est daturum Deum vitam æternam? Non audire Deum peccatores, homo ab utero materno cœcus, tamen vidit. *Jo. IX.* 31. Cæcior autem est, qui non videt nos esse peccatores. Unde ergo ratio expediendi se reatu peccatorum, ubi nulla est Christi liberatoris nostri cognitio? Sic *Paullus*, 2. *Cor. V.* 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando ipsis peccata ipsorum.* Reconciliatione nihil fuisset opus, nisi peccassent homines, &; si aliquorum tantum hominum essent peccata, quid attinuisset idem de *mundo* dicere? Porro, non esset necesse Deum in Christo, tot dira pro nobis passo, esse, si vel sine λυτρῳ posset velletque Deus peccatorum veniam dare, vel homines ipsi possent suo obsequio eam expiationem ipsi facere.

356.

356. Id vero quamobrem?

Duabus de caussis: Primum, quod non tam ipsum bonum, quam illius perpetuitas divinum quiddam habere videatur; deinde, quod constet, aliorum bonorum, excepta vita æterna, esse participes etiam eos, qui Deo non serviunt, immo eum blasphemant. 1)

Notæ:

1) Videor mihi hic cœcutientem aliquem Ethnicum non hominem Christianum audire, qui *suspicetur* datum iri hominibus perpetuitatem, non, qui *sciat* id futurum. Certe *Seneca* verba magis aliquanto affinia videntur Christianæ fidei, quam *Socinianorum* disputatio. Ita ille *L. I. epistolar. ep.* 36. „ Quod si tanta cupidi-„tas longioris ævi te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab „oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, „& mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desi-„nunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus „ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet ite-„rum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recu-„sarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentius do-„cebo, omnia, quæ videntur perire, mutari. Æquo ani-„mo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in „se remeantium. Videbis in hoc mundo nihil extingui, „sed vicibus descendere ac resurgere.„ Quid vero sibi vult Catechesis, cum ait constare, etiam impios participes esse ceterorum bonorum, præter vitam æternam? Necesse est hoc velle, piis amplius aliquid, nempe vitam æternam destinatam esse oportere. Verum hic quæro, fueritne piis ante Christum natum e *Maria* virgine, cognitum, ita oportere colligi, an non fuerit? Si nihil ipsis constitit; unde colligit *Socinus*, qui se *Davide*, *Salomone*

cete-

ceterisque Sanctis veteris ævi fortasse non postulabit sapientiorem & perspicaciorem haberi? Si liquida fuit veteribus ista collectio, ut sane fuit, cur negatur ipsos promissionem vitæ æternæ habuisse? *Paullus*, 1 *Cor. II.* 9. recitat Esaiæ Prophetæ verba, *cap. LXIV.* 4. unde liquet sperasse veteres bona longe majora, quam sua possent, cum mortales essent, mente & cogitatione capere, h. e. interminabilem & æternam salutem. Hinc *Ignatius Martyr, epist. ad Smyrnaos* §. *VII.* Πρέπον οὖν ἐστιν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων καὶ μήτε κατ' ἰδίαν περὶ αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ. Προσέχειν δὲ τοῖς προφήταις, ἐξαιρέτως δὲ τῷ εὐαγγελίῳ ἐν ᾧ τὸ πάθος ἡμῖν δεδήλωται καὶ ἡ ἀνάστασις τετελείωται. „Decet itaque abstinere ab „ejusmodi, & neque in privato, nec in communi collo„quio de illis verba facere: attendere autem Prophetis, „præcipue autem Evangelio, in quo passio nobis ostensa „& resurrectio perfecta est.„ Quid vero opus esset & hodie Prophetas scrutari, si vitæ æternæ promissio nulla in illis foret?

---

357. Habiturine sunt vitam æternam, ii, qui eam speraront, licet iis promissa non fuerit?

Prorsus; at non omnes, verum, qui ex animo Deum coluerunt, & dicto audientes ei fuere. 1) Nec enim obstat quidquam, quo minus plus præstet, quam promiserit Deus. Et Christus id aperte docet, cum e verbis Dei & vere & subtiliter ratiocinatur, [A]umum, Isaacum & Jacobum resurrectu[m]ortuis, & victuros. Luc. XX. 37. 38. imitatus auctor ad Hebræos ait: Deum

Deum non erubescere eorum vocari Deum, eo quod paraverit iis urbem, & eos æternum victuros statuerit. 2) Ebr. XI. 16.

Notæ:

1) Qui possit aliquid sperari & firma quidem fide, qualem Deus poscit, *Jacob. I. 6. Psalm. XXXVII. 5.* quod promissum non est, equidem non intelligo. Porro, quod obsequium & obedientiam piorum veterum tantum valere arbitrantur, ut salutem vel non promissam acciperent, e diametro contradicit *Paullo, Rom. IV. 2.* quo loco clarissime negatur, *coram Deo,* suis, sanctis licet, operibus, *Abrahamum* justum factum esse, quamquam id accidisse *coram hominibus Jacobus* Apostolus affirmat, neque negat *Paullus.* Quominus Deus plura præstet, quam promisit, fateor nihil obstare: Verum hoc falsissimum: ullo jure ullave specie sperari posse, quæ non est pollicitus.

2) Hæc duo dicta *Luc. XX. 37. 38. Ebr. XI. 16.* palam jugulant impiam doctrinam Socinianorum. Sed, quicquid dicat Scriptura, antiquum ipsi obtinent. Si *vere,* quod fatetur Catechesis, Christus promissionem resurrectionis adeoque vitæ æternæ demonstravit ex ista fœderali formula: *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi;* sequitur, *vere* contineri illis verbis promissionem vitæ æternæ; nam, qui posset elici, quod non inesset? Cur ergo tanta protervia negavit Catechesis in Mose promissionem vitæ æternæ ullam esse? Cum ajunt Christum *subtiliter* ratiocinatum esse, absit quidem, ut aliquid detractum velimus sapientiæ Christi, quæ divina est, & videntur Pharisæi tum contra Sadducæos non usi isto argumento. Verum ita tamen subtilis non est ratiocinatio, quia possit auditor monitus facile vim argumenti [illegible]dere; quod & in Sadducæis factum. Nam non er[illegible] quod regererent, quod fecissent, nisi pondus verita[illegible]

agno-

agnovissent. Et, si, quod nos dubitare Apostolus prohibet, Patriarchæ appetiverunt cœlestem patriam, & constanti quidem fide concupiverunt atque exoptarunt, spreta propterea patria terrestri, immo, si, quod *v.* 13. extat, *viderunt* promissa bona eminus, & *salutarunt*, ut nautæ solent promontorium primum visum, & persvasi sunt, hoc est, animo tranquillo usi: habuerunt utique *promissiones* hujus tam avide expectatæ vitæ æternæ. Nemo enim dixerit vidisse & salutasse piissimos homines, rem, quæ nusquam esset: Porro, si non puduit Deum optimum maximum vocari Deum piorum veterum, ideo vero hoc nomen obtinet, quod ipsis civitatem cœlestem parasset; illique ideo istam cœlestem dulcemque patriam summo desiderio expectarunt: pudentis hominis non est, negare eas promissiones antiquitus factas esse.

---

558. *Si Deus daturus erat vitam æternam illis hominibus, cur eam non promisit?*

Tam excellens promissum distulerat Deus, in tempus, quod noverat oportunum, ut tanto evidentius appareret omnibus, tam excellens bonum esse proprium ipsius munus, e mera benignitate ipsius profluens. 1)

Notæ:

1) Magis frigide disputari non poterat. Nam, si Deus Patriarchis dudum fecit vitæ æternæ promissionem, quod certissime factum esse jam vidimus; Tu putabis illos non agnovisse benignitatem divinam? Immo agnoverunt & celebrarunt. v. g. *David*, *Psalm. LXXXIX.* 2. חסדי יהוה עולם אשירה *Benignitates Domini in seculum canam &c.* Præterea autem lectorem meum monitum volo, imprudentes Socinianos hic caussam suam misere vulne-

vulnerasse. Nam legem N. T. sanctiorem multis partibus perfectioremque prædicant lege V. T. unde prona consecutione colligitur, multo præstantiora esse hodie opera piorum, quam olim fuere. Sed & hoc constat, quo plus dignitatis & meriti est in eo, qui accipit beneficium, eo plus detrahi laudi beneficentiæ in eo, qui tribuit beneficium; videtur enim jam mercedi simile. Falsum adeo, hodie, sive Novi Testamenti tempore, evidentius apparere omnibus excellentiam benignitatis e promissione vitæ æternæ, quam, si dudum ea promissio esset facta, cum secundum Socinianorum hypothesin nondum tam sancta tamque Deo placentia opera fieri potuere.

---

359. *Nonne in novo fœdere, præter vitam æternam, sunt etiam vitæ hujus promissa facta?*

Scriptura sane testatur pietatem etiam sub novo fœdere promissionem habere, non futuræ solum, verum etiam præsentis vitæ: 1. Tim. IV. 8. ac etiamsi quis Christi caussa & Evangelii ejus omnia relinquat, eum centuplicia in hac vita recepturum, cum persecutione, & in seculo futuro vitam æternam. Marc. X. 29. 30.

360. *Ergo quoad promissa vitæ præsentis exæquatum est novum fœdus veteri?*

Cum ex aliis Scripturis constet hominem Christianum acquiescere debere iis tantum, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria; 1. Tim. VI. 8. apparet, promissa vitæ hujus sub novo fœdere facta, etiam plenissima & uberrima sic accipi debere, ne Christiano homini

homini desit quidquam, quod ad hanc vitam tuendam necessario requiratur. Verum, sub veteri fœdere, non solum quærere licuit & possidere plura, quam vitæ hujus usus requireret; sed etiam e superfluo voluptates & alia, sine quibus esse in hac vita possumus, parare; modo id sine alterius fieret injuria. Propterea promissa vitæ hujus sub veteri fœdere non contrahenda sunt, sed, ut verba sonant, accipienda. Unde etiam cernere est, vitam æternam in veteri fœdere non fuisse promissam, alioquin novum fœdus non haberet præstantiora promissa, quam habebat vetus, contra quam superius docuimus. 1)

Notæ:

1) Certissimum est injuriam fieri, cum Sanctissimo Numini, tum & Sanctis Patriarchis, si putes olim licuisse indulgere voluptatibus carnis. Hæc enim non nunc magis quam olim, sed semper, accurato studio perdomanda estque fuitque. Qui sanctos viros prisco ævo, v. g. *Noachum, Abrahamum, Mosen, Davidem*, ceterosque infinito numero, voluptatibus hujus Seculi pastos & quasi saginatos opinantur, illi, vereor, ut vel legerint vel intellexerint codicem sacrum. Ceterum, ut olim licuit bona, tanta etiam, quanta nunc necessitatibus nostris majora videntur, possidere: ita idem hodie, si divina providentia ita voluerit, (nam per nefas corradere nunquam licuit;) quis dubitet licere? Et, quemadmodum hodie indignum est Christiano homine appetere opum

afflu-

affluentiam, ita, ratione plane eadem, prohibitum idem olim fuit. Dictis fidem faciam duobus locis Scripturæ Sacræ, quæ puto abunde satisfactura. Igitur, 1. *Tim.* *VI.* 17. divitibus non hoc imperatur, ut *Cratetis* Thebani exemplo abjiciant opes suas, ut concedant in eremum, vel simile quidquam, sed, ut ne velint confidere fluxis his opibus, verum Deo abundantissimo bonorum omnium largitori. Illud autem utique acerrime præcipiendum fuisset, si abundare opibus, Novi Testamenti temporibus, in rebus vetitis censendum esset. Porro, *Proverb. XXX.* 7. 8. 9. vir sapiens eam prodit indolem piorum veterum, ut voluptatum studium fugiendum, opes autem nimias minime sibi appetendas esse crederent. Quod promissiones ad hanc vitam pertinentes veteri ævo, *ita, ut sonant verba*, contendunt intelligendas, me non habent adversarium, quamquam nescio, cur *Smalcius*, in versione vernacula, de *extendendis* illis (man soll Sie vielmehr erweitern) cogitarit. Sed vicissim non video, quam ob caussam contrahendæ sint hujus generis promissiones, temporibus nostris. Exceptio summe necessaria est nostro antiquoque ævo communis, tantum petendum, tantum & expectandum bonorum hujus Seculi, quantum sapientia divina cuique videt esse conducibile. Denique, quod Catechesis ait, novum fœdus *præstantiora promissa* habere oportere, quam vetus; partim concedo, ex parte vero falsissimum est. Nam, quod duo fœdera proprie sic dicta post lapsum protoplastorum comminiscuntur, admitti nulla ratione potest. Promissiones enim gratiæ divinæ utrique ævo communes, in eodem Christo *ναὶ καὶ ἀμὴν* sunt, 2. *Cor. I.* 20. At, si velis, quod & Scriptura subinde facit, novum fœdus seu testamentum appellare, id quod Christo in carne exhibito, non mutato tamen unico & durabili gratiæ fœdere factum est, potissimum festo pentecostes, certissimum est, beneficia hic data esse ampliora, quam contigit *Mosis* ævo, quo legum Schema additum est illi gratiæ fœderi, non, ut mutare-

tur, quod teste Apostolo, *Galat. III.* 17. fieri non potuit, sed, ut sub pædagogo essent hæredes gratiæ. Nunc utique legum molesta obsérvátio minor, parrhesia major est. Neutiquam vero recentiorum temporum felicitas ea putanda est, ut totius vitae nostrae in his miseriis, scopus, aeterna salus, olim ne promissa quidem esse, censenda sit.

CAPUT VI.

DE PROMISSO SPIRITUS SANCTI.

361. *Expone mibi alterum promissum, & explica, quid sit donum Spiritus Sancti.*

Donum Spiritus Sancti in novo fœdere promissum duplex est, unum perpetuo manens, alterum ad tempus, quod visibile fuit, ut illud invisibile.

362. *Quod vero est ad tempus concessum idque adspectabile donum?*

Est donum edendorum aut possidendorum miraculorum, quod ab initio in Christum credentibus manifeste dabatur. 1)

Notæ:

1) Itane dona miraculosa Spiritus S. antiquitus defuere? v. g. 2. *Chronic. XX.* 14. legere poterant Sociniani, Spiritum Domini fuisse super *Jachasielem*, Levitam, ut praenunciaret stupendam victoriam *Josaphato*, quam & altero die summo miraculo obtinuere. Ut taceam tot alia loca, quibus Spiritus Sanctus *induisse* Prophetas, & *irruisse*

irruisse in eos prædicatur. Aliquam deberi prærogativam temporibus primis ecclesiæ Christianæ & scimus & fatemur, tum enim dona ista & copiosius & in plures collata sunt. Sed non ideo cœpit demum Spiritus Sancti miraculosa virtus. Nam, *Mosis*, *Eliæ*, *Elisæ* miracula sunt plane divina & stupenda, in quibus & aliquot mortuorum resuscitatio. Quodsi hoc volunt obscuriori locutione, *dona possidendorum miraculorum*, quam non clarius exponit *Smalcius* germanice: Gabe vvunderbarliche Würckungen zu besitzen; in recentiori editione autem est: *Vis divina, quæ aut in iis, quibus dabatur, aut, per eos, res admirabiles & cursum naturæ plane superantes efficiebat;* hoc, inquam, si volunt, olim ante Christum, non fuisse concessa dona linguarum & sanandorum morborum, certe non ita multis concessa, quam primis, a Christo resuscitato seculis, non habeo, quod contra dicam, sed caussam *Socini* parum juvat, nam nemo dixerit donorum Spiritus Sancti dispensationem semper debere eandem esse.

---

362. *Cur vero donum id non semper duravit?*

Propterea quod ad confirmandum novum fœdus concessum fuit, quod ubi satis confirmatum Deo visum est, ejus arbitrio & consilio desiit.

363. *Quid vero per hæc verba tibi vis, satis fuisse novum fœdus confirmatum?*

Id volo, eos, qui ad credendum Evangelio apti fuere, ex eo, quod ad confirmationem fœderis actum erat, satis in posterum, ut crederent, habuisse.

364. Quinam vero ii sunt apti?

Qui vel animi probitate præditi sunt, vel ab ea non alieni. 1) Etenim noluit Deus, ut ii, qui ex eorum genere non essent, caussam rejiciendæ Christi doctrinæ nullam haberent, non habituri, si ea confirmatio perpetua fuisset. 2) Nec enim quisquam tam improbus fuisset, qui doctrinam Christi pro vera non agnovisset, atque eam non tam virtutis & pietatis amore, quam illius expetendi boni, vitæ nempe æternæ, quam Christus suis promittit, desiderio incitatus & inflammatus, amplexus fuisset, ut in religione Christiana, quæ Dei consilio improbos a probis erat secretura, discrimen inter bonos & malos nullum appareret. 3)

Notæ:

1) Hoc loco *virus Pelagianum* totum effusum est; tot vero ineptiæ congestæ & cumulatæ, ut mirandum sit, recentiores Socinianos, quos interdum fere puduit ineptiarum veterum, non hæc amputasse omnia, sed impietas omnibus eadem. *Apti*, inquiunt, *sunt ad credendum Evangelio, qui vel animi probitate præditi sunt, vel ab ea non alieni.* Itaque in homine jam est virtus illa, cui salus debetur, protestante licet Apostolo, *Ephes. II.* 8. 9. 10. gratiæ deberi omnia, homini plane nihil; neminem habere, quod glorietur; quicquid in nobis boni est, nova creatione in Christo factum esse. Cui continunt *Jeremias, XXXI.* 18. qui tractui divino salutem *v.* 3. jam adscripserat, non aptitudini, quæ in homine fuisset; & *David,*

vid, qui sibi a Deo creari cor novum precatur. Et, quid opus fuisset, parari *Joannis* ministerio, populum in adventum Domini, si per se animi probitate, immo, *si essent modo non alieni a probitate*, apti fuere? Christus autem, neminem ad se venire posse, nisi eum traxisset pater, essetque ipsi a patre traditum; *Jo. VI.* 65. & *Paullus*, hominem naturalem nihil intelligere sine Spiritu, 1. *Cor. II.* 14. plane frustra dixissent, si verum esset, quod catechesis docet. Quæ mihi non Christiani hominis, sed Stoici philosophi, vox videtur esse; quæ secta in suo credidit arbitrio suaque potestate esse, sancte vivere. Sic v. gr. *Epictetus* apud *Arrianum*, *L. II. cap.* 19. *p.* 222. Τί ἡμῖν λείπει; οὐκ ἐστι διδακτὸν τὸ πρᾶγμα; διδακτόν. οὐκ ἔστιν οὖν ἐφ' ἡμῖν; μόνον μὲν οὖν τῶν ἄλλων πάντων. οὔτε πλοῦτος ἐστιν ἐφ' ἡμῖν οὔθ' ὑγίεια, οὔτε δόξα, οὔτε ἄλλο τι ἁπλῶς, πλὴν ὀρθὴ χρῆσις φαντασιῶν. τοῦτο ἀκώλυτον φύσει μόνον, τοῦτο ἀνεμπόδιστον. Διὰ τί οὖν οὐκ ἀνύετε. ἢ παρ' ἡμᾶς, ἢ παρὰ τὴν φύσιν τοῦ πράγματος. Αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἐνδεχόμενον καὶ μόνον ἐφ' ἡμῖν. „Quid nobis deest? num res illa doceri non potest? Po„test utique. Num in potestate nostra non est? Sola hæc „quidem, præ reliquis rebus omnibus; quoniam nec „opes sunt in nostra potestate, nec valetudo, nec gloria, „nec aliud quicquam universe, præterquam phantasia„rum, h. e. specierum de rebus menti oblatarum, rectus „usus. Id unum secundum naturam impediri nequit, „id solum liberum est. Quare in eo non elaboramus? „Aut propter nos aut propter rerum naturam istud eve„nit. Res in medio est, & sola in potestate nostra.„ Verum hic ipse *Epictetus* non excludit tamen Deum ab ista aptitudine hominis penitus, nam eadem pagina dixerat: Κἀγὼ μὲν ἔχω ταύτην ἐπιβολὴν ἀποτελέσαι ὑμᾶς ἀκωλύτους, ἀναγκάστους, ἀπαραποδίστους, ἐλευθέρους,

εὐροῦντας εὐδαιμονοῦντας, εἰς τὸν Θεὸν ἀφορῶντας ἐν παντὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ. „Proinde hanc ſuſcepi ego „curam, ut vos efficiam tales, quibus nihil ſit impedi-„mento, in quos nulla cadat neceſſitas, ſolutos, liberos, „omni ſucceſſu florentes, felicitatis compotes, ad ſolum „Deum reſpicientes, parvis ſimul magnisque in rebus.„ *Enchiridii* autem *cap. LXVI.* ſeu ultimo, ſic ſcripſit: Ἐπὶ παντὸς προχείρου εὐκτέον ταῦτα. ἄγε δή με ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ ἡ πεπρωμένη, ὅποι ποθ᾽ ἡμῖν εἰμὶ διατεταγμένος. ὡς ἕψομαί γε ἄοκνος. ἢν δέ γε μὴ θέλω, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι. „In quovis incepto hæc optanda ſunt; Duc „me o Jupiter, & tu fatum, eo, quo ſum a vobis deſti-„natus, ſequar enim alacriter. Quodſi noluero, ſequar „nihilominus.„ Aptos vero ad credendum Evangelio Catecheſis eos quoque pronunciat, qui non ſunt ab animi probitate *alieni*, quo vocabulo, quid intelligendum ſit, noluerunt, atque ut plane videtur, nec potuerunt dicere. Certe probus non eſt, quem ita appellant, ſed medium aliquid inter probum & improbum, quod quale ſit, dicere nemo poteſt.

2) Tripliciter hic & turpiſſime errat Catecheſis. Primo enim in Deum culpam transfert interitus hominum, qui noluerit ea media gratiæ dare, quæ ſufficiant ad agnoſcendum Chriſtum; quem immanem errorem non tam conabor hic multis refellere, quam in Socinianis miror, qui paſſim, v. g. *in Libello ſvaſorio cap. II. p. 10. ſqq.* Reformatorum dogma de abſoluta prædeſtinatione & reprobatione acriter damnant. Sed fluxæ ſunt opiniones Socinianorum & vagæ, ut non nimis mirandum ſit, ſubinde eos in contrarios errores procurrere. Porro, cum ajunt eum noluiſſe homines alienæ a probitate mentis nullam habere cauſſam rejiciendæ doctrinæ Chriſti; quæſiverim, an credant Sociniani, habere hodie aliquam juſtam cauſſam rejiciendæ doctrinæ Chriſti? Quodſi affirmant,

mant, palam sunt indigni Christiano nomine, &, quæ supra de Scriptura Sacra Catechesis ipsa dixit, reapse negant. Verba Catecheseos hæc sunt: ad quæstionem: *Unde constat, tam Novi, quam Veteris Testamenti literas certas esse, nec suspectas? Hinc, quod non solum caussa sit nulla, cur de iis dubitari queat, verum etiam evidens argumentum, quantum ea fert materia, appareat, cur eis fidem adhiberi oporteat.* Si negant hodie justam caussam inveniri posse, cur Christi doctrina rejiciatur, ut fas est confiteri, cur ajunt, caussam esse, ita non nolente Deo, improbis, rejiciendi? Nam, si *levem speciem* & prætextum vanum incredulitatis velint intelligi, non utendum fuisset vocula *caussa*, quæ justam rationem significat. Tertio denique loco, cum negat Catechesis, si confirmatio doctrinæ per miracula perpetua fuisset, caussam habituros fuisse improbos rejiciendæ doctrinæ, neminem enim tam improbum futurum, quin agnosset veritatem, & amplexus esset etiam, si non virtutis amore, saltem cupiditate vitæ æternæ; non modo repetit tetrum errorem, paullo ante a nobis castigatum, fidem esse in hominis potestate, non opus divinum: sed & manifestæ historiæ contradicit. Nam, multis maximisque miraculis Christi conspectis, nihilominus maxima pars populi veritatem evangelicam secure sprevit. vid. *Jo. XII.* 37. Et facile ratio, qua se pollere Sociniani credunt, atque usus rerum docere hos homines poterat, quotidiana vilescere, & futurum, si nimis frequentia essent miracula, non ut decederet aliquid ipsorum internæ dignitati, sed opinioni tamen, quam genus humanum de iis habet. Conf. *Luc. XVI.* 31.

3) Quid hic audio? Fierine potest, ut, qui credit Christi doctrinam veram, nec simulat se credere, sed plenissime convictus credit, eamque amplectatur, & vitæ æternæ desiderio incitatus inflammatusque est, tamen sit improbus? Ultima vero verba: *Factum esset, ut in religione Christiana, qua Dei consilio improbos a probis secretura erat, discrimen inter bonos & malos, nullum appareret;*

ret; quot continent absurditates? Annon foret optabile discrimen inter bonos & malos ita cessare, ut ex malis fiant boni redditi? Porro, cur *malum* vocas, quem a bono nec fide nec exercitio fidei discernere possis? Denique, Christianæ religionis hoc tantum erit officium, non, ut faciat homines probos, sed, ut, quos invenisset probos, discernat ab improbis, hos vero, quos invenisset a probitate alienos, arceat, ne fiant probi, atque sic non discernendi amplius ab iis, qui dudum probi fuerant. Hæc omnia qui considerat, agnoscet, vix posse fieri, ut plures abominandi errores tam paucis lineis compingantur, quam hic fecisse vidimus miseram Catechesin, eosque qui & recentiori ætate eandem cramben recoxerunt.

365. Dic igitur mihi, quod est Spiritus S. donum perpetuo manens?

Antequam id exponam, demonstrandum est, sub novo fœdere esse quoddam Spiritus Sancti donum, quod perpetuo, hoc est, omni tempore in Christi ecclesia duret.

366. Immo id a te peto.

Sic igitur habeto, præter alia testimonia ex illis verbis id perspicuum haberi, Luc. XI. 13. Deum Filiis suis, id ab eo contendentibus, Spiritum suum dare & semper dare velle. 1)

Notæ:

1) Ut verissimum est, quod de novo Testamento, hoc est, recentioribus temporibus affirmant, Spiritum Sanctum promissum esse petentibus: Ita, quod de veteribus temporibus negant, longe est falsissimum. Quia sane

ne pii & petiverunt olim quoque & acceperunt Spiritum Sanctum. *Esaiæ LXIII.* 11. *Psalm. LI.* 13.

367. Quid vero is Spiritus Sanctus est?

Ut facilius intelligas, quid is sit Spiritus Sanctus, sic habeto primum, in Scripturis novi fœderis, Spiritus Sancti voce designari ipsum JEsu Christi Evangelium, ut locus 1. Cor. II. 10. aperte indicat, si cum loco 2. Tim. I. 10. conferatur. Quod enim in primo loco ait Apostolus, Deum nobis revelasse per Spiritum suum, idem Apostolus in altero loco, inquit, Christum illuminasse per Evangelium. Id vero est vita æterna, & eam consequendi via atque ratio. Vocatur autem Evangelium Spiritus, partim, quod in eo contenta ab ipso Deo sunt patefacta, nec ullo modo ingenio humano indagari nec investigari potuere: partim, quod hominis spiritum respiciant, & nos spirituales reddant, quod lex non habuit. Præterea etiam Apostolus seipsum, 2. Cor. III. 6. ministrum non literæ, id est, legis, sed Spiritus, aut novi fœderis vocat. Quo sensu cum accipitur vox Spiritus Sancti, tum omnibus datur, quibuscunque annunciatur Evangelium. 1) Deinde, ea vox Spiritus Sancti designat Dei donum, quod certis hominibus datur, quod, cum a Scriptura vocetur arrha, aut etiam

arrha hereditatis nostræ, & simul de eo dicitur, quod in corda nostra effundatur, 2. Cor. I. 22. V. 5. Ephes. I. 14. hinc necessario efficitur, nihil aliud esse, quam firmam & certam vitæ æternæ nobis promissæ spem, cujus in cordibus nostris gustum sensumque percipiamus. 2)

Notæ:

1) Duplicem nobis obtrudit Catechesis significationem vocis *Spiritus*, absonam utramque nec ullo dicto Scripturæ confirmandam. Videamus nunc de priori. *Evangelium* ipsum perhibent ita appellari. Nos quidem haud ignoramus verba Christi *Spiritum* dici, *Jo. VI. 63.* ipsum Evangelium ejusque ministerium Spiritum S. afferre, secumque conjunctum & operantem habere, sed *vocari Spiritum Sanctum* falso perhibent Sociniani, 1. *Cor. II.* 10. quamquam conferas cum 2. *Tim. I.* 10. nihil probat, quod volunt Sociniani, sed luculenter contrarium. Quid enim? Si *Paullus* alicubi dixit Christum *vitam* & *incorruptibilitatem* in lucem produxisse per Evangelium, altero loco autem; revelasse nobis eosdem thesauros per Spiritum suum: sequeturne *Evangelium* & *Spiritum* idem esse? Constat, ubi unus dixit, *a Principe se cognosse rem*, alter, *e Principis verbis*, non contradicere sibi hos duos, cum neutri tamen in mentem venerit: *Principis verba esse ipsum Principem.* Et, quid multis verbis opus? 1. *Cor. II.* 10. Spiritus est, qui *abyssos divinitatis scrutatur;* qui novit omnia; quæ nulla verisimilitudine de Evangelio prædicari possunt.

2) Nunc, si Catechesi credimus, Spiritus S. *spes est fidelium.* Verum hoc Scriptura penitus ignorat, natum in cerebro Socinianorum. *Rom. V.* 5. hoc legimus: Spem nos

nos non pudefacere, quoniam amor Dei profusus est in corda nostra, per Spiritum Sanctum, nobis donatum. Hinc videmus a Spiritu Sancto ali augerique spem nostram, & quis est, qui dubitet? Ipsa vero spes certe non appellatur augusto hoc vocabulo. Neque facile dixeris, quo consilio pulcherrima dicta, 2. *Cor. I.* 22. *Ephes. I.* 14. huc laudarint. Est sane Spiritus Sanctus in corda fidelium missus, nec otiosus in illis, pignus cœlestium bonorum. Hinc *Paullus* corporum certissimam resuscitationem ad vitam colligit, quoniam ea inhabitasset Spiritus Sanctus, sive Christi Spiritus. *Rom. VIII.* 11. Verum, quis inde sibi persuaderi patietur, Spiritum Sanctum esse *spem ipsam*, cum ipsa vox *arrha* seu *arrhabo* contrarium doceat, confirmatur enim spes accepto arrhabone, at non est arrhabo ipse. 2. *Cor. V.* 5. autem videre poterant, Spiritum Sanctum a spe, quæ quidem ibi rem speratam significat, palam distingui. Sed fac obtinere posse Socinianos, quod quidem vidimus falsissimum, fac *Spiritus Sancti* vocabulo, *Evangelium*, item *spem fidelium* appellari, quid juvabit caussam Socinianam? Nam, cum v. g. Christus conceptus dicitur in utero virginis, a Spiritu Sancto, & nos baptizamur in nomen Spiritus Sancti; cui in mentem veniet vel a *spe*, vel ab *Evangelio* conceptum esse Christum, aut in spei Evangeliive nomen nos ablui.

---

368. *Nonne eam spem vitæ æternæ concipimus per ipsam Evangelii prædicationem?*

Sæpe concipimus aliquo modo. Etenim ex ipsa prædicatione Evangelii ipsa spes vitæ æternæ acquiri potest, quæ in ea est promissa. (alioqui cur promitteretur?) Veruntamen ad inserendam animis nostris firmam & certam spem, cujus virtute in omnibus tentationibus

onibus invicti in fide subsistamus, videtur necessario requiri, ut ea promissio exterius per Evangelium proposita, interius a Deo in cordibus nostris obsignetur.

369. *Omnibusne illa interior obsignatio contingit, quibus exterior, hoc est, quibus Evangelium annunciatur?*

Nequaquam: verum iis tantum, qui Evangelio sibi annunciato crediderint, & exteriorem illam rationem, quam Deus in confirmanda promissione vitæ æternæ adhibet, amplexi, eoque usi, quemadmodum oportet, fuerint. Etenim, si illud donum Spiritus Sancti, quod ad tempus duravit, non dabatur, nisi credentibus Evangelio: multo magis id Spiritus Sancti donum, quod perpetuum est, aliis non dari statuendum est, nisi qui & Evangelio plane crediderint, & illud ex animo amplexi fuerint.

370. *Nonne ad credendum Evangelio, Spiritus Sancti interiore dono opus est?*

Nullo modo. Nec enim in Scripturis Sacris legimus, cuiquam id conferri donum, nisi credenti Evangelio.

Notæ:

Novum hic habemus exemplum rei, quam putares incredibilem, in duo opposita fere eodem tempore præ-

cipites

cipites ruere disputatatores, qui non e Scriptura, sed ingenio suo turbido, sapere volunt. Quantum supremum coelum a terra ima sejunctum est, tantum distant opiniones *Pelagianorum* & *Enthusiastarum*, quorum illi fidem, spem, charitatem humanis viribus tribuunt: hi ita divinas res esse arbitrantur, ut non per verbi divini Sacramentorumque usum, sed immediato afflatu Dei acquiri posse contendant. Quorum cum utrumque sit falsissimum, nam Scriptura docet, hominis nondum renati nullas esse, ut in peccatis mortui, vires, quibus possit ad suam suscitationem multum parumve conferre, verum ad *Mosen & Prophetas*, sive verbi divini meditationem, ad salutarem fontem baptismatis, ad digne accipiendam communionem corporis & sanguinis Christi, ubique nos ablegat, utrumque tamen hic Catechesis palam docet. Nam ita ferociter viribus humanis omnia tribuit, ut Spiritus S. interiore dono *nullo modo* opus esse perhibeat ad credendum Evangelio, quod secus accidisse in *Lydia Act. XVI.* 13. narratur. Contra vero, ut spem firmam, & in tentationibus invictam habeamus, quali utique opus habemus, nam spes πρόσκαιρος parum prodest, negat Catechesis sufficere Evangelium, cujus prædicatione *aliquo* tantum *modo*, spes vitæ æternæ concipiatur, & contradicit Apostolo, qui Evangelium virtutem Dei εἰς σωτηρίαν, h. e. qua possit salus obtineri, prædicat esse, *Rom. I.* 16. eamque vim tribuit Scripturæ Sacræ, ut si studiose legatur pieque, possit hominem σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, ita sapientem reddere, ut salvus æternumque felix fiat, immo quæ, cum ad doctrinam, redargutionem, correctionem & institutionem utilis sit, etiam *hominem Dei*, h. e. doctorem ecclesiae, possit *perfecte instructum* reddere; hoc, inquam, Evangelium Catechesis negat sufficere, & praeterea interiorem, a verbo divino autem sejunctam Dei operationem in corde requirit. Observandum, hic, quasi praetereundo, est, non, quod ad nostram caussam

multum

multum pertineat, sed ut videamus miserum centonem opinionum absonarum Catechesin esse; perperam haec dicta esse: *Si illud donum Spiritus Sancti, quod ad tempus duravit, non dabatur, nisi credentibus Evangelio, &c.* Omitto dicere, ante dona Spiritus Sancti aliqua accepta, neminem credere posse, hoc enim castigatum supra est: Sed in donis illis temporalibus vel potissimum est donum patrandi miracula, id vero nemini, qui non crediderit Evangelio, & illud ex animo amplexus fuerit, concessum esse, nemo dicet, qui *Matth. VII.* 22. legit, dicturos olim, quos Christus tamen nunquam agnovit: *Annon in nomine tuo daemonia ejecimus. &c.* Recentiores Sociniani nulla parte hic patribus suis sapientiores sunt, nam & ipsi contendunt Spiritum Sanctum non nisi jam credentibus datum esse, nullo facto observatove discrimine donorum *sanctificantium* & *miraculosorum*, laudant autem haec loca Scripturae: *Act. II.* 38. *VIII.* 16. 17. *X.* 47. *XV.* 7. 8. 9. *XIX.* 2. *Eph. I.* 13. Nemo vero erit, qui non videat in omnibus locis *Actuum Apostol.* de miraculosis donis esse sermonem, ultimo loco autem *ad Ephes.* quamquam damnare nolo, si quis & hic donum patrandi miracula intelligat, malo tamen gratiam Spiritus Sancti, qui credentes spei bonae facit plenissimos, intelligere. Hac gratia Spiritus Sancti obsignantur sane credentes, sed minime sequitur non deberi ejusdem Spiritus Sancti virtuti fidem, quam adhuc habuerunt.

---

371. Postquam exposuisti mihi, quodnam sit donum Spiritus Sancti, velim etiam doceri, an Spiritus Sanctus sit persona Deitatis?

Spiritum Sanctum non esse in Deitate personam, hinc discere potes primum, quod ea, quæ Spiritui Sancto in Scripturis attribuuntur,

untur, nulla prorſus ratione perſonæ conveniant, ut ſunt: quod detur, quod ex eo detur, idque aut ſecundum menſuram, aut absque omni menſura, quod effundatur ipſe, & ex ipſo effundatur, & quod eo potentur homines, quod augeatur, in duplo detur, in partes diſtribuatur, tollatur ipſe, & ex ipſo tollatur, quod interdum ſit, interdum non ſit, denique quod extinguatur, & ſimilia in Scripturis extant. 1) Act. V. 32. 1. Jo. IV. 13. Epheſ. I. 7. Jo. III. 34. Act. II. 17. 33. 1. Cor. XII. 13. Epheſ. V. 18. 2. Reg. II. 9 Jo. VII. 39. 1. Theſſ. V. 19. Deinde idem ex eo patet, quod non ſit extra Deum natura, ſed in ipſo Deo. Niſi enim natura Deo ineſſet, non potuiſſet Paullus Spiritum Dei cum ſpiritu hominis, qui homini ineſt, natura conferre, idque eo loco, ubi ait: 1. Cor. II. 11. Quis hominum novit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in homine: Ita quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei. Quoniam vero Spiritus Sanctus in Deo eſt, nec tamen in Spiritu Sancto reciproce dici poteſt eſſe Deum, hinc apparet, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. 2) Præterea, cum ſuperius demonſtratum ſit, unam tantum eſſe in Deitate perſonam, & Spiritus Sanctus Dei virtus ſit, ut verba Chriſti ad Apoſtolos indicant, Luc. XXIV. 49. Vos vero manete in

urbe

urbe Hierusalem, donec induamini virtute ex alto; efficitur, Spiritum Sanctum non esse personam divinam. 3) Denique, si Spiritus Sanctus esset persona, essentiam quoque divinam eum habere oporteret. Nam, ea attribuuntur illi, quæ propria sunt essentiæ divinæ: at superius docuimus, substantiam divinam unam esse numero, nec tribus personis esse posse communem. Quamobrem Spiritum Sanctum non esse Deitatis personam, planum est. 4)

Notæ:

1) Vide quantum conetur perversa mens hominum, quando sapientiæ opinione turget. Tum enim, quantumvis absurda & ab ipso communi sensu abeuntia, tamen tuetur & sibi videtur præclare rem agere. De *Spiritu Sancto* tot tamque clara extant testimonia, quæ *personam*, h. e. cui actiones tribuantur, ac imputentur, esse declarant, ut opponi posse nihil putes. Sed Catechesis tamen continet, auctorum suorum, qui se mirifice sapere putarunt, glossas, quibus evinci posse contrarium, sibi firmiter persuadent. Tu, si de *paracleto*, sive *advocato* audias, de aliquo, qui scrutetur profundissima quæque, qui deducat in veritatem, qui vaticinia suggerat, qui vegetet aquas incubando, &c. poterisne cogere mentem tuam, ut credas non esse *personam*, cui hæc & similia alia quamplurima tribuantur, sed virtutem nescio quam in altero? At Sociniani ita adegerunt animos suos, ut manifestæ veritati oculos claudant. Itaque ajunt, *nulla prorsus ratione* personæ convenire, quæ in Scriptura Sacra Spiritui Sancto attribuuntur. Age, videamus loca biblica omnia,

omnia, quæ duplicis esse generis inveniemus, aliqua de Spiritu Sancto ne agere quidem, reliqua convenire personæ pulcherrime. *Datur* Spiritus Sanctus, ergo non est persona; immo & *Filius datur*, tota Scriptura teste. Sed filium personam esse nec adversarii negant. Verum, 1. *Jo. IV.* 13. dicitur *e Spiritu suo dedisse* nobis Deus. Equidem nescio, quid sibi velint, vel, quid adversarios male habeat. *Dari* posse, & tamen personam esse, non pugnare, vidimus; obstabit ergo vocula ἐξ. Sed non putabunt obstare, quin Pater persona sit. *Jo. VI.* 65. Ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου. *Nisi ipsi datum e Patre meo fuerit.* Aut, *Jo. X.* 32. Πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου. *Multa bona opera monstravi vobis ex Patre meo.* Nemo non videt ἐκ pro ἀπὸ vel παρὰ positum & significare *a Patre* tractum istum venire, *a Patre* ista miracula esse. Cur vero non eadem æquitate locus 1. *Jo. IV.* 13. explicatur in hunc modum: *Quoniam a Spiritu suo*, h.e. manantia a spiritu dona, *dedit*. Nam omitti interdum rei, quæ datur, nomen, cum sit per se facile intelligendum, constat. v. g *Matth. XX.* 23. Ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου. *Sed, quibus paratum est a Patre meo*; scilicet jus sedendi ad dextram sinistramque, sive præcipua dignitas. Hæc malim respondere, persuasus, esse de Spiritu Sancto hunc locum intelligendum, maxime ob parallelum locum 1. *Jo. III.* 24. non vitupero tamen, si quis velit non ipsum Spiritum Sanctum, sed ejus dona, & effectus, quæ passim Spiritus, non addita tamen voce, *Sanctus*, appellantur, intelligere. Quæ de *dando Spiritu Sancto*, vel *cum* vel *sine mensura* a Catechesi narrantur, pertinent ad unicum locum, *Jo. III.* 34. cui similem nusquam reperias. Ibi vero, si vulgarem explicationem admittas, hoc solum extat; *non dari Spiritum secundum mensuram; at, dari alicubi secundum mensuram*, minime extat. Porro, de *Spiritus Sancti donis*, non de *persona*,

accipiendum locum, facile vides. Nos mentem nostram, de reliquis difficultatibus ejus commatis alibi exposuimus, huc non repetendam, quoniam ad præsentem caussam nihil facit. Jam pulcherrima dicta, *Act. II.* 17. & 33. solicitantur a Catechesi. Certum est, non modo a Spiritu, sive, ex ipso Spiritu *Sancto* effundi, effusumque esse, quod tum viderunt homines, ut *Act. II.* 33. diserte additur, h. e. facultatem vaticinandi & variis linguis loquendi &c. sed & ipsum Spiritum effusum esse, quod in Ebræo est *Joel. II.* 28. & *Esa. XLIV.* 3. immo si vel alterutra phrasis adhibeatur sola, alteram tamen simul includi, nam persona non ingreditur homines sine donis, & dona non communicantur cum hominibus absente eorum fonte, ipso Spiritu *Sancto*. Verum quid inde efficient *Sociniani*? Quænam consecutio? Effunditur cum ipse Spiritus, tum ejus dona; h. e. communicantur cum homine; ergo *Spiritus Sanctus* non est persona. *Saltem* hoc non est novum argumentum; nam *effundere* nihil aliud est, quam *dare*. Recurrit ergo eadem responsio nostra, quam dedimus paullo superius, nempe, *dari posse & esse personam*, neutiquam repugnare. Nam *Filius datus est nobis*, puer donatus est nobis. *Esa. IX. 6.* Neque huc quidquam facit, quod Catechesis perhibet, dici, *potari* homines Spiritu Sancto, nam si esset alicubi hæc locutio, quod equidem nescio, 1. *Cor. XII.* 13. enim εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν, hoc sibi vult, Christianos, ut baptismate sint unum *corpus* ecclesiæ factum, ita communi usu calicis eucharistici *unam mentem* induere debere; sed, fac esse alibi eam phrasin, sensus hic erit, Spiritus donis, aquæ mundæ comparatis, non raro, irrigari fideles. Quis inde eliciet, *Spiritum Sanctum* istorum donorum auctorem non esse *personam*? Jam sequuntur aliqua, quæ, si vera essent, faverent Socinianis. *Quod augentur*, inquiunt, *in duplo detur, in partes distribuatur*. Sed profecto veri nihil, omnia falsa. Nam, quod ad *Ephes. V.* 18. attinet, quem locum videntur in eum finem laudasse, ut intelligatur, *Spiritum*

augeri,

augeri, non videtur Spiritus *Sanctus* intelligi, ob eam maxime rationem, quod extat ἐν πνεύματι, non ut opposita vox οἴνῳ sine præpositione. Usus vero constans est, ut, si intelligatur res, qua implendum sit aliquid, vel *genitivus* ponatur, v. g. *Luc. II.* 40. πληρούμενον σοφίας. Sic *Rom. XV.* 13. 14. *Philipp. I.* 11. *Act. XIII.* 52. vel *dativus*, sive tertius casus, nude sine præpositione, ut *Rom. I.* 29. πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ. 2. *Cor. VII.* 4. πεπλήρωμαι τῇ παρακλήσει. De peculiari constructione *Coloss. I.* 9. & *Jo. XII.* 3. ne nimis longe digrediamur, exponere nolo. Sed, si velis etiam Spiritum Sanctum intelligendum, ut in simili loco *Act. XIII.* 52. certissime intelligitur, nihil ad rem. Nam Spiritus Sanctus non augetur, cum nos ipso subinde magis implemur, implet autem ipse magis magisque homines pios, quo sanctiores & in opere Domini studiosiores quotidie fiunt. Nec *Elisa portionem duplam* quasi primogenito heredi sibi ab *Elia* relinqui postulans, 2. *Reg. II.* 9. ipsum Spiritum Sanctum dividi vult, sed de *animo Elia*, quem constat acerrimum fuisse, multum sibi cupit dari, confidentiam animi, illi, quam habuisset *Elias*, similem. Itaque non Spiritus *Sanctus*, quamquam hic auctor inusitatæ parrhesiæ in *Elia* fuerat, sed spiritus ipsius Prophetæ intelligendus est, quod ברוחך indicat. Magis e re erat, laudare *Numeror. XI.* 17. quo & fortasse digitum intendit Catechesis. Sed nec illic, quamquam מן הרוח est, quicquam lucrantur Sociniani. Id quod verbis *Jo. Clerici*, qui non potest his hominibus suspectus esse, docebo: „Partiar „spiritum, qui tibi inest, אצלתי מן הרוח אשר עליך. „seponam e spiritu, qui est super te, hoc est: Spiritu „Prophetico, quo te adflavi, eos etiam adflabo, ita tamen, „ut tibi æquiparari non possint. Deus describitur hic ve„luti dividens Spiritum Propheticum, quali *Moses* adfla„tus erat, septuaginta viris. Non, quod divisio proprie „dicta in spiritualia dona cadat, sed, ex rebus corporeis

„ducitur metaphora, qua id, quod dicebamus, exprim
„tur. Ob linguarum, ab hominibus, qui nihil fere, n
„corporea cogitare solent, inventarum, egestatem ita p
„sim fieri necesse est. „ Non male hæc *Clericus;* fac
enim vides non ipsum Spiritum *S*anctum, sed *dona* intelli
deinde, neque hæc proprie dividi, alioqui *Moses* dein
minus possedisset, sed, communicata similia dona, quan
quam non penitus æqualia, significari. *Tolli* posse
personam esse, quid prohibet? At, ubi *de Spiritu* sumi, l
tolli aliquid dicitur, dona ejus intelliguntur, & nom
Spiritus Sancti nusquam extat. *Interdum esse, interdu
non esse, Spiritus Sanctus prædicatur.* Hoc si verum esse
non sequeretur quidem, Spiritum Sanctum non esse perso
nam, nam & nos, qui certissime aliquando non fuimu
personæ sumus, & *Arrianorum* aliqua factio, quos *Ex
contios* antiqui dixere, non negarunt Christum persona
esse, sed ἐξ ὀυκ ὄντων, h. e. e nihilo creatum, & aliquand
non fuisse contenderunt: Verum hoc sequeretur, Spiri
tum Sanctum non esse æternum, adeoque nec verum D
um. Itaque videndum, quid speciei subsit huic argu
mento Socinianorum? *Jo. VII.* 39. cum recitasset Apo
stolus promissum Christi, fore, ut de credentium ventri
bus rivi aquæ vivæ maneant, subjungit: *Hoc vero dixit
Spiritu, quem essent accepturi credentes, nondum enim er
Spiritus, nam nondum glorificatus erat JEsus.* Hic nu
MSti codices, editi autem typis plerique omnes, secun
loco ad vocem *Spiritus*, addunt vocabulum *Sanctus.* R
ita est comparata, ut in hominem, qui Evangelistas leg
cadere non posse putem, ut arbitretur, tum, cum h
Christus dixit, nondum extitisse Spiritum Sanctum, na
Christum a Spiritu Sancto conceptum unctumque, Pr
phetas autem a Spiritu Sancto impulsos vaticinia edidis
ita clare, ita ubique narratur, ut clarius non possit fie
Itaque palam est, de donis Spiritus Sancti, miraculo
nempe, quæ Apostolis apostolicisque viris concessa sun
quorum verbis, immo umbra, miracula edita esse nov

mu

mus, locum nostrum accipiendum esse. Ea dona tum nondum vulgata erant, quod Christus, facta prius illa *glorificatione, Luc. IX.* narrata, *cap. X.* discipulos, cum facultate edendi miracula, per terram Judaicam dimisit. Hinc *Vulgatus* & *Syrus*, omissa voce, *Sanctus*, addiderunt illustrationis caussa: *datus;* verum non opus est addi, cum facile subintelligatur. Nusquam enim erant tum dona ista, quæ vocantur *Spiritus*, ut & alibi factum, non *Spiritus Sanctus;* ut adeo lectionem vulgarem suspectam habeam, qua vox *sanctus* additur, quam *passim deesse*, & explicationis caussa adjectam esse, apud *Millium* observatum est. Quamquam ad caput caussæ nihil magnopere faceret, si & genuina esset hæc lectio, sed unicum esset exemplum donorum hoc vocabulo appellatorum; sed & apud *Rabbinos*, quoties aliquid per Spiritum Sanctum רוח הקודש sive רוח דקודשא factum dicitur, ni fallor, persona, quæ auctor sit v. g. vaticinii alicujus intelligitur. Verbum hic addendum, de *Ephesiis* istis *discipulis Act. XIX.* 1. *sqq.* Hi, quos in *Jordane* in *Joannis* baptisma intinctos esse, alibi, summa probabilitate conjecimus, paullo post autem domum reversos, nec de donis Spiritus *Sancti*, nec de ipsa ejus persona satis edoctos, nulla *Joannis* culpa, sed sua, arbitramur, quod ignorarunt adhuc *Spiritum* Sanctum, etiamsi μαθηταὶ vocantur, qui Christi vellent doctrinam assequi, non creabit præjudicium caussæ evangelicæ. Fuit utique *Spiritus S.* quamquam hi homines, rectius demum instituendi (quod & factum, nam & baptizati sunt, *v.* 5. atque mox dona miraculosa accepere;) antea veritatem nondum cognoverant. Neminem male habebit, institutionem in his viris, jam a *Spiritu Sancto*, tametsi ejus nomen adhuc ignorabant, præventis, ita parvo tempore fieri potuisse, nam & *Candaces* Reginæ *Eunuchus*, & latro in cruce, non longa institutione usi, ad summam sapientiam pervenere. Denique 1. *Thessal. V.* 9. dona spiritualia, quæ non essent extinguenda, intelligi, aprico arbitror esse positum. Posse ea deleri, cum Spi-

ritus *Sanctus* non absoluta potestate velit operari in homine, nemo dubitat; ipse *Spiritus Sanctus* utique extingui non potest.

2) Alterum argumentum, quo conantur probare *Spiritum Sanctum* non esse personam, ita comparatum est, ut primo, qui eo utuntur, quid sibi velint, ipsimet nesciant; deinde, is, qui potest erui sensus, nihil juvet caussam *Socinianam*. *Idem*, inquiunt, *ex eo patet, quod non sit extra Deum natura, sed in ipso Deo.* Poterat aliquis cogitare, vocem *natura* esse primum casum, sed sequentia & *Smalcii* germanica versio, qui *adverbio*, natürlich, utitur, suadent intelligi *casum sextum*. Sed, quid obsecro rei est: *Spiritus Sanctus natura, seu naturaliter, est in Deo?* esse in Deo, ut unam personarum divinarum, ex eodem loco, 1. *Cor. II.* 11. opportune laudato, agnoscimus. Verum, si vox, *natura*, aliud sonat Socinianis, quod, nisi nobis accedere velint, necesse est, nescio quid ipsis prosit dictum Apostoli. Pergunt: *Quoniam vero Spiritus Sanctus in Deo est, nec tamen reciproce in Spiritu Sancto dici potest esse Deum, hinc apparet, Spiritum Sanctum non esse personam.* Quam misere hæc vel ceperit animo, vel transtulerit *Smalcius*, docent hæc verba: Weil aber eine Person in der andern, sonderlich vom HErrn Christo redende, reciproce nicht seyn kan, das ist auf solche Weise, dass, wie der Heilige Geist in dem Vatter ist, also auch der Vatter in dem Heiligen Geist seyn sollte; daher, kan man sehen, dass der Heilige Geist keine Person ist. Hæc explicet, qui potest, ego me non posse fateor. Sapientius putes locutos recentiores *Socinianos*, sed impeditius etiam loquuntur: *Quoniam Spiritus Sanctus ex Deo est, nec reciproce dici potest, Deum esse ex Spiritu Sancto; hinc apparet Spiritum Sanctum non esse Deum.* Hi homines pro vocula, *in*, reponunt *ex*, nescio quo consilio. Videtur hæc fuisse mens auctorum Catecheseos, quoniam de Christo legamus, non modo ipsum in Patre esse, sed & vicissim Patrem in Filio; at de Spiritu *S.* non possit utrumque, sed

alteram

alterum tantum, dici; esse quidem Christum personam, sed non esse personam Spiritum Sanctum. Initio observatum velim, in quæstione esse, non simpliciter, an sit Spiritus Sanctus *persona*, sed, an sit *divina persona?* Itaque quæro, si extaret utrumque, Patrem esse in Spiritu, & Spiritum esse in Patre; an tum sequeretur Spiritum esse personam divinam, seu Deitatis? Si ajunt Sociniani, ergo Christus jam est persona Deitatis, de quo utrumque palam legitur, *Jo. XIV.* 10. Si negant; quem in finem disputant, deesse aliquid nostro, pro Deitate Spiritus, argumento, nempe, illud *reciprocum inesse*, quod si & adesset, argumentum tamen non essent admissuri. Deinde, non modò hoc non legitur, *Patrem esse in Spiritu Sancto;* sed nec alterum: Spiritum Sanctum esse in Patre. Ubi dixerint, ex 1. *Cor. II.* 11. colligendum, posse aliquem ita loqui: *Spiritum esse in Patre;* non equidem adversabor, sed, cur non possit pari modo dici, *Patrem in Spiritu Sancto esse*, monstrent velim. Nam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse unum, *Joannes* 1. *Epist. V.* 7. certissime dicit. Ipse autem hic locus, 1. *Cor. II.* 11. docere poterat, si dociles essent, saniora. Nam nihil roboris haberet argumentatio Apostoli, nisi tam pertineret ad Deitatem, sive essentiam divinam, Spiritus Dei, quam ad humanitatem seu humanam naturam, anima pertinet. At hanc minime esse attributum hominis, haud opus est dicere. In recentiori editione fortasse viderunt Sociniani, non legi usquam, *Spiritum esse in Patre*, sed, *Spiritum esse ex Deo*, versu illico sequente, maluerunt que adeo dicere ea, quæ dixerunt. Sed elumbe est manetque argumentum, sive voce *ex* sive *in*, utaris; sive *personam* seorsum dicas, sive conjunctim, *personam divinam*. Nam Filium quemcunque, qui *ex Patre* recte dicitur, quis negabit *personam* dici posse, quoniam non sit vicissim *Pater ejus ex Filio?* Et, cum sit *in matre* idem Filius, non erit tamen persona, nisi & *mater in Filio esse*, dici queat? Quodsi autem *persona* est Spiritus S. *divinam* personam esse, non

erit demum operose demonstrandum, est enim Dei Spiritus, ut hominis spiritus mens humana est, quam consecutionem viderunt recentiores Sociniani, nam sic ajunt, caussantes Spiritum S. non esse personam; *Denique, si Spiritus Sanctus esset persona, esset ipse Deus: nam ea tribuuntur illi, quæ propria sunt essentiæ divinæ.* Verum nos hæc ex abundanti disputavimus, nempe, si verum esset, dici non posse, *illud inesse reciprocum.* Sed, cur non possit dici, quoniam nullo argumento Catechesis confirmat, cadit tota ratiocinatio.

3) Tertio loco duplex argumentum combinat Catechesis. Sic ait: *Præterea, cum superius demonstratum sit, unam tantum in Deitate personam esse, & Spiritus S. si Dei virtus sit &c. efficitur, &c.* Ad prius nihil hic regerimus, nisi, contrarium demonstratum esse a nobis argumentis plane invictis, e V. & N. Testamenti codice. Ad alterum, quamquam possem dicere, *virtutem ex alto, Luc. XXIV.* 49. esse dona Spiritus Sancti, malo tamen concedere ipsum Spiritum Sanctum sic dici, qui & olim Prophetas induerat, quod Ebræa vox הלביש significat. Quæ vero consecutio: Induuntur Apostoli Spiritu Sancto, ergo Spiritus Sanctus non est persona? Immo & Christum induimur, *Galat. III.* 27. Et, si fortasse non tam vox *indui*, quam *virtus Dei*, male habet Socinianos; quæro, an ipsis probabile sit, *Samaritas*, qui *Simonem Magum, Act. VIII.* 10. *virtutem Dei magnam* appellarunt, non credidisse *Magum* illum personam esse? Illæ certe δυνάμεις, quæ 1. *Petri III.* 22. Christo subjectæ dicuntur, personæ sunt.

4) Quartum argumentum misera est petitio Principii. Sic ajunt: *Si Spiritus Sanctus esset persona, essentiam quoque divinam eum habere oporteret.* Ita equidem plane existimo. Sed cur cunctantur Deum, Deum unum confiteri, qui sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? Restat excutere ea argumenta, quæ recentiorum illaudata sedulitas contra Spiritus S. divinitatem adjecit. Nempe illis duobus

duobus, quæ vidimus, esse aliqua Spiritui Sancto in Scriptura attributa, quæ a personæ divinæ dignitate abhorreant; & dari seu donari hominibus, tertium succenturiatur, his verbis: *Quod Christus de eo asserat eum non locuturum a semetipso, sed quæ audierit, eum locuturum: Jo. XVI. 13. divina vero persona non potest non a seipso loqui.* Interrogandi sunt ante omnia homines, quid hoc ratiocinio sibi velint? negare, *personam* esse Spiritum Sanctum? an hoc modo, *divinam personam* esse? Illud videtur plerisque Socinianis probari, itaque *B. W.* nugatoria & verbosa nota subjecta, ita perorat: *Tutissimum itaque est, proprietate vocis retenta, credere Spiritum Sanctum vim ac potentiam Dei, ejusque denique donum esse: prout nobis S. Scriptura, tam veteris, quam novi fœderis clare revelavit.* Esse autem Spiritum S. *personam*, vix magis idoneo claroque argumento patere potest, quam ipso illo incaute a Socinianis laudato *Jo. XVI. 13.* Nam *a se loqui posse*, quod ni posset Spiritus Sanctus, sine ratione & frigide Christus monuisset non locuturum a se; immo ipsum *loqui*, undecumque demum acceptum sit, item *audire* ab altero, & audita vicissim aliis prænunciare, hujusque generis similia alia certissima sunt κριτήρια, quibus homines a rebus vel sensu vel ratione carentibus discriminantur, quibusque fit, ut illis possint, his non possint actiones imputari, hoc est, ut illi sint, hæc omnia non sint *personæ*. Quod si velint Sociniani hoc, ut necesse est, concedere, at contendere, *divinæ* personæ non esse *ab se ipso non loqui;* unde facient audacissimo asserto fidem? Quod in humanis sæpissime non infert conditionem sequiorem, accepta ab altero verba nunciare alteri, cum posset suis verbis uti, ut sane contingit Principem unius administrorum suorum consilia exponere alteri administro, non suis, quod facile posset, sed subministratis ab altero verbis, quem nemo dixerit administris suis inferiorem esse: cur putabitur in divinis inferre dignitatis inæqualitatem? Quæ ratio est, qua moveamur, ut illud

loqui verba a Patre & Filio accepta, non potius sanctissimæ œconomiæ liberæque in Deo, & amori intimo personarum divinarum, quam imparitati majestatis tribuamus. Deinde, lubet quærere, agnoscantne Sociniani dari personas plures divinas, ita ut tantum Spiritum S. nolint *personam divinam* esse? Quicquid dixerint, victi sunt. Si fateantur dari plures, palam damnent caussam suam; si negent, quid de requisitis personæ divinæ disputant, & hoc ajunt personæ divinæ esse, *ut a se loquatur?* Pergunt Sociniani: *Quarto, quod idem Christus dicat, neminem nosse Filium, nisi Patrem, neque Patrem quemquam nosse, nisi Filium, & cui Filius voluerit revelare. Matth. XI. 27. At, si Spiritus Sanctus esset persona divina, non tantum Pater nosset Filium, & Filius Patrem, sed & Spiritus Sanctus sine cujusquam revelatione, nosset utrumque.* Non vident miseri homines, hoc argumento ipsos non uti posse contra Spiritum Sanctum, nisi simul damnent suam impietatem, qua Filium negant personam divinam esse. Nam, si est character personæ divinæ, agnosci a Patre, & vicissim, agnoscere Patrem, quid dubitant fateri Christum esse personam divinam, de quo hæc clarissime leguntur? Si non est character, cur deesse eum Spiritui Sancto disputant, quem si & haberet, ad controversiæ cardinem nihil faceret? Nosse Spiritum Sanctum profundissima divinitatis discere poterant ex 1. *Cor. II.* 10. 11. atque inde colligere, cum Christus negat Patrem a quoquam cognosci præterquam a Filio, non excludi personas divinas, alioqui & negandum foret Patrem a se ipso cognosci, sed homines angelosque, seu omnia extra Deum. Nunc sequitur mirabile argumentum: *Quinto, quod plurimis in locis, ut, Jo. V. 17. VIII. 16. XIV. 21. XVII. 3. 1. Jo. I. 3. II. 3. 2. Jo. 9. Luc. IX. 26. 1. Timoth. V. 12. Apocal. III. 5. XII. 13. &c. ubi Patris & Filii fit mentio, nonnunquam etiam angelorum, immo interdum etiam hominum, & aliarum rerum; Spiritus Sancti tamen mentio fiat nulla, etiamsi æque ejus fieri debuisset mentio atque Dei & Christi, multo*

autem magis, quam angelorum, aut hominum, aut aliarum rerum, si persona Deitatis esset. Homunciorum erit definire, quo loco & quoties facienda sit mentio Spiritus Sancti, ab ipso Spiritu S. auctore Scripturæ? Sed si esset semper tota Scriptura indivulsa conjunctio Patris & Filii & Spiritus Sancti, crediturine essent Sociniani Spiritum Sanctum esse personam divinam? Misera vero ratio, Deo credere velle, si idem dixerit millies, si ter quaterque, credere nolle! Neque vero minus verum est, quod paucis locis, immo uno loco, dixit Deus, quam quod repetiit infinitis locis. Baptismalis autem formula illa *Matth. XXVIII.* 19. non alio modo in Spiritum Sanctum, alio in Filium Patremque nos baptizari jubet, sed eodem in tres personas & pulcherrima clausula, 2. *Cor. XIII.* 13. *Gratia Domini nostri JEsu Christi, & dilectio Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit vobiscum omnibus, Amen!* conjunxit sane tres personas luculentissime, quæ conjunctio, si est argumentum divinitatis Spiritus Sancti, res confecta est, nec pluribus exemplis, quæ quidem facile invenientur, opus est; si non est, neque tum credituri forent, si omnibus locis cum Patre & Filius & Spiritus Sanctus diserte diceretur. Video quid dici possit: nimirum, eam conjunctionem trium nominum, Patris & Filii & Spiritus Sancti, quamquam si facta esset, non probaret Spiritum Sanctum Deum esse, tamen, cum absit, arguere non esse Deum, nam qui ne tum quidem pro persona divina habendus foret, si semper conjunctus esset Patri, multo minus fore nunc pro Deo agnoscendum, cum non sit conjunctus. At nos respondemus, esse utique conjunctionem Spiritus Sancti cum Patre & Filio, in negotio gravissimo, quale Sacramentum baptismatis est & benedictio Apostolica, certissimum argumentum divinitatis; quæ quidem conjunctio, si nunquam esset facta, reliqua argumenta pro divinitate Spiritus Sancti, non everteret; sed quoniam aliquot locis facta est, vim eorum vehementer auget. Verum quod non semper facta est, adeo non minuit ejus

vim,

vim, ut potius, quoniam usitatis & crebris vocibus, fere assuescunt aures, attentius consideremus argumenti virtutem. Denique rogatos velim Socinianos, quid velint respondere, si quis ex *Actor. V.* 3. ita colligeret: In gravissimo scelere *Ananiæ* solius Spiritus Sancti, in quem esset peccatum, facta est mentio, cum tamen Patris, si esset Deus, adeoque ab *Anania* offensus, omnino fuisset mentio simul facienda; non est ergo Pater Deus. Quicquid responderint huic ratiocinio, ferant & sibi responsum. Si dixerint, nugatorium esse argumentum, ut est sane, cave credas ipsorum esse melius. Angeli, inquiunt, & homines interdum conjuncti sunt mentioni Patris & Christi, meliori jure jungeretur Spiritus S. si esset persona divina. At ego jubeo ipsos legere *Act. XV.* 28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis* &c. Hic junguntur Apostoli, h. e. homines Spiritui Sancto; mentio nulla Patris in caussa gravissima & divina; hujus vero meliori jure facienda fuisset mentio, si persona divina esset. Indignabuntur Sociniani ita argumentanti; sed quid suis nugis deberi arbitrantur per omnia similibus? En aliud argumentum! „*Sexto*, „quod Spiritus Sanctus Dei Spiritus multis in locis ap-„pelletur: Id autem, quod Dei est, ipse Deus, ac porro „divina persona esse non potest. Dei enim esse & Deum „esse opposita sunt. Cum hac ratione jungendum est „& illud, quod Spiritus Sanctus virtus aut digitus Dei no-„minetur, quod de divinitatis persona, id est, de ipso Deo „summo, dici non potest. *Luc. I.* 25. *XXIV.* 49. *Matth.* „*XII.* 28. *collat. cum Luc. XI.* 20. „ Proterve ajunt, opponi sibi mutuo: *esse Dei, & esse Deum.* Cur vero? sileant. In humanis certe absona esset collectio: *Est hominis* v. g. Filius, servus, &c. *ergo non est homo*, & nemo sapiens dixerit, opponi sibi: *esse hominis, & esse hominem*; quænam ratio impellit, ut in Deo hæc simul consistere posse præfracte negemus? *Septimum* argumentum hoc est: *Quod Spiritus Sanctus sit ex Deo, 1. Cor. II. 12. & a Deo procedat, Jo. XV. 26. nisi enim ex Deo esset, non*

potuisset Paullus Spiritum Dei cum spiritu hominis, qui homini inest, ita conferre, ut diceret: quis hominum novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in homine; ita quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei. Rediret hic, si vellemus verbosi esse, eadem responsio, quam modo dedimus. In humanis rideretur, qui sic vellet instituere: *Petrus est ex homine, ergo non est homo.* Immo, quia ex homine est, intelligimus & ipsum esse hominem. Stupenda vero & incredibilis est cœcitas Socinianorum, ut dixi, qui non vident, illustrem locum, 1. *Cor. II.* 11. 12. explicari non posse, stante sua perversitate: Nam si ita pertinet ad essentiam divinam Spiritus Sanctus, ut mens hominis ad hominem, quod, ni velis nihil dixisse Apostolum, admittendum est; palam vicimus. Igitur quam fieri non potest, ut dicatur homo integer, qui careat anima, tam non est Deus, in quo non sit Spiritus Sanctus; atque ut non est *attributum* seu *qualitas* hominis mens humana, ita nec Dei attributum erit Spiritus S. & in essentia tamen divina, superest, ut vel pars sit Dei, vel persona divina. Illud abominatur sensus hominum communis. Nam in partes dispesci, naturam omnium simplicissimam & unam, non posse, quin desinat esse simplex & una, h. e. divina, facile capimus. Est ergo Spiritus Sanctus *persona divina. Addere,* inquiunt, *libet, si Spiritus Sanctus esset persona; cum Christus ex Spiritu Sancto sit conceptus, necessario sequeretur, Christum esse Spiritus Sancti Filium.* Cur vero necessario sequitur? Ea natura secundum quam Christus e Spiritu Sancto conceptus est, nemo dubitat esse *humanam,* nempe in utero *B. Mariæ virginis* paratam. Considerare autem velim Socinianos suum argumentum, quale sit? si Spiritus Sanctus est persona divina, sequitur, eum, cui is paravit humanam naturam, esse Spiritus Sancti Filium. Hic vero consecutio nulla; Filius diceretur Spiritus Sancti, si ab eo accepisset illam naturam, quam nunc ponimus Spiritum Sanctum habere, h. e. divinam, at, cum non hanc sed humanam, a Spiritu S. paratam ab ipso habeat, nefas esset,

contra

contra morem Scripturæ Spiritum Sanctum Patrem Christi & hunc ejus Filium dicere. Neminem vero male habebit dici Christum *ex* Spiritu Sancto conceptum, nam hanc voculam subinde pro ἀπὸ poni, constat. v. g. 2. *Cor. V.* 1. οἰκοδομὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ, est *ædificium a Deo factum.* Verbum addendum de cogitatis τοῦ *B. W.* qui noluit non esse a se auctum numerum frivolarum rationum contra Spiritus Sancti majestatem. *His etiam*, inquit, *adjici potest: Si Spiritus S. est persona ex essentia Dei procedens, ipsum etiam fore Filium Dei.* Quid vero? concedesne ergo, homo Sociniane! JEsum Dominum nostrum, quia Filius Dei est, processisse ex essentia divina, seu quoniam in Deo præteriti nihil est, procedere? Si ajas, cur negas Christum Deum esse, nam cum essentia Dei Deus sit, necesse est, qui procedat ex essentia Dei, istam essentiam participare, h. e. Deum esse; si neges, cadit argumentum tuum, quoniam nullum nexum agnoscis duarum propositionum: *Filium Dei esse & ex essentia divina procedere.* Ceterum hoc discendum e Scriptura, quoniam Spiritus S. a Deo procedere quidem dicitur, at genitus non dicitur, modum non eundem esse oportere, quo divina natura cum Filio & Spiritu S. communicata est. Cetera, quæ de Patrum aliquot sententiis, quos negat adorare voluisse Spiritum Sanctum, perhibet, & frivola quidem ratione perhibet, in alium locum differenda censeo.

372. *Qui vero ii Scripturæ loci accipiendi sunt, in quibus Spiritui Sancto actiones personarum propriæ & ad Deum ipsum spectantes, attribuuntur?*

Ad eum modum, quod in Scripturis, rebus id attribuatur sæpe numero, quod personarum est, neque tamen res illæ propterea

personæ censentur; ut peccato, quod deceperit, quod occiderit: & legi, quod loquatur: Et Scripturæ, quod prospiciat & prænunciet: & charitati, quod sit longanimis, benigna, non invideat, non sit morosa, non infletur, non agat indecore, non quærat, quæ ipsius sunt, non irritetur, non cogitet malum, non gaudeat super injustitia, congaudeat veritati, omnia ferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat. Rom. VII. 11. Rom. III. 19. Gal. III. 8. 1. Cor. XIII. 4. 5. 6. 7. 1) Denique Spiritui, id est, vento, quod spiret, ubi velit, & vocem ejus audias, verum unde veniat, & quo vadat, ignores. Jo. III. 8. Quoniam vero Spiritus Sanctus virtus Dei est, hinc fit, ut, ea quæ Dei sunt, Spiritui Sancto attribuantur, &, sub nomine Spiritus Sancti sæpe Deus ipse intelligatur, quatenus suam virtutem Deus per Spiritum suum exerit. 2)

Notæ:

1) Catechesin hallucinari & errare misere, & dixi sæpius, & hic repeto, neque tamen intelligo *ipsam personam* esse; sed palam est a me auctores libri erroris argui. Atque ubi contra Socinianorum aliquis *calamo* se meo peti conqueretur, pariter nemo erit, qui putet *calamum* meum pro *persona* haberi. Ita consueta & pervulgata hæc metonymia est in omnibus scriptorum generibus, ut nihil sit frequentius, adeoque supervacua fuit opera coll-

colligendi similia exempla, quæ nemo nescit. Verum cave credas, eo deventum esse, ut anxie hærendum sit, ubi sit persona intelligenda, ubi minus. v. g. In *Stanislai Lubienicii Historia Reformat. Polonica*, iniquissimus auctor non uno loco detestatur *discordiam;* quod vocabulum, si vel non sic scriberetur: *Discordiam;* facile tamen, quæ discordiæ tribuuntur, v. g. functio sacri muneris in ecclesia, adventus in Synodum, communicatio consiliorum cum aliis Socinianorum osoribus, sermones, & sic porro, docent, non illam paci oppositam rixandi libidinem, sed *hominem eo nomine usum*, ut *Bestia* apud *Sallustium* notissimi hominis appellatio est, esse. Nec potest lectori, nisi sit mente captus, dubium superesse. Nam fac unum itemque alterum ita comparatum esse, ut possit de vitio discordiæ intelligi, v. g. *venire ad Synodum:* reliqua tamen, maxime si conjuncta offendas, non patiuntur dubitari, de *homine* agi, qualia sunt cum grammatica, v. g. quod *Lubienicius* scribit *hic Discordia;* tum alia, nempe actiones varii generis. Eodem modo, quamquam aliqua, quæ de Spiritu Sancto in Scriptura leguntur, tropum non videntur simpliciter recusare, minime tamen ita regnat incertum in verbo Dei, ut parum liqueat, an de persona accipienda sint, quæ legimus, v. g. qui pie & attente legit, 1. *Cor. XII.* 4. 5. 6. cum videt *v.* 5. varia ministeriorum genera esse, unum vero eundemque Dominum, h. e. Christum eorum auctorem; porro *v.* 6. operationes miraculosas varias, Deum vero, hoc est, Patrem, cui illæ hic tribuuntur, eundem; poteritne *Spiritum illum*, qui variorum *donorum* auctor & *unus* esse perhibetur, non credere esse personam, quales sunt reliquis commatibus Pater & Filius, sive *Dominus* & *Deus?* Et, cum accedit *v.* 11. *Omnia hæc efficit unus & idem Spiritus distrubuens privatim singulis, sicut vult;* dubio omnis aditus præcluditur; &, nisi qui studio mentem avertit, cogitur videre, Spiritum hunc & arbitrio liberrimo, & consilio summo, & maxima potentia uti, ut & possit dona, de quibus sermo est, dare, & cui danda

sint,

sint, dispicere, h. e. sapientissimus, potentissimus, liberrimusque sit, adeoque certissime *persona*, & divina quidem persona. Fac ipsum vocabulum *velle* de rebus consilio carentibus interdum haberi, quo referas tritum illud: *expectandum, dum scias, quo res evadere velit*. Wo es hinaus wolle. Quod, nemo est, qui negat; at, ubi palam est, tropum abesse, ut in his verbis: *distribuit singulis, sicut vult*; dubitatio exulat omnis. Itaque si audias, *aliquem istuc venire noluisse, huc venisse, cessurum, nisi populus sit obsequentior, irasci cœpisse, oppugnasse adeo, quos tuiturus fuerat*, si vel nescias, de quo ille narrare instituerit, hoc saltem colliges, minime de *facultate* aliqua, nec de re inanimata talia prædicari posse, sed de *persona*, in qua sit consilium & eligendi arbitrium. At, ea de Spiritu Sancto dici, hisque similia quamplurima, quis ignorat? Porro testimonium *Jo. XV.* 26. illustrissimum est. *Paracletum* audimus *venturum, mittendum* a Christo, qui sit *testimonium præbiturus*. His, si addas *Jo. XVI.* 13, ubi clarius, quam priore loco factum, voce virilis generis ἐκεῖνος appellatur, promittitur *doctor futurus omnis veritatis*, ostenditur, *unde sit sumturus sua*, nempe a Patre & a Filio: hic, si quis neget de persona verba fieri, ei, quid faciam, nescio. Nam ad summam claritatem solis, si vel addere aliquid coneris, non poteris. Quamobrem, testimonia, quæ singula sufficerent, v. g. in formula baptismatis, nam in qualitatem vel donum aliquod Dei nos baptizari, sine absurditate dici nequit, item in loco celeberrimo, 1. *Jo. V.* 7. *tres sunt testes in cœlo &c.* & infinita alia, huc nolo congerere. Ad hoc posteriori loco laudatum testimonium frustra esset regerere, vocari & *aquam* & *sanguinem* testes, quæ nemo dicat *personas* esse; nam hæc, per quæ merito intelligimus utrumque Sacramentum Novi Testamenti, sunt in terra, ubi, quæ videmus sensibusque usurpamus, testimonia gratiæ divinæ, summo jure & usu linguarum dicuntur *testes*. Verum in cœlo, non aspectabili illo, quod secundum *Psalm. XIX.* narrat

gloriam Dei, sed *luce inaccessibili*, in qua Deus habitat, non potest *testis* dici, res, quam nos, quibus testimonium prodesse debebat, haud possemus cognoscere; itaque oportet hunc testem *personam* esse, quæ posset aliis rebus suam voluntatem nobis patefacere. Et quid opus est multis verbis? Referenda sunt hæc *Joannis* verba ad historiam de baptismate Christi. Hic tres testes dixere testimonium. Pater voce cœlitus delapsa: *Hic est Filius meus dilectus.* &c. Ὁ λόγος, qui & tum & semper est in cœlo, quamquam in terra conspiciebatur *Jo. III.* 13. Et Spiritus Sanctus in forma columbæ super Christum descendens. De baptismatis formula, unde symbolum natum est, non erit ab re hic recitare, quæ *Lubienicius, Histor. Reform. Polon.* p. 211. 212. *Statorium* (quo jure nescio, nam negasse hanc suam mentem esse *Statorium*, p. 213. idem *Lubienicius* fatetur) docuisse tradit: „Produnt etiam sacra monumenta, populum in *Deum* & in „*Mosen* credidisse, sed, ut diversus erat *Moses* a *Deo*, ita „& *fides*. Ita igitur & fides in Christum mediatorem & „in Spiritum Sanctum & in Sanctos, diversa est ab ea, „quæ in Deum tendit altissimum. In hunc enim credere „est fidem adhibere omnibus præceptis & promissis, & „obsequi voluntati ejus, prout eam per angelos, Prophe„tas & novissime per Filium suum revelavit. Credere „in Christum & fidem ei, ut mediatori & legato Dei no„mine paterno docenti adhibere, eumque imitari, sed & „utpote Dominum & Christum a Deo effectum ad glo„riam Dei Patris adorare & invocare. - - porro crede„re in Spiritum Sanctum, est credere eum esse Dei Spiri„tum, afflatum, virtutem, donum a Deo expetendum, „qui ejus participes faciat fideles, eosque ad divinos usus „consecret, & eo, ad vitæ æternæ hæreditatem, dato „hocce arrhabone, obsignet. Credere in sanctam ecclesi„am, est credere Christi ecclesiam debere esse sanctam &c.„ Tametsi futilis est tota hæc disputatio; mira tamen confidentia utitur homo Socinianus, cui paucis satisfacien-

dum

dum est. Quæ ultimo loco, de sensu vocum *credere in ecclesiam*, si quidem ita unquam dictum esset in symbolo, perhibet, vehementer sunt absona, nam hoc modo recte & in *Turcas* & in ipsum *Cacodæmonem* creditur, nam hos omnes *sanctos esse debere*, certissimum est. Sed præ nimia sapientiæ opinione non vidit *Lubienicius* ineptiam immanem. In *symbolo* autem provide dictum est, *credere ecclesiam*, non, *in ecclesiam*, quam in rem *Ruffini*, quem habemus antiquissimum symboli Interpretem, aliqua verba laudanda sunt: *Tom.III. Opp. Cypriani*, cui *Ruffini* liber insertus est, *p.* 557. a. „Ut autem una eademque in Tri-„nitate divinitas doceatur, sicut dictum est, *in Deum Pa*-„*trem credi*, adjecta præpositione *in;* ita & in Christum „Filium ejus, ita & in Spiritum Sanctum memoratur. „Sed, ut manifestius fiat, quod dicimus, ex consequen-„tibus approbabitur. Sequitur namque post hunc ser-„monem: *Sanctam ecclesiam catholicam, remissionem pec*-„*catorum, hujus carnis resurrectionem.* Non dixit: *In* „*sanctam ecclesiam*, nec, *in remissionem peccatorum*, nec „*in carnis resurrectionem.* Si enim addidisset *in* præposi-„tionem, una eademque vis fuisset cum superioribus. „Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de divinitate „fides ordinatur; in Deum Patrem dicitur, & in JEsum „Christum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum; in cete-„ris vero, ubi non de divinitate, sed de creaturis ac my-„steriis sermo est, *in* præpositio non additur, ut dicatur, „*in sanctam ecclesiam*, sed, *sanctam ecclesiam* credendam „esse. &c.„ Unde colligendum, mature observatum esse discrimen phraseos, etsi interdum, cum nemo esset, qui abuteretur, securius nonnulli locuti sunt. Ut hodie extat in *operibus Cypriani p.m.* 173. *a. Sed & ipsa interrogatio, qua fit in baptismo, testis est veritatis. Nam, cum dicimus; credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in ecclesia dari.* Quæ vero hæc est perversio vocum: *credere in Spiritum Sanctum*, h. e. *cre*-

dere, esse donum a Deo expetendum? Quasi vero obsc
res sit, quid per *fidem in aliquem* intelligendum veni
Rom. X. 14. hæc conjuncta legimus; *quomodo invocabu
in quem non credunt?* Quæ res clarum facit, fiduciam
aliquo, qui & possit & velit suppetias nobis ferre, coll
candam, dici *fidem*, quæ & movet hominem, ut ausit in
plorare Numen benignissimum. *In Christum credere* i
exponit Catechesis, ut complectatur officia omnia er
hunc Dominum nostrum observanda, etiam *adorationen*
Male utique. Nam, etsi sequitur eum adorandum esf
in quem jubeor credere, ipsa tamen fides non est adora
tio. Deinde, mirari subit, si *credere in Christum* contine
at cultum & adorationem Christi, cur non, *credere in Sp
iritum Sanctum*, pariter eam venerationem Deo debitam
complectatur? Hoc patet, nolle Socinianos, *symbolum*
quod *apostolicum* dicitur, ita explicare, ut verba volunt
sed torquere in mentem, quæ ipsis placet. Frivola est
exceptio, supra jam confutata: *Mosen* quoque, cui con-
fisus esset populus, jungi Deo, itaque eam conjunctionem
nec in symbolo demonstrare posse æqualitatem Spiritus S.
item Christi, cum Deo Patre; nam e nuda conjunctione
argumentum nostrum minime procedit. Ita fiduciam
sane ponimus in hominibus quoque, qualis *Moses* fuit,
non summam quidem, sed aliquam, ut in Dei ministro.
Verum, non sequitur eam mentem esse, cum *fidei*, non
cujuscunque, sed, *per quam NB. salus speratur animæ
æterna*, professionem edimus. Hic absit, ut ulli creatæ
rei, quamquam honestæ, quamquam ei alias fides, ut
homini probo, habeatur, consortium concedatur gloriæ
ad solum Deum pertinentis. Hic enim nefas est gloriam
dari alteri. Idem censendum de sanctissimo baptismatis
Sacramento. In Dei, non aliorum nomen baptizari fas
est, quod supra exponere me memini, ut nunc minime
necesse esse putem verbosiorem orationem.

2) Quæ Dei sunt, Spiritui Sancto attribui fatentur,
quoniam sit virtus Dei. Hic vero nolo repetere, quæ
accurate

accurate sunt ad *Esaiæ* Prophetæ verba dicta, nolle Deum gloriam suam alteri, qui non sit Deus, dare; quod fieret sane; si, quæ Dei sunt, Spiritui Sancto tribuerentur, neque is tamen esset Deus: Sed hoc in præsenti quæro: Possintne unquam Sociniani certi esse, se, quod in Scriptura legunt, de vero Deo accipere debere? Quodsi nomina divina, actionesque divinæ, unde fas est agnosci verum Deum, virtuti quoque divinæ tribuuntur, in incerto res semper erit, neque unquam tranquilla erit conscientia, metus autem perpetuus, ne, pro *Junone*, quod ajunt, *nubem*, sive, pro *vero Deo, virtutem nescio quam*, venerati simus. Nos quidem ita vacillare, ita animi pendere nolumus. Sed scimus cum *Paullo* Apostolo, in quem credamus. 2. *Tim. I.* 12.

---

173. *Qui vero ais Spiritum Sanctum esse Dei virtutem, cum distincte nominentur Spiritus Sanctus & virtus altissimi, in illis Angeli ad Mariam virginem verbis Luc. I. 35.?*

Sæpius in Scripturis una eademque res duabus diversis vocibus exprimi solet, ut tanto sit certior & evidentior; cujus rei exemplum habes Matth. III. 11. Luc. III. 16. ubi de Christo scribitur, eum baptizaturum Spiritu Sancto & igne, quod tamen apud Marcum simpliciter scriptum extat, baptizaturum Spiritu Sancto. Marc. I. 8. 1)

Notæ:

1) Sæpius rem eandem duplici vocabulo designari, videtur carere dubio, at exemplum, quod laudant Sociniani, minime idoneum est. Nam eventus, unde potissi-

mum vaticinii seu promissionis ratio recte cognosci potest, & ignem & Spiritum die Pentecostes effusum esse in Christi discipulos, non unum solum duplici voce expressum, *Act. II.* docet, ubi *v.* 3. ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, non significant, quamvis ita fortasse putabunt viri egregii. *Videbantur in iis linguæ quasi igne divisæ:* sed, *visæ sunt ipsis*, seu, *ab ipsis*, *quasi ignis linguæ*, h. e. flammulæ, quæ linguæ figuram imitantur. Neque enim αὐτοῖς est *in ipsis*, nec διαμερίζεσθαι, verbum externis auctoribus, quod sciam, inusitatum, in sacris vero, maxime autem antiqui fœderis versione græca satis obvium, est ita secari, ut penetret quidem aliquid corpus, partes tamen non dissiliant, sed, *separari, divelli, distribui*, ut aliæ partes aliis locis sint. Itaque *de igne* non est dubitandum, quo sint divinitus perfusi Apostoli; sed nec de *Spiritu Sancto*, quem auctorem esse linguarum externarum & totius sermonis Apostolorum, novimus. Nihil addo, nisi dubium, quod sibi Sociniani e *Marc. I.* 8. concipiunt, nullum esse, nam etsi ibi solius *Spiritus* mentio fit, non ideo tamen negatur *ignis*, & quot obsecro contradictiones essent fingendæ Evangelistarum, uno tacente, quod dixerat alter, si ita instituere placeret? Ceterum callide videntur agere voluisse, tota hac quæstione. Ista enim objectio e *Luc. I.* 35. minime est vel unica vel maxima, quæ Socinianis fieri potest, ut credi volunt hac unica in medium prolata. Immo non negamus nos, Spiritum Sanctum *Dei virtutem* esse, verum negamus inde sequi, non esse *personam*. De *Luc. I.* 35. autem nostra hæc est sententia. Utut parum intersit ad præsentem caussam, velisne Spiritum Sanctum utroque vocabulo intelligere, & utrumque verbum ἐπέρχεσθαι & ἐπισκιάσαι de eodem accipere, nec ne? rectiorem tamen esse eorum interpretationem, qui duobus commatibus res diversas, utut simul factas, agnoscunt. Venit

nempe

nempe Spiritus Sanctus & paravit τῷ λόγῳ de natura sive sanguine virginis humanam naturam; hanc in suam personam recepit ὁ λόγος, sive δύναμις ὑψίςυ, atque ita implevit sua majestate, quod præfiguratum est in tabernaculo conventus, *Exod. XL.* 35. Hinc capimus, cur ideo *Mariæ* filius sit Dei Filius, quia ὁ λόγος, illa *potentia Dei* homo factus est. Videamus denique quid hic recentiores adjecerint? *Sic inquiunt, de Joanne dicitur, eum præcessurum fuisse coram Domino in Spiritu & virtute Eliæ: Sic & Deus dicitur unxisse Christum, Spiritu Sancto & virtute; ubi quivis cernit, virtutem istam idem esse, quod Spiritum Sanctum: neque enim persona aliqua quisquam ungi potest: tanto autem magis id, quod diximus, in illis angeli verbis locum habet, quod apud Matth. I. 20. eadem de re loquens Angelus solius Spiritus Sancti mentionem faciat; neque sane, ut Christus conciperetur, alia virtute præter Spiritum Sanctum opus fuit.* Poterant hæc quidem facile e jam dictis refelli, sed paucis tamen & his satisfaciam. *Luc. I.* 17. non *Spiritus Sanctus*, quamquam ab hoc rectum esse Prophetam minime dubito, sed *Spiritus Eliæ*, animus illi animo, quem *Elias* olim habuit, & *efficacia*, seu, si mavis *robur*, quale *Eliæ* fuit futurum in Joanne, prædicitur. *Animum* vero & *robur*, non puto esse rem eandem, neque tamen litigabo, si cui videantur alia. *Act. X.* 38. Christus unctus esse dicitur Spiritu Sancto & virtute; si extaret: *Spiritu Sancto seu virtute*, nihil esset, quod exciperem; Spiritumque Sanctum dici *virtutem*, (quod vocabulum de Spiritu Sancto dici posse nihil repugnat, ut supra monui,) lubens concederem. Sed, quoniam non sic extat, verum: *Spiritu Sancto & virtute*; fas est concedi duas res esse Spiritum Sanctum & virtutem. Quid vero obstat, quin Christo secundum humanam naturam considerato, & virtutem inusitatam datam esse, quæ non est persona, & Spiritum Sanctum, qui est persona,

mum vaticinii seu promissionis ratio recte cognosci potest, & ignem & Spiritum die Pentecostes effusum esse in Christi discipulos, non unum solum duplici voce expressum, *Act. II.* docet, ubi *v.* 3. ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, non significant, quamvis ita fortasse putabunt viri egregii. *Videbantur in iis linguæ quasi igne divisæ:* sed, *visæ sunt ipsis*, seu, *ab ipsis*, *quasi ignis linguæ*, h. e. flammulæ, quæ linguæ figuram imitantur. Neque enim αὐτοῖς est *in ipsis*, nec διαμερίζεσθαι, verbum externis auctoribus, quod sciam, inusitatum, in sacris vero, maxime autem antiqui fœderis versione græca satis obvium, est ita secari, ut penetret quidem aliquid corpus, partes tamen non dissiliant, sed, *separari, divelli, distribui*, ut aliæ partes aliis locis sint. Itaque *de igne* non est dubitandum, quo sint divinitus perfusi Apostoli; sed nec de *Spiritu Sancto*, quem auctorem esse linguarum externarum & totius sermonis Apostolorum, novimus. Nihil addo, nisi dubium, quod sibi Sociniani e *Marc. I.* 8. concipiunt, nullum esse, nam etsi ibi solius *Spiritus* mentio fit, non ideo tamen negatur *ignis*, & quot obsecro contradictiones essent fingendæ Evangelistarum, uno tacente, quod dixerat alter, si ita instituere placeret? Ceterum callide videntur agere voluisse, tota hac quæstione. Ista enim objectio e *Luc. I.* 35. minime est vel unica vel maxima, quæ Socinianis fieri potest, ut credi volunt hac unica in medium prolata. Immo non negamus nos, Spiritum Sanctum *Dei virtutem* esse, verum negamus inde sequi, non esse *personam*. De *Luc. I.* 35. autem nostra hæc est sententia. Utut parum intersit ad præsentem caussam, velisne Spiritum Sanctum utroque vocabulo intelligere, & utrumque verbum ἐπέρχεσθαι & ἐπισκιάσαι de eodem accipere, nec ne? rectiorem tamen esse eorum interpretationem, qui duobus commatibus res diversas, utut simul factas, agnoscunt. Venit

nempe

nempe Spiritus Sanctus & paravit τῷ λόγῳ de natura sive sanguine virginis humanam naturam; hanc in suam personam recepit ὁ λόγος, sive δύναμις ὑψίςου, atque ita implevit sua majestate, quod præfiguratum est in tabernaculo conventus, *Exod. XL.* 35. Hinc capimus, cur ideo *Mariæ* filius sit Dei Filius, quia ὁ λόγος, illa *potentia Dei* homo factus est. Videamus denique quid hic recentiores adjecerint? *Sic* inquiunt, *de Joanne dicitur, eum præcessurum fuisse coram Domino in Spiritu & virtute Eliæ: Sic & Deus dicitur unxisse Christum, Spiritu Sancto & virtute; ubi quivis cernit, virtutem istam idem esse, quod Spiritum Sanctum: neque enim persona aliqua quisquam ungi potest: tanto autem magis id, quod diximus, in illis angeli verbis locum habet, quod apud Matth. I. 20. eadem de re loquens Angelus solius Spiritus Sancti mentionem faciat; neque sane, ut Christus conciperetur, alia virtute præter Spiritum Sanctum opus fuit.* Poterant hæc quidem facile e jam dictis refelli, sed paucis tamen & his satisfaciam. *Luc. I.* 17. non *Spiritus Sanctus*, quamquam ab hoc rectum esse Prophetam minime dubito, sed *Spiritus Eliæ*, animus illi animo, quem *Elias* olim habuit, & *efficacia*, seu, si mavis *robur*, quale *Eliæ* fuit futurum in Joanne, prædicitur. *Animum* vero & *robur*, non puto esse rem eandem, neque tamen litigabo, si cui videantur alia. *Act. X.* 38. Christus unctus esse dicitur Spiritu Sancto & virtute; si extaret: *Spiritu Sancto seu virtute*, nihil esset, quod exciperem; Spiritumque Sanctum dici *virtutem*, (quod vocabulum de Spiritu Sancto dici posse nihil repugnat, ut supra monui,) lubens concederem. Sed, quoniam non sic extat, verum: *Spiritu Sancto & virtute;* fas est concedi duas res esse Spiritum Sanctum & virtutem. Quid vero obstat, quin Christo secundum humanam naturam considerato, & virtutem inusitatam datam esse, quæ non est persona, & Spiritum Sanctum, qui est persona,

simul ajamus? Nihil sane video, quod ulla ratione hæc consistere vetet. *Non potest*, inquiunt, *persona aliquis ungi.* Cur vero ais mi Sociniane! ungi posse aliquem *virtute?* nam neque hæc est *oleum*, quo proprie dicta unctio absolvi queat. Vides *unctionis* vocem tropico sensu accipiendam. Hic vero, quid est, quod ungi aliquem virtute posse, hoc est, virtute qua alacrior fiat, instrui posse, concedas, *persona* id fieri posse neges? Potest sane & persona una in altera persona habitare, quod si ausis inficiari, contradicis Christo, qui *Jo. XIV.* 10. *Patrem* prædicat *in se habitare*, conf. *v.* 23. Cum vero Pater non desinat esse persona, quamquam in Christo, item in fidelibus habitat; Spiritui Sancto non licebit personam esse, quod in Christo ut homine considerato, & tum sua propria majestate libere non uso, habitavit, eumque variis donis, quæ pulchre cum oleo comparantur, implevit?

Poteram hic pedem figere. Catechesi enim abunde responsum esse confido. At, quoniam duplici telo, frustra quidem, sed sæpe tamen sanctissimam nostram de *Trinitate* fidem adversarii petunt, & videntur nonnullis esse aliquid istæ nugæ; instituti ratio postulat, sub finem hujus capitis ea de re aliqua disputare. Mox negant de Trinitate quidquam constitisse priscæ ecclesiæ, &, inclinante demum quarto seculo, certe non ante *Nicænam Synodum*, natam esse eam opinionem. Mox antiquam esse fatentur, sed a *Platone* mutuo acceptam, ita tamen, ut personarum inæqualitas antiquissimis Christianæ fidei doctoribus credita sit. Nescio utrum horum magis sit detestabile, sed utrumque esse longe falsissimum, præclare scio & nunc docebo. Itaque quod ad commentum posterius attinet, *Stanislaus Lubieniecius, Histor. Reformat. Polon. p.* 234. *sqq. Joannis Someri Schola Claudiopolitana in Transsylvania lectoris* theses exhibet, in quibus conatus est indicare auctores dogmatis vulgo recepti de Trinitate. Recitabimus nos aliqua ex præfatione *Someri* (nam ipsæ theses farraginem continent dictorum *Platonis*, quæ Christiano dogmati

dogmati videntur affinia esse.) „Putavi me operæ factu-„rum pretium, si paucis thesibus comprehensa, (*sic extat* „*etsi parum latine*) illorum doctrinæ auctores ostende-„rem, a quibus ista omnia accepta sint. Quandoquidem „& inter ipsos multos esse nequaquam dubito, quod (le-„ge *qui*) nihil minus sibi persuadent, quam se *Platonis* „doctrinam pro Christi Evangelio defendere. Et nostro-„rum quoque multi sunt, qui in horum auctorum lecti-„one non adeo sunt versati. *Græcia* propter philosophiæ „studium, Christi & Apostolorum tempore florebat, ad-„modum, & sectarum auctores præcipui erant *Chrysip-„pus*, *Plato*, & *Aristoteles*, & quorum opiniones qui igno-„raret, in eruditis nequaquam numerabatur. Ex illo-„rum scholis, cum multi ad Christum accederent, ne cum „vulgo communem haberent doctrinam, studuerunt ev-„angelium cum *Platone* conciliare, quod ipsis perquam „videbatur facile, cum utrimque easdem voces, λόγυ, „πνέυματος, ψυχῆς, *verbi*, *Spiritus*, *animæ*, *principii*, „quamquam sensu diverso reperirent. - - - *Amelius* „Philosophus Platonicus, discipulus *Ammonii*, cum legis-„set initium Evangelii *Joannis*, exclamavit: *Disperean*, „*nisi Barbarus ille*, (nam ipse erat Græcus,) *breviter com-„plexus est*, *quæ divina ratione*, *principio & dispositione*, „*divinus Plato & Heraclitus tradiderunt*. Ut *Postellus*, „L. I. c. 3. refert. Talia fuerunt initia, subsecuta tem-„pora omnia magis ac magis corruperunt, quod etiam „in libris *Lactantii* manifeste videre licet.„ Idem consi-lium fuit auctoris perniciosi libri, *an*. 1700 editi; *Plato-nisme devoilé*, sive *Platonismus detectus*, quem *Souveraini-um exulem Gallum* fuisse accepimus. Cui posthumo fœ-tui inficeto sane, parens suus, ut editor in præfatione mo-net, additurus erat tertium librum, inque eo ostensurus, ideas, quas de Christi divinitate quatuor Evangelistæ dedis-sent, longissime abire, ab iis, quas intulissent Scripturæ veteres Scriptores, recentiores autem adoptassent. Ve-rum *hunc excellentissimum hominem*, hoc enim eum elogio

editor mactat, fatis præventum imperfectum opus reliquisse; quod ego bonum factum ajo, melius etiam, si totus liber periisset. *Petri Poireti* judicium de hoc libro plurimum ex vero trahit, quod ex ejus *posthumis* p. 16. huc describam: ,, Non potui, fateor, sine indignatione, im-
,,mo sine horrore, ineptam istam, de *Platonismo* accusati-
,,onem sexcenties recoctam & repetitam legere in libro,
,,*le Platonisme devoilé;* qui liber tantum abest, ut exhibeat
,,*viri excellentis & magnæ pietatis*, characterem, ut poti-
,,us ostendat speciem hominis irrisoris perpetui, ludionis
,,profani, Sophistæ vitilitigatoris, qui in eo totus est, ut
,,torqueat divinas Scripturas, vexet ac calumnietur San-
,,ctiores Patrum, &c.,, Nos, omissis illis, quæ de Satyrico atque impotenti hominis stilo in re omnium gravissima, merito *Poiretus* conqueritur, exempli loco, ut videat lector, quam male antiqui Patres excipiantur, recitabimus aliqua *p.* 81. Postquam aliquot Patrum allegoricas expositiones, non laudandas quidem a me, justo tamen vehementius damnasset, subjicit gallice, quæ latine hujus sunt sententiæ: ,, Verum *D. Bullus* invenit mirabilem ra-
,,tionem vindicandi honoris Patrum. Distinguit inter
,,*testem fidei*, & *Interpretem Scripturæ*. Non diffitetur,
,,esse interdum *malos* (mechans) interpretes Scripturæ:
,,*& hoc quidem est reverenter pugione transverberare:* Sic
,,p. 140. cum pro divinitate Spiritus Sancti probanda, lau-
,,dasset *Irenæi* locum, quo is parum tempestive in partes
,,vocat *Esaiæ* verba: Sic ait: Nos quidem minime no-
,,strum putamus laborare de mala explicatione *Irenæi*, ne-
,,que enim nos consulimus hunc Patrem, quasi interpre-
,,tem, qui semper in explicanda Scriptura felix sit, sed
,,tanquam testem exceptione majorem, traditionis aposto-
,,licæ. Ego vero fateor malos Interpretes posse esse bo-
,,nos testes fidei sui seculi. Verum hoc mihi vicissim
,,concedi necesse est, eam fidem, cui præbent testimoni-
,,um, vehementer suspectam esse, cum nitatur testimo-
,,nio ejusmodi malorum Interpretum. Malos eos ap-
pello,

„pello, nam non agitur de uno duobusque locis, quos „boni viri parum accurate intellexissent, sed de *millenis* „*millibus*, (*mais d' un million.*)„ Non male *Bullus*, cujus quidem librum nunc haud datur consulere, ut adeo quem locum *Esaia* intelligat ab *Irenæo* explicatum, nesciam, nisi quod certo novi, studiosa *Irenæi* lectione edoctus, oppido paucas esse in hoc scriptore, utinam melius quam factum est, translato, falsas locorum biblicorum explicationes, & allegorias non sine modestia sectari sanctum Episcopum. Injuriæ plenissima est accusatio millenarum perversitatum, si de *Irenæo* intellectum velit. Nisi me conjectura mea fallit, digitus intenditur in *cap. XIX. libri III. Irenæi*, ubi *p. m.* 180. „Hanc muneris (Spiritus „Sancti) gratiam prævidens *Gedeon* ille Israëlita, quem „elegit Deus, ut salvaret populum Israël, de potentatu „alienigenarum, demutavit petitionem, & *superiori* (su„pra) vellus lanam, in quod tantum primum ros fuerat, „quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans, „hoc est, non jam habituros eos a Deo Spiritum Sanctum, „sicut *Esaias* ait: Et nubibus mandabo, ne pluant super „eam. In omni autem terra fieri ros, quod est Spiritus „Dei, qui descendit in Dominum, Spiritus sapientiæ & „intellectus, Spiritus consilii & virtutis, Spiritus scientiæ „& pietatis, Spiritus timoris Dei, quem ipsum iterum de„dit ecclesiæ in omnem terram mittens de cœlis paracle„tum, ubi & diabolum tanquam fulgur, projectum ait „Dominus, quapropter necessarius est nobis ros Dei, ut „non comburamur, neque infructuosi efficiamur, & ubi „accusatorem habemus, illic habeamus & paracletum: „commendante Domino Spiritui Sancto suum hominem, „qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, & ligavit „vulnera ejus, dans duo denaria regalia, ut, per Spiritum „imaginem & inscriptionem Patris & Filii accipientes fru„ctificemus creditum nobis denarium multiplicatum Do„mino annumerantes. Spiritu itaque descendente super „prædictam dispositionem, & Filio Dei unigenito, qui &

„ver-

„verbum est Patris, veniente plenitudine temporis incarnato, in hominem, propter hominem, & omnem secundum hominem dispositionem implente JEsu Christo Domino nostro uno & eodem existente, sicut & ipse Dominus testatur, & Apostoli confitentur, & Prophetæ annunciant, mendaces ostensæ sunt universæ doctrinæ eorum, qui octonationes & quaternationes putativas adinvenerunt. &c.„ Lector facile videt, dempta stili asperitate, cujus culpa in Interprete sita est, omnia hic pulchra. *Gideonis* historiam non invenuste usurpavit ad faciendam allegoriam, quod eo casu, cum non probandum aliquid est, sed illustrandum, & dulci ratione condiendum, cur non liceat, haud intelligo. Ingenue autem fateor, placere mihi *Esaiani* loci, *cap. V. v.* 6. interpretationem, quæ *Irenæo* placuit. Nam isto loco Prophetæ, sub imagine vineæ, summa cura cultæ quidem, sed tamen sterilis, Judaicum populum intelligi, extra controversiam est. Huic ergo pœnas interminatur Deus, justus judex, in quibus nihil promtius, quam sub imagine negatæ pluviæ, negata pervicacibus dona Spiritus Sancti intelligere. Minime ergo ridendus exagitandusque fuerat sanctus episcopus ab homine nulla parte ipsius simili, nisi quod aliquandiu uterque in *Gallia* vixit. Et cum auctor *Platonismi detecti* non neget *Irenæum* testem esse nostræ de Spiritu S. doctrinæ, & hoc tantum neget, nitendum testimonio hominis creduli ac minime perspicacis: Nos, ubi ostenderimus, *Irenæum* minime vanum sed gravissimum virum fuisse, qui quid scriberet, sobrie secum expenderit, id quod *libro de scopo Evangelii Joannis*, me demonstrasse confido; palam vicimus. Nescio autem quo consilio nostra ætate non indocti homines id agant, ut scripta antiquissimorum fidei nostræ professorum, quos *Patres* dicimus, ridenda exponant imperitæ juventuti? Parco viri celeberrimi nomini, qui B. *Augustinum*, non modo ebraicæ linguæ, quod nec ipsum tamen usque quaque verum est, sed & *græcæ*, imperitum dixit, logicæ autem artis, h. e. facultatis recte ratiocinandi, expertem

partem judicavit; quod qui dicit, non jam opus habet fateri, se paucissima *Augustini* legisse, certe hic *præsul Hipponensis*, judicii acrimonia præditus fuit minime vulgari, ingenio vero, unde & stili suavitas, fere incomparabili, græcæ linguæ peritia insigni, quamquam in *confessionibus* suis vitium adolescentiæ non diffitetur, quo *Homerum* aliosque auctores græcos non sine tædio legisset, & explicantem magistrum audisset. Eruditionis laude sua ætate merito floruit *Sixtinus Amama*, cujus *Antibarbarum* nondum legeram, cum primum in chartam conjeci dissertatiunculam de *Christo crucifixo ad Deuter. XXVIII. 66.* at deinde miratus sum, ab hoc docto viro interpretationem hujus dicti, quam e *Cypriano* haustam ego asserui ac *syntagmati observat. sacrarum p. 93. sqq.* inserui, ac deinde *Irenæo*, & *Athanasio* aliisque cognitam observavi, albis dentibus rideri, ut ineptissimam, quamquam refutare ne conatus est quidem. Nunc vero erudito lectori tantum tribuo, ut si minus sit convictus meis rationibus ex ebraicæ linguæ indole petitis, quibus me demonstrasse arbitror, de *Christo crucifixo* sermonem esse, saltem absurditatis absolvat tot egregiorum Patrum opinionem de loco *Deuteronomii.* Hoc agamus obsecro, ut, cum vehementer nobis sapere videmur, non plane de ponte dejiciamus veteres!

Adjungere placet, quoniam ad doctrinam de *Spiritu Sancto* maxime pertinet, alterum locum *Souverainii*, ut, quam levis in hoc viro hostis veritati surrexerit, in aprico ponatur. *p. 66.* „*Tandem*, inquit, (ut nos Gallica vertimus,) „*Clemens Alexandr. L. V. Stromat. p. 547. edit. Lutet. 1629. planissime nobis exposuit cogitata Platonis in definitione, quam dedit*, verbi, ὁ λόγος, &c. *Verbum, inquit, Patris rerum omnium, non est illud prolatum* (ὁ προφορικὸς) *sed sapientia & bonitas Dei manifestissima, cum potentia maxima & verissime divina. Hem quam pulchrum hoc est! En sapientiam, bonitatem, & potentiam, quas Plato tria sua principia fecit. Unde Clemens nihil nisi*

nisi verbum internum, seu Patris verbum, oppositum verbo pronunciato, &c. Nimirum homo improvidus, *Clementis*, scriptoris non facillimi, ita tamen, ut intelligi possit, mentem plane non percipit, qui eo loco non de λόγῳ per quem sit mundus creatus, sed de *ratione* homini indita præ reliquis animantibus agit. Quod ut appareat, verba *Clementis* recitari opus est: Ὁ δὲ μεταδὺς ἡμῖν τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν μεταδέδωκεν καὶ τοῦ λόγου, λογικῶς τε ἅμα καὶ εὖ ζῆν ἐθέλων ἡμᾶς. Ὁ γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων λόγος, οὐχ᾽ οὗτος ἐστιν ὁ προφορικὸς, σοφία δὲ καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ Θεοῦ, δύναμις τε αὖ παγκρατὴς καὶ τῷ ὄντι θεία. *Qui nos autem essentia & vita impertiit, dedit etiam rationem, nos simul convenienter rationi volens & bene vivere; λόγος enim Patris rerum omnium* (seu creatoris,) *non est verbum pronunciatum, sed sapientia & Dei bonitas manifestissima*, (i. e. tropo usitatissimo, quo res bona *ipsa bonitas*, puella casta; *ipsa castitas* dicitur, ratio hominibus indita est lenitatis & potentiæ divinæ clarissimum documentum) *potentia etiam omnia complectens & vere divina.* Rationis enim humanæ facultas sane admirabilis est. Quid vero de Christo Filio Dei *Clemens* senserit, poterat *Souverainius* ex initio hujus *quinti libri Stromatum* discere, *p.* 544. Καὶ δὴ τὴν πίστιν αὖθις διαθρητέον. Εἰσὶ γάρ οἱ τὴν μὲν πίστιν ἡμῶν περὶ τοῦ υἱοῦ, τὴν δὲ γνῶσιν περὶ τοῦ πνεύματος εἶναι διαστέλλοντες. λέληθεν δὲ αὐτοὺς ὅτι πιστεῦσαι μὲν ἀληθῶς τῷ υἱῷ δεῖ, ὅτι τε υἱὸς, καὶ ὅτι ἦλθεν, καὶ πῶς, καὶ διὰ τί, καὶ περὶ τοῦ πάθους, γνῶναι δὲ ἀνάγκη, τίς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Ἤδη δὲ οὔτε ἡ γνῶσις ἄνευ πίστεως, οὔθ᾽ ἡ πίστις ἄνευ γνώσεως, οὐ μὴν οὐδὲ ὁ πατὴρ ἄνευ υἱοῦ, ἅμα γὰρ τῷ πατὴρ, υἱοῦ πατήρ.
„Atque fides quidem rursus est consideranda. Sunt enim, qui

„qui ita distinguant, ut fidem quidem nostram esse de Filio;
„cognitionem autem esse de Spiritu Sancto dicant. Non
„animadvertunt autem, quod vere quidem credere opor-
„tet Filio, &, quod Filius (nempe sit) &, quod venerit,
„& quomodo, & propter quid? Et de passione, nosse au-
„tem necesse est, quis sit Filius Dei. Jam vero neque est
„cognitio sine fide, neque fides sine cognitione. Sed ne-
„que Pater est sine Filio. Simul enim cum eo, quod est Pa-
„ter, Filii est Pater.„ Neque piget describere pulcher-
„rimum locum ejusdem *Clementis, Admonitione ad Gentes*, p. 5. D. unde, quid λόγος seu Christus *Clementi* sit, non *qualitas*, sed certissime *persona*, & *divina* quidem *persona*, discere poterat: Sic ait: Νῦν δὲ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐτὸς οὗτος ὁ λόγος, ὁ μόνος ἄμφω, Θεός τε καὶ ἄνθρωπος, ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος ἀγαθῶν. Παρ' οὗ τὸ εὖ ζῆν ἐκδιδασκόμενοι εἰς ἀΐδιον ζωὴν παραπεμπόμεθα. Κατὰ γὰρ τὸν θεσπέσιον ἐκεῖνον τοῦ Κυρίου Ἀπόστολον, ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις ἐπεφάνη, παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τοῦτό ἐστι τὸ ᾆσμα τὸ καινὸν ἡ ἐπιφάνεια ἡ νῦν ἐκλάμψασα ἐν ἡμῖν, τοῦ ἐν ἀρχῇ ὄντος καὶ προόντος λόγου. Ἐπεφάνη δὲ ἔναγχος ὁ προὼν σωτήρ. Ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν, ὅτι ὁ λόγος ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν διδάσκαλος ἐπεφάνη, ᾧ τὰ πάντα δεδημιούργηται. Λόγος, ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μετὰ τοῦ πλάσαι παρασχὼν ὡς δημιουργός, τὸ εὖ ζῆν ἐδίδαξεν, ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς Θεὸς χορηγήσῃ.

„Nunc

„Nune autem hominibus apparuit hic ipse *logos*, qui solus „est ambo, Deus & homo, & est nobis omnium caussa „bonorum, quo edocti recte vivere, ad vitam æternam „transmittimur Nam ut ait divinus ille Domini Apo„stolus, ad *Tit. II.* gratia Dei salutaris omnibus homini„bus apparuit, docens nos, ut abnegantes impietatem „& secularia desideria, moderate & juste & pie vivamus „in hoc seculo, expectantes beatam spem & adventum glo„riæ magni Dei & Servatoris nostri JEsu Christi. Hoc est „canticum novum, adventus, qui nunc refulsit in nobis, „verbi, quod erat in Principio, & prius fuit, apparuit „autem nuper, qui prius erat, Servator: apparuit qui est, „in eo, qui est, quoniam *Verbum*, quod erat apud Deum, „*doctor*, apparuit, per quod omnia sunt fabricata. *Ver„bum*, quod, cum olim vitam in creatione, ut *opifex* de„disset, postquam tanquam *magister* se manifestavit, bene „vivere docuit, ut æternam vitam postea, ut Deus, sup„peditaret.„ Fas est erubescere, cum *Socinianos*, qui Christi præexistentiam ante *Mariam* matrem, non modo negant ipsi, sed & negatam esse ab antiquis Patribus summa impudentia perhibent, qui & *Joannis Paulli*que loca pulchre hic explicata videre possunt: Tum & *Arrianos*, qui vident Christum vocari *magnum Deum*, ipsique opus vere divinum *creationis*, non ut instrumento, sed ut δημιουργῷ tribui. Subjungemus his bona lectoris venia pauca alia ejusdem *Clementis*, eodem libro, *p.* 62. *b.* Μόνος ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς, ἀριστοτέχνης πατὴρ τοιοῦτον ἄγαλμα ἔμψυχον ἡμᾶς τὸν ἄνθρωπον ἔπλασεν. ὁ δὲ Ὀλύμπιος ὑμῶν εἰκόνος εἰκὼν, πολύ τι τῆς ἀληθείας ἀπᾳδων ἔργον ἐστὶ κωφὸν χειρῶν Ἀττικῶν. ἡ μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ εἰκὼν ὁ λόγος αὐτοῦ. καὶ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος, ὁ Θεῖος λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς. εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου ὁ ἄνθρωπος. ἀληθινὸς ὁ νοῦς ὁ ἐν ἀνθρώπῳ ὁ κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, καὶ καθ' ὁμοίωσιν διὰ τοῦτο γεγενῆσθαι

λεγό-

λεγόμενος, τῇ κατὰ καρδίαν Φρονήσει τῷ Θείῳ παρεικαζόμενος λόγῳ, καὶ ταύτῃ λογικός. „Solus universorum opifex Pater, cujus ars est longe præstantissima, talem animatam imaginem nos, nempe hominem, „fecit. Olympius autem vester imago imaginis longe „a veritate discrepans, est surdum opus manuum Atticarum. Est enim Dei imago ejus verbum, & Filius mentis genuinus, divinum illud verbum, lucis lux archetypa. „Verbi autem imago est homo; vera mens est, quæ in „homine est, qui ad Dei imaginem & similitudinem propterea factus dicitur, prudentia, quæ est in corde, divinæ rationi assimilatus, & ea ratione verbi rationisque particeps.„

Missum itaque facio insulsum auctorem *Platonismi detecti*, cui, si volet lector plura legere, nubem testium antiquissimorum de divinitate Christi, is, quem dixi, *Petrus Poiretus*, Socinianis alias non melior in capite de *satisfactione Christi*, opposuit, clarissimæ autem memoriæ *Theologus Witebergensis*, tum *Ordin. Philos. Adjunctus, Jo. Wilh. Janus*, præclara Dissertatione, *anno* 1708. impietatem hominis profligavit. Pauca autem *Soueræ*, ad quem redeundum est, respondere necesse video. Bene habet, quod nos haud arbitratur credere, doctrinam nostram de *Trinitate* a *Platone* mutuo acceptam esse. Adeo enim non possumus credere *Platonem* hujus veritatis auctorem, ut, qui potuerit in mentem venire ejusmodi absona opinio viris eruditionis laude florentibus, merito miremur. Nam, ut taceam, in *Mosi* & *Prophetis*, qui *Platonem* antiquitate multum vincunt, non obscura, sed manifestissima, nec unum alterumve, sed quamplurima testimonia tum *pluralitatis alicujus*, tum diserte *Trinitatis* personarum divinarum extare: Qui *Joannem* τοῦ λόγου prædicatorem, piscatorem in adolescentia, tum in sublimiori schola eruditum, denique tota vita in docendis & confirmandis hominibus in cœlesti veritate occupatum,

credere potest vel legisse *Platonem*, vel, si in *Asia* invenisset hujus hominis libros, summam doctrinæ inde haurire voluisse; eum puto tanta credulitate admissurum omnia absona. Idem vero & de ceteris N. T. conditoribus dictum esto, quamquam hi non sunt librorum suorum primarii auctores, sed Spiritus Sanctus, quem e *Platone* collegisse, quæ doceret ecclesiam, blasphemia est vel cogitare. Quanta autem vecordia est, foris in ethnico homine quærere, quæ domi abunde habes! Itane opus fuit, si *Joannem*, ut hominem, qui e suo ingenio scripserit, in præsenti considerare placeat, ea quæ de *logo creatore* habet, cum in *primo Genesis capite* & *Psalmo XXXIII.* extent, aliunde corradere? De aliquot ecclesiæ patribus, quibus in pretio fuisse Philosophia Platonica narratur, non est necesse disputationem molestissimam aggredi. Hoc fecere aliqui, ut, cum invenirent passim legi aliqua in *Platone*, non multum, quantum ad verba attinet, a veritate evangelica abeuntia, iis uterentur adversus paganos, neque infeliciter. Eosdem vero Patres credidisse, *Platonem* penitus habere suam, h. e. Christianam doctrinam, difficulter adducor, ut credam. De *Clemente* certe *Alexandrino*, qui *Platonem* studiose legit, & quem maxime adversarii nostri petunt, certus sum falsa esse, quæ perhibent. Quem in finem huc referam, *Stromatum L. V. p.* 598. Σιωπῶ γὰρ Πλάτωνα. Ἄντικρυς οὗτος ἐν τῇ πρὸς Ἔραστον καὶ Κόρισκον ἐπιστολῇ φαίνεται πατέρα καὶ υἱὸν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐκ τῶν Ἑβραϊκῶν γραφῶν ἐμφαίνων, παρακελευόμενος --- --- ἥτε ἐν Τιμαίῳ δημιουργίᾳ πατέρα καλεῖ τὸν δημιουργὸν, λέγουσα ὧδέ πως. Θεοὶ Θεῶν ὧν ἐγὼ πατὴρ δημιουργός τε ἔργων. ὥστε καὶ ὅταν εἴπῃ, περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντα ἐστὶ, κἀκείνου ἕνεκεν τὰ πάντα. Κἀκεῖνο αἴτιον ἁπάντων καλῶν· δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα. καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. οὐκ

ἄλλως

ἄλλως ἔγωγε ἐξακέω, ἢ τὴν ἁγίαν τριάδα μηνύεσθαι· τρίτον μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἅγιον πνεῦμα, τὸν υἱὸν δὲ δεύτερον, δι' οὗ πάντα ἐγένετο κατὰ βούλησιν τοῦ πατρός.
„Taceo enim Platonem, is aperte in epiſtola ad Eraſtum „& Coriſcum, videtur, neſcio quomodo, Patrem & Fi„lium oſtendere ex Scripturis Ebraicis, cum ita eos hor„tatur: --- --- Et ea, quæ eſt in *Timæo*, concio, Patrem „vocat opificem, ſic dicens: Dei Deorum, quorum ego „ſum Pater & opifex operum. Quare, quando etiam „dicit: circa omnium regem ſunt omnia, & illius cauſſa „omnia: illum quoque omnium cauſſam cum appellat, „ſecundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia, „non aliter ego intelligo, quam ſanctam ſignificari Trini„tatem. Nam tertium quidem eſſe Sanctum Spiritum, „Filium autem ſecundum, per quem facta ſunt omnia ex „voluntate Patris.„ Hic *Clemens Alexandrinus* non dixit *Trinitatem* agnitam eſſe a *Platone*, ſed videri ſibi, cum audiat *Platonem* diſſerentem, *ſignificari Trinitatem*, ſeu ad eam alludi. Qua in re ſi fallatur etiam *Clemens*, ſi nihil de Trinitate unquam cogitaſſet *Plato*, non video tamen, quid peccarit præſtans Doctor tertii ſeculi ineuntis, neque enim ipſe ex eo colligit arduum hoc dogma, ſed, quod Chriſtiani, atque cum his ipſe, dudum aliunde accurate noſſent, ſuboluiſſe *Platoni*, videtur ſibi obſervaſſe; namque, quam in *Platone* ſuſpicatur, cognitionem, eam ab Ebræis hauſiſſe opinatur, quamquam ſibi non conſtet, qua ratione & quo tempore ab his hauſerit. Hinc palam eſt, *Clementem* non in *Platone*, ſed in ſacro ebræo codice hujus myſterii primam revelationem quæſiſſe, dixiſſe adeo & profeſſum eſſe, quod nos omnes hodie dicimus ac profitemur; ut & *Stromatum IV. p.* 557. *A.* Poëtas, *Orpheum*, *Linum*, *Muſæum*, *Homerum*, *Heſiodum*, & ceteros Græcorum ſapientes didiciſſe a Prophetis Theologiam arbitratur. Verba hæc ſunt: Οἱ παρὰ τούτων τῶν προφητῶν τὴν θεολογίαν δεδιδαγμένοι ποιηταὶ δι' ὑπονοίας

πολλὰ φιλοσοφοῦσι. Τὸν Ὀρφέα λέγω, τὸν Λίνον, τὸν Μουσαῖον, τὸν Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον, καὶ τοὺς ταύτῃ σοφούς. Caussæ, quam nunc ago, gravitas me monet pauca alia ex eodem *Clemente* laudare. Itaque, cum *p.* 600. C. septimum diem sacrum esse, non Ebræos solum sed & Græcos scire observasset, *p.* 601. videtur sibi in *Platone* observasse, quæ de passuro Christo possint intelligi. Τί δ' οὐχὶ παραπλήσια τῇ λεγούσῃ γραφῇ, Ἄρωμεν ἀφ' ἡμῶν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστιν, ὁ Πλάτων μόνον οὐχὶ προφητεύων τὴν σωτήριον οἰκονομίαν ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς πολιτείας ὧδέ φησιν. οὕτω δὲ διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγωθήσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκοπήσεται τὼ ὀφθαλμώ, τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασκινδυλευθήσεται. „ Quid vero, an non similiter „Scripturæ, quæ dicit: Tollamus justum a nobis, quo„niam est nobis inutilis, *Plato* propemodum prophetice „prædicens salutarem œconomiam, sic dicit in *secundo de* „*Republica;* qui autem sic est affectus justus, flagris cæ„detur, torquebitur, vincietur, ei oculi effodientur, & „postremo omnia mala perpessus suspendetur. „ Neque hic esse puto, quod jure reprehendas. Locus enim *Sapient. II.* 12. *sqq.* ita est comparatus, ut ego quidem non ausim illis contradicere, qui auctorem libri, quem *Clemens* ad Scripturam secundario sensu acceptam, refert, ad Christum respexisse contendunt. Sunt sane in hoc libro multa antiquæ Catecheseos Judæorum monumenta, quibus incognitum mansisse, quod Spiritus per Prophetas prædixerat, nempe *passiones, quæ sunt in Christo & deinde gloriam,* quis dixerit? Neque improbo, quod, quæ in *Platone* altioris indaginis visa sunt, suspicatus est *Clemens* ab Judæis hausta esse.

Hic video paullisper digrediendum esse ad celebrem & eruditis dudum agitatam quæstionem: an *Plato* potuerit aliqua accipere a Judæis? item, an accesserit Judæos? Quas

Quas duas quæstiones divellendas esse arbitror. Nam, potuit a Judæis orta esse cognitio aliquarum rerum in *Platone*, quamquam in terram Judæorum nunquam venerit. *Jo. Clericus*, vir doctus, sed cui in hac potissimum materia, nihil temere credendum, *epist. critica VII.* sive *Operis de arte critica Tom. III. p.* 177. *sqq. edit. Lips.* summo studio contendit, ex nullo teste fide digno constare a *Platone* Prophetarum Ebræorum scripta lecta fuisse; nec ullo indicio liquere, eum quidquam ab iis esse mutuatum. Doctrinam de tribus principiis non esse petitam ex Veteri Testamento, nec esse eandem, quæ Christianorum *Trinitas* est, quamvis crediderint Patres, ex nimio studio Philosophos insignes ad se trahendi. Rem maxima ex parte a *Timæo* & *Platone* inventam, idque ex eorum libris demonstrari posse. Tulit *Clericus* suffragium summi viri, *J. A. Fabricii*, *Biblioth. Græca*, *Vol. II. p.* 41. Qui sic ait: „*Platonem* Hebræis philosophemata sua non debere, „ostendit *Jo. Clericus epistola critica VII.* Equidem Mo„saicis e scriptis qui suam credit hausisse Philosophiam *Pla„tonem*, idem fidem facile quoque habebit fabulæ de *cada„vere Platonis* reperto tempore *Constantini M.* & *Irenes*, „cum tabella aurea in pectore, cui verba insculpta: *Chri„stus ex virgine nascetur, in quem ego credo.* At sol, tu „me iterum *aspicies, sub Constantini Imperio & Irenes. &c.*„ Licebit opinor prius tueri, utrum inficeta fabula de cadavere *Platonis* nihil nobis commune sit: Mihi quidem *Clericus* caussam suam non probavit; quamquam enim aliquot argumenta, quibus alii demonstrare voluerant, *Platonem* ad Judæos accessisse, rem minime conficiunt, ut, cum ad *Barbaros* ivisse narratur; nam fateor *Barbaros* Græcis plures dictos, esse, nec statim *Judæos* intelligendos: Porro & similitudo legum aliquot Judaicarum, quæ æquitate naturali nituntur, cum placitis Philosophi, infirmius argumentum est, quam ut evincat, sua *Platonem* e *Mose* & Prophetis mutuo accepisse. Tamen probabilius est venisse *Platonem* in *Judæam*, quam non ve[illegible]

non tantum, quod *Lactantio*, qui negat, vetustiores & numero plures sunt, haud diffitente *Clerico*, qui affirmant; sed &, quod *Clemens Alexandr.* antiquissimos auctores laudat, qui apud Judæos reconditam sapientiam fuisse prodidere, ut non credibile sit, *Platonem* vicinas Judæis gentes adiisse, ipsos neglexisse, cum miram narrent sciendi & indagandi omnia in isto Philosopho cupiditatem. Ita *Clemens. Stromat. L. I. p. 305. C. D.* Τούτων ἁπάντων πρεσβυτατον μακρῷ τὸ Ἰουδαίων γένος, καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς φιλοσοφίαν ἔγγραπτον γενομένην προκατάρξαι τῆς παρ' Ἕλλησι φιλοσοφίας διὰ πολλῶν ὁ πυθαγόρειος δείκνυσι Φίλων. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἀριστόβουλος, ὁ περιπατητικὸς καὶ ἄλλοι πλείους, ἵνα μὴ κατ' ὄνομα ἐπιὼν διατρίβω, φανερώτατα δὲ Μεγασθένης ὁ Συγγραφεὺς, ὁ Σελεύκῳ τῷ Νικάτορι συμβεβιωκὸς ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἰνδικῶν ὧδε γράφει. ἅπαντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις λέγεται, καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι. Τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων. τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων. „His omnibus est Judæum genus „longe antiquius: Et eam, quæ apud eos scriptis mandata „est, philosophiam cœpisse ante Græcam, multis verbis „ostendit *Philo Pythagoraus* (h. e. *Philo* Judæus, sive *Alexandrinus*, quem & *Sozomenus*, *L. I. c.* 12. intelligit, quoniam, quæ ibi narrat, in hujus *Philonis* libro de vita contemplativa extant, quem & noster *Clemens Stromat. II. p.* 403. *D.* eodem vocabulo *Pythagorai* intelligit, ut adeo errare videatur celeberr. *Fabricius*, qui *Biblioth. Græc. Vol. III. p.* 121. hunc *Pythagoraum Philonem* ab illo *Judæo* di„stinguit,) quin etiam *Aristobulus* Peripateticus & alii „complures, ne in eis nominatim persequendis immorer; „apertissime autem Scriptor *Megasthenes*, qui vixit cum „*Seleuco Nicatore*, scribit in tertio rerum *Indicarum*:

Omnia

„Omnia quidem, quæ de natura dicta sunt a veteribus, „dicuntur etiam ab iis, qui extra *Graciam* philosophantur, „partim quidem apud Indos a Brachmannis; partim vero „in Syria ab iis, qui vocantur Judæi.„ Verum, sive accesserit ad Judæos *Plato*, sive minus, quorum illud modo ostendimus, probabilius esse, de altera quæstione nos magis solicitos esse oportet, *an adjutus sit Plato* Ebræorum doctrina, ubicunque illa hausta fuerit. Quemadmodum *Clemens Alexandrin. Stromat. I. p.* 304. de *Numa* Romanorum Rege narrat: Νȣμᾶς δὲ ὁ Ρωμαίων βασιλεὺς, πυθαγόρειος μὲν ἦν, ἐκ δὲ τῶν Μωσέως ὠφεληθεὶς διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεȣ̃ Ρωμαίȣς κτίζειν. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ a Mose tradita sunt, adjutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem.* Hic vero *Clericus* hærere videtur planissime. Nam cum recte monuisset *Rudolph. Cudvvorthus in Systemate Intellectuali* ea, quæ *Clericus* latine repetit: „Nunc vero, quandoquidem non „satis intelligi queat, qui ejusmodi Trinitas divinarum hy-„postaseon primum inveniri potuerit solo ingenio huma-„no & ratione; quamvis nihil ei insit, si modo recte in-„telligatur, quod rationi repugnet; &, quandoquidem „sunt in antiquis Scriptis Veteris Testamenti certa indi-„cia pluralitatis in Deo, vel plurium hypostaseon; colli-„gere merito possumus, quod *Proclus* affirmat de *Trinita-„te,* quemadmodum exprimitur in Chaldaicis oraculis: id „esse verum; nimirum fuisse θεοπαράδοτον θεολογίαν, „divinitus traditam Theologiam, vel divinam *Cabalam,* „inter Hebræos primum, deinde ab illis communicatam „cum *Aegyptiis* atque aliis gentibus.„ His *Cudvvorthi* frigide respondet *Clericus, p.* 194. *Ego vero, quod cum pace viri eruditissimi, & cujus scripta magni facio, dictum sit, non puto usquam in Vetere Testamento indicium esse ullum plurium substantiarum divinarum, quales somniabat*

Plato, & quales Patres credidere. Etsi enim non negamus *Platonem* dogma *de Trinitate* minus recte accepisse, neque adeo tres hypostases, eo sensu, quo vult *Plato*, in Veteri Testamento doceri: hoc tamen minime obstat, quo minus *Plato* e Scriptura V. T. pluralitatem in Deo didicerit, quamquam error de tribus diversis *essentiis* ipsius commentum sit, cum ipse tres *personas* intelligere debuisset. Nam, si quis ideo aliquid ex aliis libris haustum negare velit, quod vel mutilatum sit vel commentis auctum, negabit, *Justinum Trogi* epitomatorem de *Judaico populo* agere, cum certissime de eo agat, quoniam historiam ejus populi acceptam putidis aliquot fabulis commaculavit. Non ergo quaeritur, an recte tradiderit *Plato* doctrinam de *Trinitate?* nam hoc negamus & ipsi: sed utrum, quae tradit de *Trinitate*, quamquam corrupte & male intellecta, ex ingenio suo commentus sit, an hauserit aliunde? Et, si hoc sit verius, annon origo doctrinae sive *mediate* sive *immediate*, seu sine medio, acceptae, ad Judaeos referenda sit? Atque hoc ipsum mihi plane videtur, nec video, qui possit mens humana talia comminisci, vel, si aliquando in mentem ea cogitatio venerit, ubique quasi rem compertam, docere. Ait quidem *Clericus* prodere *Platonem* & *Timaeum* magis etiam, semet esse commentos e proprio cerebro ejusmodi reculas; verum infeliciter. Sic ait: *p.* 207. *Timaeus deinde ita rem aggreditur, ut suas cum Platone judice, conjecturas preferre liqueat.* Recitat deinde aliqua, quorum haec sunt ultima: Ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν. *Itaque si de hisce verisimilem fabulam* (malim: *verisimilem narrationem*, quae est significatio vocis μῦθος,) *recipitis, decet vos nihil amplius quaerere.* Hic mihi penitus necesse est abire a doctissimo *Clerico*; nam, quam certum ipsi est, indicare *Timaeum*, se ipsum, quae tradit, commentum esse: tam liquet mihi contrarium, nempe accepisse eum sua, quae narrat, aliunde. Nam si esset

esset commentus, rationes adderet, cur ita credi vellet, quod non solet fieri, cum *traditiones* propagantur. Claudam hanc disputationem, ubi unum adhuc observavero; unde lectorem intellecturum spero, quam non solide hic disputet *Clericus*. P. 186. sic ait: Adducitur alter *Platonis* locus *e Libro IV. de Legibus*. p. 600. *edit. Gen. Ficini*. „Θεὸς ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθείαν „περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. *Deus, ut fert* „*etiam antiquus sermo, initium & finem & media omnia* „*habens recta absolvit, per naturam circumactus*. Vult „*Justinus in adhortatione ad gentes*, p. 24. hæc *Mosi* de„beri. Sed oportuisset ab eo proferri locum *Mosis*, in „quo sit quidpiam simile. At non potuit, quia revera „nihil ejusmodi extat, proferturque hic a *Platone* sensus „eorum, quæ a *Timæo* dicta erant, de anima mundi, „quam Deus opifex rerum τῷ κόσμῳ μεσόθεν ἐξάψας „ἐπάγαγεν ἔξω. *mundi medio indidit, & extra eduxit*. „Quamobrem obtinet *initium, finem & medium*. Igitur „nulla ratio est, cur παλαιὸς credamus Hebræos potius, „quam antiquissimos Græcorum Philosophos, a quibus „multa dici potuerant aut vera, aut veris proxima, seu ea „accepissent a Majoribus, seu ipsi invenissent. Cur enim „omnes populos fingamus fungos, per omnia, ac stipites „fuisse exceptis Hebræis?„ Quæ postremo loco dicuntur, facile largior, nempe *moralia* facile ab aliis etiam gentibus inveniri sine institutione potuisse, quoniam ratio non est penitus deleta in hominibus, etsi vero evangelio non collustratis. Utinam *Clericus* ejusque similes noluissent conviciis Judaicum populum, quasi oppido absurdum & stolidum proscindere. Per nos poterit & reliquis gentibus in rebus externis gravitas & ingenium quantumvis tribui, ut sane Græci Romanique habuere: sed, de historia creationis, ratio, nisi aliunde doceatur, nihil præter

Ss 5 hoc

hoc unum novit, non potuiſſe hæc omnia ſine creatore exiſtere. Verba ex *antiquo logo* laudata, quibus concinit in aliquibus verſus *Orphei* a *Clemente Alex. Stromat. L. V.* p. 608. conſervatus: Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων, καὶ μέσσατον ἠδὲ τελευτήν. *Ipſe habens initium & medium & finem*, extat non in *Moſe* quidem, ſed in *Eſaia*. Quamquam *Juſtinus* triplicem temporis notionem in voce ὢν, quo *Moſes* Deum appellat, quæſivit ead. p. 24. & laudata *Moſis* vetuſtate, *Platonem* ex hoc, ſed *tecte* aliqua ſumſiſſe, magna ſane ſpecie conjicit. Non mirum vero, vel mutato per errorem nomine, *Moſen* laudari, vel quod *Moſis* vocabulo Scripturam totam intelligi *Juſtinus* voluit, ut viciſſim Prophetas laudari memini, cum in *Moſe* verba laudata exiſterent. *Eſa. XLIV.* 6, habet in ebraico codice idem, quod græca *Platonis* volunt. Nam, quod hic eſt: Deum initium & finem, & quæ media ſunt, habere, in *Eſaia* eſt: Ego ſum primus & ultimus & præter me, h. e. qui quaſi inter primum & ultimum medius inſeri poſſit, non eſt Deus. Porro, quod ibi eſt, *pergit per naturam circumactus*, obſcurius, ut mos eſt in hoc Philoſopho, videtur reſpondere ebraico: ויערכה לי משומי עם עולם *Quis eſt qui ponat mihi ordine, ex quo ego poſui populum æternum.* Hoc ſaltem clarebit, non fuiſſe reprehendendum *Juſtinum*, & *Platonem* ſuorum aliqua, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, neſcio qua ratione, accepiſſe a Judæis, vehementer eſſe probabile. Verbum dicendum eſt de eorum opinione, qui primos Chriſtianos, ſi non legerint ipſi *Platonem*, a *Philone* tamen Judæo hauſiſſe philoſophiam Platonicam, qui tum in maximo pretio & manibus Chriſtianorum triſſimus fuerit. Hi mihi parum videntur proficere. Nam, neſcio unde probetur, *Philonem Judæum* Platonicam philoſophiam ſectatum, quem quidem *Clemens Alexandrinus* & *Sozomenus*, ut paullo ante vidimus, *Pythagoreum* non *Platonicum* appellant. Quod vero nonnemo dixiſſe fertur: *aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat*, rectius, ni fallor,

fallor, dictum foret: *uterque, Plato & Philo ebraizat*, seu *Mosaizat*. *Platonis* certe rara est in *Philone* mentio, nec satis certum, an sit ipse huic Judæo lectus, quod colligo ex ipso *Philone*, qui in libro, *quod mundus sit incorruptibilis, p. m.* 940. Ἐγὼ δὲ καὶ Ὀκέλλου συγγράμματι Λευκανοῦ γένος ἐπιγραφομένῳ περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως ἐνέτυχον, ἐν ᾧ ἀγένητόν τε καὶ ἄφθαρτον οὐκ ἀπεφαίνετο μόνον, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἀποδείξεως κατεσκεύαζε τὸν κόσμον εἶναι. γενητὸν δὲ καὶ ἄφθαρτόν φασιν ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Τιμαίῳ δηλοῦσθαι. *Ipse forte fortuna in commentarium Ocelli hominis Lucani incidi, cui de universi natura titulus; in quo mundum incorruptibilem non tantum asserit, verum etiam argumentis conatur ostendere. Genitum vero sed incorruptibilem ajunt a Platone in Timæo dici. &c.* Quamquam *p.* 898. *D.* ita *Philo* de *Symposio Platonis* disputat, ut manibus trivisse eum libellum videatur. Neque caret verisimilitudine, alios librorum *Platonis* habuisse, alios non habuisse.

His ita expeditis, unde liquere posse arbitror, dogma sacrosanctum nostrum de tribus æqualibus in una essentia divina personis, nulla ratione *Platoni*, sed divinæ revelationi originem debere. Superest, alteri objectioni non minus vulgari & frequenti occurrere; esse illud antiquis Patribus incognitum. Itaque nos aliquot claris testimoniis profligabimus calumniam. De *Clementis Alexandrini* loco actum est supra. Quem & inter testes veritatis de divinitate JEsu Christi merito retulit antiquus scriptor contra *Artemonios*, Christum nudum hominem asserentes, tantaque impudentia usos, ut suam doctrinam venditarent, antiquissimam, laudatus *Euseb. H. E. V.* 28. Phrases autem aliquot *Clementis* duriores visæ, facili opera vindicari possunt. Addam huic ea maxime, quæ de Spiritu Sancto agunt loca veterum: *Tertullianus adversus Praxeam p.* 418. 419. *edit. Basil.* 1528. „Nos vero & semper & nunc

„magis,

„magis, ut instructiores per Paracletum deductorem scili-
„cet omnis veritatis unicum quidem Deum credimus, sub
„hac tamen dispensatione, quam *οἰκονομίαν* dicimus, ut
„unici Dei sit & Filius sermo ipsius, qui ex ipso processe-
„rit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est
„nihil. Hunc missum a Patre in virginem, & ex ea na-
„tum, hominem & Deum, Filium hominis & Filium
„Dei, & cognominatum JEsum Christum. Hunc passum,
„hunc mortuum & sepultum secundum Scripturas, & re-
„suscitatum a Patre & in cœlo resumtum, sedere ad dex-
„tram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui
„exinde miserit secundum promissionem suam, Spiritum
„Sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui
„credunt in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Hanc
„regulam ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante pri-
„ores quosque hæreticos, nedum ante *Praxean* hester-
„num, probabit tam ipsa posteritas omnium hæretico-
„rum, quam ipsa novellitas *Praxeæ hesterni*. Quo per-
„æque adversus omnes hæreses jam hinc præjudicatum
„sit: id esse verum, quodcunque primum, id esse adul-
„terum, quodcunque posterius. Sed salva ista præscri-
„ptione, ubique tamen propter instructionem & muni-
„tionem quorundam dandus est etiam retractatibus locus:
„vel, ne videatur unaquæque perversitas non examinata,
„sed præjudicata damnari, maxime hæc, quæ se existimat
„meram veritatem possidere, dum unicum Deum non ali-
„as putat credendum, quam si ipsum eundemque & Pa-
„trem & Filium & Spiritum Sanctum dicat. Quasi non
„sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per sub-
„stantiæ scilicet unitatem, & nihilominus custodiatur
„*οἰκονομίας* Sacramentum, quæ unitatem in Trinitate dis-
„ponit, tres dirigens Patrem & Filium & Spiritum San-
„ctum. Tres autem non statu sed gradu, nec substantia
„sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem sub-
„stantiæ & unius status & unius potestatis: quia unus
„Deus, ex quo & gradus isti & formæ & species, in

nomine

„nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti deputantur. Quo-
„modo numerum sine divisione patiuntur, proceden-
„tes tractatus demonstrabunt. &c. ---- Numerum &
„dispositionem trinitatis, divisionem præsumunt unitatis.
„Quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non
„destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos &
„tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei
„cultores præsumunt: quasi non & unitas irrationaliter
„collecta hæresin faciat, & trinitas rationaliter expensa
„veritatem constituat.„ Est certissime hæc Evangelico-
rum & hodie consentientissima professio, quæ tum fuit *Ter-
tulliani*. Præcipue observandum, tres *personas*, qua qui-
dem voce & ipsa *Tertullianus* utitur aliis locis, hic vero
idem tribus istis: *gradus, forma, species*, intelligit, *unius
substantiæ, unius status & unius potestatis*, dici. quæ vo-
cabula plenissimam æqualitatem significant. Unde mitio-
rem interpretationem non possunt solum, sed et, cum
mens scriptoris constet, debent habere, quæ interdum po-
terant inæqualitatem innuere, ut, cum Christum etiam
secundum divinitatem minorem ait Patre, *ordine* nempe,
& similia pauca; v. g. quod filium *prolatum* a Patre ait in
creatione, palam autem est, non *originem existendi* intelli-
gere, sed *prodiisse*, h. e. manifestasse se per opus creationis,
quod est longe verissimum.

Pertinent huc aliqua, quæ *Tertullianus*, p. 434. scri-
psit: „In principio erat sermo, in quo principio prolatus
„a Patre est. Ceterum *Pater* non habens initium, ut a
„nullo prolatus, ut innatus non potest videri. Qui so-
„lus fuit semper, ordinem habere non potuit. Igitur,
„si propterea eundem & *Patrem* & Filium credendum pu-
„taverunt, ut unum Deum vindicent, salva est unio ejus,
„qui cum sit unus, habeat & Filium, & ipsum eisdem
„scripturis comprehensum. Si Filium nolunt secundum
„a *Patre* reputari, ne secundus duos faciat Deos dici,
„ostendimus etiam duos Deos in Scriptura relatos & du-
„os Dominos. Et tamen, ne de isto scandalizentur, rati-

onem

„onem reddimus: *Qua Dei*, non *duo* dicuntur, nec *Do-*
„*mini*, ſed qua *Pater* & Filius duo, & hoc non ex ſepara-
„tione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione, cum individuum
„& inſeparatum Filium a Patre pronunciamus, nec *ſtatu*
„ſed *gradu* alium. &c.„ Item, *p.* 428. „Ceterum, ſi
„ex conſcientia, qua ſcimus Dei nomen & Domini, &
„Patri & Filio & Spiritui Sancto convenire, Deos & Do-
„minos nominaremus, extruxiſſemus faces noſtras, et-
„iam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque
„patet occaſio, jurantibus ſtatim per Deos & Dominos,
„ut quidam hæretici, quorum Dii plures. Itaque Deos
„omnino non dicam, nec Dominos, ſed Apoſtolum ſe-
„quar, ut, ſi pariter nominandi fuerint *Pater* & Filius,
„*Deum Patrem* appellem, & *JEſum Chriſtum Dominum*
„nominem. Solum autem Chriſtum potero Deum di-
„cere; ſicut idem Apoſtolus: Ex quibus Chriſtus, qui
„eſt, inquit, Deus ſuper omnia, benedictus in ævum
„omne. Nam & radium ſolis ſeorſum ſolem vocabo,
„ſolem autem nominans, cujus eſt radius, non ſtatim &
„radium ſolem appellabo. Nam, etſi ſoles duos faciam
„(f. *non faciam*,) tamen & ſolem & radium ejus, tam du-
„as res, & duas ſpecies unius & indiviſæ ſubſtantiæ nu-
„merabo, quam Deum & ſermonem ejus, *Patrem* & Fi-
„lium. &c. *P.* 247. „Sed & cetera utique idem fecit,
„qui & priora, id eſt ſermo Dei, per quem omnia facta
„ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Qui ſi ipſe Deus eſt
„ſecundum *Joannem, Deus erat ſermo*, habes duos, ali-
„um dicentem, ut fiat, alium facientem. Alium autem
„quomodo accipere debeas, jam profeſſus ſum, perſonæ
„non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctionem non ad diviſio-
„nem. Ceterum ubique teneo unam ſubſtantiam in tri-
„bus cohærentibus. Tamen alium dicam oportet ex ne-
„ceſſitate ſenſus, eum qui jubet, & eum, qui facit. ----
„Ergo, inquis, ſi Deus dixit, & Deus fecit, ſi alius Deus
„dixit, & alius fecit, duo Dii prædicantur. Si tam durus
„es, puta interim, & ut adhuc amplius hoc putes, accipe

„& in

„& in Psalmo duos Deos dictos; Thronus tuus, Deus,
„in ævum, virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti
„iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.„
P. 426. „His itaque paucis tam manifeste distinctio Tri-
„nitatis exponitur. Est enim ipse, qui pronunciat, Spiri-
„tus, & Pater ad quem pronunciat, & Filius de quo pro-
„nunciat. Sic & cetera, quæ nunc ad Patrem de Filio,
„vel ad Filium, nunc ad Filium de Patre vel ad Patrem,
„nunc ad Spiritum pronunciantur, unamquamque perso-
„nam in sua proprietate constituunt.„ Sufficere hæc
e *Tertulliano*, tum nondum *Montani* secta infecto, potе-
runt, quæ ejus seculi doctrinam a Patribus & Apostolis
acceptam declarent. Quæ nostra & hodie facimus, nisi
quod interdum cautius loqui potuisse, acerrimi licet in-
genii virum, lubentes fateamur. *Arriana lites*, quæ dein-
de secutæ sunt, fecerunt, ut, v. g. *Basilius*, *Athanasius*,
Augustinus, cautius loquerentur & circumspectius, mens
tamen est eadem.

Huic proxime jungo *Theophilum Antiochia Episco-
pum*, qui tres ad *Avtolycum* libros, qui hodie soli super-
sunt, bonæ frugis plenissimos, circiter *an*. 181. scripsit.
Hunc virum ab *Hieronymo*, *Tritthemio* aliisque in ortho-
doxis semper habitum, qui & evangelicam veritatem ad-
versus *Marcionem*, singulari libro, hodie quidem, quan-
tum constat, non superstite, tuitus est, nollem ab aliqui-
bus nostratium etiam accusatum esse; a quorum sinistris
judiciis, *Abrahami Sculteti* maxime, qui *sapere Arrianis-
mum*, scripsit, (nam *Danhawerus* noster mitius loquitur,
& saltem incommodas phrases esse, perhibet,) vindicare D.
V. singulari dissertatione animus est. Nunc satis erit duo
loca ex his libris excerpsisse, quæ doceant lectorem, egre-
gium hunc virum credidisse sacrosanctum dogma de *Tri-
nitate*, quamquam adversus *Avtolycum*, ethnicum homi-
nem, at doctum, magis e re erat, sanctitatem fidei Chri-
stianæ vindicare a calumniis, quam mysteria exponere.
Libr. II. ad Avtolicum, *p*. 255. media, editionis primæ,
seu

seu *Tigurina anno* 1546. hæc habet. *Postquam in creationis historia aliquam multa mystice, non, ut probaret aliquid, sed ut dicendo ornaret, exposuisset,* ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων (posteriores editiones recte habent: πρὸ τῶν φωστήρων,) γεγονυῖαι τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ. *Similiter & tres dies ante luminaria typi sunt Trinitatis, Dei, verbi, & sapientiæ. Sapientiæ* vocabulo intelligi Spiritum Sanctum, patet ex altero loco, *p.* 252. paullo ante medium: Οἱ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι πνευματοφέροι πνεύματος ἁγίου καὶ προφῆται γενόμενοι, ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ ἐμπνευσθέντες καὶ σοφισθέντες ἐγένοντο θεοδίδακτοι καὶ ὅσιοι καὶ δίκαιοι. διὸ καὶ κατηξιώθησαν τὴν ἀντιμισθίαν ταύτην λαβεῖν, ὄργανα Θεοῦ γενόμενοι, καὶ χωρήσαντες (χωρίσαντες videtur mendum) σοφίαν τὴν παρ᾽ αὐτοῦ, δι᾽ ἧς σοφίας εἶπον καὶ τὰ περὶ τῆς κτίσεως κόσμου, καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων. Sequuntur nunc verba, quæ huc proprie pertinent. Ἔχων οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. Τοῦτον τὸν λόγον ἔσχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν. οὗτος λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι᾽ αὐτοῦ δεδημιουργημένων. οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα Θεοῦ καὶ ἀρχὴ καὶ σοφία καὶ δύναμις ὑψίστου κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας, καὶ δι᾽ αὐτῶν ἐλάλει τὰ περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ κόσμου καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων. οὐ γὰρ ἦσαν οἱ προφῆται, ὅτε ὁ κόσμος ἐγένετο. Ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα, ἡ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. &c.

Latine

Latine hæc ita reddimus: „Homines Dei acti Spiritu
„Sancto & Prophetæ facti, ab ipso Deo inspirati & sapi-
„entia collustrati, erant divinitus docti sancti justique.
„Itaque hoc præmium obtinuerunt, ut fierent organa
„Dei, & reciperent sapientiam ab ipso, per quam sapien-
„tiam dixerunt & de creatione mundi & de reliquis omni-
„bus. ----- Deus igitur cum haberet sermonem suum
„in suis visceribus positum, genuit eum, cum sapientia
„sua eructans (qua voce ad *Psalm. XLV.* 1. *Theophilus*
„aliique Patres respiciunt, quo de loco alias agetur,) *ante*
„*omnia.* Hunc sermonem habuit Administrum rerum ab
„ipso factarum, & per eum omnia fecit. Hic dicitur prin-
„cipium, nam dominatur & imperat omnibus, per ipsum
„paratis. Hic igitur, cum sit Spiritus Dei, & principium
„& sapientia & virtus Altissimi, descendit in Prophetas,
„& per eos loquutus est, de creatione mundi & de ceteris
„omnibus. Non enim extiterunt Prophetæ, cum mun-
„dus crearetur, sed sapientia, quæ in eo est, & sermo sa-
„cer, qui semper una cum eo est. &c.„ Quæ hic offen-
dere aliquem possunt, hæc sunt. 1) Verbum, seu sermo-
nem, vocat ἐνδιάθετον, positum in visceribus Dei, &
genitum, cum crearetur mundus. Mihi, quamquam ita
loqui non lubet, non videntur tamen hæc gravia, ipsa po-
tius veritas rudioribus verbis exposita. *Personam* esse
hunc *sermonem,* cum administrarit creationem, missusque
sit ad Prophetas, dubitari nefas. Porro *divinam* esse per-
sonam, h. e. ex essentia Patris, non creatam aliquam, quan-
tæcunque dignitatis, expressius dici non poterat, quam
his verbis: *In visceribus Patris positum esse. Æternam* de-
nique personam esse, cum hoc ipsum evincit, quod intra
Patrem est, in Deo autem mutatio nulla habet, observante
alibi ipso *Theophilo,* locum; tum veró, quod ἀεὶ συμ-
παρόντα eum appellat, qui semper intime sit Patri jun-
ctus. *Generationem* vero alio sensu, quam qui nobis hodie
in usu est, accipi & significare ipsi eum actum, quo foras

 pro-

prodiit, actu aliquo externo, nempe creatione, ut observavimus *Tertullianum contra Praxean* non absimili modo loqui: id non tam mirandum aut reprehendendum; quam hoc laudandum, quod *Theophilus* ipsum illud, quod nos recte *generationem* vocamus, alio vocabulo Christo certissime vindicat. Nos *communicationem essentiæ ab æterno factam* intelligimus, atque idem plane vult *Theophilus*, cum verbum ἐνδιάθετον ἐν τοῖς σπλάγχνοις appellat. In verbis oportet nos esse faciles, ubi de re manifesta consensio; hactenus saltem, ut, quamquam nobis haud licet loquendi modos utiliter nunc in ecclesia receptos aliis commutare, in veteribus tamen facile feramus. Liquere autem arbitror *Arriani* nihil esse in *Theophilo*. Huc enim redit *Arriana hæresis*, *verbum* esse rem creatam, & cœpisse aliquando existere, quorum neutrum, sed contraria omnia Sanctus Episcopus dixit. Id quod clarius etiam constiturum fuisse arbitror, si extaret liber adversus *Marcionem*, aut cetera præclari viri opera. Veteres certe, qui adversus *Arrium & Paullum Samosatenum* acriter depugnarunt, non fuissent parcituri *Theophilo*, non laudaturi eum saltem, nisi de viri orthodoxia abunde constitisset. 2) Scrupulum alicui injicere potest, nescio an observatum aliis, quod videtur *Theophilus* verbum & *Spiritum Sanctum* fere confundere, utrumque vocare *sapientiam*, seu σοφίαν, item λόγον; utrique attribuere prophetarum inspirationem, utrumque & dicere a Deo genitum; denique plane pro eadem persona habere. Verum hoc, quod ultimo loco dixi, non potest verum esse, quoniam *Triadis* expressissimo mentionem injicit *Theophilus*; sed nec confundit nomina, λόγον *secundæ*, σοφίαν *tertiæ personæ* vindicans. Verum in eo non difiteor hærere sanctum virum, utrum *Christo*, seu *secundæ personæ*, an *tertiæ*, seu *Spiritui Sancto*, tribuat inspirationem Prophetarum, & tribuit utrique, quod maxime ultima a nobis laudata verba docent: *Prophetæ tum non extiterant, cum condereitur*

mundus sed sapientia in ipso existens, & sermo sanctus Dei semper ipsi adsistens. Qua in re vel nihil, vel non multum erratum esse arbitror. Nam *Joannem* accepisse a Christo, quæ scriberet in *Apocalypsi*, dubio caret; itaque idem antiquitus, Prophetis accidisse interdum, ut nec affirmari temere, ita nec absolute negari potest. Spiritu Sancto agitatos esse sanctos homines novimus, sed non minus futura erat divina inspiratio, si per λόγον fieret. *Irenaus l. IV. c.* 16. *p. m.* 216. *non enim*, inquit, *tantum propter Abraham hoc dixit, sed ut ostenderet, quoniam omnes, qui ab initio cognitum habuerunt Dominum, & adventum Christi prophetaverunt, revelationem acceperunt ab ipso Filio, qui & novissimis temporibus visibilis & passibilis factus est.* Denique 3) poterat carpi in *Theophilo* nostro, allegorica historiæ creationis interpretatio; at ego, si non adhibeatur ad demonstranda dogmata fidei, quæ hunc morem probandi respuunt, facile hæc fero. Atque in *Theophilo* hoc modo factum est, ut, quid de *baptismate*, item de *resurrectione mortuorum* senserit *Theophilus*, ad quas doctrinas ea occasione digressus est, hodie sciamus, nimirum, idem plane, quod nos in ecclesia evangelica. Sed hæc in dissertatione de *Theophilo* aliquando D. v. agemus fusius. In præsenti hoc tantum observandum, hunc Episcopum suam de Trinitate doctrinam minime hausisse e *Platone*, quem passim ita exagitat, & tantum non ridendum propinat, ut pro *Platonico* haberi certe non debeat.

Si hoc solum agerem, ut numero testium obtinerem caussam, *Tatiani* quoque celebris olim viri, qui dum *Justinus* Martyr studiorum ipsius Rector fuit, orthodoxiæ laude claruit, testimonium possem exponere, sed contentus ero recitasse locum admodum similem verbis, loco, quem vidimus, *Theophili*. *Tatianus* ergo in *Sermone ad gentes, p.* 278. *edit. Tigurin. an.* 1546 Φανερώτερον δὲ ἐκθήσομαι τὰ ἡμέτερα, Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ. τὴν δὲ ἀρχὴν λόγου δύναμιν παρειλήφαμεν. Ὁ γὰρ δεσπότης τῶν

ὅλων αὐτὸς ὑπάρχων τῷ παντὸς ἡ ὑπόστασις, κατὰ μὲν τὴν μηδέπω γεγενημένην ποίησιν, μόνος ἦν, καθὸ δὲ πᾶσα δύναμις, ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν. σὺν αὐτῷ τὰ πάντα. σὺν αὐτῷ διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ ὑπέστησε. θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτῦ προπηδᾷ λόγος, ὁδὲ λόγος ὐ κατὰ κενῦ χωρήσας ἔργον πρωτότοκον τῦ πνεύματος γίνεται. Τῦτον ἴσμεν τῦ κόσμυ τὴν ἀρχήν. γέγονε δὲ κατὰ μερισμὸν ὐ κατὰ ἀποκοπήν. τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν, τῦ πρώτυ κεχώρισαι. τὸ δὲ μερισθὲν, οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν, ὐκ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται, πεποίηκεν. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δᾳδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δᾳδῶν ὐκ ἐλαττῦται τὸ φῶς. ὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τῦ πατρὸς δυνάμεως, ὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα. Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ λαλῶ, καὶ ὑμεῖς ἀκύετε, καὶ ὐδήπυ διὰ τῆς μεταβάσεως τῦ λόγυ κενὸς ὁ προσομιλῶν λόγυ γίνομαι. &c. Quæ sic verto: „Clarius exponam nostra, seu, „quæ apud nos docentur. Deus erat in principio. „Principium vero accepimus potentiam verbi esse. Nam „Dominus universorum, cum sit omnium hypostasis „seu fundamentum, si secundum creationem nondum „factam consideres, solus erat; prout autem est omnis „potentia, visibilium & invisibilium ipse est fundamen„tum. Cum ipso omnia. Cum ipso etiam per rationa„lem potentiam ipsum verbum, quod erat in ipso, substi„tit. Voluntate autem simplicitatis ejus, prosilit ver„bum, verbum vero non per inane progrediens, primo„genitum opus factum est Spiritus. Hoc (verbum) „novimus principium esse mundi. Extitit vero distincti„one, non abscissione; nam quod abscinditur, a priori se„paratur. Verum, quod distinguitur, divisionem ali-

„quam

„quam per œconomiam accipit, neque relinquit id, un-
„de sumtum est, indigum. Quemadmodum enim de
„una face accenduntur ignes multi, prioris vero facis lu-
„men inde non minuitur, quod multas faces accendit: Ita
„& verbum procedens e potentia Patris, non fecit eum,
„qui genuit, λόγυ, seu verbi, sive rationis expertem.
„Nam & ego loquor, & vos auditis, minime vero, quo-
„niam transit verbum, ego loquens, vacuus verbo seu ra-
„tione sum.„ Hæc ego, quamquam obscuritate non carent, merito tamen & facile ita intelligo, ut a nostra, quam e verbo Dei hausimus, doctrina, non abeat *Tatianus*. Dixit certissime λόγον ex ipso Patre ita prodiisse, ut sit ejusdem naturæ, cujus est Pater, nempe, ut lampadis accensæ & accendentis non diversa nec inæqualis, sed æqualis & eadem natura est, nec divulsum a Patre, sed idem cum eo manens, quo ipso de *creatione*, qua res, quæ producitur, extra creatoris essentiam est, nos cogitare vetat, h. e. *Arrianis* contradicit. *Prodiisse* hoc verbum quidem ante creationem mundi sub initium rerum ait, qua de re & supra egimus, sed originem ita demum existendi cepisse, quod *Arrianum* est, minime dicit, verum potius λόγον *in eo fuisse* diserte affirmat. Ἔργον πρωτότοκον πνεύματος, quod vocat istam emissionem verbi ex essentia Patris, ut prodiret & crearet mundum, puto hoc voluisse, quod recentiores volunt, cum *generationem*, *opus Dei ad intra* maluerunt dicere. Si quis tamen & hoc, & quod *omnia cum Deo* dixit fuisse, quod de nuda potentia aliquando existendi intelligendum est, dixit, atque statim subjunxit etiam λόγον cum Deo fuisse, id quod aliquis ita accipere posset, quasi vellet verbum sola potentia non ipso actu in Deo æternum fuisse, quam, utique falsissimam sententiam, ipse tamen *Tatianus* a se removet, cum verbum non simpliciter, ut reliqua, cum Deo fuisse affirmat, sed διὰ λογικῆς δυνάμεως, quæ æterna & semper actu in Deo est. Hæc, inquam, omnia, si quis

velit suspecta habere, non multum laborabo in vindicando hoc viro, quem deinde turpiter lapsum esse constat; sufficere autem posse, quæ dixi, arbitror.

Ceterùm opportune occurrit *Isidorus Pelusiota*, cujus verba hic mea esse volo. Is *L. IV. Ep.* 99. *ad Eudæmonem Presbyterum* sic scripsit: Καὶ οἱ μὲν μὴ ἐπιδεδημηκέναι τὸν ἐκ Θεοῦ φύντα λόγον, οἱ δὲ κατὰ φαντασίαν ἐπιδεδημηκέναι. Καὶ οἱ μὲν σύγχυσιν καὶ κρᾶσιν καὶ ἀφανισμὸν τῶν φύσεων ἐδογμάτισαν, οἱ δὲ ἐν ἀνθρώπῳ γεγενῆσθαι. Καὶ οἱ μὲν ἐλάττονα τοῦ πατρὸς, οἱ δὲ κτίσμα ὡρίσαντο. Καὶ οἱ μὲν τὸ Θεῖον πνεῦμα οὐ Θεὸν ὁμολογοῦσιν. οἱ δὲ λειτουργικὸν καὶ ἁγιαστικὸν ὀνομάζουσιν. οὐ χρὴ ταῖς τῶν νοσούντων ἕπεσθαι ψήφοις. ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν ὑγιαινόντων κρίσεως λαμβάνειν τὰς ἀποδείξεις. Καὶ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ συγκροτηθείσῃ κατὰ Νικαίαν ἀκολουθεῖν μήτε προστιθέντας, μήτε ἀφαιροῦντας. Ἐκείνη γὰρ Θεόθεν ἐμπνευσθεῖσα τ' ἀληθὲς ἐδογμάτισεν. „Alii quidem „(contendunt,) ex Deo natum verbum non venisse in carnem; alii vero venisse quidem, sed tantum „speciетenus, & spectri instar. Et alii quidem confusionem & mixturam & abolitionem naturarum tradiderunt: alii vero ipsum in homine fuisse. Et alii quidem „Patre minorem, alii vero creaturam esse definiverunt. „Et alii quidem Spiritum divinum non confitentur esse „Deum, alii vero ministratorium & sanctificum appellant. „Non oportet eorum, qui morbo laborant, sequi suffragia, sed ex judicio sanorum hominum demonstrationes „mutuari, & Sanctæ Synodo, quæ *Nicææ* habita fuit, adhærere, neque addentes ei quidquam, neque detrahentes. Illa enim divinitus inspirata veritatem dogmatum „tradidit.„ Quoniam *Isidori*, plane egregii viri, injecta est mentio, non possum, quin huc referam aliqua ejusdem, *L. I. Ep.* 60. ad *Gorgonium*. Quamquam enim hic versor in colligendis *Ante-Nicænorum* Patrum testimoniis, tamen ideo in censum hic *Isidorus*, quod

præ-

præclaro argumento e Scriptura utitur. Ita ille: ὅτι δὲ τῆς θείας ἐστὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐσίας, τοῦτο σὺ ᾔτησας γραφικῶς στρατευθῆναι. Ἔξεστι σοὶ ἐγχωροῦντι καὶ μικρὸν προελθόντι ἐκ τῶν ἐν χερσὶ τοῦ κυρίου φωνῶν καὶ τὴν λύσιν εὑρεῖν. Εἰ ἐγὼ, φησὶν, ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσιν. Εἰ δ' ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω ταῦτα, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Ἐν τῷ ἑτέρῳ σαφέστερον εἰρηκὼς Εὐαγγελιστὴς, εἰ δὲ ἐγὼ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, δάκτυλον Θεοῦ τὸ πνεῦμα λέγων τὸ ἅγιον. δάκτυλος δὲ ὡς ἐν ὑποδείγματι τῷ καθ' ἡμᾶς τῆς οὐσίας ἐστὶ τοῦ σώματος. τὴν τοίνυν ἀχώριστον καὶ συγγενῆ τῆς θείας οὐσίας τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ὑπόστασιν τῷ τοῦ δακτύλου ὀνόματι ἐφανέρωσε. „Spiritum Sanctum autem divinæ naturæ esse, ut „tibi dilucidis & apertis Scripturæ testimoniis declaretur, „postulasti. Atqui tibi, si ingenii solertiam adhibeas, & ex „eo loco, quem manibus tenes, aliquanto longius pro„gressus fueris, ex Domini vocibus, quæstionis hujusce „solutionem nancisci licet. Si enim ego, inquit, in *Beel„zebub* ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Si au„tem in *Spiritu Dei* ea ejicio, profecto pervenit in vos re„gnum Dei. Porro apud alterum Evangelistam apertius „ita habetur: Si ego in *digito Dei* ejicio dæmonia; quo „loco per digitum Spiritus S intelligitur. Atqui digitus, „ut a nobis exemplum sumam, ex corporis essentia est. „Quamobrem a divina essentia inseparabilem & cogna„tam Spiritus Sancti personam esse, per *digiti* vocabulum „declaravit.„

Extant *testamenta duodecim Patriarcharum*, non ab ipsis quidem, quod nec auctor libri videtur credi voluisse, scripta, quorum nomina præferunt. Sed *primi*, saltem *secundi* a nato Christo seculi fœtus, libellus lectione dignissimus. Ex quo, antequam, quæ huc pertinent, excerpere aggrediar, auctorem certissime Christianum hominem fuisse antiquissimæ ætatis, evincendum est.

Qua de re, non quod ad ætatem attinet, nam liquet *Origenis* ætate librum dudum extitisse, & ab hoc laudari; sed, ad quæstionem: Judæusne sit auctor, an Christianus, an interpolator libri a Judæo confecti Christianorum aliquis? aliqua video observanda esse ad præfationem *Jo. Ernesti Grabe*, qui in *Spicilegio Patrum To. I.* denuo hunc librum *Oxoniæ an.* 1698. edidit, unde eundem *J. A. Fabricius Codici Pseudepigrapho V. T. Tom. I. p.* 496. *sqq.* inseruit. Quamquam enim doctissimus *Grabius* non diffitetur, esse passim, quæ auctorem prodant rerum Christianarum peritiorem, quam de Judæo aliquis suspicari possit, arbitratur tamen vicissim esse aliqua, quæ nec a Christiano proficisci potuerint. Describam, quoniam vindice non indignus nodus videtur, & res haud injucunda, viri doctissimi verba integra: *edit. Oxon.* 1698. *p.* 133. „Ambo autem, laudati viri (*Caveus & Dodwel*„*lus*) in eo conveniunt, Judæum quendam ad Christia„nam fidem conversum eorum auctorem fuisse, quia in „iis talia de Messia & Novi Testamenti statu leguntur, „quæ notitiam Judæorum longe excedunt, ac proinde „non nisi a Christiana manu profecta videntur, & hujus„modi quidem aliqua ibi deprehendi, haud inficias eo: „contra vero & talia in hoc libro occurrunt, quæ quomo„do ab ullo Christiano, licet Judæorum placita magnam „partem retinente, scribi potuerint, haud capio. Sic v. „g. in *Testamento Ruben*, §. 6. de Messia ex tribu *Juda &* „*Levi* oriundo dicitur: Ὅτι ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανεῖται „ἐν πολέμοις ὁρατοῖς, καὶ ἀοράτοις, καὶ ἔςαι ἐν ὑμῖν „βασιλεὺς αἰώνων. *Quoniam pro vobis morietur in* „*bellis visibilibus & invisibilibus, & erit in vobis rex sæ*„*culorum.* Mira quoque est ista in *Testamento Simeon*, §. 5. „Ἑώρακα γὰρ ἐν χαρακτῆρι γραφῆς Ἐνώχ, ὅτι οἱ „υἱοὶ ὑμῶν ἐν Λευῒ ἀδικήσουσιν ἐν ῥομφαίᾳ ἀλλ' οὐ δυ„νήσονται πρὸς Λευῒ, ὅτι πόλεμον κυρίου πολεμήσει καὶ „νικήσει πᾶσαν παρεμβολὴν ὑμῶν. *Vidi enim in*

cha-

charactere Scripturæ Enoch, quoniam Filii vestri injustitiam facient Levi in gladio, sed non prævalebunt ad Levi, quoniam bellum Domini bellabit, & vincet omne castrum vestrum. Quid? anne Christiano cuipiam in mentem venire poterat, Christum belligeraturum, inque bello tam visibili, quam invisibili moriturum esse? Mortuus est semel in pugna invisibili cum diabolo, atque exspolians principatus & potestates palam traduxit confidenter, triumphans illos, in seipso. *Coloss. II.* 15. In bello visibili ipsum denuo moriturum, nulli unquam Christiani somniarunt, scientes, quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. *Rom. VI.* 9. Deinde, qua ratione quispiam e grege fidelium scripsisset, Judæos, ac speciatim posteros *Simeonis* a *Levi* i. e. a Messia ex tribu *Levi* & *Juda* oriundo, debellandos esse, ac castra eorum delenda? Nescio quoque an Christiani cujuspiam sint ista in Testamento *Levi* §. 18. de Messia dicta. *οἱ ὐρανοὶ ἀνοιγήσονται καὶ ἐκ τοῦ ναοῦ τῆς δόξης ἥξει ἐπ' αὐτὸν ἁγίασμα μετὰ φωνῆς πατρικῆς ὡς ἀπὸ Ἀβραὰμ πατρὸς Ἰσαάκ. Cœli aperientur & ex templo gloriæ veniet super illum sanctificatio, cum voce paterna, tanquam ab Abraham patre Isaac.* Cœlis apertis Spiritum Sanctum super Christum descendisse cum voce Dei Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, omnes fideles norunt. Sed vocem istam ab *Abrahamo* patre Isaaci & Christi secundum carnem, profectam fuisse, nullus eorum, qui evangelio fidem præbuerunt, scribere potuit. Contra fateor priora de cœlis apertis ac Spiritu Sancto descendente, verba, Christiano potius, quam Judæo convenire, & similiter in aliis Testamentis reperiri talia, quæ obscuris Judæorum umbris clariora videntur.,,

Mihi sic videtur: earum rerum, quæ de Christo, & Novi Testamenti temporibus, agunt, tanta est copia, porro non modo stili ubique idem color, & summa

συνάφεια, ut interpolatum nolim suspicari opusculum. Sane pleraque & pulcherrima pereant necesse est, si demere ea velis, quæ ab homine Christiano conscripta esse palam est. *Grabii* objectiones videntur tolli posse sine maxima difficultate. Quod attinet ad opinionem auctoris, Christum simul e tribu *Juda & Levi* originem ducere, quamquam eam tueri, non reprehendente *Grabio*, supervacuum videri posset, paucis tamen moneo, mihi eam non displicere. Nam, cum in dubium vocari nefas sit, *Mariam* virginem, matrem Christi, paternam originem e domo *Davidis* atque adeo tribu *Juda*, ducere, *Ebr. VII.* 14. mares tamen domus Davidicæ subinde uxores e domo *Levi* & sacerdotali maxime genere duxisse, vicissim indubitatum est, neque immerito hactenus ad Leviticam cognationem sacerdotalem Christus refertur, quamquam *Levita* non esset. Itaque de Christo malim explicari *Deut. XXXIII.* 8. quem locum, nescio cur, de *Aarone*, Interpretes, quod sciam, omnes accipiunt, cum videatur & nomen איש חסידך & quod *tentatus esset in Massa*, in Christum longe melius convenire. Hujus dicitur *Urim & Thummim*, sacerdoti olim concreditum, proprium esse, nam Christus, ὁ λόγος, voluntatis divinæ Interpres, omnia nobis nunciavit. Sed quomodo Messias & visibilibus & invisibilibus bellis dici poterit mortuus, qui *semel*, non *bis*, nec visibili aliqua pugna, mortuus est? Audiamus ipsa verba *Testam. Ruben.* §. 6. p. 151. Διὰ τοῦτο ἐντέλλομαι ὑμῖν ἀκούειν τοῦ Λευΐ, ὅτι αὐτὸς γνώσεται νόμον κυρίου καὶ διαστελεῖ εἰς κρίσιν καὶ θυσίας, ὑπὲρ παντὸς Ἰσραὴλ, μέχρι τελειώσεως χρόνων ἀρχιερέως Χριστοῦ, ὃν εἶπε κύριος. Ὁρκῶ ὑμᾶς τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ποιῆσαι ἀλήθειαν, ἕκαστον πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, καὶ πρὸς τὸν Λευΐ ἐγγίσατε ἐν ταπεινώσει καρδίας, ἵνα δέξησθε εὐλογίαν

γίαν ἐκ τοῦ ςόματος αὐτοῦ. αὐτὸς γὰρ ἐυλογήσει τὸν Ἰσραὴλ καὶ τὸν Ἰούδαν, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐξελέξατο κύριος βασιλεῦσαι πάντων τῶν λαῶν. Καὶ προσκυνήσετε τῷ σπέρματι αὐτοῦ, ὅτι ὑπὲρ ὑμῶν ἀποθανεῖται ἐν πολέμοις ὁρατοῖς καὶ ἀοράτοις, καὶ ἔςαι ἐν ὑμῖν βασιλεὺς αἰώνων. „Propter hoc mando „vobis, audire Levi, quoniam ipſe noſcet legem Do„mini, & dividet judicia & ſacrificia pro omni Iſrael, „usque ad conſummationem temporum Principis Sacer„dotum Chriſti, quem dixit Dominus. Adjuro vos, „per Deum cœli, ut faciatis veritatem, unusquisque „proximo ſuo, & ad *Levi* appropinquate in humilitate „cordis, ut recipiatis benedictionem ex ore ipſius. Ipſe „enim benedicet *Iſraël & Judam*, quoniam eum elegit „Deus regem ſuper omnes populos; & adorate ſemen „ipſius, quoniam pro vobis morietur in bellis viſibili„bus & inviſibilibus, & erit in vobis rex ſeculorum.„ Recitavi hic verſionem vulgarem, ſed, cum ipſe *Grabius* annotarit: ἐν αὐτῷ ἐξελέξατο κύριος βασιλεῦσαι, minus bene reddi: *Deus elegit eum regem*, cum potius verti debuiſſet: *Dominus elegit in eo, ſive per eum regnare ſuper omnes populos.* Obſervare potuiſſet, hoc ſemen *Levi* eſſe non Chriſtum Dominum, ſed Sacerdotes, quorum miniſterio Chriſtus in ſuo adminiſtrando regno utatur. Hos *adorari* vult, non illo auguſtiori ſenſu hujus vocis, ſed, ut quamcunque, magnam tamen, venerationem, & obſequendi promtum ſtudium ſignificet, quæ ſignificatio in verſione Græca Bibliorum admodum frequens eſt, atque huc pertinet, quod modo ἐν ταπεινώσει τῆς καρδίας ad *Levi* accedendum eſſe dixerat. Sacerdotes autem pro ſalute gregis variis pugnis, & quæ poſſint videri, & quæ lateant, eſſe obnoxios, nemo dubitat. Ceterum ultima verba: *Et erit in vobis Rex ſeculorum*; ad hunc Domi-

Dominum, qui per ſemen *Levi* regnum adminiſtrat, pertinere omnes videbunt. Et, ſi vel eſſet Chriſtus voce *ſemen Levi* intelligendus, quod nos minime putamus, non ſequeretur tamen ipſum ſæpius mori, ſed hoc tantum, ſæpius eum fore in mortis periculo, ut 2. *Cor. XI.* 23. ἐν θανάτοις πολλάκις, qualis loquendi ratio & alias eſt in auctore hujus libelli. In *Teſtamento Simeonis* §. 5. male habet doctiſſimum *Grabium*, quod Iſraëlitæ & ſpeciatim *Simeonis* tribus bello dicatur *Levin* appetitura, h. e. Chriſtum; mihi vero mirari ſubit, cur hoc de Chriſto interpretetur vir clariſſimus. Non videtur in mentem veniſſe *Numer. XXV.* ubi *Simri Princeps Simeonitarum*, contemto *Moſe*, qui tribules maxime, ut factum fuerat poſt vituli cultum, in malos armaverat, palam impure ſe geſſit, quæ res ſine vi, ſed fruſtra, ex parte *Simeonis*, tentata, fieri non potuit. Eam vero rem hic innui, equidem non dubito. Supereſt tertium dubium, quod movet *Grabium* credere, hominem Judæum auctorem eſſe libri ab homine Chriſtiano deinde interpolati, nam Chriſtiani non putat hoc eſſe, in *Teſtam. Levi*, §. 18. quod mihi potius ita comparatum videtur, ut a nemine niſi Chriſtiano proficiſci potuerit. Verba hæc ſunt: p. 171. Τότε ἐγερεῖ κύριος ἱερέα καινὸν, ᾧ πάντες οἱ λόγοι κυρίου ἀποκαλυφθήσονται, καὶ αὐτὸς ποιήσει κρίσιν ἀληθείας ἐπὶ τῆς γῆς ἐν πλήθει ἡμερῶν, καὶ ἀνατελεῖ ἄστρον αὐτοῦ ἐν οὐρανῷ ὡς βασιλέως φωτίζον φῶς γνώσεως ἐν ἡλίῳ ἡμερῶν, καὶ μεγαλυνθήσεται ἐν τῇ οἰκουμένῃ ἕως ἀναλήψεως αὐτοῦ. οὗτος ἀναλάμψει ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ γῇ. καὶ ἐξαρεῖ πᾶν σκότος ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν, καὶ ἔσται εἰρήνη ἐν πάσῃ τῇ γῇ. Οἱ οὐρανοὶ ἀγαλλιάσονται ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ, καὶ ἡ γῆ χαρήσεται, καὶ αἱ νεφέλαι εὐφρανθήσονται καὶ ἡ γνῶσις κυρίου ἐκχυθήσεται ἐπὶ τῆς γῆς ὡς ὕδωρ θαλασσῶν, καὶ

οἱ ἄγγελοι τῆς δόξης καὶ τοῦ προσώπου κυρίου χαρήσονται ἐν αὐτῷ. οἱ οὐρανοὶ ἀνοιγήσονται, καὶ ἐκ τοῦ ναοῦ τῆς δόξης ἥξει ἐπ' αὐτὸν ἁγίασμα μετὰ φωνῆς πατρικῆς ὡς ἀπὸ Ἀβραὰμ πατρὸς Ἰσαάκ, καὶ δόξα ὑψίστου ἐπ' αὐτὸν ῥηθήσεται, καὶ πνεῦμα συνέσεως καὶ ἁγιασμοῦ καταπαύσει ἐπ' αὐτόν. ἐν τῷ ὕδατι αὐτὸς δώσει τὴν μεγαλοσύνην κυρίου τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ ἐν ἀληθείᾳ εἰς τὸν αἰῶνα. „Tunc suscitabit Deus sacerdotem novum, cui omnes sermones Domini revelabuntur, & ipse faciet judicium veritatis in terra in multitudine dierum, & orietur astrum ipsius in cœlo, sicut rex illuminans lumen cognitionis in sole diei, & magnificabitur in orbe terrarum, usque ad assumtionem ejus. Ipse resplendebit, sicut sol in terra, & tollet omnes tenebras sub cœlo, & erit pax in omni terra, ut aqua marium. Et angeli gloriæ & faciei Domini gaudebunt in eo. Cœli aperientur, & ex templo gloriæ veniet super illum sanctificatio cum voce paterna, sicut ab Abraham patre Isaac, & gloria altissimi super eum dicetur, & Spiritus intellectus & sanctificationis requiescet super ipsum. In aqua ipse dabit magnificentiam Domini Filiis suis in veritate in seculum." Hæc agnoscente ipso *Grabio* ita clare de Christo agunt, ut nihil clarius. Neque vero dicitur, vocem cœlitus delapsam ab Abrahamo profectam esse, sed vocem esse πατρικὴν, h. e. cœlestis Patris, *quasi ab Abrahamo*, sive in eum modum, ut *Abrahamus Isaacum*, non item ceteros ex *Hagara & Ketura* genitos filium suum μονογενῆ & fortunarum heredem declaravit. Et hanc esse credo mentem, *Jo. I.* 14. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Ubi gloriam Christi cum honore unigenito Filio dato comparat, quale exemplum notum esse oportuit Judæis, celebrius vero nullum est, quam de *Abrahamo* & filio ejus *Isaaco*.

Quam-

Quamquam enim haud ignoro, voculam ὡς a nonnullis accipi, non pro *similitudine*, sed pro *rei veritate*, neque inficior id aliquando fieri: hic tamen locum non videtur habere; nam lectorem oportuit scire aliquo exemplo, qualis sit honos unigenito Filio attributus, alioquin intelligere non potuit. Noli dicere, simile nimis esse indignum augustissima Christi persona, nam, hoc si contendas, nullum erit in rebus humanis simile, quod possit satis dignum esse; sed alia tamen similia haberi non possunt. His ita disputatis, unde clarere arbitror, auctorem libri Christianum esse, non inficetum hominem, sed qui cum antiquitates Judaicas probe calluerit, tum apprime peritus rerum eo usque in ecclesia Christiana gestarum, & pulchre sumta persona Patriarcharum, monita saluberrima dederit, constitutum nunc est, ea, quæ visa sunt, pulchriora, & in his aliqua, de divinitate Christi, Seculo I. & II. a Christianis certissime credita excerpere, quod spero non fore injucundum lectori.

Testam. Ruben. §. *VI.* *p.* 151. *fin.* jam exhibuimus: *Testam. Simeon.* §. 6. *p.* 156. Τότε Σὴμ ἐνδοξασθήσεται, ὅτι κύριος ὁ Θεὸς μέγας τῦ Ἰσραὴλ φαινόμενος ἐπὶ γῆς ὡς ἄνθρωπος, καὶ σώζων ἐν αὐτῷ τὸν Ἀδάμ. *Tunc Sem glorificabitur, quando Dominus Deus magnus Israël apparebit in terra ut homo, & salvabit in ipso Adam.* Sequitur: Τότε δοθήσονται πάντα τα πνεύματα τῆς πλάνης εἰς καταπάτησιν, καὶ οἱ ἄνθρωποι βασιλεύσουσι τῶν πονηρῶν πνευμάτων. Τότε ἀναστήσομαι ἐν εὐφροσύνῃ καὶ εὐλογήσω τὸν ὕψιστον ἐν τοῖς θαυμασίοις αὐτῦ, ὅτι ὁ Θεὸς σῶμα λαβὼν καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις ἔσωσεν αὐτύς. „*Tunc dabuntur omnes spiritus „erroris in conculcationem, & homines regnabunt super „perniciosos spiritus. Tunc resurgam in lætitia, & bene„dicam altissimum in mirabilibus ipsius, quoniam Deus „corpus assumens & comedens cum hominibus, salvabit „homines.*„ His explicandis, cum facile intelligantur, non immorabor, verum hoc non prætereundum his

ver-

verbis: σῶμα λαβὼν καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις, confirmari pulchram observationem Rev. *Ge. Raphelii*, ad *Jo. I.* 14. *p.* 122. sqq. observant. e *Xenophonte*. σκηνοῦν esse *cibum capere*. §. 7. *p.* 157. sic pergit Testamentorum scriptor: Ὅτι ἐξ αὐτῶν ἀνατελεῖ ὑμῖν τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. Ἀναστήσει γὰρ κύριος ἐκ τοῦ Λευὶ ὡς ἀρχιερέα, καὶ ἐκ τοῦ Ἰούδα ὡς βασιλέα, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον. οὗτος σώσει πάντα τὰ ἔθνη, καὶ τὸ γένος τοῦ Ἰσραήλ. *Quoniam ex ipsis* (tribubus *Levi & Juda*) *orietur vobis Salutare Dei. Suscitabit enim Dominus ex Levi tanquam Principem sacerdotum, & ex Juda, ut regem, Deum & hominem. Iste salvabit omnes gentes & genus Israël.* De origine Christi e gente Levitica, quoad maternam *Mariæ* prosapiam, quæ et *Elisabethæ Aaronis* filiæ cognata fuit, supra dicta nolo repetere. In *Testam. Levi*, §. 2. *p.* 159. Καὶ διὰ σοῦ καὶ Ἰούδα ὀφθήσεται κύριος ἐν ἀνθρώποις σώζων ἐν αὐτοῖς πᾶν γένος ἀνθρώπων. *Et per te & Judam apparebit Dominus hominibus salvans in ipsis omne genus hominum. p.* 160. §. 4. Νῦν οὖν γινώσκετε, ὅτι ποιήσει κύριος κρίσιν ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅτε τῶν πετρῶν σχιζομένων, καὶ τοῦ ἡλίου σβεννυμένου, καὶ τῶν ὑδάτων ξηραινομένων, καὶ τοῦ πυρὸς καταπτήσσοντος, καὶ πάσης κτίσεως κλονουμένης, καὶ τῶν ἀοράτων πνευμάτων τηκομένων, καὶ τοῦ ᾅδου σκυλευομένου ἐπὶ τῷ πάθει τοῦ ὑψίστου, οἱ ἄνθρωποι ἀπιστοῦντες ἐπιμένουσι. *Nunc ergo cognoscite, quoniam faciet Dominus judicium super filios hominum, quando petris scissis, sole extincto, aquis siccatis, igne tremente, & omni creatura turbata, invisibilibus spiritibus liquefactis, inferno spoliato, in passione Altissimi, homines increduli permanebunt.* Paullo post: Καὶ δοθήσεταί σοι σπέρμα εὐλογίας, καὶ παντὶ σπέρματί σου ἕως ἐπισκέψηται κύριος πάντα τὰ ἔθνη, ἐν σπλάγχνοις υἱοῦ αὐτοῦ ἕως αἰῶνος (εἰς αἰῶνα)

πλὴν

πλὴν οἱ υἱοί σου ἐπιβαλοῦσι χεῖρας ἐπ' αὐτὸν τοῦ ἀποσκολοπίσαι αὐτόν. *Tibique dabitur benedictio ac semini tuo, usque quo visitet Deus omnes gentes in visceribus misericordiæ filii ejus usque in seculum. Verum tamen filii tui imponent manus in ipsum, ad crucifigendum ipsum.* *P.* 161. §. 5. Καὶ ἤνοιξέ μοι ὁ Ἄγγελος τὰς πύλας τοῦ οὐρανοῦ, καὶ εἶδον τὸν ναὸν τὸν ἅγιον, καὶ ἐπὶ θρόνου δόξης τὸν ὕψιστον. Καὶ εἶπέ μοι: Λευὶ σοὶ δέδωκα τὰς εὐλογίας τῆς ἱερατείας, ἕως οὗ ἐλθὼν παροικήσω ἐν μέσῳ Ἰσραήλ. *Et aperuit mihi Angelus portas cœli, & vidi templum sanctum, & in throno gloriæ altissimum. Et dixit mihi: Levi, tibi dedi benedictiones sacerdotii, usque quo veniens habitabo in medio Israël.* *P.* 163. §. 8. præclarum testimonium sententiæ Christianorum, ejus ætatis, de *baptismate & cœna Domini.* ὁ δεύτερος ἔλουσέ με ὕδατι καθαρῷ, καὶ ἐψώμισέ ἄρτον καὶ οἶνον, ἅγια ἁγίων. *Secundus* (Angelorum, quos septem commentus fuerat sibi apparuisse) *lavit me aqua munda, & cibavit dans panem & vinum, scilicet Sancta Sanctorum.* ad quæ verba doctissimas notas *Grabii p.* 343. videre operæ pretium est. *P.* 164. Ὁ τρίτος, ἐπικληθήσεται αὐτῷ ὄνομα καινὸν, ὅτι βασιλεὺς ἐκ τοῦ Ἰούδα ἀναστήσεται, καὶ ποιήσει ἱερατείαν νέαν κατὰ τὸν τύπον τῶν ἐθνῶν, εἰς πάντα τὰ ἔθνη. ἡ δὲ παρουσία αὐτοῦ ἄφραστος, ὡς προφήτου ὑψηλοῦ ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ πατρὸς ἡμῶν. *Tertius ei vocabitur nomen novum, quoniam rex ex Juda exsurget, & faciet sacerdotium meum novum secundum typum gentium apud omnes populos.* (Ita paullo obscurius, ut decorum postulabat, idem vult, quod in Psalmo est, *secundum ordinem Melchisedech.*) *Adventus autem ipsius ineffabilis, ut Propheta Altissimi, ex semine Abraham Patris nostri.* *P.* 165. *fine:* ἀθῷός εἰμι ἀπὸ πάσης ἀσεβείας

ὑμῶν

ὑμῶν καὶ παραβάσεως, ἣν ποιήσετε ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων εἰς τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου ἀσεβοῦντες, πλανῶντες τὸν Ἰσραὴλ, καὶ ἐπεγείροντες αὐτῷ κακὰ μεγάλα παρὰ κυρίῳ, καὶ ἀνομήσετε σὺν τῷ Ἰσραὴλ, ὥστε μὴ βαστάσαι Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ προσώπου πονηρίας ὑμῶν. ἀλλὰ σχίσαι τὸ ἔνδυμα τοῦ ναοῦ, ὥστε μὴ κατακαλύπτειν ἀσχημοσύνην ὑμῶν &c. *Innocens sum ab omni impietate vestra, & transgressione, quam facietis in consummatione seculorum in Salvatorem mundi impie facientes, seducentes Israël, & suscitantes ei mala magna a Domino. Et inique facietis cum Israël, ut non subsistat Hierusalem a facie malitiæ vestræ; & scindetur velum templi, ut non velet deformitatem vestram, & dispergemini captivi in gentibus, & eritis opprobrium, maledictio & conculcatio. &c.* Sic p. 168. §. *XIV.* Καὶ γὰρ ὁ Πατὴρ ἡμῶν Ἰσραὴλ καθαρός ἐστιν ἀπὸ τῆς ἀσεβείας τῶν ἀρχιερέων, οἵτινες ἐπιβαλοῦσι τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐπὶ τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου. *Etenim Pater noster Israël mundus erit ab impietate principum Sacerdotum, qui imponent manus in Salvatorem mundi.* Sequuntur & alia pulchra, quæ omittimus. *P.* 169. fin. Καὶ ἄνδρα ἀνακαινοποιοῦντα τὸν νόμον ἐν δυνάμει ὑψίστου, πλάνον προσαγορεύσετε, καὶ τέλος, ὡς νομίζετε, ἀποκτενεῖτε αὐτὸν, οὐκ εἰδότες αὐτοῦ τὸ ἀνάστημα. *Et virum renovantem legem in virtute Altissimi erroneum appellabitis: & in fine, ut æstimabitis, occidetis eum, nescientes ipsius resurrectionem.* Non est suspicandum, auctorem nostrum credidisse mortem Christi *imaginariam;* quid enim fecisset *resurrectionis* mentionem? Sed hoc vult, Judæos putasse Christum plane periisse. *P.* 171. fin. sunt ea verba, quæ supra explicavimus, de voce cœlitus delapsa. *P.* 185. fin. non tacendum est testimonium de

Spiritu S. Ἐπίγνωτε ἦν τέκνα μου ὅτι δύο πνεύματα σχολάζουσι τῷ ἀνθρώπῳ, τὸ τῆς ἀληθείας καὶ τὸ τῆς πλάνης. &c. *Cognoscite ergo, filii mei, quoniam duo spiritus vacant homini, Spiritus veritatis & spiritus erroris.* Paullo post: p. 186. Καὶ τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας μαρτυρεῖ πάντα καὶ κατηγορεῖ πάντων. *Et Spiritus veritatis testimonium perhibet de omnibus, & accusat omnia.* P. 187. §. XXII. Ἕως τοῦ ἐλθεῖν τὸ σωτήριον τῷ Ἰσραὴλ, ἕως παρουσίας τοῦ Θεοῦ τῆς δικαιοσύνης, τοῦ ἡσυχάσαι τὸν Ἰακὼβ ἐν εἰρήνῃ, καὶ πάντα ἔθνη. Καὶ αὐτὸς φυλάξει κράτος βασιλείας μου ἕως αἰῶνα. *Donec veniat Salutare Israël, usque ad adventum Dei justitiæ, ut quiescant Jacob in pace & omnes gentes. Et ipse custodiet pacem regni mei usque in seculum.* P. 188. §. XXIV. Καὶ μετὰ ταῦτα ἀνατελεῖ ὑμῖν ἄστρον ἐξ Ἰακὼβ ἐν εἰρήνῃ, καὶ ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματός μου, ὡς ἥλιος δικαιοσύνης, συμπορευόμενος τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων ἐν πραότητι καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ πᾶσα ἁμαρτία οὐχ εὑρεθήσεται ἐν αὐτῷ. Καὶ ἀνοιγήσονται ἐπ᾽ αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ ἐκχέαι πνεῦμα, εὐλογίαν πατρὸς ἁγίου. Καὶ αὐτὸς ἐκχεεῖ πνεῦμα χάριτος ἐφ᾽ ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθε αὐτῷ εἰς υἱοὺς ἐν ἀληθείᾳ καὶ πορεύσεσθε ἐν προστάγμασι αὐτοῦ πρώτοις καὶ ἐσχάτοις. οὗτος ὁ βλαστὸς Θεοῦ ὑψίστου, καὶ αὕτη ἡ πηγὴ εἰς ζωὴν πάσης σαρκός. *Et posthac orietur vobis astrum ex Jacob, in pace, & exsurget homo ex semine meo, ut sol justitiæ, ambulans cum filiis hominum in mansuetudine, & justitia, & omne peccatum non invenietur in eo. Et aperientur super ipsum cœli, ad effundendum Spiritum, benedictionem a Sancto Patre. Et ipse effundet Spiritum gratiæ super vos, & eritis ejus Filii in veritate.*

veritate. Ambulabitis in preceptis illius primis & ultimis. Hic est germen Dei Altissimi, & hic est fons vita omni carni. P. 203. initio: Καὶ μετὰ ταῦτα ἀνατελεῖ ὑμῖν αὐτὸς κύριος φῶς δικαιοσύνης, καὶ ἴασις καὶ εὐσπλαγχνία ἐπὶ ταῖς πτέρυξιν αὐτοῦ. *Et posthac orietur vobis ipse Dominus, lumen justitia & sanitas & misericordia in pennis ejus. P. 208. media:* Καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα καὶ Λευὶ τὸ σωτήριον κυρίου. Καὶ αὐτὸς ποιήσει πρὸς τὸν Βελιὰρ πόλεμον, καὶ τὴν ἐκδίκησιν τοῦ νίκους δώσει πέρασιν ὑμῶν ----- καὶ οὐκέτι ὑπομένει Ἱερουσαλὴμ ἐρήμωσιν, οὐδὲ αἰχμαλωτίζεται Ἰσραὴλ, ὅτι κύριος ἔσται ἐν μέσῳ αὐτῆς τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφόμενος, καὶ ἅγιος Ἰσραὴλ βασιλεύων ἐπ' αὐτοὺς ἐν ταπεινώσει, καὶ ἐν πτωχείᾳ. Καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ βασιλεύσει ἐν ἀληθείᾳ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Et orietur vobis ex tribu Juda & Levi Salutare Domini. Ipse faciet adversus Beliar prelium, & ultionem victoria dabit juvenibus nostris.* (sic latina versio, cum verti oportuisset; *finibus nostris.*) —— *Non amplius sustinebit Hierusalem desolationem, neque captivabitur Israël, quoniam Dominus erit in medio ejus, cum hominibus conversatus, & sanctus Israel regnans super ipsos in humilitate & paupertate. Et, qui credit in eum, regnabit in veritate in cœlis. P. 216. §. VIII.* Διὰ γὰρ τὸν Ἰούδα, ἀνατελεῖ σωτηρία τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ἐν αὐτῷ εὐλογηθήσεται Ἰακώβ. διὰ γὰρ τοῦ σκήπτρου αὐτοῦ ὀφθήσεται Θεὸς κατοικῶν ἐν ἀνθρώποις ἐπὶ τῆς γῆς σῶσαι τὸ γένος Ἰσραήλ. Καὶ ἐπισυνάξαι δικαίους ἐκ τῶν ἐθνῶν. Per Judam enim orietur Salus Israël, & in ipso benedicetur Jacob. Per sceptrum enim ejus apparebit Deus, habitans inter homines in terra, ut salvet genus Israël, & congregabit

justos ex gentibus. *P.* 224. §. *VIII.* Ὅπως τιμήσωσιν Ἰοῦδαν καὶ Λευὶ, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἀνατελεῖ ὑμῖν κύριος σωτὴρ τῷ Ἰσραήλ. *Ut honorent Judam & Levi, quoniam ex iis oriri faciet Dominus Salvatorem Israël. P.* 228. §. *VII.* Ἕως ὅ ὁ ὕψιστος ἐπισκέψεται τὴν γῆν, καὶ αὐτὸς ἐλθὼν ὡς ἄνθρωπος ἐσθίων καὶ πίνων μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ συντρίβων τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος. δι' ὕδατος οὗτος σώσει τὸν Ἰσραὴλ καὶ πάντα τὰ ἔθνη. *Usque quo Altissimus visitaverit terram, & veniens ut homo, cum hominibus manducans & bibens, & in silentio conterens caput Draconis. Per aquam hic salvabit Israël, & omnes gentes. P.* 243. §. *XIX.* Καὶ εἶδον ὅτι ἐκ τοῦ Ἰούδα ἐγεννήθη παρθένος ἔχουσα στολὴν βυσσίνην, καὶ ἐξ αὐτῆς προῆλθεν ἀμνὸς ἄμωμος, καὶ ἐξ ἀριστερῶν αὐτοῦ ὡς λέων. Καὶ πάντα τὰ θηρία ὥρμων κατ' αὐτοῦ καὶ ἐνίκησεν αὐτὰ ὁ ἀμνὸς καὶ ἀπώλεσεν εἰς καταπάτησιν, καὶ ἔχαιρον ἐπ' αὐτῷ οἱ Ἄγγελοι καὶ οἱ ἄνθρωποι, καὶ πᾶσα ἡ γῆ. ---- καὶ τιμᾶτε τὸν Ἰοῦδαν καὶ τὸν Λευὶ, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἀνατελεῖ ὑμῖν ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, χάριτι σώζων πάντα τὰ ἔθνη, καὶ τὸν Ἰσραήλ. ἡ γὰρ βασιλεία αὐτοῦ βασιλεία αἰώνιος, ἥτις οὐ παρασαλεύσεται. *Et vidi, quoniam ex Juda nata est virgo, habens stolam byssinam, & ex ipsa prodiit agnus immaculatus, & a sinistris ejus agni, ut leo & omnes bestiæ impetum fecerunt adversus eum, & vicit eas agnus, & perdidit in conculcationem & gaudebant in eo Angeli & homines, & omnis terra. —— Honorate Judam & Levi, quoniam ex ipsis orietur vobis agnus Dei, gratia salvans omnes gentes & Israël. Regnum ejus regnum æternum, quod non præteribit. P.* 246. §. 3. Πληρωθήσεται ἐπί σοι προφητεία οὐρανοῦ περὶ τοῦ ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ

καὶ

καὶ σωτῆρος τοῦ κόσμου, ὅτι ἄμωμος ὑπὲρ ἀνόμων παραδοθήσεται καὶ ἀναμάρτητος ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀποθανεῖται ἐν αἵματι διαθήκης ἐπὶ σωτηρίᾳ Ἰσραὴλ καὶ τῶν ἐθνῶν. *Adimplebitur in te prophetia cœli de agno Dei & Salvatore mundi, quoniam immaculatus pro iniquis tradetur, &, qui sine peccato est, pro impiis morietur in sanguine testamenti in salutem gentium & Israël. P. 250. med.* Πλὴν ἐν μερίδι ἡμῶν γενήσεται ναὸς Θεοῦ, καὶ ἔνδοξος ἔσαι ἐν ὑμῖν, ὅτι αὐτὸς λήψεται αὐλὴν, καὶ δώδεκα φυλαὶ ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἕως οὗ ὁ ὕψισος ἀποσείλῃ τὸ σωτήριον αὐτοῦ ἐν ἐπισκοπῇ μονογενοῦς, καὶ εἰσελεύσεται εἰς τὸν πρῶτον ναὸν (al. ὑπὲρ τὸν πρῶτον ναὸν) καὶ ἐκεῖ κύριος ὑβρισθήσεται, καὶ ἐπὶ ξύλου ὑψωθήσεται. Καὶ ἔσαι τὸ ἅπλωμα τοῦ ναοῦ σχιζόμενον καὶ μεταβήσεται τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τὰ ἔθνη, ὡς πῦρ ἐκχυνόμενον. Καὶ ἀνελθὼν ἐκ τοῦ ᾅδου ἔσαι ἀναβαίνων ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανόν. Ἔγνων δὲ οἷος ἔσαι ταπεινὸς ἐπὶ τῆς γῆς καὶ οἷος ἔνδοξος ἐν οὐρανῷ. *Verum tamen in parte nostra fiet templum* (nam & alii tradunt in terra tribus *Benjamin* templum positum,) *Dei, & gloriosum erit in vobis, quoniam ipse Dominus accipiet regnum, & duodecim tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, usque quo altissimus mittat suum salutare in visitatione unigeniti, & ingredietur in primum templum, & illic Dominus injuriam patietur, & contemnetur, & in ligno exaltabitur, & erit velum templi scissum. Et descendet Spiritus Domini super gentes, ut ignis effusus. Et ascendens ex inferno, ascendet a terra in cœlum. Cognovi autem qualis futurus sit humilis in terra, & qualis, gloriosus in cœlis. p. 251. med.* προσκυνοῦντες τὸν βασιλέα τῶν οὐρανῶν, τὸν ἐπὶ

γῆς φανέντα, ἐν μορφῇ ἀνθρώπου ταπεινώσεως. *Adorantes regem coelorum, qui in terris apparuit in forma humana humilitatis.* Denique *p.* 252. leguntur aliqua, quæ de *Paullo* Apostolo satis clare agunt. Nos quidem tot illustrissima de Christi divinitate testimonia, nam ὕψιστος, & *ipse Deus*, sæpius vocatur; tum de incarnatione, de passione, & sic porro, item de verbo ejus & Sacramentis, de redemtionis universalitate, summa putamus attentione digna esse in homine, qui serius, quam altero seculo a nato Christo non scripsit, fortasse ipso primo. Hinc enim patet, adeo non verum esse, quod de publica fide primorum seculorum ex suo ingenio nobis narrant Sociniani, ut potius hodierna nostra fides eadem sit, quæ illorum.

Quamquam argumentum, in quo versamur, pulcherrimum & augustum est, tamen fere tædium obrepit aggerandorum testimoniorum plurium, maxime, cum verum sit, quod ajunt: qui decem argumentis non movetur, eum nec motum iri centenis. Paucis ergo singulorum Patrum priorum seculorum, qui supersunt, & hodie in Scriptis suis vivunt, singula recitabo testimonia. *Athenagoras, legat. pro Christianis, p.* 10. cum monuisset, non esse ridendum, quando Christiani Deo Filium tribuunt, non fieri hoc more Ethnicorum, subjicit: Ἀλλ' ἐστιν ὁ υἱὸς Θεοῦ, λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ. πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. ὄντος δὲ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Post pauca: Καί τοι καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα, ἀπόρροιαν εἶναί φαμεν τοῦ Θεοῦ, ἀποῤῥέον καὶ ἐπαναφερόμενον, ὡς ἀκτῖνα ἡλίου. τίς οὖν οὐκ ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν Θεὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον,

ον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; „Sed Filius Dei eſt verbum Patris in idea & efficacia. Ab „ipſo enim & per ipſum facta ſunt omnia, quum Pater „& Filius unum ſint, ita, ut Filius ſit in Patre, & Pater „in Filio, per unionem & potentiam Spiritus. Siquidem „mens & verbum Dei Filius Dei eſt. --- Quamquam & „ipſum Spiritum Sanctum, agentem in illis, qui prophe-„ticos ſermones fundunt, ita a Deo emanare, ad ipſum-„que reflecti dicimus, ut emiſſi a ſole radii reciprocant: „Quis igitur non miretur, nos, qui Deum Patrem prædi-„camus, & Deum Filium, & Spiritum S. ita, ut & unionis „eorum vim & ordinis diſtinctionem exponamus, impi-„os & ſine Deo homines, vocari?„ Sic *Athenagora* verba *Conrad. Geſnerus* tranſtulit. *Cyprianus de oratione domi-nica p. m.* 272. „In orationibus vero celebrandis inveni-„mus obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, „& in captivitate victores, horam tertiam, ſextam, no-„nam, Sacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in noviſſimis „temporibus manifeſtari habebat.„ Ex *Ireneo*, quem laudavi tota hac opella ſæpius, primum de Chriſto, tum & de Spiritu Sancto egregium locum huc transfe-ram: *L. III. c.* 18. *p.* 174. „Ceterum poterat dicere „*Matthæus*: JEſu vero generatio ſic erat; ſed providens „Spiritus Sanctus depravatores, & præmuniens contra „fraudulentiam eorum, per *Matthæum* ait: *Chriſti au-„tem generatio ſic erat.* Et quoniam hic eſt *Emanuel*, ne „forte tantum eum hominem putaremus, non enim ex vo-„luntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex voluntate „Dei verbum caro factum eſt. Neque alium quidem „JEſum ſuſpicemur fuiſſe, ſed unum & eundem ſciremus „Deum eſſe: hoc ipſum interpretatus eſt Paullus Apo-„ſtolus JEſu Chriſti; prædeſtinatus in Evangelium, quod „promiſit per Prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis de Fi-„lio ſuo, qui factus eſt ei de ſemine *David* ſecundum

„carnem, qui est Deus super omnes benedictus in secula. &c.„ *P.* 179. *Cap. XIX.* cum sub finem præcedentis capitis dixisset *Irenæus*: *Ipse enim verbum Dei, ipse unigenitus a Patre, Christus JEsus Deus noster*: sic pergit: „Quod autem erat, hoc & dixerunt, Spiritum Dei sicut „columbam, descendisse in eum, hunc Spiritum Dei, de „quo ab *Esaia* dictum est: *Et requiescet super me Spiritus Dei*, sicut prædiximus. Et iterum: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me.* Iste Spiritus, de „quo ait Dominus: Non enim vos estis, qui loquimini, „sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ite-„rum potestatem regenerationis & Deum dans (nescio „cur *Erasmus* sine codicum auctoritate legi voluerit *eis demandans*) discipulis, dicebat eis: Euntes docete „omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii „& Spiritus Sancti. Hunc enim promisit per Prophetas „effundere se in novissimis temporibus super servos & „ancillas, ut prophetent, unde & in Filium Dei filium „hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habi-„tare, in genere humano, & requiescens in hominibus „& habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans „in ipsis, & renovans eos a vetustate in novitatem Chri-„sti. Hunc Spiritum petit *David* humano generi dicens: „& Spiritu principali confirma me. Quem & descen-„disse *Lucas* ait, post adscensum Domini super discipu-„los in Pentecosten, habentem potestatem omnium gen-„tium ad introitum vitæ & apertionem Novi Testamen-„ti.„ Hunc locum, quo Spiritum S. *Deum* vocat *Irenæus*, & ut de peculiari persona a Patre & Filio distincta, clarissime loquitur, eidemque potestatem omnium gentium attribuit, probe observandum arbitror, quoniam doctissimi auctores *Centuriarum Magdeburg. Centur. II. p.* 39. *b.* postquam seculo secundo viguisse orthodoxam de divinitate Christi sacrosanctaque Trinitate sententiam observassent, hæc scripsere: In *Irenæo solo mirari hoc possis, quod Spiritum Sanctum nusquam quidem expresse videtur*

tur vocare Deum, etiamsi ei operum divinorum potentiam, ut creationis, reverenter tribuat, ac nusquam etiam divinitatem ejus ex professo oppugnet. Quod ajunt, tribuere *Irenaum* palam creationem mundi Spiritui Sancto, respicere videntur ad *L. IV. c.* 17. *p.* 217. Verba hæc sunt: *Hic enim Filius, qui & verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente Patre angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat, neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant, sed habente copiosum & inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies & figuratio sua, id est, Filius & Spiritus, verbum & sapientia, quibus serviunt & subjecti sunt omnes angeli.* Ut vero præcludatur exceptio illis, qui Filium & Spiritum Sanctum tanquam ministros creatos ante omnia & extra essentiam divinam esse dicere possent, observanda sunt ejusdem *Irenai* verba; eadem *pag. 317. Et talem vel tantam dispositionem non per alienas, sed per suas efficiebat conditiones, neque per ea, quæ ex ignorantia & labe facta sunt, sed per ea, quæ ex sapientia & virtute Patris ejus substantiam habuerunt. Neque enim iniquus, ut aliena concupiscat, neque indigens, ut non per sua propria suis propriis efficiat vitam, sua autem conditione, ad hominis salutem &c.*

E *Tertulliano* enotare lubet pulchra verba *de carne Christi p.* 26. „Dictus est quidem magni consilii Angelus, „id est nuncius; officii non naturæ vocabulo. Magnum „enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione „adnunciaturus seculo erat. Non ideo tamen sic angelus „intelligendus, ut Gabriel aut Michaël, nam & Filius „a Domino vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli, „de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex fa„mulis deputabitur Filius, quia famulorum successit offi„cio. Facilius ego dicam, si forte ipsum Filium ange-

"lum (scil. dixero), id est, nuncium Patris, quam ange-
"lum in Filio. Sed, cum de Filio ipso sit pronunciatum:
"minuisti eum modico quid citra angelos, quomodo
"videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus,
"dum homo fit, qua caro & anima & Filius hominis?
"Quia autem Spiritus Dei & virtus Altissimi non potest
"infra angelos haberi, Deus scilicet & Dei Filius. -----
"Poterit hæc opinio *Ebioni* convenire, qui nudum ho-
"minem & tantum ex semine *David*, non item & Dei Fi-
"lium constituit JEsum. ----- Sed nec quotidianum il-
"lud omnium Prophetarum: Hæc dicit Dominus. Ipse
"enim erat Dominus, coram ex sua auctoritate pronun-
"cians: *Ego autem dico vobis*. Quid ultra? Ad hæc
"*Esaiam* exclamantem audi: Non angelus, neque lega-
"tus, sed ipse Dominus salvos eos fecit." *Adversus Pra-
xean: p.* 447. "Hic interim acceptum a Patre munus ef-
"fudit Spiritum Sanctum, tertium nomen Divinitatis,
"unius prædicatorem monarchiæ, sed & œconomiæ in-
"terpretatorem. Si quis sermones novæ prophetiæ ad-
"miserit & deductoris omnis veritatis, quæ est in Patre &
"Filio & Spiritu Sancto secundum Christianum Sacra-
"mentum. Ceterum Judaicæ fidei ista res: Sic unum
"Deum credere, ut Filium ei adnumerare nolis, & post
"Filium Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos,
"nisi differentia ista? Quod opus Evangelii, quæ est sub-
"stantia Novi Testamenti, statuens legem & Prophetas
"usque ad *Joannem*, si non exinde Pater & Filius & Spi-
"ritus tres crediti unum Deum sistunt? Sic Deus voluit
"novare Sacramentum, ut nove unus crederetur, qui &
"retro per Filium & Spiritum prædicatus, non intellige-
"batur. Viderint ergo Antichristi, qui negant Patrem
"& Filium. Negant enim Patrem, dum eundem Filium
"dicunt, & negant Filium, dum eundem Patrem credunt,
"dando illis, quæ non sunt, auferendo, quæ sunt." Si
hoc voluisset *Tertullianus*, nunc demum revelatum esse
mysterium Trinitatis Patribus incognitum, erraret uti-
que; sed palam est hoc velle, non agnitum vulgo fuisse

Judæis,

Judæis, qui tum & paullo ante fuerant, nam *retro* h. e. præcedentibus temporibus *Deum per Filium & Spiritum prædicatum* esse, h. e. in Scriptura declaratum, Deum non Patrem modo sed & Filium & Spiritum S. esse; etsi id vulgo agnitum negat, diserte fatetur.

Justini Martyris orthodoxiam, in hoc, quod agimus, capite vindicavit peculiari libro *Christianus Nifanius*, adversus *Christophori Sandii* absurdum conatum omnes antiquos Arrianis suis asserendi, *anno* 1688. edito. Idem, neque solum de *Justino*, sed & ceteris præstitit *Samuel Gardinerus*, libro *Londini an.* 1675. evulgato: *Catholica circa S. S. Trinitatem fidei delineatio:* Nos excerpimus e multis pulchrum locum Apolog. II. p. 96. Οἱ γὰρ τὸν υἱὸν πατέρα φάσκοντες εἶναι, ἐλέγχονται μήτε τὸν πατέρα ἐπιστάμενοι, μήθ' ὅτι ἐστὶν υἱὸς τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, γινώσκοντες, ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸς ὑπάρχει, καὶ πρότερον διὰ τῆς τοῦ πυρὸς μορφῆς καὶ εἰκόνος ἀσωμάτου τῷ Μωσεῖ καὶ τοῖς ἑτέροις προφήταις ἐφάνη, νῦν δ' ἐν χρόνοις τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς, ὡς προείπομεν, διὰ παρθένου ἄνθρωπος γενόμενος. κ. τ. λ. Hic observa: Christum ideo, quod sit primogenitus Dei, & ipsum *Deum* esse, in tempore ceptæ monarchiæ Romanæ, e virgine hominem factum, eundem in nubo Mosi apparuisse, mortem, moriendo & resurgendo, vicisse. *Origenis* quam fuerit orthodoxa de hoc capite sententia, juvabit *Athanasii* hunc virum & antiquos omnes merito sibi vindicantis, verba audire: *Tom. I. p.* 227. *edit. Lipsiens. an.* 1686. Περὶ δὲ τοῦ ἀϊδίως συ. εἶναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶναι, ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἔξεστιν πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τοῦ φιλοπόνου ὠριγένους, ἃ μὲν γὰρ ὡς ζητῶν καὶ γυμνάζων ἔγραψε, ταῦτα μὴ ὡς αὐτοῦ φρονοῦντος δεχέσθω τις ἀλλὰ τῶν πρὸς ἔριν φιλονεικούντων ἐν τῷ ζητεῖν,

ἀδεῶς

„lum (scil. dixero), id est, nuncium Patris, quam ange-
„lum in Filio. Sed, cum de Filio ipso sit pronunciatum:
„minuisti eum modico quid citra angelos, quomodo
„videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus,
„dum homo fit, qua caro & anima & Filius hominis?
„Quia autem Spiritus Dei & virtus Altissimi non potest
„infra angelos haberi, Deus scilicet & Dei Filius, -----
„Poterit hæc opinio *Ebioni* convenire, qui nudum ho-
„minem & tantum ex semine *David*, non item & Dei Fi-
„lium constituit JEsum. ----- Sed nec quotidianum il-
„lud omnium Prophetarum: Hæc dicit Dominus. Ipse
„enim erat Dominus, coram ex sua auctoritate pronun-
„cians: *Ego autem dico vobis.* Quid ultra? Ad hæc
„*Esaiam* exclamantem audi: Non angelus, neque lega-
„tus, sed ipse Dominus salvos eos fecit.„ *Adversus Pra-
xean: p. 447.* „Hic interim acceptum a Patre munus ef-
„fudit Spiritum Sanctum, tertium nomen Divinitatis,
„unius prædicatorem monarchiæ, sed & œconomiæ in-
„terpretatorem. Si quis sermones novæ prophetiæ ad-
„miserit & deductoris omnis veritatis, quæ est in Patre &
„Filio & Spiritu Sancto secundum Christianum Sacra-
„mentum. Ceterum Judaicæ fidei ista res: Sic unum
„Deum credere, ut Filium ei adnumerare nolis, & post
„Filium Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos,
„nisi differentia ista? Quod opus Evangelii, quæ est sub-
„stantia Novi Testamenti, statuens legem & Prophetas
„usque ad *Joannem*, si non exinde Pater & Filius & Spi-
„ritus tres crediti unum Deum sistunt? Sic Deus voluit
„novare Sacramentum, ut nove unus crederetur, qui &
„retro per Filium & Spiritum prædicatus, non intellige-
„batur. Viderint ergo Antichristi, qui negant Patrem
„& Filium. Negant enim Patrem, dum eundem Filium
„dicunt, & negant Filium, dum eundem Patrem credunt,
„dando illis, quæ non sunt, auferendo, quæ sunt.„ Si
hoc voluisset *Tertullianus*, nunc demum revelatum esse
mysterium Trinitatis Patribus incognitum, erraret uti-
que; sed palam est hoc velle, non agnitum vulgo fuisse

Judæis,

Judæis, qui tum & paullo ante fuerant, nam *retro* h. e. præcedentibus temporibus *Deum per Filium & Spiritum prædicatum* esse, h. e. in Scriptura declaratum, Deum non Patrem modo sed & Filium & Spiritum S. esse; etsi id vulgo agnitum negat, diserte fatetur.

Justini Martyris orthodoxiam, in hoc, quod agimus, capite vindicavit peculiari libro *Christianus Nifanius*, adversus *Christophori Sandii* absurdum conatum omnes antiquos Arrianis suis asserendi, *anno* 1688. edito. Idem, neque solum de *Justino*, sed & ceteris præstitit *Samuel Gardinerus*, libro *Londini an.* 1675. evulgato: *Catholica circa S. S. Trinitatem fidei delineatio.* Nos excerpimus e multis pulchrum locum Apolog. II. p. 96. Οἱ γὰρ τὸν υἱὸν πατέρα φάσκοντες εἶναι, ἐλέγχονται μήτε τὸν πατέρα ἐπιστάμενοι, μήθ' ὅτι ἐστὶν υἱὸς τῷ πατρὶ τῶν ὅλων, γινώσκοντες, ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸς ὑπάρχει, καὶ πρότερον διὰ τῆς τοῦ πυρὸς μορφῆς καὶ εἰκόνος ἀσωμάτου τῷ Μωσεῖ καὶ τοῖς ἑτέροις προφήταις ἐφάνη, νῦν δ' ἐν χρόνοις τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς, ὡς προείπομεν, διὰ παρθένου ἄνθρωπος γενόμενος. κ. τ. λ. Hic observa: Christum ideo, quod sit primogenitus Dei, & ipsum *Deum* esse, in tempore ceptæ monarchiæ Romanæ, e virgine hominem factum, eundem in nubo Mosi apparuisse, mortem, moriendo & resurgendo, vicisse. *Origenis* quam fuerit orthodoxa de hoc capite sententia, juvabit *Athanasii* hunc virum & antiquos omnes merito sibi vindicantis, verba audire: *Tom. I. p.* 227. *edit. Lipsiens. an.* 1686. Περὶ δὲ τοῦ ἀϊδίως συνεῖναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶναι, ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἔξεστι πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τοῦ φιλοπόνου Ὠριγένους, ἃ μὲν γὰρ ὡς ζητῶν καὶ γυμνάζων ἔγραψε, ταῦτα μὴ ὡς αὐτοῦ φρονοῦντος δεχέσθω τις, ἀλλὰ τῶν πρὸς ἔριν φιλονεικούντων ἐν τῷ ζητεῖν

ἀδεῶς

ἀϊδίως ὁρίζων ἀποφαίνεται. Τοῦτο τοῦ φιλοπόνου τὸ φρόνημά ἐστιν. μετὰ οὖν τὰ ὡς ἐν γυμνασίᾳ λεγόμενα πρὸς τοὺς αἱρετικοὺς εὐθὺς αὐτὸς ἐπιφέρει τὰ ἴδια, λέγων οὕτως. Εἰ ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, ἀόρατος εἰκών. Ἐγὼ δὲ τολμήσας προσθείην ἄν, ὅτι καὶ ὁμοιότης τυγχάνων τοῦ πατρὸς οὐκ ἐστιν, ὅτε οὐκ ἦν. Πότε γὰρ ὁ Θεὸς ὁ κατὰ τὸν Ιωάννην φῶς λεγόμενος, ὁ Θεὸς γὰρ φῶς ἐστιν, ἀπαύγασμα οὐκ εἶχε τῆς ἰδίας δόξης. ---- Καὶ πάλιν ἐν ἑτέροις οὕτω λέγει· ἀλλ' οὐ θέμις ἐστὶν οὐδὲ ἀκίνδυνον διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν. τὸ ὅσον ἐφ' ἡμῖν ἀποστερεῖσθαι τὸν Θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ λόγου μονογενοῦς σοφίας ὄντος, ᾗ προσέχαιρεν· οὕτω γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθήσεται. Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν. ὑμεῖς δὲ ὦ νέοι Ιουδαῖοι καὶ τοῦ Καϊάφα μαθηταὶ τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι πατέρας; ἀλλ' οὐδένα τῶν φρονίμων καὶ σοφῶν ἂν εἴποιτε. Πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται πλὴν μόνου τοῦ διαβόλου. μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποστασίας πατὴρ γέγονεν, ὁ καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ὑμῖν ἐπισπείρας τὴν ἀσέβειαν ταύτην, καὶ νῦν λοιδορεῖν τὴν οἰκουμενικὴν σύνοδον πείσας ὑμᾶς, ὅτι μὴ τὰ ὑμέτερα, ἀλλὰ ταῦτα γεγράφασιν, ἅπερ οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου γενόμενοι παραδεδώκασιν.

„Verbum porro æternaliter esse cum *Patre*, neque alte-„rius essentiæ, aut substantiæ, *Patris*que sui proprium „Filium, ut sancitum est ab illis, qui synodo interfue-„runt, licebit denuo ex laborioso illo *Origene* audire. „Quæ enim disputandi certandique gratia scripsit, ea „non, quasi ipse ita sentiat, accipienda sunt. Sed eo-

„rum,

„rum, qui contentiosius disputant, mentem secure defi-
„nire palam est. Post illa ergo, quæ certandi gratia,
„quasi in palæstra, adversus hæreticos adduxerat, statim
„ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit. Si est, inquit,
„ulla imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibi-
„lis fuerit. Immo hoc quoque ausim addere: cum sit
„ille similitudo Patris, fieri non posse, ut fuerit (tem-
„pus) quando non fuerit. Quando enim Deus, qui se-
„cundum *Joannem* Evangelistam lux dicitur, *Deus enim*
„*lux est*, splendore caruit suæ majestatis, ut quis audeat
„Filio principium adscribere, quasi antea nondum exi-
„stenti? ----- Idem *Origenes* alibi dicit: Sed fas non
„est, neque periculo caret, ob infirmitatem nostram,
„quantum in nobis est, spoliare Patrem unigenito suo
„semper secum existente verbo, spoliare item eum sua
„sapientia, in qua lætabatur. Inde enim colligeretur,
„eum non semper lætatum fuisse. Ecce nos demonstra-
„mus istiusmodi sententiam a patribus ad patres quasi
„per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi & di-
„scipuli *Caiphæ*, quos verborum vestrorum patres ac ma-
„jores demonstrabitis, cum ne unum quidem ex pru-
„dentibus & doctis auctorem citare possitis? Cuncti
„enim vos, præter diabolum istius vobis a Christo de-
„fectionis auctorem, aversantur, ille & olim vobis hanc
„impietatem inseruit, & nunc vobis auctor est, ut orbis
„terrarum concilium vituperetis, non alia de caussa, quam
„quod in eo concilio, non quæ vestræ factioni patroci-
„nantur, sed illa sint scripta, quæ ab initio ipsi, qui te-
„stes oculati & ministri verbi fuerunt, tradiderunt. „
Non ignoro quidem, quod hodie etiam fieri videmus, fa-
ctum & olim esse, ut litigantium utraque pars, in suarum
opinionum societatem vel trahere vel rapere velit eos au-
ctores, quorum præcipua est existimatio. Sed pellucet
tamen veritas, & hoc quidem in negotio, non nisi apertis
oculis & vigilante animo opus habemus, ut quæ catho-
lica fides fuerit, pervideamus. Hanc in rem non erit ab

re audire *Eusebium, Hist. Eccl. L. V. cap. XXVII. &* *XXVIII.* cujus observatu dignissima verba, supra exhibita huc repeti a lectore velim.

Legi alicubi, *Basilium* quoque, Græcorum patrum maximum, suspectum aliquibus esse non agnitæ divinitatis Spiritus Sancti, quoniam vocabulum *Deus in casu recto*, saltem non sæpe, de eo usurpat. Ad quod crimen refellendum satis erit, quædam ex *epistola ejus octogesima ad Eustathium* medicum, huc describere: *p.* 334. *edit. Basileens.* 1551. Ἀλλ' ἐκκαλύπτουσι φανερώτερον τὸν τοῦ λόγου σκοπόν. Ἐπὶ μὲν τοῦ πατρὸς καταδέχεσθαι τὸν Θεὸν εἶναι, καὶ τὸν υἱὸν ὡσαύτως τιμᾶσθαι τῷ τῆς Θεότητος ὀνόματι συντιθέμενοι. Τὸ δὲ πνεῦμα πατρὶ καὶ υἱῷ συναριθμούμενον μηκέτι καὶ τῇ τῆς Θεότητος ἐννοίᾳ συμπαραλαμβάνεσθαι, ἀλλ' ἐκ πατρὸς μέχρι τοῦ υἱοῦ ἱσαμένην τὴν τῆς Θεότητος δύναμιν, ἀποκρίνειν τῆς θεϊκῆς δόξης τὴν φύσιν τοῦ πνεύματος. οὐκοῦν ἀπολογητέον καὶ ὑμῖν ὡς ἂν οἷοί τε ὦμεν διὰ βραχέων, καὶ πρὸς ταύτην τὴν ἔννοιαν. Τίς οὖν ὁ ἡμέτερος λογος; παραδιδοὺς ὁ κύριος τὴν σωτήριον πίστιν τοῖς μαθητευομένοις τῷ λόγῳ, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ συνάπτει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Τὸ δὲ συνημμένον ἅπαξ, διὰ πάντων φαμὲν τὴν συνάφειαν ἔχειν. οὐ γὰρ ἔν τινι συντεταγμένον ἐν ἑτέροις ἀποσχοινίζεται. ἀλλ' ἐν ζωοποιοῦ δυνάμει καθ' ἣν ἐκ τοῦ φθαρτοῦ βίου εἰς ἀθανασίαν ἡ φύσις ἡμῶν κατασκευάζεται, συμπαραληφθεῖσα ἡ τοῦ πνεύματος δύναμις πατρὶ καὶ υἱῷ, καὶ ἐν πολλοῖς ἑτέροις, οἷον ἐν τῇ κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἐννοίᾳ καὶ τὸ ἅγιον καὶ ἀΐδιον, σοφὸν, εὐθὲς, ἡγεμονικὸν, δυνατόν. Καὶ πανταχοῦ δηλονότι τὸ ἀχώριστον ἔχει ἐν πᾶσι τοῖς πρὸς τὸ κρεῖττον

ὑπονο-

ὑποπεπληρωμένοις ὀνόμασι καὶ τὴν συνάφειαν. „Verum „detegunt adhuc manifestius orationis scopum, in Patre „quidem admittere Deum esse, & Filium similiter Dei„tatis nomine coli assentientes; Spiritum Sanctum „vero, dum Patri & Filio connumeratur, non ampli„us etiam Deitatis notione comprehendi, sed ex Pa„tre usque ad Filium consistentem Deitatis potesta„tem secernere a divina majestate Spiritus naturam. „Igitur respondendum est etiam nobis, quantum „ejus fieri poterit, brevissimis, ad hanc ipsorum sen„tentiam. Quæ est igitur nostra ratio? Dominus „tradens salutarem fidem his, qui doctrina erudie„bantur, Patri & Filio conjungit Spiritum Sanctum. „Quod vero semel conjunctum est, per omnia di„cimus conjunctionem habere. Non enim id, „quod in aliquo conjunctum est, in aliis separatur, „sed in vivifica potestate, secundum quam ex incor„ruptibili vita, ad immortalitatem natura nostra „transmutatur, simul assumta Spiritus potestas, „cum Patre & Filio, & in multis aliis, velut in „notione bonitatis & sanctitatis & æternitatis, sapi„entiæ, rectitudinis, principalitatis, potentiæ; „Etiam ubique nimirum inseparabilitatem & conjun„ctionem habet, in omnibus nominibus ad melio„rem partem acceptis.„ Idem *Basilius libro de Spiritu Sancto*, cap. XXIX. pulchriora habet, quam ut hic sileantur: Sed describam latine tantum, ex *ex editione Frobeniana*, 1540. *p.* 378. 379. Quæ ut non favent Pontificiis, nam traditiones Scripturæ consonas a certis auctoribus acceptas minime repudiamus; ita Socinianorum & Arrianorum impietatem plane arietare videntur. Sic *Basilius*: „*Enu„meratio illustrium in ecclesia, qui voce, cum, in „scriptis suis usi sunt.* Ceterum ad hoc, quod „testimonio caret, & scripto non constat,

gloria

„*glorificatio cum Spiritu*, illud dicimus: Si nihil aliud ex „non scriptis receptum est, neque hoc recipiatur. Si „vero plurima mystica citra Scripturam inter nos versan„tur, cum plurimis aliis etiam hoc recipiamus. Aposto„licum autem arbitror esse, etiam in non scriptis traditio„nibus perseverare. Laudo enim, inquit, vos, quod „omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis „traditiones, continetis, & obtinetis traditiones, quas „accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam; qua„rum maxime una est & præsens hæc, quam qui ab ini„tio composuerunt, posterisque tradiderunt, usu semper „simul cum tempore progrediente, per longam consue„tudinem ecclesiis irradicarunt. Num igitur, si velut in „judicio probatione per scripta destituti, testium multitu„dinem vobis produceremus, suffragium vestrum con„sequeremur? Ego quidem arbitror. Nam in ore du„orum aut trium testium stabit omne verbum. Quodsi „etiam temporis diuturnitatem a nobis stare, vobis pa„lam demonstraverimus, num vobis probabilia dicere „videbimur, non posse videlicet litem hanc jure contra „nos intendi? Persuasiva enim sunt quodammodo ve„tera dogmata, in antiquitate velut canicie quadam re„verendum quiddam habentia. Enumerabo igitur vobis „hujus sermonis auctores, simul autem omnino etiam „tacite æstimatur tempus. Non enim ex nobis primum „progressus est: qui enim potuit? revera enim nos he„sterni sumus, velut *Job* dixit; tanti sane temporis re„spectu, quod ætatem huic consuetudini parem habet. „Ego quidem igitur ipse, si modo convenit me, quod „mihi proprium est, dicere, hanc vocem, velut paternam „quandam hereditatem conservo, acceptam a viro, qui „longo tempore in ministerio Dei vitam transegit, per „quem & baptizatus sum, & ad ecclesiæ administratio„nem perductus. Ubi vero apud meipsum perpendo, „num quis ex veteribus illis ac beatis viris usus sit his „vocibus, quibus nunc contradicitur, multos reperio,

& am-

„& antiquitate fidei auctoritatem habentes, et scientiæ „sinceritate non cum horum temporum hominibus „comparandos: quorum alii præpositione, alii conjun„ctione, glorificationis sermonem unientes, nihil diver„sum facere statuerunt, quantum ad rectam pietatis intel„ligentiam attinet. *Irenæus* ille *& Clemens Romanus, & „Dionysius Romanus, & Dionysius Alexandrinus*, qui, quod „etiam mirum dictu est, in secunda ad cognominem sibi „epistola, de redargutione ac defensione, sic sermonem „finivit: Scribam autem vobis ipsa viri verba: *His*, in„quit, *omnibus consequenter & nos, forma sane ac regula „a Presbyteris, qui ante nos fuerunt, transsumta, & con„cordibus cum ipsis vocibus gratias agere, & nunc etiam „vobis scribere desinemus: Deo Patri & Filio, Domino no„stro JEsu Christo, cum Sancto Spiritu, gloria & imperium „in secula seculorum. Amen.* Atque hæc non dicere po„terit quis postea scripto mutata esse: non enim sic affir„masset, formam ac regulam se accepisse, dicens, si *in „Spiritu* dixisset, hujus enim usus frequens est, verum il„lud erat, quod defensione opus habebat. Idem etiam in „medio alicubi ejus scripti, sic dixit adversus *Sabellianos*: „Si eo, quod tres sunt, divisas esse dicunt, tres sunt, et„iamsi nolint, aut divinam Trinitatem penitus tollant. „Et rursus: Divinissima enim ob id post unitatem est Tri„nitas: Sed et *Clemens*, antiquior, *vivit*, inquit, *Deus, „& Dominus JEsus Christus & Spiritus Sanctus. Irenæus* „autem ille, qui proximus fuit temporibus Apostolorum, „quomodo Spiritus mentionem fecit in sermone adver„sus hæreses, audiamus. Eos vero, inquit, qui effrenes „sunt, et ad cupiditates suas feruntur, nullum habentes „divini Spiritus desiderium, merito Apostolus carnales „vocat. Et alibi idem dicit: ut ne exortes divini Spiritus „facti, non assequamur regnum cœlorum. exclamavit „Apostolus, non posse carnem regnum cœlorum possi„dere. Quodsi cui etiam Palæstinus *Eusebius* fide dignus „videtur, propter multiplicem experientiam, easdem

„etiam illius voces ostendemus in dubitationibus de pri-
„scorum multiplici conjugio. Dicit autem sic, exhor-
„tans seipsum ad verba Prophetarum: *Sanctum Deum
„lucis ductorem, per Servatorem nostrum JEsum, cum San-
„cto Spiritu invocantes.* Jam vero & *Origenem*, in multis
„Psalmorum expositionibus reperimus, gloriam *cum
„Sancto Spiritu* persolventem, virum neque valde sanas
„opiniones de Spiritu in omnibus habentem. Veruntа-
„men & ipse, multis in locis, consuetudinis vim reveritus,
„pias de Spiritu voces emisit, ut qui in *sexto libro*, nisi
„fallor, *enarrationum in Evangelium Joannis*, etiam *ad-
„orandum* ipsum palam pronunciavit, ita scribens ad ver-
„bum: *Aqua* lavacrum signum est purgationis animæ
„ab omnibus malitiæ sordibus ablutæ. Nihilominus
„autem & per se ipsum, ei, qui exhibet se ipsum Deitati
„*adorandæ Trinitatis*, per virtutem invocationum, princi-
„pium ac fontem donorum habet. Et rursus in *expositi-
„onibus in epistolam ad Romam.* sacræ, inquit, virtutes ca-
„paces sunt unigeniti & Sancti Spiritus Deitatis. Ad hunc
„modum opinor, traditionis vis induxit sæpe viros, ut et-
„iam propriis suis dogmatibus contradixerint &c.

Ignatii Martyris & Antiocheni Episcopi extant pul-
cherrima de Christi Divinitate &c. testimonia, quorum &
aliqua *Magdeburgenses* laudant, *Centur. II. cap. IV*, p. 39.
qui tamen alibi de *αὐθεντίᾳ* epistolarum *Ignatii* non im-
merito dubitarunt; nam non nisi interpolatas videre
ipsis contigit, non repudiaturi, si vidissent breviores & ab
interpolatorum fraudibus immunes, quas primum *Usseri-
us* edidit. Cujus rei historiam docte, ut solet, exposuit
*W. E. Tenzelius, Schediasmate de apophtegmate Ignatii,
Witeberga, anno* 1683: *edito.* De his b. *Thomas Ittigius,*
in Dissertat. *de Patribus Apostolicis, editioni suæ eorum præ-
missa* §. *LXXXVII.* p. 286. *Nec dubito*, inquit, *Chemni-
tium pluresque alios, si breviorem hanc epistolarum Ignatii
editionem videre potuissent, aequius de his Ignatii epistolis
judicaturos fuisse. Frequenter enim objiciunt epistolis*

Ignatii

Ignatii, quod loca ab Athanasio, Theodoreto & aliis Patribus ex Ignatii epistolis allegata, in epistolis Ignatii non amplius legantur. Atqui in nova Ignatii editione, quam Vossius & Usserius dederunt, loca illa Patrum non amplius desiderantur. Equidem non arbitror, cardinem controversiæ, quæ cum Socinianis nobis est, in his epistolis verti, quæ primum 1558. sed, ut dixi, interpolatæ, prodierunt, neque adeo dicam gravem scribi oportet clarissimis viris, quibus neque hæ, quas laudavi, placent. Vicissim autem pulchrum erit evicisse earum auctoritatem, quod, antequam testimonia inde describam, faciendum duxi, excussis placide rationibus, quas in contrarium attulit vir celeberrimus mihique amicissimus, C. A. *Heumannus.* Recitabo cum bona venia Summi Viri, quæ in *Conspectu Reipubl. litteraria, p.* 410. & 411. *edit. tertia,* posuit, ipsa verba: „*Ad Pseud-Ignatium* quod attinet, est sane, quod „mirer, esse adhuc eruditissimos viros, qui sputa ejus „lingant, nec agnoscant fraudem tot manifestis proditam „indiciis. Vide quæso, quæ dixi, A. 1710. in *Actis Erudi„tor. p.* 196. *sqq.* atque hæc transscribere dignatus est „in suos *Commentarios de Scriptoribus Ecclesiasticis, Oudi„nus,* qui & cetera argumenta profert, quæ credere nos „cogunt, epistolas illas, nulla excepta, esse fœtus subdi„titios. *Clericus* quidem in *arte sua critica* judicat, *Pear„sonium eo successu defendisse Epistolas Ignatii, ut bellum „illud certa ac perpetua victoria confecerit.* Verum tam „acuti viri oculos, credo, præstrinxit auctoritas episco„porum *Angliæ,* quorum animos dissensione sua offendere „non sustinebat. Mihi quidem hæc potissima videntur „& certissima τῆς νοθείας indicia: 1) Scopus harum „epistolarum, id spectantium, ut in immensum augeatur „auctoritas ac majestas episcoporum, id quod indicio est, „vel post *Cyprianum* scripsisse illarum auctorem epistola„rum, ac observavit *Dodvvellus,* non esse ovum ovo simi„lius quam *Ignatiana* totam *Cypriani* de Episcoporum „auctoritate ratiocinationem. 2) Silentium de his epi-

„stolis per tria priora secula. 3) Cognomen *Theophori* „in epistolarum harum inscriptionibus nomini *Ignatii* „adjunctum. 4) Fabulæ junioris ævi, e. g in epistolæ „ad *Ephesios* §. XIX. 5) Ipsa peregrinationis ratio, in qua „scriptæ dicuntur hæ epistolæ. Addo illud quoque esse „indicium fabulæ, quod Romam ibi missus dicitur *Igna-* „*tius*. Eccur vero Romam quæso? An forte civis Ro- „manus fuit *Ignatius*? nam *Plinius* narrat, se Romam „misisse Christianorum illos, qui cives essent Romani. „At nec Romanus civis fuit *Ignatius*, nec ulla caussa fingi „potest, cur Romæ potius quam Antiochiæ, interfectum „eum voluerit Trajanus. 6) Ipsa styli facies. Certe quo- „tiescunque has legi epistolas, (legi autem sæpius,) de- „prehendi, omnia in illis esse frigida, jejuna, inepti tu- „moris affectatæque grandiloquentiæ plena, & nimis vi- „vide spirantia vanum ac planum Græculum. 7) Aucto- „ritas summorum Criticorum. *Eusebius* quidem *H. E. L.* „*III. cap.* 36. eas epistolas, & quidem primus, venditavit „pro genuinis. Verum quis moveatur auctoritate ho- „minis criticæ prudentiæ tam expertis, ut vel Abgari „et Christi mutuas epistolas pro veris amplexetur? Quis „non potius eos ducat sequendos, qui post susceptum „illarum epistolarum examen censuerunt, eas ad unum „omnes a Græculo quopiam declamatore confectas et „confictas fuisse? Dixerunt autem hanc sententiam *Centu-* „*riatores Magdeburgici*, *Martin. Chemnitius*, *Jo. Gerhar-* „*dus*, *Ge. Calixtus*, *Tenzelius*, *Zeltnerus*, *Calvinus*, *Blon-* „*dellus*, *Salmasius*, *Dallaus*, *Robertus Cocus*, *Rob. Parkerus*, „*Sam. Basnagius*, *Albertinus*, *Matth. & Daniel Larroqua-* „*ni*, *Frider. Spanhemius*, *Lampius*. Omnium vero primo „loco poni oportet *Photium*, qui dum in sua *Bibliotheca* „Epistolas *Ignatii* non recognovit, tacitus clamat, sibi „dubium haud esse, quin nomen ea gerant falsissimum.„ Prima doctissimi *Heumanni* justo duriora visa, nolim in præsenti tangere; Episcoporum Anglicanorum quoque ratio ita comparata est, ut mihi nec seratur ibi nec metatur.

Verum

Verum rationes placide examinare licebit. Primo scopum epistolarum *Ignatii* improbat, quem sibi videtur observasse vir clarissimus; augere nempe voluit auctor epistolarum Episcoporum auctoritatem et majestatem in immensum. Ponamus hæc ita habere, ut ait Censor; tum vero hoc sequetur, improbandum esse consilium hoc in isto auctore, at eum non esse *Ignatium*, non video, qua specie colligatur? Nam si *Cyprianus* tertio seculo similia *de Episcoporum auctoritate* ratiocinatus est, quod fatetur noster, nemo dixerit, cur id secundo seculo non potuerit *Ignatius* facere. *Clementis* vero *Romani* ad *Corinthios epistolam, primam* saltem, non repudiabit, ni fallor, censor doctissimus, certe non negabit ejus esse, cujus nomen præfert. At ovum ovo similius esse non potest, ut *Dodwelli* verbis utar, quam *Clementis* sententia de Episcoporum auctoritate, sententiæ *Ignatii*. Nam Episcoporum originem §. XLIV. tradit, his ita vult obtemperari, ut milites ducibus suis. §. XXXVII. subjectionem presbyteris (qui *Clementi* sunt Episcopi, quoniam §. XLII. Episcopos et Diaconos tantum distinguit) præstandam monet, §. LVII. Quæ cum ita sint, haud opus est molestam disputationem ingredi, rectene an secus fecerint, *Cyprianus, Clemens, Ignatius*, Patroni auctoritatis Episcopalis? quoniam non est in præsenti meum, demonstrare, *bene scripsisse Ignatium* epistolas suas, sed *scripsisse*. Ceterum scopum harum epistolarum, quas et ipse sæpiuscule legi relegique, hunc mihi videor vidisse, ut in ecclesiis unitas et concordia, passim hians et divulsa sarciretur, pravis autem doctrinis occurreretur, quam in rem, cum aptius nullum medium sancto et morti proximo viro occurreret, quam Episcopis, qui tum passim pii et orthodoxi erant, gratiam et auctoritatem, quam et certissime divinitus habent, *Ebr. XIII.* 17. conciliari, præsertim deficiente auctoritate magistratuum civilium, tum ethnicorum; excusandus facile foret *Ignatius*, si vel nimium extulisset ordinis sacri Viros, nam et Diaconos ornasse amplissimis

encomiis liquet. Sed non poterit, ni fallor, ita facile convinci erroris, quam accusari. Alterum argumentum de *silentio priorum seculorum* me non multo magis movet, quod quidem nec est silentium, sed infrequens mentio, et si esset, quid mirandum, non potuisse a multis commemorari epistolas breves, monitorias, nec singulare & inusitatum argumentum tractantes, ut *Ignatii* testimonio aliis opus esset uti, denique non nimis crebro descriptas, quo & factum, ut aliquot seculis usque ad ann. 1558. penitus laterent, immo & *Photii* solertiam fugerent. *Polycarpus* autem vidit certe & laudavit epistolas *Ignatii*, §. *XIII*. & quæ narrat ad se ab *Ignatio* scripta esse, de mittendo aliquo in Syriam, & hodie in *Ignatii* epistola ad *Polycarpum* extare, liquet §. VIII. *Irenæus* etiam, ita arbitrante in indice *Irenæi* ad vocem *Ignatius*, *Erasmo*, nostrum *Ignatium* intelligit, cum *L. V. p. m.* 333. explicationem mystici numeri Antichristi 666. confirmare vult testimonio horum, qui *facie ad faciem Joannem viderunt*: qua quidem de re nunc haud vacat disputare, quamquam certum est, quæ *p.* 332. de trito illo: *frumentum sum Christi*, narrantur, ad nostrum *Ignatium* pertinere. Tertium argumentum Celeberrimi Viri, cum nesciam, quo pertineat, nec refutare possum; constat sane in actis Martyrii *Ignatii* æque ac a seipso vocari *Theophorum*, unde acceperit, non ita liquet, sed accepisse & habuisse cur ideo negabis? Quarta vero ratio me moveret vehementer, si posset evinci in epistolis brevioribus etiam, quas arbitramur genuinas, esse *fabulas junioris ævi*. *exempli gratia* videre nos jubet Censor clarissimus, *epist. ad Ephes.* §. *XIX*. mallem non aliquid, sed omnia indicata, quæ huc pertinere credit Vir doctus, quando hæc accusatio gravissima est. Istud quidem exemplum, quod protulit in medium, tanto ἐγκλήματι non videtur sufficere: In *Epistola ad Ephesios* narrat §. 19. *Ignatius*, *latuisse principem hujus mundi Mariæ virginitatem & partum ipsius*. Hoc non videtur intelligere Vir præstantissimus. Porro narrat *de stella*, *qua*

Magis

Magis in oriente fulsit, eam clariorem fuisse reliquis omnibus stellis, et choro reliquarum comitatam, hoc si intelligit Cl. *Heumannus*, et fabulam esse arbitratur, cum ego potius rhetoricationem haud invenustam et summa dignitate Christi ea stella indicati, dignam putem, non intercedam, neque enim suscepi probandum, nihil humani fuisse in *Ignatio*. *Fabula vero junioris ævi*, non video cur dicatur? Nam seculo tertio talia fingi potuisse, neque potuisse fingi seculo secundo, quæ ratio nobis persuadebit? Si historias, quæ juniore ætate accidissent, offenderes in libro *Ignatii*, esset ad rem, saltem eas fabulas, quibus comminiscendis non nisi recentior aliqua historia ansam præbere potuerit. Nihil superest in isto *Ignatii* loco, præterquam *Magiæ* tum vim omnem cecidisse; quæ res pariter, si et placeat, quod mihi non videtur, esse fabulam, recens certe fabula non est. *Quinto loco* Vir clariss. ipsam rationem peregrinationis, in qua scriptæ dicuntur epistolæ, nobis objicit. Respondeo, a nobis hodie postulari non posse, ut eas rationes itineris sic, non aliter, instituti, expediamus, quas tum, cum res facta est, expedire pronum fuit. Quid si idem objiceretur historiæ de *Paullo Romam ab Julio Centurione deducto? Eccur vero Romam quæso?* inquit. Quod cur potius roget Vir doctiss. quam, cur non omnes Christiani supplicio destinati, sive *bestiarii*, Romam sint ad spectacula publica missi, cum ceteroquin ex toto terrarum orbe conquirerentur, quibus oculi Romanorum satiarentur? non possum arbitrari. In actis Martyrii *S. Ignatii* hæc legimus §. 2. quæ latine huc describam: „ Tunc igitur pro Antiochena ecclesia pertimescens generosus Christi miles, sponte ductus est ad *Trajanum*, qui tunc temporis circa Antiochiam agebat, atque „in Armeniam et ad Parthos properabat. Ut vero in „conspectu *Trajani* Imperatoris adstitit: Quis es, inquit, „o cacodæmon, qui nostra mandata transgredi eniteris? „quin etiam aliis, ut idem agant, suades, quo nempe misere pereant. Ignatius dixit: Nemo Theophorum

 Caco-

„Cacodæmonem appellat. Abſcedunt enim Dæmones „a ſervis Dei. Si vero, quod gravis illis ſum, & me ma-„lum adverſus dæmones appellas: illud tecum fateor. „Chriſtum enim, qui cœleſtis Rex eſt, habens, illorum „inſidias diſſolvo. *Trajanus* dixit, & quis eſt *Theopho-„rus?* *Ignatius* dixit: qui Chriſtum habet in pectore. „*Trajanus* dixit: An igitur tibi videmur Deos in mente „non habere ---- Tu ergo in teipſo crucifixum geris? „*Ignatius* dixit, etiam. Scriptum eſt enim: *Inhabitabo „in ipſis & inambulabo.* *Trajanus* ſententiam pronunci-„avit: *Ignatium*, qui in ſeipſo crucifixum ferre dicit, „præcipimus vinctum a militibus duci in magnam Ro-„mam, cibum beſtiarum ad populi delectationem futu-„rum.„ Hic claret ratio, cur Romam miſſus ſit ſanctus Epiſcopus, ſive fuerit civis Romanus, ſive non fuerit, nam hoc incertum, jubente ſcilicet *Trajano*. Ceterum, quamquam non liquere dixi originem nominis *Theophori*, fortaſſe tamen ob ipſum illud convicium *Cacodæmonis* ab *Trajano* ſibi datum, arrogavit ſubito hoc nomen vir Sanctus, & in itinere, quo ſcripſit literas, uſurpavit. *Sextum* vero, quod virum doctum movit, argumentum, me, quid dicam, plane facit dubium. Equidem a me impetrare non poſſum, ut non aſſentiar multis ſagaciſſimis viris, quorum nomina laudare minime opus, qui ſtilum *Ignatii* elegantem exiſtimant, vani nihil, ſed omnia, quæ antiquam ſimplicitatem & caritatem ſpirent, obſervaſſe ſe credunt. Vindicarem, quæ videntur cl. Cenſori vana eſſe, ſi ea ipſi placuiſſet indicare. *Septimo loco* mallem *Euſebio* parcitum fuiſſe, cui tantum debemus, quantum vix ulli veterum. *Criticum* ingenium negat doctiſſimo *Euſebio*. Nihil ego fortaſſe egero, ubi me criticam in *Euſebio* facultatem plane excellentem vidiſſe, dixero. Nam ita eſt comparata mortalium ratio, ut vix duobus res una eodem modo placeat diſpliceatve. Credidiſſe *Euſebium* genuinas eſſe literas *Chriſti & Abgari*, ægre fert D. *Heumannus*. Mea hæc eſt ſententia: *Euſebius* ſolertis Hiſtorici officio bona fide functus

eſt,

est, neque conatus persuadere lectori veritatem epistolarum, satis habuit, quæ ex *Archivis*, & publicis chartis, quæ ipsas res tempore *Abgari* gestas continebant, accepisset, tradidisse posteris. Nescio vero, nam me fateor in quæstione, an genuinæ sint epistolæ illæ? ἐπέχειν malle, quibus argumentis demonstrare aliquis ausit, *non posse esse veram* illam de *Abgaro* historiam, vel, si mavis, narrationem? Quod si possit esse vera, & sint, qui perhibeant esse veram, testes librive minime contemnendi; si tum inclinaverit aliquis animum ad credendum, perdidissene illico censendus est opinionem boni Critici? Ceterum summi Viri, *J. A. Fabricii* modesta ἐπίκρισις, *Cod. Apocryph. N. T. p.* 319. 320. laudem sane meretur.

Quæ cum ita sint, fas erit his epistolis *Ignatii*, quas nemo interpolasset, nisi extare eas sed raro haberi, constitisset, in caussa nostra contra Socinianos uti. *Ep. ad Smyrnaeos* sic incipit: Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα. *Glorifico JEsum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit. Epist. ad Polycarpum*, §. 3. Τὸν ὑπὲρ καιρὸν προσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητὸν, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. *Eum, qui ultra tempus est, expecta, intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impatibilem, nostra caussa patibilem, qui omnimodis propter nos sustinuit.* Inscriptio *epistolæ ad Ephes.* hæc habet verba: Ἐν θελήματι τοῦ Πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. *per voluntatem Patris & JEsu Christi Dei nostri.* §. 1. autem sic scribit: Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ τὸ συγγενικὸν ἔργον τελείως ἀπηρτίσατε. *Cum imitatores sitis Dei, excitando vos per Sanguinem Dei, cognatum opus*, quod nempe operi Christi simile est, *omnibus suis numeris absolvistis.*

§. 3. Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς γεννητὸς καὶ ἀγέννητος. ἐν σαρκὶ γενόμενος, Θεὸς, ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθής. *Medicus autem unus est, & carnalis & spiritualis factus & non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo, primum passibilis, & tunc impassibilis.* NB. versio hæc sequitur lectionem *Athanasii:* ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή. §. IX. jucunda est mentio SS. Trinitatis, his verbis facta: Ἡτοιμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν Θεοῦ πατρὸς, ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅ ἐστιν σταυρὸς, σχοινίῳ χρώμενοι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. κ. τ. λ. *Præparati in Dei Patris ædificium, sublati in alta per machinam JEsu Christi, quæ est crux, Spiritu Sancto pro fune utentes.* §. XVIII. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ πνεύματος δὲ ἁγίου. *Deus enim noster JEsus Christus in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis, Spiritu autem Sancto.* §. XX. Ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τὸ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ Θεοῦ. *In uno JEsu Christo, secundum carnem, ex genere Davidis, Filio hominis & Filio Dei. Epist. ad Magnesianos:* Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. *JEsu Christi, qui ante secula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* §. XIII. Ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἀλλήλοις, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ κατὰ σάρκα, καὶ οἱ ἀπόστολοι τῷ Χριστῷ καὶ τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι; *Subjecti este Episcopo & vobis mutuo, ut JEsus Christus Patri, secundum carnem, & Apostoli Christo & Patri & Spiritui*

ritui

vitui. Epist. ad Roman. §. 3. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς χριςὸς ἐν πατρὶ ὢν μᾶλλον φαίνεται. *Namque ipse Deus noster JEsus Christus, in Patre existens, magis apparet.*

Adjecturus etiam fueram aliqua ex epistolis, quas cum interpolatas, tum plane spurias, *Eusebii* quippe & *Hieronymi* testimonio destitutas, omnes fatentur Sed ne in infinitum procedat oratio, abjeci hoc consilium. Verum quoniam *Daniel Zwikerus*, in *Irenico Irenicorum*, *p.* 26. conatus est ex illis contra nos arma petere; unum locum video laudandum esse, unde & de ceteris judicari poterit. *Zwikerus* sic ait: *Idem Ignatius in Epistola ad Philippenses, Christum introducit præcipientem baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & addit: non in unum quendam trinomium, neque in tres unius ejusdemque honoris. (non ergo Filium Patri æqualem censuit Ignatius.) &c.* Deceptus hic est *Zwikerus* absona versione latina, cui sequentia non consonant. Græca sic habent: Διὰ καὶ κύριος ἀποςέλλων τὺς ἀποςόλυς μαθητεῦσαι πάντα τὰ ἔθνη, ἐνετείλατο αὐτοῖς βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τῦ πατρὸς, καὶ τῦ υἱῦ, καὶ τῦ ἁγίυ πνεύματος, ὔτε εἰς ἕνα τριώνυμον, ὔτε εἰς τρεῖς ἐνανθρωπήσαντας, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμυς. quæ contrariam sententiam habere, nemo non videt. Cum his vero, non cum altera illa perversa translatione concinunt sequentia: *Quia unus est tantum, qui homo factus est, non Pater scilicet, neque Paraclitus, sed solus Filius: non putative neque in phantasmate, sed certissima veritate.*

Et hic quidem modum finemque huic controversiæ, caussa nostra perorata, ponimus. Credo enim vel malignum esse, vel veterum Scriptorum rudem, qui negat antiquissimos Christianæ Ecclesiæ Antistites, idem quod nos hodie, de dogmate Sacrosanctæ Trinitatis sensisse, quicquid contra *Sandius Clericus*que & horum similes dixerint, vel auctor libri *an.* 1652. editi, hoc titulo: *Confessionis Christianæ*

ſtiana manium ſui vindices; qui p. 92. impudentiſſime ſcripſit: *Nullus, non Apoſtolorum tantum, ſed neque eorum, qui per aliquot ſecula Apoſtolos ſecuti ſunt, Patrum, etiamſi ab Apoſtolicæ veritatis tramite jam deflexiſſent, eo tamen progreſſus eſt, ut Filium ſummum Deum eſſe crederet Non Ignatius, qui contra tales aperte diſputat, non Irenæus, non Juſtinus, non Tertullianus, non Clemens Alexandrinus, non Origenes, non ipſum Nicænum Concilium ---- non Alexander Alexandriæ Epiſcopus, qui primus controverſiam, cum Arrio movit; non Euſebius Pamphili, non Hilarius; non alii Concilii Nicæni tempora proxime ſecuti; ut ex eorum monumentis videre eſt* Hujus abſurdi libelli auctorem prodit *Jonam Schlichtingium, Sandius, Biblioth. Anti-Trinitar. p.* 129.

CAPUT VII.

DE CONFIRMATIONE DIVINÆ VOLUNTATIS.

374. *Quemadmodum JEſus divinam voluntatem nobis patefecerit, declaratum eſt; ut confirmarit, declarari amplius velim?*

Quod ad ea attinet, quæ Chriſtus ipſe ad confirmandum divinam voluntatem, quam patefecerat, fecit, ea tria occurrunt: Abſoluta vitæ innocentia, miracula admodum magna & innumera, & mors. 1) Quemadmodum ex illo teſtimonio Joannis, ut alia prætereamus, cernere eſt; 1. Jo. V. 8. in quo Joannes ait: Tres ſunt, qui teſtantur ſuper ter-

terram, Spiritus, Aqua & Sanguis. Etenim sine dubio, voce Spiritus, Dei Spiritus designatur, cujus virtute illa mirabilia facta constat. Aqua vero illius vitæ puritas, quemadmodum Sanguine ipsius mors notatur. 2)

Notæ:

1) Morte Christi non confirmata est divina voluntas, sed resurrectione. Namque illa poterat, quamquam nos scimus sponte subiisse Christum cruciatus, potentiæ magistratuum tribui: At, quod resurrexit e mortuis, quemadmodum futurum prædixerat, hoc demonstravit esse Filium Dei, esse Servatorem generis humani, quem se esse professus fuerat. Observet vero hic lector fraudes Socinianorum, qui, cum nolint agnoscere veram caussam mortis Christi, nempe satisfactionem pro peccatis hominum justitiæ divinæ præstandam; sed nec velint videri, mortem crucifixi Servatoris frustra contigisse putare; commenti sunt hunc fructum mortis, ut voluntas divina, nobis per Christum promulgata, ista morte confirmata dicatur. Verum, ut dicere jam cœpi, quamquam, si pro veritate aliunde nobis certa sanguinem aliquis profuderit, heroicum factum merito laudamus, tamen sola promtitudo moriendi in hominibus non est indubitatum signum veritatis, cum ista, vel quæ est, vel quæ videtur esse, animi magnitudo, variis e caussis oriri possit.

2) Quam Catechesis dedit explicationem dicti, 1. *Jo. V.* 8. utut videatur auctoribus certissima, mihi tamen est obscura partim, partim falsissima. *Obscuram* dico, nam quid volunt sibi ex ore hominis Sociniani, qui Spiritum Sanctum negat personam esse, hæc verba: *Sine dubio voce Spiritus Dei Spiritus designatur, cujus virtute illa*

illa mirabilia facta constat. Qui non est persona, habebitne virtutem, qua mirabilia facta esse constet? Falsa autem est interpretatio vocum: *aqua & sanguis. Joannes* scripsit Epistolam, Christo jam in cœlum evecto, ubi & sanctæ vitæ inter homines actæ, & ab his visæ, & fundendi sanguinis dudum factus finis fuerat. Verum, non de re olim facta, sed, quæ tum fieret, Apostolus loquitur; nam ait *venire Christum cum aqua & sanguine.* Porro, cum tres cœlestes testes, non ut mortui, & olim tantum auditi, quamquam & hoc Christo baptizato factum fuerat, sed, qui adhuc testarentur, laudati sint ab *Joanne*, colligendum, testes in terra pariter adhuc testimonium suum dicere. Quod de Sacramentis baptismatis & cœnæ dominicæ perquam commode intelligi potest, at, de puritate vitæ Christi & morte tolerata, incommodissime. Ut taceam, me videre non posse, qui possit vocabulo *aqua, puritas vitæ Christi* significari, qua &, non, *venisse*, sed *eam exercuisse* dicendus fuerat: Quemadmodum non venit *cum sanguine fuso*, sed *ad sanguinem fundendum. Matth. XX. 28.*

375. *Quæ vero fuit innocentia vitæ Domini JEsu, & qui per eam voluntas Dei confirmata fuit?*

Innocentia vitæ ipsius tanta erat, ut non solum peccatum nullum designaverit, nec dolus inventus sit in ore ipsius, nec peccati ullius convinci potuerit; verum adeo sancte vixit, ut nec ante eum, neque post eum, quisquam eum sanctitate æquarit, adeo, ut ad ipsum Deum sanctimonia proxime accederet, Deoque hac magnopere similis esset. 1) Unde efficitur, doctrinam ab eo allatam esse verissimam. 2)

Nota:

Notæ:

1) Si non nisi homo est Christus, quod impii Sociniani contendunt, dici non potest ejus sanctimonia *proxime accedere* ad Sanctitatem Dei. Nam, cum in Deo necessario omnia sint *infinita*, contra in rebus creatis, quamquam excellentibus, necessario omnia *finita, & terminata; nulla* erit nedum *proxima* accessio ad virtutes divinas, tametsi *similitudo* aliqua, & fieri potest, & ut fiat, Dei voluntas serio jubet. Similitudo enim imaginem rei aliquam infert, sed quoto gradu ad illam rem, quæ imitanda proponitur, accedatur, non quæritur.

2) Nos quidem certissimi sumus, veritatem doctrinæ adducere ad Sanctitatem morum; verum, quoniam judicium nostrum de Sanctitate morum & potest fallere, & haud raro fallit; repudiamus eam regulam explorandæ veritatis, ut, qui videatur sancte vivere, docere veritatem censendus sit. Itaque, cum miremur in Christo, summam, non, quæ accedat ad divinam, sed, quæ verissime sit divina, Sanctitatem, tantum tamen abest, ut *ideo* Christum veracem in Evangelio suo credamus, nisi, cum miraculis, tum vaticiniorum accurato eventu se esse Messiam demonstrasset; ut potius hinc agnoscamus demum, fuisse vere sanctam, qualis videbatur, JEsu Nazareni, vitam. Hoc meretur innocentia morum, ut non temere spernamus eorum, quos ea præditos videmus, asserta, sed examine censeamus digna; eatenus autem, ut credamus illico, valere eam non oportet.

---

376. *Qualia vero miracula fuere, & quomodo ea divinam voluntatem confirmant?*

Tanta miracula fuere, qualia nemo ante ipsum patravit. 1) Jo. XV. 24. & tot, ut Joannes scribere non dubitarit, si sigillatim descri-

descripta fuissent, ne mundum quidem libros ipsos capturum fuisse. Ad eum vero modum confirmatur iis Dei voluntas, quod tantam virtutem patrandi miracula, quæ prorsus divina esse oportuit, Deus nunquam alii, nisi, qui ab eo esset, collaturus fuisset.

Notæ:

1) Nescio qui fiat, ut, cum etiam in re vera versetur Catechesis, tamen peccet. Sunt sane stupenda miracula Christi & vere divina, sed ita celebrari ea nolim, ut propterea miracula, quæ per *Mosen* cæterosque Prophetas, Christi denique discipulos perpetrata sunt, minora censenda esse arbitremur. Nam, cum semel res a naturæ legibus ad omnipotentem virtutem Dei abit libere, sepositis tantisper istis a se sancitis legibus, agentem; non video jam discrimen miraculorum, ut hoc minus divinum, illud magis divinum sit, sed sunt æque divina omnia. In eo vero est infinitum discrimen, non inter miracula, quæ Christus, quæque nudi homines fecere, nam hæc dixi esse æqualia, sed inter Christum & homines reliquos, quod hi *aliena*, ille *sua & propria* auctoritate fecit, quidquid fecit. Hic observandum, quod Christus alicubi dixit, Discipulos majora edituros signa, quam ipse edidisset, (tantum abest, ut discipulorum miracula eviluerint,) non ad virtutem pertinere, qua ea fiant, hæc enim est ubique eadem, nempe divina & infinita, sed ad effectum, qui in hominum sensus incurrit.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE MORTE CHRISTI.

377. *Qualis vero fuit mors ipsius, & qua ratione voluntas Dei per eam confirmata est?*

Ejusmodi, quam variæ afflictiones præcesserant, & quæ per se fuit atrocissima, & ignominiosissima; adeo, ut Scriptura testetur, eum propterea fratribus in omnibus similem. 1) Ebr. II. 17.

Notæ:

1) Turpiter & hic abutitur Catechesis loco pulcherrimo, *Ebr. II.* 17. nam etsi summo solatio piis est, eadem cruciatuum genera ipsum Dominum perpessum esse, quæ nos unquam obruere possunt; non est tamen inde de acerbitate cruciatuum Christi judicandum, quasi ideo dictum foret, Dominum esse fratribus similem, ut intelligeremus, non minores fuisse dolores hujus, quam aliorum. Christi enim, qui omnium peccatorum totius generis humani omnia supplicia solus pertulit, dolores, cum iis, quæ vel singulis vel universis piis hac in vita acerba contingunt, nulla ratione fas est comparari. Sed de his paullo post uberius agendi locus erit. Hic observet lector, quid tandem e Socinianorum mente peculiare sit in Christi morte, quam tamen interdum *satisfactionem pro peccatis*, sed subdole, appellant, & cur præ ceteris constanti animo morte functis, virtutis sit exemplum, si præterea nihil sustinuit, quam quod sustinuere alii fratres. Tanto minus erit miranda Christi in morte subeunda constantia, quanto amplius præmium, majestas nempe a divina proxima, (talem enim Sociniani Christo tribuunt,) post pauculas horas certissime expectanda fuit. Ut

certe, si Sociniani veraces sint, *Curtius* aliquis, aut *Regulus*, aut *Codrus*, longe majorem & admirationem & laudem mereatur.

---

378. Quare Scriptura testatur de Christo, eum fuisse sepultum, neque in sepulchro Deum ipsius oblitum fuisse?

Propterea, ut appareat, eum vere mortuum fuisse, nec tamen in morte relictum, atque ad eum modum credentes spem haberent, etiamsi ab ipsa morte absorbeantur, non tamen se perituros. 1)

Notæ:

1) Heu quam frigida, quam elumbia omnia, quam parum convenientia tantæ dignitati argumenti! Si ad exemplum nudum res omnis abit, neque quidquam amplius in Christo e morte ad vitam retracto, considerandum, quam ut speremus nec nos perituros, poterat *Lazari Bethaniensis* mors, quatriduana sepultura & resuscitatio luculentius exemplum esse, nam hic magis est nobis similis, atque unus e multis, quam Christus, omnibus hominibus longissime superior, unde non sequitur, quæ Christo divinitus tributa sunt, eorum spem etiam ad nos miseros homunciones pertinere. Itaque mortis & resurrectionis Christi longe sublimior ratio est, nempe *redemtio* generis humani, quæ facta est morte, & ejus *redemtionis manifestatio*, resurrectione facta. His primum positis creditisque, tum demum juvat considerare exemplum Christi & haurire certam spem, nos æque parum in morte mansuros, ac mansit ipse Christus. *Rom. VIII.* 11.

379. *At cur necesse erat Christum tot pati, & tam atrocem mortem subire?*

Eo, quod ab ipso servandi iisdem afflictionibus & morti ejusmodi plerumque sunt obnoxii. 1)

380. *At quæ caussa erat, easdem afflictiones & mortem Servatori Christo perferendi, quibus credentes sunt obnoxii?*

Duæ ejus rei extitere caussæ, quemadmodum duplici ratione Christus etiam suos servat. Primum enim exemplo suo, ut in salutis via, quam sunt ingressi, persistant, suos movet. 2) Deinde, iisdem in omni tentationum laborum & periculorum certamine adest, opitulatur, & tandem ab ipsa æterna morte liberat. 3) Verum, qua ratione Christus, suo ipsius exemplo credentes ad persistendum in illa singulari pietate & innocentia, sine qua servari nequeunt, movere potuisset, nisi atrocem mortem, quæ pietatem facile comitari solet, gustasset? Aut, qui curam suorum in tentationibus & periculis iisque ab omnibus malis liberandis, tantam gerere potuisset, nisi quantopere graves, & naturæ humanæ per se intolerabiles essent, ipse expertus esset. 4) Atque hæc approbare videntur illa Petri Apostoli, 1. Petr. II. 21. Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et

illa, quæ Ebr. II. 18. habentur: Christus in eo, in quo passus est, ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. Et inferius, in eadem epistola: cap. IV. 15. Potest nobiscum ferre infirmitates, tentatus per omnia in similitudinem. 5)

Notæ:

1.) Cum omnia hic frigeant, quod necesse est fieri, quando homines neglecta Scriptura e suo cerebro, de re una omnium gravissima balbutire incipiunt, potissima tantum errorum specimina enotabo. Itaque, quæ connexio hujus argumenti: Christum oportuit tot dira pati, nam ab ipso servandi sunt iisdem afflictionibus plerumque obnoxii? Si non omnes sunt obnoxii, cur non fecit potius, ut nec reliqui essent obnoxii. Nam, si non justitia divina postulat homines supplicio affici, &, sine satisfactione impunitas dari potest, quod docent *Sociniani*, recentiores etiam, qui ad faciendum lectori fucum, Christi mortem *victimam piacularem* dixere quidem, sed absurdissima explicatione tollunt, quod largiti esse videbantur; non fuit opus homines tot ærumnis subjicere. Potius benignitatis divinæ erat, non afficere eos cruciatibus. Præstat enim me non injici in profluentem, quam ut injectus ab altero vitæ periculo extrahar. Porro nemo dixerit, cur liberatio, qualem sibi concipiunt Sociniani, postulet, liberatorem subire similes afflictiones. Itane opus erit venenum hauriri a Medico, qui alterum, imprudenter hausto veneno, ægrum, servare conetur? & *Pharaonem*, cum liberavit *Josephum* vinculis, ipsum oportuit catenas gestare? Arguit in liberatore virium inopiam, si, ut liberaret alterum, necesse fuit eandem calamitatem & idem periculum subire, nam, ubi videris te puerum

rum in aqua periclitantem, extrahere posse, etiamsi persistas in ripa, insipientis foret, sine ratione descendere in profluentem, & eidem te vitæ discrimini exponere. Quod, ne de Christo dicendum sit, non putanda est ejus, liberatio hujus generis esse, cujus est medici sanantis ægrum, aut ejus, qui extrahit natantem in gurgite, aut qui revocat errantem in Silva, monstrata via: sed, qualis est amici præstito lytro amicum redimentis, aut vicaria sua morte alteri potestatem vivendi acquirentis. Atque hoc ipsum Scriptura Sacra ita constanter infinitisque, locis docet, ut summæ sit impudentiæ, id genus liberationis, quod de Christo Spiritus S. docet, dissimulare, alia confingere. Vid. e. g. *Galat. III.* 13. *Rom. VIII.* 3. laudabuntur vero similia dicta paullo post plurima.

2) Primus mortis Christi adeoque primarius, alias enim non primo loco posuisset, fructus, si Catechesi credimus, est, *exemplum*, neque id surgendi de peccatis, sed in via bona, quam ingressi jam essent homines, strenue pergendi. Hem, quam facilis jactura esset Christi, si vel sine eo homines salutis viam potuerunt ingredi? Tantillum illud commodi, quod in via salutis alacrius, cognita Christi morte, currunt homines, facile poterat aliis monitoribus, præcipue tot cohortationibus in Scriptura propositis, tot præmii amplissimi promissionibus, tot denique aliorum hominum fortiter pro veritate occumbentium, mortibus, quorum exemplum, cum nobis similiores sint, quam Christus supra humanam sortem evectus, propius ad nos pertinet; his, inquam, omnibus illa jactura Christi facile compensari poterat. Quid ergo de re ad salutem nostram non ita multum conferente tantopere contendit Apostolus? 1. *Cor. II.* 2. Cur omnia spernit, abjecta omnium suorum operum fiducia, ut Christum modo lucretur, atque in ipso habeat justitiam. *Philipp. III.* 9? Heu quam parum Christianæ religionis in Sociniana impietate reliquum est! Nos quidem in morte Christi ita collocamus spem omnem, ut peccata nostra, quamquam sunt

multiplicia, damnare nos nequeant, Christus enim hic est, mortuus & resuscitatus. *Rom. VIII.* 34. Absonum vero esset in judicio divino opponere accusatoribus Christum, qui nobis exemplum præbuisset. Quid exemplum alterius, utut Sanctissimi, ad nos pertinet, ubi convincimur, non esse eam sanctitatem in nobis? Eo habemus Christo opus, qui tollat peccata, auferat reatum, ferat eorum pœnas, nobis irrogandas, faciat, quæ a nobis fuerant facienda, sed fieri non poterant. Hæc omnia præstitisse Christum, *Petrus* docet Apostolus, 1. *Ep. III.* 18. *Christus semel pro peccatis passus fuit justus pro injustis, ut nos adduceret Deo:* Item *Paullus*, 2. *Cor. V.* 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando ipsis peccata ipsorum.* Sed, ne putes, peccata remissa esse sine lytro, occurrit ipse Apostolus, *v.* 21. *Nam eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Hic, qui non videt ita nobis Christi justitiam imputatam esse, ut Christo peccata nostra, is profecto nihil videt. Sed hic subit mirari, quid voce *suos*, item *suorum*, Catechesis sibi velit. Itane, cum dogma de absoluto Dei decreto reprobationis plurimorum hominum alias damnent Sociniani, v. g. in *Libello Svasorio*, p. 11. ubi hæc legimus: *Jam quid potest excogitari accommodatius ad humanum genus a studio obediendi Deo, & vitia ac peccata Christi disciplina aversantia cavendi, penitus avocandum & retrahendum? Nam, quid opus est studere, ut Deo & Christo obedias, si jam nulla habita futura tua ejusmodi obedientia vel inobedientia ratione, immutabili decreto divinitus statutum est, an servari, an vero damnari debeas:* Nunc Catechesis in idem tantopere invisum dogma præceps ruit? Quinam sunt, quos dicere Christus *suos* possit? *Credentes*, inquies; verum est ne ad hos solos missus, non item ad reliquos, ut & ipsos faceret credentes & salvos? Quicquid hic dixerit homo Socinianus, tenetur. Si missus ad solos credentes; ceteros noluit esse salvos, atque hoc ipsum est, quod tantopere retu-

refugiunt *absoluta prædestinationis* dogma horrendum. Si tamen voluit salvos, Christo licet ipsis non misso, non destinato, jam & extra Christum & sine Christo salus erit speranda. Et quid jam distat Sociniana religio ab illa *Alexandri M.* qui quo venit, ibi Deos, regionis illius præsides, placare conatus est. Nam hoc modo non est necesse Christianorum Servatorem venerari, quando, & sine eo, ad salutem via patet. Ubi dixerit, & velle Deum omnes salvos, & missum esse Christum ad docendam salutis viam, & exemplum omnibus morte præeundum; quis erit sensus vocabuli *suos?* Quid dicitur *de iis, qui salutis viam ingressi sunt?* Quid tantum dicitur, moveri homines *pios* morte Christi *ad persistendum?* cur non & ad *ineundam* demum viam salutis? quod quidem recentiores adjecerunt, nam afflictionum Christi hanc prædicant caussam, ut nos moneat, *ut salutis viam tum ingrediamur, tum in ea persistamus;* inseruerunt etiam hoc loco integram quæstionem, quæ fuerit istius divini consilii & voluntatis ratio, ut Christus pro peccatis nostris pateretur? & respondent: „Primo, ut omnibus peccatoribus hac ratione jus certissi„mum fieret peccatorum remissionis ipsiusque adeo vitæ „æternæ, proinde etiam non dubia fides. Nam si Deus „proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum „tradidit, quomodo non & cum ipso omnia nobis dona„bit? *Rom. VIII.* 22. Et, si Christus, cum adhuc pecca„tores essemus, pro nobis mortuus est, quanto magis „justificati nunc in sanguine ejus servabimur per ipsum „ab illa ira? Si enim inimici existentes, reconciliati sumus „Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati „servabimur per vitam ejus. *Rom. V.* 8. 9. 10. Secundo: „ut omnes peccatores ad Christum incitarentur & trahe„rentur, in hoc & per hunc solum peccatorum remissio„nem quærentes, qui pro iis esset mortuus.„ Melius hæc dicta esse & ad fallendum aptiora, nemo non intelligit, quam quæ vetus Catechesis habet, sed vana omnia esse, paullo post, ubi de satisfactione accurate agetur, demon-

ſtrabitur. Hoc loco ineptia *Racovienſium* notanda fuerat. Quos non poteſt abſurditatis abſolvere illud *Paulli:* Noſſe Dominum *ſuos;* conſtat ſane non omnes homines eſſe *oves Chriſti*, verum, cum de conſilio ſervandi ſermo eſt, quod nos vocamus *voluntatem antecedentem*, id conſilium certi ſumus ad totum genus humanum pertinere, neque hactenus eſſe hominum diſcrimen, ut velit Deus hunc, alterum nolit ad agnitionem veritatis pervenire, diſpenſatis licet diverſis gratiæ gradibus. Verum, quando conſideramus judicium divinum de mortalium vel fide, vel defectu fidei, quod judicium perquam commode *voluntas conſequens* dicitur, noſtro nempe concipiendi modo, cum in Deo omnia ſimul ſint; aliquot agnoſcit Chriſtus *ſuos*, aliquot repudiat, ut *non ſuos*.

3) *Tandem ab æterno morte liberat.* Pulchræ voces, ſed in ore hominis Sociniani nihil ſignificantes. Quid enim liberatore opus, ubi nulla eſt calamitas, unde liberemur? Negant Sociniani hominem mortis æternæ reum eſſe peccato originis omnibus inhærente, nam & hoc ipſum eſſe aliquid negant; porro loquuntur, ſaltem *Racovienſes*, de hominibus viam ſalutis jam ingreſſis, quibus mors Chriſti exemplo ſit, quosque opituletur, quibusve adſit Chriſtus; hi *promoveri* fortaſſe, ut alacrius currant, poſſunt, *liberari* non poſſunt, nedum ab æterna morte, quam ipſi ſanctitate ſua facile poſſunt vitare, & quoniam ſalutis viam ingreſſos ponimus, jam vitarunt. Quis enim me, recta via procedentem, & per me jam providum, ſi venerit amicus, addat ſe ſocium, moneat etiam ad currendum, *liberatum a fovea* per iſtum amicum dixerit, in quam nec incideram nec fueram illapſurus? Oportet prius calamitatem, in quam per peccata deventum eſt, bene noſſe, tum demum, quantum nobis Chriſtus præſtiterit, agnoſcetur. Robuſti qui ſibi videntur, & recte valere, non habent opus medico, ſaltem eum non deſiderant. Sed nec video, quid vox, *adeſt*, de Chriſto uſurpata ab homine Sociniano, ſignificare poſſit? Hominem ajunt eſſe Chriſtum, magnum

qui-

quidem hominem, sed præterea nihil, hunc hodie in cœlis esse, non in terra. Qua ergo ratione suis erit præsens, quomodo opitulabitur? O miseros Socinianos, qui, quid dicant sentiantve, parum habent pensi!

4) Quamquam, ut præclare monet *epistola ad Ebræos*, summo nobis solatio est, quod Christus, cum ipse eadem, quæ nos patimur & duriora, gustarit, certissime vicem nostram dolet, seu, sensu malorum nostrorum, quantum non turbat summam & perpetuam ejus felicitatem, afficitur, non sequitur tamen futurum non fuisse, ut eo afficeretur, nisi & ipse similia esset passus. Nam Deus Pater, nihil unquam harum rerum passus, quod secundum divinitatem nec potest fieri, nihilominus est summe misericors.

5) *Petri* pulcherrimum dictum, non hoc modo, quod monet Catechesis, nosque facile agnoscimus, docet, exemplum patientiæ a Christo nobis relictum esse, sed & esse *pro nobis* passum. Cujus vocis vim, quamquam res per se clara est, deinceps tamen explicabimus.

---

381. Nonne Deus facere poterat, ne credentes afflictionibus & atroci morti forent obnoxii?

Poterat quidem, si rerum naturam mutare voluisset. 1) Verum hæc Deus non facit, nisi interdum, idque raro admodum & ad tempus, verum non semper, neque communiter, quemadmodum hic prorsus opus fuisset, si credentes in Christum afflictionibus & morti exemtos voluisset.

382. Cur autem id prorsus necesse fuisset?

Idcirco, quod credentes in Christum præditi sint singulari pietate & vitæ innocentia,

& quod non liceat illis de quoquam vindictam expetere; quorum alterum natura sua efficit, ut omnium malorum odio sint expositi, & ita graviter ab illis affligantur, ac etiam morti, siquidem occasio vel opportunitas invitaverit, subjiciantur. Alterum vero magis etiam malis est incitamento, & facultatem suppeditat, ista omnia ad finem perducendi. 2)

Notæ:

1) Quo delabuntur tandem, qui semel a via regia Scripturæ Sacræ aberrarunt! Nos scimus nullam futuram fuisse calamitatem nec mortem, si absque peccato fuisset; hoc vero & potuisse & debuisse non fieri, cum nulla esset necessitas, ut vel angeli vel homines peccarent; potuisse tamen istos illosve arbitrii libertate abuti, & quoniam sunt abusi, justitiæ divinæ esse, omnis generis pœnas & ipsa æterna supplicia irrogare. Sociniani vero, qui negant genus humanum, peccato Protoplastorum esse corruptum, qui rationes justitiæ divinæ, quæ postulent satisfactionem, nolunt intelligere, hoc dicunt, quod in Catechesi hic legimus: *Naturam rerum* invertendam fuisse, quæ hoc secum ferat, ut in malis & cruciatibus versentur pii. Sed, qualem nobis *naturam rerum* narrant? an fatum aliquod, cui Deos suos ethnici & poëtæ maxime, obnoxios fabulati sunt? Quando sani etiam Philosophi *naturam* rarissime a Deo mutari dicunt, idque cum fit, *miraculum* appellant, *leges mechanicas motus*, volente ita sapientissimo Numine, positas, intelligunt, at hæ certe non postulant, ut crucientur pii, neque his tribueris, quod mali vel sunt mali, vel bonos odio prosequuntur. Itaque cum nolint fateri, quod pii omnes faciunt, Sociniani nostri, calamita-

mitates omnes peccatorum caussa a Deo infligi, quantum ad impœnitentes attinet, ex ira justissima, quantum vero pertinet ad fideles Christique adeo meriti participes, eo consilio, ut ab amore seculi magis abstrahantur, & matrem malorum, h. e. peccata, acrius odisse pergant; incidunt in teterrimam opinionem, & tantum non ipsum *Manichaeismum*, si quidem ipsi intelligant, quid dicant. Nam mihi videntur, quid voce *natura* velint, non expendisse secum.

2) Falsa hic sunt omnia. Falsum, vitæ innocentiam natura sua hoc efficere, ut probi sint omnium malorum odio expositi. Ex accidenti fit, quamquam non raro, ut, qui se pudefieri in vita inquinata a vicinis probis videant, hoc ipso ad odium acerbius accendantur, & de diaboli malitia, qui si posset, per malos interitum strueret bonis, non dubitandum. Sed hoc non potest, neque ipsa consilia malorum hominum hoc patiuntur: Itaque quod ex accidenti fieri largior, non vulgo tamen fit & in omnibus, quod nemo negabit, qui rerum usu pollet. Hinc factum, ut & sapientiores Ethnicorum viderent, virtutem ita esse speciosam & jucundam, ut ab iis etiam probetur, qui voluptatum fœdarum studio abrepti illi non student. Hoc inde est, quod homines, quamquam mali, non tamen sunt Cacodæmones, nec ita perditi, ut non sit *honestatis civilis sensus* residuus. Vides & hic, quod sæpe observavi, in Sociniano nullam dogmatum constantiam. Nam, cum alias negent hominis naturam peccato originis corruptam, nunc, cum innocentiam non posse non premi malorum odio ajunt, necesse est fateri, in his periisse plane boni sensum, quod de *habituali* & acquisita malignitate, certe in plerisque dici non potest. Falsum est porro calamitates Christianorum inde oriri, quod non liceat eis de quoquam vindictam expetere. Nam, si vindictam intelligunt Magistratuum legitimorum censuras & castigationes, quin & supplicia, ea pernegamus a Christo esse prohibita; si vindictas privatorum, eæ, tantum abest, ut, si liceant, pos-

sint

sint homines a calamitate defendere, ut potius nusquam, in civitate vel mediocri prudentia constituta, nedum Christiana, permittatur, nam hoc bello omnium contra omnes immensum augeri necesse esset injurias & maleficia. Falsum denique, patientiam piorum malis incitamento esse ad inferendas injurias. Usus quotidianus docet contraria omnia, si vel non dixisset *Salomo: Ecclesiastæ X. 4. Lenitas tollit peccata magna*, vel illa verba tu aliter vertas, quod nunc non disputo; si nec Salvator *mansuetos* prædicasset beatos, quod *terram sunt possessuri:* tamen constat, lenitate & patientia subinde amplius profectum esse, quam pugnari resistentia. Raro enim tanta est sævitia, in homine, quamquam malo, ut diu insultet, homini ad omnes injurias patienti.

---

383. Qui vero sanguis aut mors Christi nobis voluntatem Dei confirmavit?

Duplici ratione: primum, quod nos manifeste de ingenti in nos Dei charitate certos reddiderit, idque adeo, quod Deus velit nobis id donare, quod in novo fœdere promittat. Unde etiam sanguis novi fœderis est dictus, qui præstantiora loquatur, quam sanguis Abel. Et ipse Christus testis verax & fidelis dictus est: Jo. III. 16. Rom. V. 8. Ebr. XIII. 20. & XII. 24. Apoc. I. 5. & III. 14. Deinde, quod resurrectione Christi, quæ non nisi morte ipsius interveniente fieri potuit, de resurrectione nostra, & porro vita æterna consequenda certiores facti simus, si præceptis Domini JEsu pareamus.

384. Expone eam rem fusius, qua ratione resurrectione Christi, atque ad eum modum ipsius morte de resurrectione nostra & vita æterna confirmati simus?

Primum morte & resurrectione Christi certi sumus facti de nostra resurrectione, ad eum modum, quod in exemplo Christi propositum id nobis spectemus, eos, qui Deo obtemperent, e quovis mortis, quantumvis atrocis, genere liberari. 1) Deinde, quod jam prorsus nobis constet, Christum eam consecutum esse potestatem, quasi possit suis, id est, iis, qui ipsi parent, vitam æternam donare. Etenim resurrectio Christi mortem ejus secuta, ejusmodi erat, ut ex mortuis resuscitatus, potestatem omnem in cœlo & in terra consecutus sit. 2)

Notæ:

1) E priore quæstione poterat aliquis suspicari, tribui tamen morti Christi aliquid a Catechesi; verum, cum uberius voluit sensa sua exponere, declarat, morti jam plane nihil deberi, resurrectioni aliqua, sed & ipsa ita levia, ut in censum non mereantur venire. Hic plane videmus, oppido parum Christianæ religionis in *Socinismo* superesse. *Tertullianus* vere & eleganter scripsit, *Libr. III. adversf. Marcion. p.* 211. „Totum Christiani nominis pondus & fru„ctus, mors Christi, negatur, quam tam impresse Aposto„lus demandat, utique veram, summum eam fundamentum „Evangelii constituens, & salutis nostræ & prædicationis „suæ. Tradidi enim, inquit, vobis, in primis, quod Chri„stus

„stus mortuus sit pro peccatis nostris; & quod sepultus „sit, & quod resurrexit tertia die, &c.„ Idem *Tertullianus*, libro, *de carne Christi*, *p.* 26. „Christus salus hominum fuit, caussa scilicet ad restituendum, quod perierat. „Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Ut angelum „gestaret Christus, nihil tale de caussa est. Nam etsi an„gelis perditio reputatur in ignem præparatum diabolo & „angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa „est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit „Christus a patre; quod pater neque repromisit, neque „mandavit, Christus præstare non potuit. Cui igitur rei „angelum quoque gestavit, (gestaret,) nisi ut satellitem „fortem, cum quo salutem hominis operaretur? Ideo enim „reus non erat Dei Filius, qui solus hominem liberaret, a „solo & singulari serpente dejectum.„ Ita primi Christiani intellexerunt illud Apostoli, *Ebr. II.* 14. ideo humanam susceptam esse naturam a Filio Dei, ut posset pro peccatis generis humani mori, *reum* esse factum, qua voce *Tertullianum* vidimus uti, *mortem* Christi esse *totum Christiani nominis & pondus & fructum*. Hæc omnia tollunt Sociniani. Nam morte nihil factum est, si his credimus, a Christo, nisi ut posset resurgere. Porro, ipsa resurrectione parta esse aliqua a Christo, ajunt quidem, at, nobis nihil, omnia sibi peperisse perhibent. Quid ergo ad nos Christus? Quid mors Christi? *Exemplum*, inquiunt, *ad nos pertinet*. Hoc vero non saluti sed terrori esset, & mallet sapiens, si nihil aliud Christi mors, quam exemplum affert, ut & nobis sit post diros cruciatus moriendum; non præivisse Christum exemplum adeo triste. At, inquiunt, mortem subsecuta est gloriosa resurrectio, hæc monere homines pios potest, & ipsos aliquando resurrecturos. Bene; de resurrectione videbimus deinde: hoc ergo jam patet, mortem Christi nihil nobis afferre fructus commodive, si verax est Catechesis. Nam, quod dixit, *mortem & sanguinem Christi confirmare nobis voluntatem Dei, duplici ratione, primum, quod nos manifeste de ingenti in nos Dei charitate certos*

reddit

voluerit, &c. Si ex ore Doctoris Evangelici audirem, perquam esset pulchrum, sed in ore Sociniano vox est, prætereaque nihil. Nam si mors Christi non est pro peccatis meis satisfactio, quod clarissime & pertinaciter negat Catechesis, qui poterit mihi confirmare Dei charitatem erga me? Mors hominis innocentis nec sua nec aliena peccata ferentis, dirissima, *terrere* nos, qui non sumus innocentes, potest; *solari*, & de judicis charitate erga nos testimonium ferre non potest. Horribilem potius hæc res incutiet terrorem, & Deum, ut sævissimum tyrannum sistet, ubi cogitatur, innocentissimum Filium crudelissime supplicio affici. Quid enim hoc modo servis haudquaquam probis futurum putamus? Neque minus frigent in Catechesi hæc verba: Mortem Christi confirmare nobis, *Deum velle nobis id donare, quod in novo fœdere promittit.* Si non expiavit peccata hominum Christus morte sua, qui poterit ea mors obsignare promissiones Dei hominibus factas? *Vocatur*, inquiunt, Sanguis Christi, *Sanguis Novi Testamenti.* Ego vero hoc agnosco cum gaudio, sed nullum esse video horum verborum sensum, nisi *propter* Sanguinem Christi bona fœderalia accipiam, & eo ipso Sanguine profuso parta mihi sint ista omnia beneficia. Verum misera Catechesis ita nos jubet sperare vitam æternam, *si præceptis Domini JEsu pareamus.* Quæ cum sint spiritualia, nam quia lex spiritualis est, Christi præcepta ex *Socini* opinione longe sublimiora, magis erunt spiritualia; cum plenissimum & nulla parte mancum obsequium postulent, nos miseros, quibus redarguente nos conscientia nostra, nihil est spei reliquum! Noli dicere, mortem Christi, cum subsecuta resurrectione, ostendere nobis rationem, qua sit Deus idem de nobis facturus, hoc non carere solatio. Ego vero, si hoc sit, quod de morte Christi cogitandum est, neque quidquam amplius, mallem *Johannem* aut *Stephanum* Servatorem meum dicere, aut alium quemcunque Martyrem, aut de consanguineis meis aliquem, in quo patiente & moriente providentiæ divinæ

signa evidentia cognovi, pulcherrimo vocabulo *Servatoris* appellare, quam JEsum Nazarenum. Quicquid etiam de summa sanctitate hujus dixeris, de egregia constantia, de summa, quam exantlatis laboribus adierit, gloria: Satius tamen arbitrabor *Jobi Stephani*que exemplum considerare, quorum exemplum, cum possim his fortasse similis fieri, at minime Christo, propius ad me pertinere arbitrabor.

2) Morte & subsecuta resurrectione obtinuisse Christum ajunt, ut posset nos juvare. Verum fac esse, quod perhibent, quod deinde demonstrabimus falsissimum esse; quid opus est nobis scire, per quem administrum Deus nos juvare velit, modo constet velle Deum nos salvare. Si non expiavit nos Christus, neque opus habuimus ea expiatione, quod volunt Sociniani, satis erat clementiæ divinæ nos commendare. Equidem, quando audivi beneficium mihi a Principe meo tributum iri, nec gestio scire, nec, ubi rescivero, multum me juvat scire, per quem, sive consiliariorum, sive pedissequorum mihi missurus sit Princeps, quæ decrevit mittere. Si nihil aliud fecit Christus, quam ut salutem a Deo gratis donatam, a se minime partam, nobis nunciaret, vel, si mavis, etiam perferret, quod unusquisque alius a Deo jussus pariter potuisset facere, quid magnopere attinuit Christi nomen scire? Sufficeret benefactoris scire nomen, h. e. Dei. Parum abest, quin meliorem esse putem conditionem hominum, qui ne fando quidem quidquam de Christo inaudiverunt. Nam, si velint ipsi sancte vivere, quod stante thesi Sociniana, de humana natura minime corrupta, utique possunt; si possint demereri gratiam divinam: eo præclarior ipsorum erit fides sanctitasque, quo laudabilius est sine duce viam invenire. Quod cum scribo, totus cohorresco, & cœcitatem Socinianorum, qui, cum talia docent, tamen sibi videntur Christiani esse, non sine dolore miror. Sed, ut dixi, longe est falsissimum, acquisivisse Dominum nostrum facultatem nos juvandi demum

resur-

resurrectione sua. Qui, cum paralyticum sanaret, protestatus est, Filium hominis *in terra* habere potestatem remittendi peccata, quam qui habet, quid ipsi desit, nescio. *Matth. IX.* 6. & antequam ingrederetur summam passionem, sciebat, sibi tradita esse omnia, *Jo. XIII.* 3. Nam, post resurrectionem & exaltationem in cœlis adiit quidem ut homo divinam & summam gloriam plenario usu, sed non nunc demum accepit.

985. *Qua ratione ea Christi potestas, quam morte interveniente Christus consequutus est, nos magis de promissione Dei certos reddit, quam si ea careret?*

Duplici ratione: Primum, quod jam videamus quoddam principium impletionis ipsius Dei promissionis, præsertim, quod Deus nominatim promisit ipsum Christum, nos a morte liberaturum & daturum nobis vitam æternam. Deinde, quod similiter videamus implendæ promissionis divinæ nobis factæ potestatem esse in manu hujus, quem non pudet nos fratres appellare, & qui afflictiones omnes, quibus nos expositos esse oportet, si ei parere velimus, gustavit, eoque potest nostri misereri, & infirmitatum nostrarum sensu affici, uti ea de re superius disseruimus. 1)

Notæ:

1) Quod se disseruisse narrat Catechesis, nos diffiteremur. Itaque hoc loco nihil addendum, nisi

 a recen-

a recentioribus totam hanc quæstionem omissam esse.

386. *Hinc igitur perspicio, longe plus in resurrectione, quam in Christi morte situm esse, in nostræ salutis negotio.*

Ita prorsus res habet. Ad eum enim modum ea de re testantur sacræ literæ; si enim, inimici Dei cum essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius. Rom. V. 10. VIII 34. Et rursus: Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, magis vero & excitatus, qui etiam est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 1)

Notæ:

1) Utrum majoris sit æstimanda resurrectio, an mors Christi? quæritur. Verum, ut accurate respondere possis, facienda est quæstio duplex. Quæramus primo de bonis spiritualibus humano generi partis, tum de iisdem bonis in conspectum productis. Fac esse hominem ære alieno obrutum, compactum in vincula, dum vel ipse, vel alius ipsius loco, creditoribus satisfecerit; fac porro, aliquem opulentum venire domum vel judicis vel creditorum, protestari se velle parata pecunia exsolvere, quæ debeat ille vinctus; accipi illam conditionem; hunc sponsorem aliquantisper teneri in ædibus istius judicis, dum repræsentet pecuniam accuratissime, quod quidem se facturum dudum recepisset, atque ob eam rem judex captivo dudum

dudum libertatem promisisset, at nondum solenniter nunciari curasset. Fac, præstita auri numeratione, beneficum hominem, cum amplissimo comitatu, ad miseri captivi carceres accedere, nec nunciare modo libertatem plenissimam; egredi jubere, educere, sed & pro sua, quam pactus erat, potestate, carcerem penitus confringere. Tum sane fieri non potest, quin homo, olim miser nunc felix, ultimum hunc benefactoris sui actum, quo egregio operi corona imposita est, summis gaudiis accipiat. Verum, nisi desipiat, agnoscet, libertatem potissimum deberi satisfactioni, quam præstitisset beneficus Patronus in ædibus judicis, quæ nisi esset facta, cetera omnia omittenda fuissent. Gaudet & triumphat merito ille homo liberatus de libertate sibi plenissime restituta; certissimus est, & summo quidem jure, de benevolentia Patroni etiam in posterum conservanda; sic merito cogitat: qui me in squalido carcere jacentem tanto affecit beneficio, ut ipse ingrederetur custodiam, &, quæ ad me redimendum opus erant, abunde præstaret, qui poterit omittere & negligere me liberatum jam & tot beneficiis suis ornatum. Verum, quamquam extremus actus, prout præcedentes omnes in se complectitur, pulcherrimum est gaudii objectum, tamen, si sigillatim actus consideres, is præstantissimus est, quo jus & potestas pariebatur. Ut Imperatores Romanorum, si contingeret urbem cum triumpho ingredi, facile intelligebant, futurum hoc minime fuisse, nisi victis hostibus, & rebus præclare gestis, istud sibi jus acquisivissent. Hæc, quæ dixi, ad genus humanum, peccatis obrutum, Christum liberatorem, ejusque præstitam ipsa morte satisfactionem, *vitam* vero, quam pepererat, & *incorruptibilitatem*; resurrectione demum patefactam, applicare, lectoris erit. Verum, quæ adhuc dixi, meis potius verbis, quam *Macarii*, sanctissimi viri, de re sanctissima, dicta esse, fere pœnitet. Audiamus hunc, *Homil. XI. §. XII. p.* 146. Ὃν τρόπον, ἐὰν ᾖ ἄνθρωπος δεδεμένος χεῖρας καὶ πόδας ἁλύσεσι, καὶ ἔλθῃ τις ὁ

διαλύων αὐτοῦ τὰ δεσμὰ καὶ ἀφῇ αὐτὸν ἐλεύθερον περιπατεῖν ἐν ἀνεκτότητι, οὕτω τὴν δεδεμένην ψυχὴν ταῖς ἁλύσεσι τοῦ θανάτου λύει ὁ κύριος ἀπὸ δεσμῶν καὶ ἀφίησιν αὐτὴν, καὶ ἐλευθεροῖ τὸν νοῦν τοῦ ἀκόπως ἐν ἀναπαύσει περιπατεῖν, εἰς τὸν θεϊκὸν ἀέρα. ὥσπερ ἐὰν ᾖ ἄνθρωπος ἐν πλητμονῇ ποταμοῦ ἐν μέσῳ, καὶ καταβυθισθεὶς ἐν τῷ ὕδατι κεῖται νεκρὸς πεπνιγμένος ἀνὰ μέσον δεινῶν θηρίων, καὶ εἰ θελήσει ἄλλος ἄνθρωπος ἄπειρος τοῦ κολυμβᾷν ἀνασπάσαι τὸν ἐμπεσόντα, καὶ αὐτὸς συναπόλλυται καὶ πνίγεται, λοιπὸν οὖν ἀλλὰ ἐμπείρου κολυμβητοῦ καὶ τεχνίτου χρεία, ἵνα εἰσελθὼν εἰς τὸ βάθος τοῦ κόλπου τοῦ ὕδατος ἐκεῖ καταδύσῃ καὶ ἀνενέγκῃ τὸν καταποντισμένον καὶ ὄντα ἀναμέσον τῶν θηρίων. Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ ὕδωρ, ὅταν ἴδῃ ἔμπειρον καὶ εἰδότα πλέειν, βοηθεῖ τούτῳ καὶ ἀναφέρει αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἀνώτερα μέρη. οὕτως ἡ ψυχὴ εἰς ἄβυσσον σκότους καὶ εἰς τὸ βάθος τοῦ θανάτου καταποντισθεῖσα πέπνικται καὶ νεκρά ἐστιν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναμέσον θηρίων δεινῶν. Καὶ τίς δύναται εἰς τὰ ταμεῖα ἐκεῖνα καὶ τὰ βάθη τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου κατελθεῖν, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ τεχνίτης ὁ ἐργασάμενος τὸ σῶμα, αὐτὸς ἔρχεται εἰς τὰ δύο μέρη, εἰς τὸ βάθος τοῦ ᾅδου, καὶ πάλιν εἰς τὸν βαθὺν κόλπον τῆς καρδίας, ὅπου κατέχεται ἡ ψυχὴ ὑπὸ τοῦ θανάτου σὺν τοῖς λογισμοῖς αὐτοῖς καὶ ἀναφέρει ἐκ τοῦ σκοτεινοῦ βυθοῦ τὸν νενεκρωμένον Ἀδάμ. „Quemadmodum, si homo sit vinctus „catenis manibus pedibusque, & veniat aliquis, qui vin„cula ipsius solvat, & dimittat eum, ut liber ambulet in „propatulo: Sic animam catenis mortis vinctam solvit „Dominus a vinculis, & dimittit illam, ac liberat men„tem,

„tem, ut absque molestia & cum quiete ambulet in aë-
„rem divinum. Perinde, ac si quis homo in pleno ac me-
„dio flumine demersus in aqua, jaceat mortuus, suffo-
„catus in medio horrendorum & crudelium animalium.
„Et, si quis alius natandi ignarus velit hunc in aquam col-
„lapsum servare, ipse simul pereat & suffocetur; certe
„opus hic perito natandi opifice est, ut ingressus in pro-
„fundum aquæ sinum illic aquas subeat, & referat eum,
„qui demersus in medio belluarum erat. Et ipsa aqua,
„si quando peritum artis natandi artificem nacta fuerit,
„ipsum adjuvat & tollit in superficiem aquæ. Eodem
„modo anima in abyssum tenebrarum & profunditatem
„mortis demersa, suffocata & mortua est a Deo in me-
„dio ferocium animalium. Et quis potest in penetralia
„illa & profunda inferni & mortis descendere, nisi ipse
„opifex, qui condidit corpus? Ipse penetrat duas partes,
„profundum scilicet inferni, & profundum sinum cor-
„dis, ubi detinetur anima a morte cum omnibus suis co-
„gitationibus, atque educit ex tenebrosa profunditate
„mortuum Adam.„ Descripsi non sine voluptate piis-
simi viri locum amplum, ex quo utinam sapere discerent
Sociniani, & a viro, qui totum fere quartum seculum il-
lustravit, doceri se paterentur, hominem in peccatis non
languere, sed *mortuum* esse; Christum, qui ad servandum
genus humanum venit, *ipsum opificem* esse, *ipsa morte* sua
peperisse nobis *vitam*, atque ut ea salus a se parta appli-
cari nobis possit, in *tenebrosa corda humana* venire. Dicta
autem biblica, quæ hic laudarunt Sociniani, plane non
probant, amplius aliquid resurrectioni, quam morti Chri-
sti tribuendum esse. *Rom. V.* 10. probat etiam contrarium,
ubi Apostolus clarissimis verbis tribuit *morti reconciliatio-
nem*, quæ utique majus aliquid est, quam *conservatio.*
Servari enim, ubi semel sis expiatus, facilius est, at re-
dire in gratiam, maxime cum Deo, tam horrendis modis
offenso, non modo fuerat difficile, sed, nisi intervenisset
Christus, nullo modo sperandum. Deinde, *Rom. VIII.*

34. non hoc vult Apostolus, majus aliquid præstitum esse resurrectione, quam morte, sed conjungit omnia, ut certe non sunt in meditatione nostra separanda. Qui fastigium domui impositum gaudet, quæ res ædificium absolutum indicat, non vult majoris dignitatis fastigium esse, quam probe jactum fundamentum; norunt potius architecti graviorem curam esse hujus struendi, quam illius. Non prætereundum, aliquando *Socinum* vi veritatis victum, morti Christi amplius aliquid, quam resurrectioni tribuisse. Nam, *tractat. de Justificatione, Racoviæ, an.* 1611. edito, p. 12. sic ait: „Quoniam vero inter hæc omnia, „quæ recensuimus, nullum est ipsius JEsu Christi opus „magis ejus proprium, magisve arduum & commendatio- „ne dignum, quam voluntaria mors, &, per summum „dedecus summosque cruciatus sui sanguinis fusio, ex qua „factum est, ut & resurrectionem, & beatam æternam- „que vitam & supremam illam potestatem fuerit adeptus; „idcirco jure optimo, ex iis omnibus, quæ in Christo „conspecta, nos ad ei fidendum impulerunt, & ita, ut „supra dictum est, justos nos coram Deo reddiderunt, „Christi mors & sanguis potissimum commemoratur, „iisque peccatorum nostrorum expiatio tribuitur, & per „ea nobis peccatorum remissio contigisse dicitur.„

387. *Cur vero ita crebro omnia hæc morti Christi adscribit scriptura?*

Propterea, quod mors via ad resurrectionem & exaltationem Christi fuerit, adeo, ut sine ea, secundum Dei decretum pervenire ad illa non potuerit. 1.) Deinde, quod ex omnibus, quæ Deus & Christus nostræ salutis caussa fecerunt, mors Christi potissimum nobis Dei

&

& Christi charitatem ostendat, & ante oculos ponat. 2.)

Notæ:

1.) Antequam dicere aggrediar, quid mihi de duabus rationibus, ob quas Scriptura sæpissime tot ac tanta morti Christi tribuat, videatur; observandum est circumspexisse hos homines alias quoque rationes, ne frustra existimetur mors Christi accidisse. *Fauſt. Socinus*, libro, *de JEsu Christo Servatore, L. II. cap.* 2. p. 119. ex editione *Sibrandi Lubberti*, hæc scripsit: *Adeo se placatum exhibuit, ut non solum, secundum antiqua promissa, nos a peccatis, id est, a peccatorum pœna, redemerit, seu liberaverit, ea nobis condonando; sed etiam, ut fructus atque effectus ejus condonationis ad nos redire posset, ea scilicet ratione, qua a me supra expositum fuit, ipsum Christum suum sanguinem fundere, & tanquam scelerosum quempiam, supplicio affici voluerit. Nam interventus sanguinis Christi, licet Deum ad liberationem hanc a peccatorum nostrorum pœna nobis concedendam movere non potuerit, movit tamen nos ad eam nobis oblatam accipiendam & ipsi Christo fidem habendam, unde justificati sumus, & simul Dei erga nos ineffabilem benignitatem summopere nobis commendavit.* Præclarissimus hic videtur *Socino* fructus mortis Christi, ut *nos ad fidem ipsi habendam moveret*. Verum hic nec est præcipuus fructus, quamquam in se magnus, nec morti ulla parte adscribendus, sed resurrectioni, ἀξιοπιςίαν enim Christus summam habet, non quod mortuus sit, id enim multi fecere, quorum verbis non credimus, &, si morte voluisset fidem dictis facere, sponte oportuisset mori, ut v. g. *Curtius* Romæ fecit; Nam, quamvis nos e Scriptura sciamus, sponte se obtulisse Dominum morti, & potuisse, si voluisset, vel fugere, vel prosternere hostes; tamen, cum vi ageretur, vinctus, damnatus, crucique suffixus animam efflaret, hactenus certe fi-

dem sibi non peperit. Quod meretur fidem, resurrectionis palam prædictæ & ita factæ, ut dixerat, proprium est. Sed, cum videret *Socinus*, multos esse sacros scriptores in prædicanda morte Christi, voluit & ipse videri non tribuere morti illi nihil, itaque verbo conatus est lectori imponere. Idem *Socinus Tractatu de Justificat. p.* 3. ita disputat: „ Hinc factum est, ut Christus JEsus non modo „tantam Dei bonitatem nobis annunciaverit, ac mirandis „infinitis operibus, nunquam antea visis nec auditis, confirmaverit, verum etiam ejus annunciandæ occasione, mortem crucis ipso Deo mandante, subierit, qua nulla execrabilior inveniri poterat, &c.„ *P.* 4. „ Cum igitur „mors Christi & ipsa per se veniam peccatorum nobis a „Deo per ipsum Christum oblatam, obsignaverit ac confirmaverit, & ad resurrectionem ipsius Christi, tanquam „nostræ resurrectionis, qua delictorum nostrorum venia „continetur, certissimum pignus nobis exhibendum, supremamque illam potestatem ipsi dandam, necessaria fuerit, merito scriptum est, Christum mortuum fuisse pro „peccatis nostris, nos sanguine suo a peccatis lavisse, sanguinem suum in peccatorum nostrorum remissionem effudisse &c.„ *P.* 5. „ Non quia is Deo morte sua id solverit, quod nos propter scelera nostra ejus justitiæ debebamus, atque ea ratione Deum nobis conciliaverit; aut, quia „merito tam insignis obedientiæ suæ iram Dei adversum „nos placaverit; siquidem neque his rebus quidquam opus „erat, neque eæ ullo modo fieri poterant: sed, quia nos, „qui a Deo aversi eramus, sui sanguinis fusione ac morte „interveniente, ad Deum, qui jam ultro nobis pacem offerebat, et in ipso Christo quam maxime propitium nobis „se ea ratione ostendebat, adduxit, atque, ut illi in posterum consideremus, exque illius præscripto obediremus, „effecit, quod et fieri poterat, et solum faciendum restabat.„ Videt lector quantopere se torqueat miser *Faustus*, ne dicatur nullam rationem mortis Christi agnoscere. Sed omni tamen conatu suo, præter aliqua male cohærentia verba

verba nihil potuit extundere. *Occasione* annunciandæ nobis bonitatis Dei Christum esse mortuum ait. Ita quasi per accidens illa mors contigit, nec fuisset propterea bonitatis Dei annunciatio manca imperfectaque, si vel non oppetiisset mortem, et *occasio* alia *occasione* fuisset sublata aut in contrariam partem versa. Addidit quidem *mandante Deo* factam esse; sed, si mors Christi ad evangelium nunciandum nihil contulit, sed per occasionem contigit, non apparet, quem in finem Deus eam mandarit, nec mandasse censendus est mortem Deus, quæ poterat non sustineri. Hoc liquet, ad bonitatis divinæ annunciationem nihil facere mortem Christi, itaque de hoc saltem fructu mortis Christi, etiamsi voluit aliquid dixisse videri *Socinus*, certissime nihil dixit. Porro ait: *Cum igitur mors Christi & ipsa per se veniam peccatorum obsignaverit & confirmaverit.* Sed quemnam, obsecro, vult *Socinus* horum verborum sensum esse? Quid facit mors Christi *per se?* Quid obsignat? Quid confirmat? si pro peccatis nostris delendis et luenda pœna non est facta. Promissiones discipulis factas Christus morte sua non confirmavit, nam tantum non penitus abjecerunt spem mortuo Christo; quod ea revixit, resuscitato Christo factum est. *Resurrectione* igitur confirmavit Christus promissiones, neutiquam *morte*. At, cum mortem tamen ita laudet Scriptura celebretque et commemorandam jubeat; cum morte et sanguine Christi pii omnes impense gaudeant: voluit et *Socinus* aliquid dicere, *per se* confirmare mortem Christi peccatorum veniam, sed revera nihil dixit. Pulcherrima autem dicta Scripturæ de redemtione nostra per mortem Christi facta, non potuisset *Socinus* recitare et hic et toto illo opere *de Christo Servatore*, nisi pectus adversus veritatem in credibili pervicacia obfirmasset. *Sanguine suo lavisse* nos Christus *a peccatis* dicitur; excors est, qui non videt fieri aliquid sanguine Christi, neque hujus effusionem ab effectu, *purgationis* nempe *a peccatis*, divelli posse, et, quamquam in verbo *abluere* tropus est, rem tamen, sive *sublationem reatus*, non oportet negari. Alioqui, cum

peccata *sordes* dicuntur, nihil esse peccatum dicemus, et confitebimur, tropum esse. *Interveniente* sanguinis fusione, ait, nos a Christo adduci ad Deum. Sed quid, quæso, ista *interventio*, cum sanguini et morti Christi tantus effectus in Scriptura vindicetur? *Intervenitne* ista *fusio sanguinis* ut caussa, quæ effectum nobilissimum peperit, et sine qua ille nullo modo esset secutus? Hoc si diceret *Socinus*, aliquid ad rem diceret; verum negat illa sanguinis fusione solutum esse pro nobis, quod nos debebamus; negat merito aliquo nos Deo reconciliatos, nam his rebus non fuisse opus, audacter contendit. Hic omitto ad id, quod postremo loco dictum est, respondere; exprobrabitur *Socino* alio loco cæcitas, qui nec justitiæ divinæ rationes, nec fœditatem peccati agnoscit. Nunc quæro: Si nullum meritum est in sanguinis fusione et morte; si ea ad placandum Deum nihil pertinet; si nihil, quod debuit genus humanum, illa exsolutum est: cur *intervenisse* dicitur in negotio gravissimo gratiæ divinæ nobis nunciandæ? Parienda gratia non demum fuerat, sed, si *Socino* credimus, vel sine Christo, parata est et promta; *ad nunciationem* quid mors faciet, ne cogitari quidem potest. Confirmare veracitatem nuncii, mors, præsertim ab aliis inflicta, per vim adhibitam, nequit, sed resurrectio huc facit. Quid ergo morti Christi, præstantissimo omnium Christianorum solatio, in qua laudanda & commemoranda toti sumus; quid sanguini Christi pro nobis effuso tandem secundum impium *Socinum* debetur? Planissime nihil. *Intervenit*, inquit. Hoc vocabulo neminem falli oportet, nam *p.* 7. *Socinus* hæc verba habet: *nullo vero pretio interveniente.* Credit ergo mortem Christi intervenire quasi per accidens, quæ non deceat quidem eam caussam, quæ agitur, ad eam tamen haud magnopere pertineat. Constat, de celebri Imperatore adversus Persas ituro militatum, narrari, cum domum venisset de foro, filiolaque narraret, *Persam*, quod cani nomen erat, mortuum, omen accepisse, profectum esse ad bellum, vicisse hostes Persas. Intervenit hic mors animalis,

lis, atque ita intervenit, ut augeretur animus Imperatori. Quod si quis autem morte illius animalis, partam esse victoriam, servatum exercitum, redemtum, liberatum, salutem patriæ acquisitam prædicaret, neque id rhetorico aliquo flosculo, semel, bis, terve, sed totis libris, creberrimis sermonibus, denique protestaretur, nihil sibi fore antiquius, quam tota vita concelebrare laudes istius animalis: hunc tu non putares palam insanire? At intervenit tamen mors illius canis, neque plane frustra intervenit. Nunc, quando de pretiosissimo sanguine Domini nostri JEsu Christi sermo est, quem tota Scriptura clamat; omnes, qui unquam fuere, Christiani, omnibus vocibus scriptisque assidue extollunt; sanctissimo etiam cœnæ Sacramento recolunt, laudant, celebrant; huic suam & generis humani salutem, vitam æternam, bona omnia, unice tribuunt: sine summo animi dolore & indignatione, nemo, qui Christum amat, cogitare de *Socini* levitate & impietate potest, qui certe non plus sanguini Filii Dei, morti immaculati agni Dei efficaciæ & virtutis relinquit, quam impuro, quod diximus, animali mortuo. Illico, cum ita premitur *Socinus*, confugit ad caput de resurrectione Christi. Verum de hoc triumpho Christi, nobis lætissimo, nunc non agitur, sed de *morte*: hæc quid profuerit, dicere jubemus Socinianos. Si nihil profuit, quid dicendum de scriptoribus sacris, ut omittam dicere de Spiritu Sancto, qui vix verborum satis invenire potuere, quibus agerent de morte salutifera Christi? Si profuit, age, doceant Sociniani, quid profuerit, quid debeamus ei? Nam *occasio* & *nuda interventio* tanta certe elogia non merentur. Placet hic ex egregio libro *Hugonis Grotii, de Satisfactione Christi*, nuper beneficio Rev. *Joachimi Langii* recuso, *cap. VIII.* §. 12. p. 109. paucula repetere: „Quo ergo illa toties repetita *mortis mentio* in „hoc redemtionis negotio? Duo adfert *Socinus*; primum, „quia in morte est impendium aliquod, quod non est in re„surrectione, ideoque mortis mentio redemtioni est ap„tior. Deinde, quia charitas Dei & Christi in morte ma-

„gis

„gis indicatur. Ad primum quod attinet, eodem relabi-„mur. Nam, si ex morte Christi per se liberationis no-„stræ effectus non est consecutus, (quæ est ipsius *Socini*„*Libro III. c.* 3. claris verbis edita professio,) nihil opus „erat Christum & Apostolos aut redemtionis, aut pretii „meminisse, præsertim toties, cum liberatio aliis verbis „commodius posset explicari. Altera vero illa conside-„ratio, ut ad illas pertineat sententias, quæ caritatem Dei „commemorant, ad alias certe, quæ non hoc agunt, & ad „ipsam *redemtionis* vocem explicandam parum commode „adfertur. Omitto jam, quod ne ostenditur quidem ca-„ritas eare, quod boni nostri non tam caussa fuerit, quam „nuda occasio.„ Vidit *Jo. Crellius*, cujus cogitata for-tasse alio tempore pluribus verbis excutiam, quoniam esse aliquid ipsius responsiones ad præclarum & invictum *Grotii* librum, aliquibus sine ratione persvasum est; vidit a *Socino* nihil efficaciæ ipsi morti Christi & sanguinis fu-sioni relinqui; Itaque libello, A. 1637. a *Jo. Stoinski* edito, *de caussis mortis Christi p.* 10. ait: „Quo quidem loco hoc „etiam animadvertendum est, distingui debere vim atque „efficaciam mortis Christi, a fine & scopo, ob quem Deus „voluit, ut mors Christi vim illam haberet. Vis atque „efficacia mortis Christi ad remissionem peccatorum com-„parandam tanta est, ut etiam Deum, si forte eum promis-„sionis suæ de remissione peccatorum & liberatione ab „interitu nobis concedenda pœniteret, (utimur phrasi sa-„cris literis usitata,) movere atque impellere posset, ne „promissum suum rescinderet, sed, quod pollicitus esset, „reapse præstaret. Hæc enim promissionis & juris alteri „parti dati vis est. Quare, si illam vim mors Christi non „haberet, mors Christi jus remissionis peccatorum obti-„nendæ nobis non fuisset largita. Habere autem indicat „& auctor *epistolæ ad Ebræos*, cum ait: *Sanguinem asper-„sionis*, nempe Christi, quo sumus veluti respersi, ac fœ-„deri novo inscripti, meliora loqui, quam *Abel*, h. e. non „vindictam a Deo flagitare, ut *Abelis* olim sanguis, sed

„potius

„potius scelerum omnium veniam. Veruntamen fieri „poterat, ut efficacia illa respectu Dei revera opus non „esset, quia nimirum Deus ipse illo amore, gratia ac mise-„ricordia, qua impulsus fuerat ad remissionem peccato-„rum nobis decernendam, promittendam & Sanguine „Christi confirmandam, satis moveatur ad eam nobis „reipsa præstandam, nec unquam istius vel decreti vel „promissi sui ipsum pœniteat, opus nihilominus fuit, ut „istam efficaciam mors Christi haberet: quia nimirum spei „nostræ ac porro etiam salutis nostræ multum intererat, „eam vim morti Christi inesse.„ Hæc *Crellius*, qui & ipse conatus est lectorem inanibus verbis pascere, quasi crederet morti Christi inesse aliquam efficaciam. Quænam vero illa? Ut posset Deum, si forte ipsum fœderis facti pœniteret, movere, ne rescinderet. Absone; si nihil præstitum est a Deo morte Christi, neque satisfactum pro hominibus, cur ea magis, quam ulla alia res, movebit ad servandum fœdus? Deinde, & res docet, & vidit *Crellius*, se eam hic mortis Christi efficaciam comminisci, cujus nullus sit, nec possit unquam esse, usus. Nam fieri non potest secundum ipsos Socinianos, ut pœniteat Deum promissionum, dum pii sunt homines; at, si desint esse pii, nec movere poterit mors Christi Deum ad servandas promissiones. Habet adhuc, quod dicat *Crellius*: *Opus nihilominus fuisse, ut istam efficaciam mors Christi haberet, quia nimirum spei nostræ ac porro etiam salutis nostræ multum intererat eam vim morti Christi inesse. Nam, ut nos tanto certius credere possemus, nobis in Christum credentibus peccata remissum iri, nosque ab æterno interitu liberandos esse; plurimum referebat, Deum ad id faciendum obligatum esse, & nos jus ad bonum illud promissum obtinendum habere, jus, inquam, manifestissimis ac certissimis documentis nixum, quod jam, quicquid interveniret, Deum non pateretur promissa sua rescindere.* Verum, si non est morte Christi satisfactum pro peccatis generis humani, quale vel *jus* nobis partum est illa morte, vel *obligatio* salutis nobis dandæ in Deo? Neque

nunc

nunc certius, quam si Christus nunquam esset mortuus, novimus Deum remissurum peccata, si ea non sunt hoc Christi sanguine deleta. Quodsi, nemine satisfaciente, Deus veniam nobis delictorum tribuere decrevit, sufficere potest, hujus declarata sententia; mortuus ne fuerit Christus Evangelii praecipuus doctor, an nunquam sit mortuus? ad caput caussae nihil pertinet. Urgent hominem dicta biblica, quae multum Christi morti, immo omnia, accepta referunt, in toto negotio salutis nostrae; sed resistit tamen radianti veritati, atque mavult se aliosque verborum satis tenui fuco fallere, quam, Christum vere satisfecisse pro peccatis, quod scriptura tot locis ingeminat, confiteri. Verum, ut dixi, *Crellio* alio loco, ubi videbitur, abundantius respondebo; nunc ad Catechesin nostram redeundum est. Ideo, ait, mortis Christi tam crebram in Scriptura tamque constantem mentionem esse, quoniam mors est via ad resurrectionem; nam nisi mortuus esset, non potuisset resurgere. Mirum vero est, ni homines tali ingenio jubeant, si hodie nobiscum viveret *Josephus* Patriarcha, fratrum consilia ad raucedinem laudare, qui ipsum vendidissent in Aegyptum, his referre gratiam maximi beneficii, hos auctores salutis suae praedicare; nam nisi id ita factum esset, ut contigit, non fuisset *Josephus* in Ægypto ad eum gradum honorum, quo adscendit, ascensurus. Fac hominem per portam urbis, quam ponimus unam esse, unumque ad urbem aditum, ad felicis vitae possessionem in ea urbe venisse, v. g. in Principis familiaritatem, & sic porro; si is praedicandae illius portae finem modumque ponere nollet, portae illi se honores omnes, portae salutem debere, usque repeteret, cum porta nihil fecerit, nisi quod eam transiit; nemo sapiens non diceret eum hominem desipere. At, si vera est Catecheseos doctrina, non plus ad salutem nostram mors Christi Domini nostri, quam ad felicitatem istius hominis porta oppidi, contulit.

2) Mortem Christi summum documentum amoris in nos divini, *Joannes* docuit, & scimus omnes. At Sociniana

stiana opinione vigente, quid sibi velit, Christo jusso mori, Deus, plane non capimus. Nam ob rem minime gravem; qualem comminiscitur Catechesis, ut esset patiendi exemplum piis, Christum innocentissimum hominem, Filium Dei charissimum, acerbissimis cruciatibus affectum esse, qui considerat, facile adducitur, ut Deum, non immensi amoris, sed animi truculenti arguat, & feliciores eos judicet, quos nolit Deus hoc modo amare. Cave dixeris subsecutam esse cruciatus æternam gloriam; nam de resurrectione & quæ tum accepit Dominus, alia disputatio est. De morte nunc loquimur, quæ, si demas catholicum, omnium, quæ unquam fuere, ecclesiarum dogma, de Christo pro expiandis hominibus in mortem dedito, *ira* plenissima res est mors Christi, non *amoris*.

388. Nonne est etiam aliqua alia mortis Christi caussa?

Nulla prorsus. Etsi nunc 1) vulgo Christiani sentiunt, Christum morte sua nobis salutem meruisse, & pro peccatis nostris plenarie satisfecisse, quæ sententia fallax est & erronea & admodum perniciosa.

Notæ:

1) *Nunc* vulgo Christianos ita sentire calumniatur Catechesis, quasi aliquando Christiani fuerint, qui non crederent sua & totius mundi peccata, ipsa Christi morte, deleta esse. Collegit jam dudum *Hugo Grotius* antiquorum aliquot Patrum testimonia, in quibus aliqua mire placent, quæ & huc describerem, nisi e re esset lectorum meorum, ipsum illum librum *Grotii*, in cujus calce illa testimonia comparent, hodie, ut dixi, facile parabilem, legere.

gere. Itaque mediocri studio, similia, sed alia loca Veterum, quæ se mihi obtulerunt, recitabo, certus, quantam mihi consensus antiquorum cum nostra doctrina voluptatem pariat, pariturum & aliis, quibus religio cordi est. *Cyprianus Martyr* sub finem libri ad *Demetrianum, p. m.* 285. eleganter sane scripsit: „Nec quisquam aut peccatis „retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequen„dam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia „nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quæ„rentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus „est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu „pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus est, con„fessione & fide agnitionis ejus implores. Venia confitenti „datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate „conceditur; & ad immortalitatem sub ipsa morte trans„itur. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus mise„ricordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo cru„cis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, recon„ciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem re„generatione cœlesti. Hunc, si fieri potest, sequamur „omnes, hujus Sacramento & signo censeamur. Hic no„bis viam vitæ aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic „ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper vivemus, „facti per ipsum Filii Dei, cum ipso exultabimus semper „ipsius cruore reparati. Erimus Christiani, cum Christo „simul gloriosi, de Deo Patre beati, de perpetua voluptate „lætantes, semper in conspectu Dei, & agentes Deo gra„tias semper; neque enim poterit, nisi & lætus esse sem„per & gratus, qui cum morti fuisset obnoxius, factus est „de immortalitate securus.„ *Tertulliani* locus, *libr. III. adversus Marcion. p. m.* 210. dignissimus est legi: „Sicut apud *Zachariam* in Persona JEsu, immo & in ipso „nominis Sacramento, verus summus Sacerdos Patris, „Christus JEsus, duplici habitu in duos adventus delini„atur, primo sordidis indutus, i. e. carnis passibilis & „mortalis indignitate, cum & diabolus adversabatur ei,

auctor

„auctor scil. Judæ traditoris, ne dicam etiam post baptis-
„ma, tentator. Dehinc despoliatus pristinas sordes, &
„exornatus *podere*, & mitra & cidari munda, i. e. secundi
„adventus gloria & honore. Si enim & duorum hirco-
„rum, qui jejunio offerebantur, faciam interpretationem,
„nonne & illi utrumque ordinem Christi figurant? Pares
„quidem atque consimiles propter eundem Dominum
„conspectum, quia non in alia venturus est forma, ut
„qui agnosci habeat, a quibus læsus est. Alter autem eo-
„rum circumdatus coccino, maledictus & consputus &
„convulsus & compunctus a populo extra civitatem ab-
„jiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus
„dominicæ passionis. Alter vero pro delictis oblatus,
„& Sacerdotibus templi in pabulum datus, secundæ repræ-
„sentationis argumenta signabat, qua delictis omnibus
„expiatis, Sacerdotes templi spiritalis, i. e. ecclesiæ, do-
„minicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur je-
„junantibus ceteris a salute." *Clem. Roman. ep.* I. *ad Cor.* §. *XII. p.* 22. Καὶ προσέθεντο αὐτῇ δοῦναι σημεῖον, ὅπως κρεμάσῃ ἐκ τοῦ οἴκου αὐτῆς κόκκινον, πρόδηλον ποιοῦντες, ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν. *Et ut signum darent, (Rahaba* exploratores,) *addiderunt, ut funiculum, scil. coccineum de domus pariete demitteret, notum facientes, quod omnibus, qui credunt, & sperant in Deum, per Sanguinem Domini redemtio futura sit.* Idem §. 49. *p.* 84. Ἐν ἀγάπῃ προσελάβετο ἡμᾶς ὁ δεσπότης διὰ τὴν ἀγάπην, ἣν ἔσχεν πρὸς ἡμᾶς τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν θελήματι Θεοῦ καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν, καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. *In dilectione nos Dominus sibi assumsit: Propter dilectionem, quam erga nos habuit Dominus noster JEsus Christus, voluntate divina Sanguinem suum pro nobis dedit, & carnem pro carne*

nostra, & animam pro animabus nostris. Hæc clarissime docent, non exemplum nobis patiendi fortiter tantum datum esse Christi passione, sed revera vicem nostram subiisse. Similis ergo hic *Clementis* locus est alteri, quem ex *Justino Martyre Grotius l. c. p. 135.* recitat, ubi vicariam Christi pro nobis passionem γλυκεῖαν ἀνταλλαγὴν vocat. Idem 2. *Ep. ad Corinth.* §. 1. p. 101. ἐκ εἰδότες πόθεν ἐκλήθημεν, καὶ ὑπὸ τίνος, καὶ εἰς ὃν τόπον, καὶ ὅσα ὑπέμεινεν Ἰησοῦς Χριστὸς παθεῖν ἕνεκα ἡμῶν. *Ignorantes, unde vocati simus, & a quo, & ad quem locum; & quanta sustinuerit JEsus Christus pati pro nobis.* Pergit: Τίνα ἒν ἡμεῖς αὐτῷ δώσομεν ἀντιμισθίαν; ἢ τίνα καρπὸν ἄξιον, ὧ ἡμῖν αὐτὸς ἔδωκεν; πόσα δὲ αὐτῷ ὀφείλομεν ὅσια; Τὸ φῶς γὰρ ἡμῖν ἐχαρίσατο, ὡς πατὴρ υἱὸς ἡμᾶς προσηγόρευσεν, ἀπολλυμένους ἡμᾶς ἔσωσεν. ποῖον αἶνον αὐτῷ δώσομεν, ἢ μισθὸν ἀντιμισθίας ὧν ἐλάβομεν; *Ecquam ergo nos dabimus illi retributionem? aut quem fructum pro his, quæ nobis ipse largitus est? Quantam vero illi debemus sanctimoniam? Ipsum enim lumen nobis donavit gratis; tanquam Pater Filios nos appellavit, perditos nos salvavit. Quam laudem ergo illi dabimus aut retributionis mercedem? Ignatius Martyr epist. ad Smyrnaeos. p. 4.* Ἀληθῶς ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρώδου τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκὶ, ἀφ᾽ οὗ καρποῦ ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ θεομακαρίστου αὐτοῦ πάθους, ἵνα ἄρῃ σύσσημον εἰς τοὺς αἰῶνας διὰ τῆς ἀναστάσεως, εἰς τοὺς ἁγίους καὶ πιστοὺς αὐτοῦ, εἴτε ἐν Ἰουδαίοις, εἴτε ἐν ἔθνεσιν ἐν ἑνὶ σώματι τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. *Vere sub Pontio Pilato clavis confixum pro nobis in carne. Ex quo fructu nos sumus per divine beatam passionem ejus: ut elevet signum in secula, per resurrectionem, sanctis & fidelibus suis, sive in Judæis sive in Gentibus, in uno corpore*

ecclesia

ecclesia sua. Ne nimis hic fusus sim, describam tantum pulchra & Socinianis eum primis observanda verba, vel *Ignatii*, vel antiqui auctoris, qui ejus epistolam interpolavit, ad *Smyrnaos, p. 39. ex editione Plantiniana an.* 1666. Τί γάρ ὀφελεῖ, εἰ ἐμὲ ἐπαινεῖ τις, τὸν δὲ κύριόν μου βλασφημεῖ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον Θεόν; ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων, τελείως αὐτὸν ἀπήρνηται ὢν νεκροφόρος. τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα νῦν οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι. μηδὲ γένοιτό με αὐτῶν μνημονεύειν μέχρις οὗ μετανοήσουσι. μηδεὶς πλανάσθω. Ἐὰν μὴ πιστεύσῃ Χριστὸν Ἰησοῦν ἐν σαρκὶ πεπολιτεῦσθαι καὶ ὁμολογήσῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ τὸ πάθος καὶ τὸ αἷμα, ὃ ἐξέχεεν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας, οὐ τῆς ζωῆς αἰωνίου τεύξεται, κἂν βασιλεὺς ᾖ, κἂν ἱερεὺς, κἂν ἄρχων, κἂν ἰδιώτης, κἂν δεσπότης ἢ δοῦλος, κἂν ἀνὴρ ἢ γυνή. ὁ χωρῶν χωρείτω, ὁ ἀκούων ἀκουέτω. *Quid enim me juvat, si me quis laudaverit, Dominum autem meum blasphemaverit; si non eum confessus fuerit incarnatum esse Deum? Hoc autem qui non dixerit, perfecte eum negat, estque sicut mortuum bajulans. Nomina vero eorum infidelia non est mihi nunc visum scribere. Sed neque contingat mihi, ut mentionem eorum faciam, donec pœniteant. Nemo seipsum seducat. Si enim non crediderit JEsum Christum in carne fuisse conversatum & confessus fuerit crucem ejus & passionem & sanguinem, quem effudit pro mundi salute, vitam æternam non consequetur, sive Rex fuerit, sive Sacerdos, seu Princeps, seu privatus, seu dominus, sive servus; seu vir sive mulier; qui capit, capiat, & qui audit, audiat.*

381. Qua ratione?

Quod ad id, quod fallax sit & erronea,

attinet, id hinc perspicuum est, quod non solum de ea nihil extet in Scripturis; verum etiam Scripturis & sanæ rationi repugnet.

350. *Demonstra id ordine.*

Id non haberi in Scripturis, argumento est, quod istius opinionis assertores nunquam perspicuas Scripturas afferunt, ad approbandum istam opinionem, 1) verum quasdam consecutiones nectunt, quibus, quod asserunt, efficere conantur, quas, ut admittere æquum est, cum ex Scripturis necessario adstruuntur, ita, ubi Scripturis repugnant, eas nullam vim habere certum est.

Notæ:

1) *Perspicuam Scripturam* poscunt Sociniani. A Pontificiis longissime refugisse videri volunt hi homines, sed hac in caussa suaviter cum ipsis conspirant. Nam in eorum *methodis* (vid. *Ephes. VI.* 11.) novimus & hanc esse, ut a nobis postuletur, doctrinam nostram totidem verbis in Scriptura conceptam ostendi. Ego vero ex homine Sociniano quærendum existimo, qualia oporteat esse testimonia, quæ ipsis digna videantur dici *perspicua?* Mihi sic videtur; clariora testimonia non modo non fas esse postulari, sed nec concipi mente optarique posse. Dixerunt, & recte dixerunt Sociniani, *Christianorum* esse hanc sententiam: *Christum morte sua nobis salutem meruisse, &, pro peccatis nostris plenarie satisfecisse.* Quid vero *Esaias* vult, *cap. LIII.* v. 6. *Vibice ejus sanitas obtigit nobis; nos omnes ut pecudes erravimus, unus quisque*

suam

suam prospexit, Jehovah autem incurrere in eum fecit peccata omnium nostrum. De Christo agi hoc loco, quoniam fatentur adversarii, abstineo probatione. In hunc irruerunt omnium hominum peccata, in eum utique finem, ut *patiendo tolleret, agnus* adeo dictus, *qui tollit peccata mundi.* Porro actiones omnium hominum pravas physice confluxisse in Christo, nemo dixerit. Itaque si velis sensum habere *Esaiæ* verba, hic erit: reatum omnium peccatorum convenisse in Christo, h. e. imputata esse Christo, atque vicissim patientis Christi mortem imputari hominibus. Item, v. 10. *Cum dederit anima ejus, seu ipse sacrificium pro culpa,* אשם &c. hæc ne intelligi quidem possunt, nisi Christum vicem hominum gessisse dicas, nam hostiæ pro peccatis vicem utique subierunt hominum, quos oportuisset mori. Ejusdem generis est insignis dictorum Scripturæ copia; v. g. *Matth. XX. 28. Filius hominis venit, ut daret animam suam redemtionis pretium pro multis.* 1. *Tim. II. 6.* Qui semetipsum dedit redemtionis pretium pro omnibus. 2. *Cor. V. 21. Qui non novit peccatum, factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Hæc certissime sunt idem, quod illæ duæ positiones: *Christus morte sua nobis salutem meruit; Christus pro peccatis nostris plenarie satisfecit:* Sed, quoniam futuros credo in lectoribus meis, qui non poscent, ut vindicemus hæc dicta a perversione adversariorum, nam sunt sui vindices, sed non credent fieri posse ulla specie, ut ea dicta eludere conentur male seduli homines, specimen ejus rei, ne per singula loca idem faciendum sit, dare placet. Itaque audiemus *Jo. Crellium* (quem dixi videri nonnullis dixisse aliquid adversus *Grotii* invictam demonstrationem,) commentantem ad *Galat. III.* 13. & illustrissimo loco, tenebras, si posset sol obscurari, offundere machinatum, *Commentar. in epist. ad Galat. an.* 1628. *Racoviæ edito, p.* 116. *sqq.* „*Christus nos* „*redemit,* &c. postquam ostendisset Apostolus legis vim „& severitatem, quæ obedientiam perfectam postulet, &

„maledictionem minatur omnibus sui transgressoribus;
„ne quis ex Judæis, quibus lex [illegible], hanc ejus male-
„dictionem adhuc sibi metuendam putet, & existimet,
„hoc legis edictum tam severum adhuc homines ferire, ac
„proinde vel ex hoc [illegible], fidem non sufficere ad
„consequendam [illegible], nisi etiam legis opera
„accedant; ideo docet Paulus, hoc legis fulmen, quo
„omnes sui transgressores percutit, Judæis, modo ad
„Christum conversis, non esse amplius metuendum.
„Maledictio legis, [illegible], quam lex comminabatur, est pœna
„mortis, quam lex transgressoribus suis fixit, ut v. 10.
„[illegible]. Ab hac pœna Christus magno impendio
„nos liberavit, ut ad eam non amplius simus obstri-
„cti, quatenus legem abrogavit, & vim, quam ad homi-
„nes [illegible] agendos habebat, ei ademit. Quod qui-
„dem [illegible] morte sua, qua doctrinam suam & fœdus
„[illegible] quod nobiscum Dei nomine pepigit, in quo
„illud novum, quod remissio peccatorum promittitur, sanxit ac
„[illegible]. Simul enim vetus, quod peccatoribus male-
„dictionem comminabatur, sustulit, & jus ad peccatorum
„remissionem nobis peperit. Quare non est, quod quis
„sibi propterea metuat, quod, vel antequam vera in Chri-
„stum fide esset præditus, in multis legem fuerit transgres-
„sus, & ab ea propterea damnatus; vel post id temporis
„nonnulla ejus præcepta, qualia sunt ceremonialia, peni-
„tus non curet, aut etiam ita delinquat, ut ejus delicta
„cum fide nihilominus consistere queant, cum operibus
„legis nequaquam. *Redemit;* vox redemtionis ad homines
„passive relata in sacris literis plerumque nil aliud, quam
„liberationem ex servitute, vel captivitate quadam signifi-
„cat. Unde toties redemtionis populi Israëlitici e servi-
„tute Ægyptiaca, *Exod. XV.* 13. *Deut. VII.* 8. *IX.* 26.
„[illegible] *XXI.* 8. 2. *Sam. VII.* 23. *Nehem. I.* 10. *Act.*
„[illegible], aliisque similibus, fit mentio, & nostra etiam
„æterna, in adventu Christi liberatio, *redemtio*
„[illegible]. *Luc. XXI.* 28. *Rom. VIII.* 23. *Ephes. I.* 14.
IV. 30.

„*IV.* 30. *quin & 1. Cor. I.* 30. Id autem fit vel per *Synecdochen speciei pro genere;* quia omnis redemtio proprie „dicta est liberatio ex captivitate vel servitute, quamquam „non contra: vel, si mavis, per metaphoram, sive simi„litudinem, quæ fit inter liberationem hujusmodi & re„demtionem proprie dictam. Tanto autem est plenior „metaphora seu similitudo ista, cum ad liberationem „efficiendam impendium aliquod intervenit, quod pre„tio, quo captivi redimi solent, respondeat, etiamsi illud „nemini revera persolvatur. Quemadmodum in hac „nostra a maledictione legis redemtione contingit, si„quidem in eam Deus ipse charissimum suum Filium, „Christus autem se ipsum, animam seu vitam suam, ac „pretiosum Sanguinem impendit. *Jo. III.* 16. *Rom. VIII.* „32. *Matth. XX.* 28. *1. Tim. II.* 6. *1. Petr. I.* 18. Est au„tem hoc loco vox ἐξηγόρασεν, quæ ad homines passive „relata, idem significat, quod λυτρῶσθαι vel ἀπολυ„τρῶσθαι, quæ vox in hoc negotio longe est frequen„tior, immo nuspiam, nisi hoc & *sequ. cap. v.* 5. vox „composita ἐξαγοράζειν ad homines passive refertur. „Alibi apud eundem Apostolum idem verbum legimus, „cum jubemur *redimere tempus*, h. e. occasionem atque „opportunitatem bene agendi etiam cum aliquo rerum „nostrarum neglectu vel jactura captare. *Ephes. V.* 16. *&* „*Coloss. IV.* 5. Simplex vox ἀγοράζειν, quæ crebrius oc„currit, sensu aliquantum diverso usurpatur; ea enim, ut „omnia loca, in quibus extat, 1. *Cor. VI.* 20. 2. *Petr. II.* 1. „*Apocal. V.* 9. *XIV.* 3. 4. indicant, significatur, quod in „servitutem fuerimus emti pretio, hoc est, eum in finem, „ut Dei & Christi servi ac mancipia fieremus, nulla ejus „ratione habita, quod antea alicujus servi vel captivi fueri„mus. Vid. infra d. l. c. 4. v. 5. & d. & confer cum an„teced. ab ipso initio capitis. Cum vero ait: *Nos rede„mit,* se ac ceteros judaicæ gentis homines proprie intel„ligit, quos, ut ex versu sequenti apparet, gentibus hic

„maledictionem minetur omnibus sui transgressoribus; „ne quis ex Judæis, quibus lex fuerat lata, hanc ejus maledictionem adhuc sibi metuendum putet, & existimet, „hoc legis edictum tam severum adhuc homines ferire, ac „proinde vel ex hoc ipso inferat, fidem non sufficere ad „consequendam justificationem, nisi etiam legis opera „accedant; ideo docet *Paullus*, hoc legis fulmen, quo „omnes sui transgressores percutit, Judæis, modo ad „Christum convertantur, non esse amplius metuendum. „*Maledictio legis*, seu, quam lex comminabatur, est pœna „mortis, quam lex transgressoribus suis fixit, ut *v.* 10. „dictum est. Ab hac pœna Christus magno impendio „nos liberavit, sic, ut ad eam non amplius simus obstricti, quatenus legem abrogavit, & vim, quam ad homines pœnæ obligandos habebat, ei ademit. Quod quidem præstitit morte sua, qua doctrinam suam & fœdus „illud novum, quod nobiscum Dei nomine pepigit, in quo „credentibus remissio peccatorum promittitur, sanxit ac „stabilivit. Simul enim vetus, quod peccatoribus maledictionem comminabatur, sustulit, & jus ad peccatorum „remissionem nobis peperit. Quare non est, quod quis „sibi propterea metuat, quod, vel antequam vera in Christum fide esset præditus, in multis legem fuerit transgressus, & ab ea propterea damnatus; vel post id temporis „nonnulla ejus præcepta, qualia sunt ceremonialia, penitus non curet; aut etiam ita delinquat, ut ejus delicta „cum fide nihilominus consistere queant, cum operibus „legis nequeant. *Redemit*; vox redemtionis ad homines „passive relata, in sacris literis plerumque nil aliud, quam „liberationem ex servitute, vel captivitate quadam significat. Unde toties redemtionis populi Israëlitici e servitute Ægyptiaca, *Exod. XV.* 13. *Deut. VII.* 8. *IX.* 26. „*XIII.* 5. *XXI.* 8. 2. *Sam. VII.* 23. *Nehem. I.* 10. *Act.* „*VII.* 35. aliisque similibus, fit mentio, & nostra etiam „a morte æterna, in adventu Christi liberatio, *redemtio* „appellatur. *Luc. XXI.* 28. *Rom. VIII.* 23. *Ephes. I.* 14. *IV.* 30.

„IV. 30. *quin & 1. Cor. I.* 30. Id autem fit vel per *Synec-*
„*dochen speciei pro genere*; quia omnis redemtio proprie
„dicta est liberatio ex captivitate vel servitute, quamquam
„non contra: vel, si mavis, per metaphoram, sive simi-
„litudinem, quæ fit inter liberationem hujusmodi & re-
„demtionem proprie dictam. Tanto autem est plenior
„metaphora seu similitudo ista, cum ad liberationem
„efficiendam impendium aliquod intervenit, quod pre-
„tio, quo captivi redimi solent, respondeat, etiamsi illud
„nemini revera persolvatur. Quemadmodum in hac
„nostra a maledictione legis redemtione contingit, si-
„quidem in eam Deus ipse charissimum suum Filium,
„Christus autem se ipsum, animam seu vitam suam, ac
„pretiosum Sanguinem impendit. *Jo. III. 16. Rom. VIII.*
„32. *Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 6. 1. Petr. I. 18.* Est au-
„tem hoc loco vox ἐξηγόρασεν, quæ ad homines passive
„relata, idem significat, quod λυτρῶσθαι vel ἀπολυ-
„τρῶσθαι, quæ vox in hoc negotio longe est frequen-
„tior, immo nuspiam, nisi hoc & *sequ. cap. v.* 5. vox
„composita ἐξαγοράζειν ad homines passive refertur.
„Alibi apud eundem Apostolum idem verbum legimus,
„cum jubemur *redimere tempus*, h. e. occasionem atque
„opportunitatem bene agendi etiam cum aliquo rerum
„nostrarum neglectu vel jactura captare. *Ephes. V. 16. &*
„*Coloss. IV.* 5. Simplex vox ἀγοράζειν, quæ crebrius oc-
„currit, sensu aliquantum diverso usurpatur; ea enim, ut
„omnia loca, in quibus extat, 1. *Cor. VI.* 20. 2. *Petr. II.* 1.
„*Apocal. V. 9. XIV.* 3. 4. indicant, significatur, quod in
„servitutem fuerimus emti pretio, hoc est, eum in finem,
„ut Dei & Christi servi ac mancipia fieremus, nulla ejus
„ratione habita, quod antea alicujus servi vel captivi fueri-
„mus. Vid. infra d. l. c. 4. v. 5. & d. & confer cum an-
„teced. ab ipso initio capitis. Cum vero ait: *Nos rede-*
„*mit*, se ac ceteros judaicæ gentis homines proprie intel-
„ligit, quos, ut ex versu sequenti apparet, gentibus hic

,,opponit. Nempe, quia Judæi, quibus lex revera solis ,,lata erat, proprie sub maledictione legis erant, seu ad ,,eam vi legis obstringebantur, quamquam & Gentes, si ,,rem ipsam spectes, pœnæ erant subjectæ; sed non tam ,,vi legis Mosaicæ, nisi forte eam legem per analogiam ,,quandam ad gentes accommodes, quam vi legis atque ,,æquitatis naturalis. Eadem autem ratione Gentes sunt ,,a maledictione liberatæ a Christo, qua Judæi. Qua ve- ,,ro ratione, inquies, nos Christus ab hac maledictione re- ,,demit? *factus pro nobis maledictio*, dum subiit maledi- ,,ctionem; non quod eandem subierit maledictio- ,,nem, cujus nos eramus rei: nam nos eramus æter- ,,næ mortis rei; sed, quod subierit similem, hoc est, tale ,,mortis genus, quod etiam maledictionis cujusdam, & ,,quidem legalis nomine appellari potest. Neque enim ,,proprie factus erat maledictio, seu maledictus. An ,,enim Christum tum exsecrabatur Deus, & vero prose- ,,quebatur odio, cum crucis mortem, opus tam sanctum, ,,Deo tam gratum, quod erat in odorem suavitatis, *Ephes.* ,,*V.* 2. *Esa. LIII.* 10. 11. *Philipp. II.* 9. & *d. Apoc. III.* 21. ,,quodque Deus tanto præmio dignatus est, ex ejus man- ,,dato ac voluntate adiit? Usus est ergo *Paullus anta-* ,,*naclasi*, eademque voce nunc proprie nunc figurate usus ,,est, quod in sacris literis novum non est. Vide inter alia ,,*Matth. VIII.* 22. *X.* 39. *Jo. IV.* 35. *Rom. II.* 21. *IV.* 18. ,,*XIV.* 13. De verbis: *pro nobis*, diximus *cap. II.* 20. ,,Facile autem concedere possumus, voce *pro* hoc loco ,,commutationem indicari, dummodo primum commu- ,,tatio concedatur etiam in malis ipsis, non tantum in ,,personis, hoc est, ut statuatur, cum nos deberemus sub- ,,ire maledictionem veram & proprie sic dictam, Christum ,,subiisse maledictionem improprie dictam, & quia is hanc ,,subierit, ideo nos ab illa liberatos. Deinde, ut illud quo- ,,que observetur, non ita commutationem esse factam inter ,,nos & Christum, ut, simul ac Christus maledictionem ,,subiit, nos ipso facto liberati fuerimus, sed ratione effi- ,,caciæ tantum. Actu enim tum demum liberamur,

,,cum

„cum fides accedit. Quomodo autem mors Christi eam „efficaciam habeat, explicatum est paullo superius, & „capp. duobus praecedenti. Scriptum est enim, nempe, „*Deut. XXI. 23. Exsecrabilis omnis, qui pendet in ligno.* „His verbis non probat Christum nos redemisse a maledi- „ctione legis, dum factus est pro nobis exsecratio: sed tan- „tum, eum factum esse execrationem, hoc est, exsecrabile „mortis genus subiisse, seu supplicium ejusmodi, quod iis „tantum sub lege Deus constituerat, qui ipsi essent ob ma- „leficia sua execrabiles atque abominandi. Is nimirum, „qui peccatum non norat, factus est pro nobis peccatum, „2. *Cor. V.* 21. hoc est instar peccatoris atque malefici ho- „minis, ita Deo volente, salutis nostrae caussa, tractatus fuit. „Quemadmodum paullo ante dictum.„

Audivimus hominem patienter, jam fas est responde- re. Primum, quae de maledictione legis perhibet, ita sub- latam a Christo, ut fulmen ad Christum conversis non sit amplius metuendum, cum grano salis accipienda sunt. Christus utique caussa est non metuendi fulminis, sed non coepit demum hoc fulmen terrifica vi carere nato & passo Christo. Nam *David* Rex, ad quem maledictionem le- gis pertinuisse nemo dubitabit, sed & ea liberatum esse con- stat, per quem est liberatus? *Paullus* respondet Apostolus, *Rom. IV. 6. Sicut etiam David pronunciat, beatum eum ho- minem, cui Deus imputat justitiam absque operibus, dicens: Beati, quorum remissa sunt peccata, & quorum obtecta sunt iniquitates:* &c. qua ratione autem veteres, *Abrahamus, David*, &c. justitiam adepti sunt, & quam sunt adepti ju- stitiam, eandem & eadem ratione adipiscimur nos hodie, teste eodem *Paullo*, v. 23. 24. 25. *Non est vero scriptum propter ipsum solum, quod imputatum fuerit ei, sed etiam propter nos, quibus imputandum esset, credentibus in eum, qui excitasset JEsum de mortuis. Qui traditus est propter of- fensas nostras & excitatus propter justificationem nostri.* Porro, non ita est sublata hodie per Christum maledictio, ut non reviviscat plenissime in non credentibus. Neque

enim minus terribile est anathema *Paulli*, 1. *Cor. XVI.* 22. quam illud *Mosis*, *Deut. XXVII.* 26. Quæ cum ita sint, eaque confirmentur *Habacuci Prophetæ* testimonio, *c. II. v.* 4. qui *jam dudum credentibus promiserat salutem*: certum & indubitatum esto, non hoc magis, quam altero tempore fulmen legis ablatum esse; sed, quantum ad destinationem attinet, & consilium applicandi, ea libertas parta & parata est omnibus: at, si fructum & ipsam applicationem consideres, solis credentibus, sive hodie credant, sive crediderint vixerintque ante natum Christum e virgine. In *Crellio* placent hæc verba: *Ab hac pœna nos Christus magno impendio liberavit.* Nemo bonus interpres hæc non sic intelligeret: Christum præstitisse id, quod nos debueramus præstare, passum, quod patiendum fuerat nobis; nam claritas verborum Scripturæ coëgit hominem verbis uti, illis, quæ legimus in sacro codice, non dissimilibus. Sed ipse suus interpres *Crellius* explicat ea misere, cum sic pergit: *Quatenus legem abrogavit, & vim, quam ad homines pœna obligandos habebat, ei ademit.* Quid vero opus fuit *impendio*, ad abrogandam legem? Cur non Christus legem a se latam sive (ut tantisper cum *Crellio* dicamus, Christum non esse antiquum legislatorem,) legem divinam, cum summam ex arbitrio agendi potestatem ante passionem accepisset, *Matth. IX.* 6. abrogavit illico? *Impendio* si fuit opus, ut fuit certissime, ad liberandos a legis fulmine homines, patet fulmen per *abrogationem legis* non esse sublatum, abrogari enim potuit sine impendio. At fac vera esse, quæ quidem sunt ab ipsa specie veri alienissima, abrogavitne legem *Mosaicam? decalogum* intelligo, nam *decalogicæ* & universales, non *Leviticæ* leges sunt, quarum minax illa clausula est, *Deuter. XXVII.* 26. Liquet, non abrogasse, quoniam *Matth. V.* 17. dixit: *Ne existimate me venisse, ut dissolvam legem aut Prophetas: non veni ut dissolvam, sed ut impleam.* Repurgavit potius legem, & a sordibus per Pharisæos allitis liberavit. Immo, si auxit novis legibus, quod falso quidem, at pedibus manibusque contendunt Sociniani, multo minus

minus dici potest Christus legem abrogasse. Quis non videt hic teneri & hærere miserum *Crellium?* Sed pergamus! *Quod quidem præstitit*, ut nempe legem abrogaret, *morte sua.* Qui morte Christi abrogata lex intelligi queat, equidem haud video. Nec quisquam dixerit, quis sit morti Christi cum lege vel confirmanda vel abroganda nexus? Si vel taceamus, non esse ulla ratione hanc legem abrogatam. Sic conatur *Crellius* explicare: Morte sua confirmavit Christus novum fœdus, quod remissionem peccatorum pollicetur, & simul vetus, cum quo comminationes conjunctæ fuerant, sustulit ac abrogavit. In qua disputatione nihil dicitur, quod non sit falsissimum, & toti Scripturæ contrarium. Falsum est, Christum, dum versatus est inter homines, fœdus novum gratiæ condidisse, nam *Abrahamus* & *David* & ceteri, ut vidimus, eodem modo, quo nos hodie, servati sunt. Ejusdem fœderis gratiæ perpetui & æterni, duplicem esse quoad externa dispositionem, novimus sane omnes, eamque duplicem dispositionem vocari in Scriptura *Vetus* & *Novum Testamentum*, ut adeo Christi Sanguis hostiarum sanguini oppositus, *Novi Testamenti Sanguis* merito dicatur, fatemur & probamus. Eandem vero omnium antiquorum recentiorumque esse rationem obtinendæ salutis, non minus est e Scriptura certum, itaque fœdus gratiæ unum idemque semper est, & nec *sanciri* nec *stabiliri* eo tempore, quo Christus est mortuus, potuit. Nam si esset *nunc sancitum*, non fuisset *olim*; per quid vero *Abrahamus* & *David* & reliqui obtinuissent vitam æternam? Si *stabilitum* esset, dicendum foret, antea fuisse fœdus minus tutum, quod sine blasphemia non dixeris. Hoc vero, quod agnoscere nolunt Sociniani, in morte Christi factum est, ut pactum pro genere humano liberando, & promissum in consilio divino, prædictumque ab omnibus Prophetis λύτρον reipsa præstaretur. Fœdus in se certum & ratum & unum est, at factis omnibus, quæ facienda fuerant, secundum vaticinia Prophetarum fides clariora videt rei, in se certissimæ, argumenta. Quæ porro dixit *Crel-*

lius:

lius: Non est, quod quis propterea sibi metuat, quod ita delinquat, ut ejus delicta cum fide nihilominus consistere queant, cum operibus legis nequeant, dici non potest, quam sint & impia & alteri doctrinæ de *perfectiore lege* N. T. quam tanto studio Catechesis propugnat, contraria. Nam, si delicta aliqua cum lege vetustiore & minus accurata consistere nequeunt, qui poterunt non damnari, ubi ad normam longe accuratiorem actiones exigas? Intolerando autem modo detrahitur honori Christi, si quis arbitratur quædam peccata ita esse comparata, ut non habeant Christi merito opus, quo tegantur; nam huc aurigari videtur *Crellius,* qui delicta aliqua, in veteribus certo damnanda ut legi adversa, nunc consistere posse putat, ut non damnanda. Nos scimus Sanguini Christi, pro peccatorum remissione fuso, *Matth. XXVI.* 28. hoc deberi, quod nullum est in credentibus κατάκριμα, *Rom. VIII.* 1. Itaque *Paullus,* extra Christum, quem induit in baptismate, nulla se ratione justum esse posse fatetur. *Phil. III.* 9. Καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, κ. τ. λ. *Et inveniar in ipso non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed quæ est ex fide Christi.* &c. De voce *redemit,* nescio cur collegerit *Crellius* loca e *LXX. Interpretibus,* ubi non est vocula, quam explicare hic debuisset, ἐξαγοράζω sed λυτρόω, quamquam & de hoc verbo fallit homo Socinianus, cum *in Scriptura Sacra plerumque nil aliud, quam liberationem ex servitute vel captivitate quadam significare* perhibet; nam quod addit *vocem ad hominem relatam passive* se intelligere, nihil est. Quæritur de vocis significatu, non de rebus, quæ liberentur. Quamquam & de hominibus legitur, v. g. *Exod. XIII.* 15. neque aliam naturam vox induit, cum de *homine,* aliam, cum de *agro, redemto* occurrit. Propriam ergo acceptionem verbi λυτρόω esse interposito λύτρῳ liberare, dubitari nequit. Λύτρον vero quid sit, h. e. res vel pecunia pro altera vel

re

ro vel homine, quem recipere volumus, aut cum debeatur, non dare, substituta, quem fugit? v. g. *Thucydid. VI.* 6. 5. Ἱπποκράτης ὕστερον Γέλας τύραννος λύτρα ἀνδρῶν Συρακουσίων λαβὼν τὴν γῆν τῶν Καμαριναίων. *Hippocrates Gelæ tyrannus cum pro Syracusanorum captivorum redemtione Camarinæum agrum accepisset, &c.* Nihil igitur agit *Crellius*, si vel millena nobis exempla narret verbi λυτρόω item ἀπολυτρόω metaphorico sensu accepti, cum ab ordinaria illa liberatione, quæ per interventum pretii fit, ut fieri necesse est, cum sine vi & legibus agitur, ad quamcunque liberationem significandam deflectitur; nam res docet, & quæ subinde verbo huic juncta sunt, & parallela loca, quoties de *Christi* legitur *redemtione*, proprie accipiendum esse. Ut paucis me expediam, Christi redemtio per vim non est facta, sed per λύτρον, *Matth. XX.* 28. λύτρον autem constantissime rem pecuniamve pro redimenda re altera traditam, significat. Exempla in LXX. Interpretibus hæc sunt: *Exod. XXI.* 30. *bis. Lev. XIX.* 20. *Num. III.* 46. 48. 49. 51. *Numer. XVIII.* 15. *Esa. XLV.* 13. *Levit. XXV.* 24. 51. 53. Neque adhuc usquam inventum est, quod mihi sit cognitum, unum exemplum alius significationis. Itaque nodus quæritur in scirpo, si nihilominus disputatur, an proprie Christus nos redemerit? maxime, cum simul dixerit Scriptura, quodnam sit illud λύτρον, nempe *Christi vita*. Et frivola est exceptio; *Mosen* λυτρωτὴν dici, *Act. VII.* 35. posse ergo & Christum, nullo licet λύτρῳ dato, ut *Moses* nullum dedit, eodem appellari nomine. Monstrabo, ne parum liberalis sim, Socinianis locum, quo Apostoli a *Macario* sanctissimo viro λυτρωταὶ τῶν ἀνθρώπων, *redemtores hominum* dicti sint, nempe *Homil. XXVIII.* §. 6. *p.* 400. Verum, ut summam injuriam faceret, qui sancto viro tribueret eam perversitatem, quam videmus in Socinianis, cum

p. 228.

p. 228. 229. *Homil. XV. §. 44.* dixerit: Ὅτε οὖν καὶ οἱ ἄγγελοι εἰς τὴν σὴν σωτηρίαν ἦλθον; βασιλεὺς γὰρ υἱὸς βασιλέως συμβούλιον ἐποιήσατο μετὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ ἀπεστάλη ὁ λόγος καὶ σάρκα ἐνδυσάμενος καὶ κρύψας τὴν ἑαυτοῦ θεότητα, ἵνα διὰ τοῦ ὁμοίου τὸ ὅμοιον σωθῇ, ἔθηκε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. τοσαύτη ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐστι πρὸς τὸν ἄνθρωπον. ἠρετίσατο ὁ ἀθάνατος σταυρωθῆναι διὰ σέ, βλέπε οὖν πῶς ὁ Θεὸς ἠγάπησε τὸν κόσμον, ὅτι τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν ἔδωκεν ὑπὲρ αὐτοῦ. *Quando enim angeli ad te salvandum venerunt? Rex enim, Filius Regis, consilium iniit cum Patre suo, missumque est verbum ac carnem induit, atque occultans suam ipsius Divinitatem, ut per simile simile servaretur, animam suam in cruce posuit. Tanta erat Dei dilectio erga hominem! Immortalis qui erat, elegit tui caussa cruci affigi. Perpende ergo, quam dilexerit Deus mundum!* &c. Paullo ante dixerat: Βλέπε οὖν σὺ τὸ ἀξίωμα, πῶς εἶ τίμιος, ὅτι ὑπὲρ ἀγγέλους ἐποίησέ σε ὁ Θεὸς, ὁπότε καὶ αὐτὸς δι᾽ ἑαυτοῦ εἰς τὴν πρεσβείαν καὶ λύτρωσιν παραγένετο ἐπὶ τῆς γῆς. *Respice ergo dignitatem tuam, quam sis pretiosus! quod te superiorem angelis fecerit Deus, quando vel ipse legatione ad te & redemtione tui perfuncturus, in terris se praesentem exhibuit.* Ita iniquissimum foret, inde, quod passim impropria verbi significatio locum invenit, ita quidem, ut lector nulla ratione turbetur, colligere velle, Christum quoque improprie vocandum redemtorem nostrum, cum *impendio* suo nos redemisse, vis veritatis ipsos adversarios fateri coëgerit. Mihi videtur ita res comparata, ac si quis verbum οἰκοδομεῖν, *Actor. VII.* 49. nollet de physica constructione aedificii

acci-

accipere, quoniam aliis locis, v. g. 1. *Cor. XIV.* 17. verbum in tropicum sensum inflexum legatur. Verum, ut dixi, ad nostrum locum *Galat. III.* 13. hæc non pertinent, nisi quod parallelorum locorum alter alterum illustrat. Hic enim est verbum ἐξαγοράζω. De quo verbo ita disputat *Crellius*, ut mirum sit, si non erubuit. Primum discrimen facit inter ἐξαγοράζειν & ἀγοράζειν, imperite admodum; nam si esset, pro nostra sententia faceret, nimirum videremus, *aliunde* nos redemtos, non simpliciter emtos esse, a Christo. Deinde, explicat nostrum vocabulum ἐξαγοράζω satis bene *Ephes. V.* 16. *Coloss. IV.* 5. h. e. *occasionem atque opportunitatem bene agendi etiam cum aliquo rerum nostrarum neglectu vel jactura captare:* sed neque hic vidit suam sententiam penitus confodi. Nam, si etiam illo loco *ad Ephes.* verbum, quod putare aliquis posset tropico sensu, ibi saltem, venire, tamen ordinariam significationem retinet, nihil superest dubii, *propriam,* sive tu dicas *emtionem,* sive *redemtionem,* esse, qua nos Christus emit, cum *Apoc. V.* 9. pretii, quo emti sumus, clarissima fit mentio facta: *Emisti nos Deo sanguine tuo.* Et hunc sanguinem *pretium* esse emtionis *Paulus* clamat, 1. *Cor. VI.* 20. Tædet fere repetere nugas, quo enim alio vocabulo appellem frigidissimam disputationem *Crellii: Significari, quod in servitutem fuerimus emti pretio, hoc est, eum in finem, ut Dei ac Christi servi ac mancipia fieremus, nulla ejus ratione habita, quod antea alicujus servi vel captivi fuerimus: sed simpliciter tantum, quod Dei ac Christi servi non fuerimus.* Initio magis perspicuum nihil potest esse, quam verba Apostoli *Coloss. I.* 13. 14. *Qui nos liberavit a magistratu tenebrarum, & transtulit in regnum Filii sui dilecti, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Sed &, qui legit *Ephes. II.* 1-6. unde liberati simus, & ad quod liberati, nisi plane cœcus est, videbit. Et *Ebr. II.* 14. est sane is, a quo nos liberavit morte sua Christus, *diabolus,* qui potestatem habet

mortis.

mortis. Neque vero putandum, cum mox a *diabolo*, mox a *peccatis*, mox ab *ira ventura*, *liberati*, *redemti*, *erepti* dicimur, hæc non pulchre congruere. Peccata nempe faciunt, ut genus humanum his infectum, non modo non placeat Deo, sed & ob transgressionem legis, condemnationis sit reum, itaque permissum ab irato judice dæmonum apostatarum consortio, & infelicissimo regno, hinc mors spiritualis, &, nisi quid intervenisset, æterna. Intervenit, ita volente placabili Numine, satisfactio Christi, sperata & promissa olim, præstita nunc, non diabolo, in cujus, ut tortoris, vinculis, genus humanum tenetur, dum eripiatur; sed Deo judici; ea satisfactione jus redeundi ad beneficia divina fruenda acquisitum omnibus; reditus ipse fit in singulis, quando cum certa fiducia credunt hoc pro se esse præstitum a Christo; tum cessat simul mors spiritualis, æternæ metus, ira Dei, potestas cacodæmonis, ut pateat, quomodo ab his omnibus simul liberati simus pretio summo, seu redemti. Deinde, si vel non esset solis radiis scriptum, ut sane extat, *unde* simus emti redemtive, possetne aliquis cogitare, non fuisse nos alterius in regno, antequam in regnum Dei transducti sumus? *Simpliciter*, inquit, *hoc tantum significatur, quod non fuerimus Christi ac Dei servi.* Cujus ergo? Nam in alterutro regno, Dei diabolive esse homines oportet. *Matth. XII.* 30. *qui* non est mecum, contra me est, &, qui non colligit mecum, dissipat. An putat *Crellius* fieri posse, ut neutrarum aliquis sit partium? Ipsa ratio docet, homines, ut a Deo creatos, in ipsius esse potestate, itaque cum audimus, esse in ejusdem Dei regnum & obsequia reductos, necesse est abstractos fuisse ab isto obsequio, in quod reducuntur. Æque absona est altera observatio *Crellii*: *cum dicamur redemti, hoc tantum significari, nos antea in servitute fuisse, neque simul indicari, in quam aliam servitutem redigamur.* Non potest enim vindicatio & assertio alicujus ab hero suo servi, intelligi, quin simul mente capiatur, restitutum esse illum servum hero priori, saltem suo nunc

arbitrio posse vivere, nam ad nullam conditionem non potest esse vindicatus; &, cum in præsenti caussa constet, nos per Christum vindicatos, non nobis debere vivere, sed Christo, qui pro nobis mortuus est & resurrexit, ipsa cogitatio de *redemtione* nostra simul infert ideam ejus conditionis, in quam redacti sumus. Verum demus & hoc *Crellio*, vocabulo *emtionis* non nisi *conditionem*, ad quam emimur, voce *redemtionis*, non nisi *statum*, unde liberamur, significari, nihil tamen obtinet homo inprudens; nam, cum utraque vox *ἀγοράζειν* & *ἐξαγοράζειν*, *emere* & *redimere*, in negotio salutis per Christum reparatæ occurrat fas est utrumque, neutro sepolito, in nostræ liberationis cogitatione complecti. Emit ergo nos Christus & redemit, fecitque, quando placet actus quasi diversos considerare, utrumque solus, & pretio quidem præstito sanguinis & vitæ suæ. Audiamus hic denuo *Crellium* mira absurditate facientem verba: *Qua vero ratione, inquies, nos Christus ab hac maledictione redemit? Factus pro nobis maledictio, dum subiit maledictionem.* Bene; agnosco Apostoli clarissima verba: contigisse Christo, quod nobis debuerat contingere, passum esse ipsum, quod nos debueramus pati. Sed, qui fit, ut non sentiat se victum & prostratum *Crellius*? Sic pergit: *Non, quod eandem subierit maledictionem, cujus nos eramus rei; nam nos eramus æternæ mortis rei: sed quod subierit similem, h. e. tale mortis genus, quod etiam maledictionis cujusdam & quidem legalis nomine apellari potest.* De vocabulo *idem* nolo reciprocare contentionis serram, in quo hodie Philosophi, qui sibi videntur mire sapere, tricantur; concedi potest aliquo sensu, pœnam, quam Christus tulit, non esse *eandem*, quam debebant ferre homines, & revera omnes ferunt, qui non sunt fide partæ salutis participes facti. Ut nec eadem est secundum Philosophicam *ἀκρίβειαν*, *pœna suspendii*, quam in duobus simul supplicio affectis prior fert, & quam fert posterior, quoniam *idem* non potest nisi *semel* esse, at hoc modo *bis* esset in duobus latro-

nibus. Sufficit, Christi supplicium, quod pertulit, illi supplicio, quod nos debuissemus ferre, per omnia, NB. non aliquatenus, sed, *per omnia simile* esse, quo sensu vox *idem* vulgo & communi usu accipitur, ejusdem ponderis, gravitatis, magnitudinis, pretii. Itaque idem mihi pretium pependit, qui, cum deberet mihi unciales centum, & potuisset denariis adnumerare, eaque repræsentatione semi, horam consumere, uno quasi momento, porrecto aureo nummo, *ejusdem* seu *perfecte similis* pretii, satisfecit. Quam solennis & ubique repetita est objectio Socinianorum, & hujus maxime *Crellii*, nos debuisse *cruciatus æternos inferni* ferre; Christum autem non tulisse æternos, tam est absona & nulla. Non expendunt hi disputatores, quid sit *satisfacere?* Non debemus Deo pœnas æternas ob peccata, sed *satisfactionem*. Itaque si fieri posset, ut homines tantum semel & simul paterentur, quantum læsa est Sanctitas divina, facta esset expiatio. Id cum homines non possint, quoniam non sunt infinitæ vel substantiæ vel dignitatis, præstare eam satisfactionem non possunt; itaque manet ira divina, quæ cruciatus æternos necessario secum habet conjunctos. Huic iræ non satisfit istis æternis cruciatibus; sed quia non satisfit, saltem satisfactio a Christo præstita, *quantum ad applicationem* attinet, in his hominibus, qui damnantur, *quasi nulla* est; æterni sunt cruciatus. Probent igitur, si possunt, quod certissime nunquam facient Sociniani, per rerum naturam fieri non posse satisfactionem iræ divinæ. Si fieri potest, quamquam ab ipso homine peccatore fieri non potest, necesse est istam satisfactionem non consistere in perferendis cruciatibus *æternis*. Sic enim nunquam fieret, quoniam, quod moram æternam habet, nunquam absolvitur. Hinc liquere arbitror, toto cœlo errare Socinianos, cum perhibent, si vellemus tueri veram satisfactionem a Christo præstitam, tolerandos fuisse Christo cruciatus infernales æternos. Contrario modo verius sic colligimus: Si pertulisset perferretque Christus dolores æternos, satisfacere pro nobis nec potuisse nec posse.

Jam

Jam vero, cum *grati facti sumus in dilecto Filio Dei*, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum; *Ephes. I. 6, 7.* Cum oblatio Christi sit *ὀσμὴ εὐωδίας, odor bona fragrantia; Ephes. V. 2.* adeoque accepta Deo et grata: indubitatum est, præstitam esse istam celebratissimam satisfactionem, quam, cum Christus præstare potuerit, non præstare potuerint homines; hinc demum intelligitur, Sanctissimum Dominum nostrum, cui honor in secula sit, Amen! non esse merum hominem, sed Personam divinam et æternam. Igitur, ut sunt connexæ apud nos veritates gravissimæ, de vera Divinitate Filii Dei, et facta per ipsum expiatione peccatorum: ita a contraria parte connexi eodem modo errores horrendi: Christum esse merum hominem, nec satisfecisse pro peccatis generis humani. Qua vero fronte *negat Crellius*, Christum factum esse maledictionem, quem *ait* factum esse *Paulus? Propria*, inquit, *maledictio*, seu *maledictus* non est factus. Ego vero, quid *impropria* sit maledictio, ignoro, et, si esset etiam impropriæ maledictionis genus usquam reperiendum, tamen non dubitarem propriissime Christum sustulisse diras omnes, quæ in lege sunt. Tantis enim est angoribus obrutus ob peccata nostra, ut se desertum a Patre quereretur. Quærit *Crellius: An Christum tum exsecrabatur Deus, an vero prosequebatur odio?* Ego vero vicissim quæro: An simulavit sanctissimus Dominus noster in cruce pendens, dolorem, quo cruciabatur, acerbissimum? clamavit enim: *Deus meus, Deus meus! quare dereliquisti me?* At, gratum, inquit, sacrificium Deo, odor suavis fuit. Immo, nisi fuisset, inquam, satisfactio non esset præstita; sed neque tum fuisset præstita, si non fuisset iratum Numen ab hominibus offensum. Hæc est satisfactionis etiam in hominibus placabilibus, gravibus tamen, ratio, ut, nisi essent dura aliqua perferenda satisfacturo, non poscant satisfactionem, & ubi facta sunt, quæ exiguntur, sibi testentur placere. Non nego esse rationi humanæ, quando nondum compescitur, & verbo divino credere ac submit-

 tere

tere colla edocta est, difficile captu, qui possit simul Pater cœlestis, neque hæc solum prima Persona Divinitatis, sed & cum Spiritu S. altera Persona, ὁ λόγος, exigere acerbissimum supplicium à Filio unigenito, τῷ υἱῷ τῆς ἀγάπης, & a seipso, ut sponsore generis humani considerato, & manere tamen summum & ineffabilem amorem. Sed fas est credere Christo, qui in cruce Deum *Patrem* vocat, quæ vox sine amoris notione cogitari non potest, & se derelictum conqueritur; neutrum non verissime. Ut adeo neque de perpetuo amore totius Sacrosanctæ Trinitatis in Christum, ut vadem hominum, neque de accuratissima exactione pœnarum omnium dubitandum sit. Quodsi, ut fateri necesse est, non capiamus omnia, & cogitationes, quo altius rem imperscrutabilem scrutari conamur, eo altius immensa voragine hauriantur; hoc cogitandum, nisi essent hic abyssi inexhaustæ, non fuisse futurum tantum desiderium angelorum introspiciendi hoc mysterium, 1. *Petr. I.* 12. Laudo in *Crellio*, quod concedit, quamquam veritate superatus concedit, *pro nobis*, indicare *commutationem*. Sed duo postulata, quæ addit, ita sunt comparata, ut posterius, nempe, *efficacia* tantum peccatores liberatos esse, simul ac Christus maledictionem subiit, haud ægre concedamus, necesse enim est, ut *actu* liberemur malis omnibus, applicari per fidem Christi meritum; nisi, quod veremur, dolus latet in voce *actu*, & hoc vult *Crellius*, non esse actu pretium redemtionis persolutum. Alterum vero iniquissimum est. Quis enim largietur *Crellio*, ut, *propriam* maledictionem meruerunt homines, ita *impropriam* sustinuisse Christum. Quæ enim qualisve sic esset commutatio? Ut taceam, quæ jam sunt exposita, majores esse non posse cruciatus, quam quos perpessus est Christus. Postremo aliqua dixit, quæ quo pertineant, nemo facile dixerit. Vult *Mosis* dictum *Deut. XXI.* 23. non ideo esse laudatum ab Apostolo, ut doceret Christum *nos redemisse*, sed tantum *execrationem*, seu *execrabilem*

factum

factum esse. Bene; sed; cum sit execrabilis factus eo consilio & fine, ne nos simus amplius, ut, absque eo si foret, essemus execrabiles; quid certius, quam hac ipsa re nos esse redemtos? 2. *Cor.* V. 21. locum, qui impietatem Socinianam plane prosternit, quid audet *Crellius* contemerare profana manu? Fatetur Christum instar malefici hominis tractatum esse, cur vero negat nostra peccata esse Christo imputata? Nam, si aliena peccata non tulit, qui poterit cum justitia divina conciliari, ut, qui esset in se innocentissimus, nec gereret personam nocentium, tamen ut sceleratissimus tractaretur? Ita refutatus esse *Crellii*, quem fere principem suum faciunt Sociniani, nugas, certus sum. Nunc pergendum.

391. Qui vero Scripturæ repugnat?

Ad eum modum. Quod Scripturæ passim, Deum peccata hominibus gratuito remittere, testentur. 2. Cor. V. 19. Rom. III. 24. 25. potissimum vero sub novo fœdere: at remissioni gratuitæ nihil adversatur magis, quam satisfactio. Ephes. II. 8. Matth. XVIII. 23. sqq. Cui enim creditori satisfit, vel ab ipso debitore, vel ab alio, debitoris nomine, de eo dici non potest vere, eum debitum gratuito ex ipsa gratia remisisse.

Notæ:

1) Sanctissimus Dominus noster *æternam redemtionem* invenit, *Ebr. IX.* 12. quæ res ita omnes hominum cogitationes superat, ut a nemine mortalium & angelorum capi penitus possit, qui sit factum, ut Christo interveniente ad placandum genus humanum Deo, justitiæ

& misericordiæ simul accuratissime consuleretur. Quid mirum hominibus, quales Sociniani sunt, qui e Scriptura nolunt sapere, sed sua perspicacia arrogantissime in tanta mysteria involare audent, stultitiam videri, quod sapientiæ divinæ summæ & ineffabilis argumentum est? *Justitiæ* divinæ plane perversam habent ideam, quando sine satisfactione præstita peccatorum impunitatem posse concedi existimant. *Misericordiam* vero cum opponunt nostræ sententiæ, produnt se neque hanc intelligere. Non enim misericors esset, qui suo Filio acerbissima vulnera infligi curaret, neque in se nec ob alios reo, porro, qui pios & sibi obsequentes, cum peccatorum posset gratiam facere, & impunita relinquere omnia, tamen tristia quam plurima subire juberet, ut a peccatis retrahantur, quorum secundum Socinianos, ea est ratio, ut facile possint remitti, nemine licet satisfaciente. Si Justitiæ divinæ nihil detrahitur, concedenda impunitate criminum, per eam licuisset & Christo & omnibus hominibus, carere cruciatibus. *Misericordiæ* autem eam habemus ideam, ut *misericors* dicatur, qui, *quantum potest*, & *quantum necesse est fieri, ut obtineri possit scopus*, hoc agit, ne quis sit miser. Quodsi igitur *justitia* divina, quo & *sanctitatem* refero, non obstat, quo minus hoc possit Deus, nam præterea certissime omnipotenti & sapientissimo Deo nihil obstare potest; constet autem, Deum, & ob homines punivisse Filium suum, & in genere humano *credentes* variis calamitatum generibus afficere, quod *castigationem* dicimus, *non credentes* æternis damnare cruciatibus; sane periit misericordia, & falso de Deo prædicatur. Nam hoc modo non faceret, quantum potest, vel aversio miseriæ requirit, ne homines sint miseri, cum posset facere, ut boni malive promiscue nulla unquam miseria tangerentur. Itaque hoc discendum est e Scriptura, *justitiam & misericordiam* æque in Deo esse summas, neque alteram alteri officere, atque ut peccatum nullum impunitum relinqui potest, ita postulante justitia divina: Sic, ut pœna peccatorum generis humani,

humani, non ab ipso, sed ab alio, qui horum vicem subire & voluit & potuit, exigeretur, factum est misericordia divina, non postulante quidem, nam poterat non misereri lapsorum hominum, ut non est misertus Cacodæmonum, sed suadente, nec per justitiam impedita; modum autem invenire, quo id efficeretur, sapientiæ fuit divinæ. Sed videamus, quomodo Catechesis conetur saluberrimæ doctrinæ de satisfactione Christi obstrepere: *Gratis remittuntur peccata, ergo nulla satisfactio pro iis præstita.* Pulchre hæc disputantur, præeunte Apostolo, *Rom. IV.* 4. *XI.* 6. contra eos, qui meritis hominum vel tantillum tribuunt, quod nemo magis facit, quam ipsi Sociniani, qui in probitate hominum caussam quærunt, cur salventur. Verum contra nos ista tela nihili sunt. Nam summum est, ineffabile & gratuitum beneficium Dei, quod invenit rationem nobis consulendi, quod misit Filium Redemtorem, quod accepit ejus satisfactionem: nam etsi *plenissima*, haud *inchoata*, est, nulla tamen fuit necessitas admittendi alium pro reo genere humano satisfactorem. Ablegat nos Catechesis ad aliquot præclara dicta Scripturæ, de gratuita remissione peccatorum, sed in ipsis illis dictis additur, fieri istam remissionem *per Christum*, quæ verba nihil significarent, nisi Christus suo Sanguine peperisset nobis remissionem. Miror, vero imprudentes Socinianos etiam laudasse, *Rom. III.* 24. 25. poterant enim *v.* 26. hæc verba videre: *Ut sit & ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide.* Justitiæ autem divinæ qui convenisset mentionem injicere, si non esset illi ab Redemtore nostro Christo satisfactum. Sed, & idem observandum de 2. *Cor. V.* 19. nam nec fuisset Deus in Christo ad expiandum genus humanum, nec expiatione ulla fuisset opus, si nulla interposita satisfactione Deus peccata remittit. Superest monstrare, quæ de creditore disputat Catechesis, qui non possit gratis remisisse dici, si vel ipse debitor, vel ejus nomine alter satisfecerit, nobis plane nihil obesse. Nam, quamquam Deum, ut *creditorem* considerari licet, in quantum

inquam, omnia, quam frustra adversus nos differuntur, tam evertunt Socinianam impietatem; nam sævitiæ in Filium absolvi non posset Pater, si pro hominibus se interponentem, cum salva justitia nihil, saltem parum pœnæ expeti potuisset, tantum ut esset exemplum patientiæ, tantopere excruciasset.

393. *Cedo etiam, qui hæc opinio est perniciosa?*

Ad eum modum, quod hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat, aut certe ad socordiam in pietate colenda eos invitet. Scriptura vero testatur, eum inter alios etiam Christi mortis finem esse, ut redimeremur ab omni iniquitate, ex hoc seculo nequam eriperemur & redimeremur ex vana conversatione a patribus tradita, & mundaremur conscientia a mortuis operibus ad serviendum Deo viventi. 1) Tit. II. 14. Gal. I. 4. 1. Petr. I. 18. Ebr. IX. 14.

Notæ:

1) *Gravis est sed impudentissima* calumnia, avocari homines doctrina de merito & satisfactione Christi a studio bonorum operum. Sed bene est, factam eandem dudum Apostolo, & ab eodem refutatam. *Rom. III.* 31. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? absit! immo legem stabilimus.* Quorum verborum hæc est sententia: Per fidem reconciliati Deo accipimus demum vires Deo obsequendi & vivendi ex formula legis moralis, cum contra, qui sibi ipse conatur salutem operibus parere, necessario vel in superbiam Deo abominabilem incidat, instar illius

illius Pharisæi, *Luc.* XVIII. 11. vel animum penitus despondeat. Illi demum secundum legem vivere ita possunt, ut Deo placeant, qui salutem non acquiri his operibus oportere, jam norunt, atque adeo Spiritum Sanctum accepere. Mireris & hic imprudentiam auctorum Catecheseos. Voluerant demonstrare, doctrinam de Christi redemtione turbare studium bonorum operum, sed inciderunt in elegantissima dicta, quibus Apostolus e facta redemtione fortissime colligit, studendum esse bonis operibus. Ita *Tit. II.* 14. habetur: Christum dedisse se *pro nobis;* quas voces ipse *Crellius* concessit significare *commutationem personarum*, ita nempe, ut vice nostra functus sit Christus. Hinc vero concludit *Paullus*, mores pravi seculi alienos esse oportere a piis; consilium fuisse Christi nos redimentis, non, ut porro serviremus diabolo, sed sibi. Clarior etiam hanc in rem est alter locus, *Gal. I.* 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris &c. &, pretio nos redemtos esse in id ipsum, ut sancte vivamus. Petrus* testatur, 1. *Ep. I. v.* 18. ut adeo de proprie sic dicta *redemtione* dubitare nefas sit. Omnium vero clarissimus est locus, *Ebr. IX.* 14. ubi legimus, *conscientiam* nostram Sanguine Christi profuso purgari, id quod aliter, quam imputatione meriti & Sanguinis Christi, fieri nequit, nec potest intelligi, emundatio mentis, qua homines fiunt sanctiores, sed qua *conscientia* reatu suo liberatur. Ex eo vero, quod conscientia Sanguine agni immaculati purgata est, sequitur prono alveo, non esse polluendam amplius, sed pro tanto beneficio alacrius serviendum Deo. In recentiore Catechesi hoc etiam adjectum video: *Si a Christo pro omnibus peccatis nostris, etiam futuris, Deo præstita est plenissima solutio, ipso facto ab obligatione ad pœnam liberati sumus, ac proinde nulla amplius a nobis conditio exigi jure potest, ut a peccatorum pœnis liberemur. Quæ ergo pie vivendi erit necessitas?* Gaudemus utique cum beato *Paullo*, liberatos nos esse per Christum ab obligatione ad pœnas, *Rom. VIII.* 1. 33. 34. *Galat. III.* 13. neque adeo a nobis con-

conditionem exigi, qua *liberemur a peccatorum pœnis;* a Christo enim præstita est ista conditio, non repetenda a nobis, sufficit in negotio Justificationis, Christi meriti nos esse per fidem participes factos. Necessitas sanctæ vitæ nihilominus est maxima, verum non ad salutem obtinendam, sed, quia vera fides non potest bonis operibus carere, quam succo carere nequit palmes viti probe innexus; tum & agnoscitur ipsa fides e fructibus, nempe sanctitate morum, adeoque cum summe necessarium sit, certum esse de fidei veritate, non minus necesse est de bonis operibus constare.

394. *Quanam vero ratione hanc suam opinionem tuentur?*

Conantur primum ratione quadam id efficere, deinde Scripturæ auctoritate.

395. *Quæ vero hæc ratio est?*

Ajunt, in Deo justitiam & misericordiam esse naturalem. Ut vero est misericordiæ peccata remittere, ita ajunt justitiæ esse proprium, quodvis peccatum punire. Cum vero Deus vellet, ut misericordiæ ipsius & justitiæ simul satisfieret, eam rationem invenit, ut Christus loco nostri mortem perferret, atque eo modo justitiæ Dei satisfaceret, atque sic a natura humana satisfieret Deo, a qua offensus fuerat.

396. *Quid vero ad eam rationem respondes?*

Ea ratio specie plausibilis est, reipsa

tamen

tamen nec veri neque solidi quidquam habet. Etsi enim nos fateamur, & hinc summa voluptate afficiamur, Deum nostrum esse misericordem, mirum in modum, & justum; tamen eam misericordiam & justitiam, qualem hic adversarii nostri volunt, negamus Deo inesse naturaliter. 1) Nam, quod attinet ad misericordiam, eam Deo non ita natura inesse, ut isti sentiunt, hinc patet, quod, si natura Deo inesset, non posset Deus ullum peccatum prorsus punire; atque vicissim, si ea justitia Deo natura inesset, nullum peccatum Deus remitteret, sed semper illud puniret. Adversus enim ea, quæ Deo insunt natura, nunquam potest quidquam facere Deus. Exempli caussa, cum sapientia Deo insit natura, nunquam contra eam quidquam Deus facit; verum, quæcunque facit, omnia facit sapienter. Verum, cum Deum constet remittere peccata & punire, quando velit, apparet Deo ejusmodi misericordiam & justitiam, qualem illi opinantur, non inesse natura, sed esse effectus ipsius voluntatis. Præterea eam justitiam, quam adversarii misericordiæ opponunt, qua Deus peccata punit, nusquam literæ sacræ hoc nomine justitiæ insigniunt; verum iram & furorem Dei appellant, immo justitiæ Dei in Scripturis hoc attribuitur, cum Deus peccata

catà condonat. 1. Jo. I. 9. Rom. III. 25. 26. 2)

Notæ:

1) Ut cœci de coloribus, ita hic de Deo judicat Catechesis. Negat Deo naturalem esse cum justitiam, tum misericordiam, sapientiam vero, ait, esse naturalem. Qua de re ut accurate constet, ante omnia, quid his vocabulis nobis velimus, explicandum est. *Naturale* Deo dicimus esse, non *ingeneratum*, ut hominibus omnia, qua ab ipsa infantia insunt, ut adeo incommoda sit *Smalcii* in versione germanica vox: angebohren; nisi de Filio Dei h. e. persona altera, ab æterno ex essentia Patris genit quod quidem *Smalcius* minime videtur velle, intelligas Sed, *naturale* est Deo, quod & semper inest, & ita, ut nc possit non inesse, & sine quo Deus non esset Deus. Por *justitia* est ea divina virtus, quæ legum a se latarum vi dex est, puniendo prævaricationes, tribuendis, quæ pr misit, præmiis. Idque facit, ut ne quis malus non puni tur, ne quis bonus puniatur. Denique genus human hanc habet de *bonitate* seu *misericordia* Dei ideam, ut n & serio nolit ullam rerum a se creatarum miseram esse. sufficientes omnibus creatis rebus, quæ rationem hab (nam reliquæ nec possunt esse miseræ,) vires conce quas si non respuant, possint vel nunquam fieri miseræ. ex miseria eluctari. Has vero ideas ipsa Scriptura nos j mente formare; nam cum de *justitia & misericordia* infinitis locis loquatur, velitque adeo a nobis int liquet communes dari notiones harum virtutum, de cunque dicantur, sive Deo, sive homine, hoc tantu servato discrimine, ut in hominibus plerumque no sed esse debeant, at in Deo revera sint, & quidem pl finitæ, cum mortales vix tenuem earum umbram p ant. Itaque jubemur esse *misericordes*, quemadn

Pater noster in cœlis misericors est. *Luc. VI. 36.* Sæpissime etiam de *justitia* divina verba fiunt, apud nos autem certe, eas, quas dixi, habemus de his virtutibus, notiones. His ita expositis, ne dubitandum quidem arbitror, cum *misericordiam*, tum *justitiam* esse in Deo *naturales;* neque posse esse Deum, qui non velit res a se creatas esse felices, qui non tueatur leges a se datas, ut vel præmia, si sint, qui observent, vel supplicia transgressoribus tribuantur, qui denique non stet promissis accuratissime. Neque intelligi potest, cur magis sit naturalis Deo sapientia, quam misericordia, seu bonitas, & justitia. Quod excipit Catechesis, plane caret nervis. Sic ait: *Si naturalis esset Deo misericordia: non posset unquam punire; si justitia: non posset unquam non punire.* Neutrum est verum. Nam potest esse & vocatur merito maxime misericors Princeps, qui saluberrimis legibus & prohibet scelera, & cavet, ne fiant, sed, si nihilominus pravi sint cives, eos tandem supplicio affici curat, neque hoc vult misericordia, ut aliorum miseria, quantum absolute in viribus ejus est, qui misericors audit, avertatur; sat est, si sufficientibus, ubi id fieri potest, viribus, & serio amoliri studeat miseriam. Id vero de humano genere fecisse facereque Deum, certissimum est, sed non desinit nomen *misericordis* mereri, cum, justitia ita flagitante, pœnas sumit, uti vicissim nihil *justitia* detrahitur, si pœna vicaria, quam alius, qui potest rei vices subire, tolerat, admittitur.

2) *Justitiam* de Deo prædicatam esse eam, qua, *cum promissiones, tum minas, adimplet, adeoque & peccata punit;* carere debuisset controversia: sed nihil pudet Socinianos; qui jam negare audent in literis sacris usquam voluntatem Dei puniendi peccata, *justitiam* dici. Quibus cave credas. Erunt fere omnia loca, quibus *justitia activa* Deo tribuitur, hæc in Scriptura. 2. *Thess. I. 6. Apoc. XVI. 7. 8. XIX. 2. collat. XV. 3. Paullus* ita scripsit: *Δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν. Justum apud Deum reddere calamitatem illis, qui vobis*

cum

eam inferunt. *Joannes* vero: *Vera & justa sunt judicia ejus, ἀληθιναὶ καὶ δίκαιαι αἱ κρίσεις αὐτοῦ, quoniam judicavit meretricem magnam. &c.* Ita *Proverb. XX.* 8. Septuaginta Interpr. hæc habent: Ὅταν βασιλεὺς δίκαιος καθίσῃ ἐπὶ θρόνου, οὐκ ἐναντιοῦται ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ πᾶν πονηρόν. *Quando rex justus sedet in throno, non venit obviam oculis ejus, h. e. terretur, ejus vindice oculo, omne malum.* *Justitia*, *vox forensis* est *Aristotele* teste, *de Republ. L.* 1. *c.* 3. *p. m.* 179 Ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν, ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστιν. ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις. *Justitia vero civilis res est, nam judicium societatis civilis ordo est, juris autem disceptatio judicium est:* Neque Scriptura ab usu vulgari vocabuli abiisse se usquam prodit. Itaque cum vel *activa* sit vel *passiva* justitia, quarum hæc facit, ut homo sit vel absolutus vel absolvendus in judicio: illa, ut judex suum cuique tribuat, &. quod quisque meretur, ei adjudicet: idem fit in Scriptura; nam Deus vocatur *justus Judex*, cum damnat impios, absolvit pios, quamquam nemo in se pius est, saltem aliena sibi imputata justitia munitos, & homines justi sunt, in Foro divino, cum ob applicatum meritum Christi absolvuntur absolvendique sunt. Falsissimum ergo, *justitiam* in Scriptura accipi pro *condonatione peccatorum.* Absolutio fit a judice justo in probis, sed non est beneficentiæ fructus in judice, verum justitiæ. Neque aliud volunt dicta a Catechesi laudata, quorum illud *Rom. III.* 25 ad ruborem dare debuerat Socinianos; nam clarum est testimonium *Paulli*, Deum & suæ justitiæ, quæ postulat malorum pœnam, consuluisse, & nihilominus absolvere credentes in Christum. 1. *Jo. I.* 9. vero Deus πιστὸς καὶ δίκαιος, *fidelis & justus* dicitur, cum pœnitentibus Christoque adeo confisis, (nam nunquam divelli debet *pœnitere & credere* Evangelio, *Marc. I.* 15.) peccata re-

Non ſtaret autem fide, nec eſſet juſtus Deus, ſi acceptata licet a Chriſto ſatisfactione pro genere humano, tamen nollet homines abſolvere.

397. *Quæ vero tua eſt de ea re ſententia?*

Ea nimirum, cum eam miſericordiam & juſtitiam, quas adverſarii ineſſe Deo natura opinentur, Deo non ineſſe natura docuerimus, 1) nullo modo opus fuiſſe, ea ratione, qua miſericordiæ iſti & juſtitiæ ſatisfieret, & qua veluti temperamento quodam in Deo inter ſe conciliarentur. Equidem non diffitemur juſtitiam eſſe Deo naturalem, verum eam, quæ rectitudo nominatur, & pravitati opponitur. Atque ea quidem in omnibus Dei operibus elucet, unde eadem omnia juſta & recta & perfecta apparent, idque non minus, cum Deus peccata remittit, quam cum eadem punit. 2)

Notæ:

1) Quamquam contrarium ejus, quod ſe demonſtraſſe Catecheſis jactitat, jam demonſtravimus, tamen aliqua hic addam. Niſi *David* juſtitiam punitivam credidiſſet Deo naturalem eſſe, ſed, quaſi in indifferenti poſitam, velletne an nollet iraſci peccatoribus, non dixiſſet *Pſalmo V. 5. Non Deus, qui probet malum, tu es, tecum non morabitur malus.* Non potuiſſet hoc Propheta dicere, quando quid hic illicve facturus eſſet Deus, non conſtabat, eſſetne placide paſſurus male fieri omnia, an puni-

 turus

turus pro meritis; nisi de natura & indole Dei, qui non potest non transgressoribus sanctissimæ legis suæ infensus esse, certus fuisset. Ita *Habac. I.* 13. quem locum *Seb. Schmidius* sic vertit: *O purior oculus, quam ut videas malum, & qui respicere*, probando, *molestiam non vales quare respicies*, approbando, *perfidos, & tacebis, quand absorbet impius justiorem ipso.* Et sanctissimi viri *Jeremias XII.* 1. *& Jobus XXI.* 7. *justitiæ* divinæ adversari putabant dilatum supplicium malorum, quod non potuissent suspicari, nisi hanc cum toto genere humano habuissent ideam, non posse Deum ferre malum.

2). Rectitudinem in Deo concedunt esse, quæ opponatur pravitati, neque vident hoc ipso se, quod voluerant negare, affirmasse. Nam in hominibus probus esse potest, qui patitur alios improbos esse, in quos ipsi nullum esse jus & imperium contigit: at, qui sciens volensque aliorum patitur improbitatem, quos habet sibi obnoxios & fidei ac curæ suæ commendatos, quosque posset ad pœnam vocare, tantum detrahit laudi probitatis suæ quantum indulget improbis. In Deo vero vires esse puniendi ea, quæ suæ probitati sunt contraria, quis nescit. Pone igitur simul in Domino esse aversationem malorum seu peccatorum, & facultatem ab se removendi peccatores, quod utrumque longe est certissimum, &, cum concedant Sociniani in Deo rectitudinem naturalem, quæ cum aversatione rei contrariæ non potest non esse conjunctissima, indubitatum inter nos: Simul erit ponendum, peccatores necessario puniri; nam ipsa aversatio divina & repudiatio & remotio a conspectu Dei gravissimum est supplicium. Recentiores hic addiderunt, nostra opinione neutri virtuti divinæ consuli, *quæ enim est*, inquiunt, *justitia, quæ item misericordia, innocentem punire, nocentem dimittere?* Demonstrabitur paullo post posse Christum, cum sit sui arbitrii & supremus Dominus, vicem aliorum subire, potuisse, hoc posito, quod *Socinus* nunquam negare poterit; postulavit justitia divina, exigere pœnas

eo, qui pro nocente habendus est, nocentis autem personam sustinet Christus, cum in se sanctissimus & innocentissimus sit; quam rem vix poteris clarius eloqui, quam his Apostoli verbis, 2. Cor. V. 21. τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν. &c.

398. *Quae vero sunt Scripturae, e quibus illi opinionem suam adstruere conantur?*

Eae, quae testantur Christum vel pro nobis vel pro peccatis nostris mortuum. Deinde, quod nos redemit aut dedit semetipsum & animam suam redemtionem pro multis: tum, quod noster mediator est: porro, quod nos reconciliarit Deo, & sit propitiatio pro peccatis nostris: denique ex illis sacrificiis, quae mortem Christi, ceu figurae adumbraverant.

399. *Quid ad haec loca respondes?*

Quod attinet ad illa testimonia, in quibus habetur Christum pro nobis mortuum, ex iis satisfactionem adstrui necessario non posse, hinc manifestum est, quod Scriptura testetur, etiam nos pro fratribus animas ponere debere. 1. Jo. III. 16. & Paullus de se scribat: Nunc gaudeo in afflictionibus meis pro vobis, & suppleo reliquias afflictionum Christi pro corpore ejus, quae est ecclesia. Coloss. I. 24. Certum autem est, nec fideles pro fratribus cuiquam satisfacere, neque Paullum cuiquam pro ecclesia satisfecisse.

400. At horum verborum: Christum pro nobis esse mortuum qui sensus est?

Is, quod hæc verba; pro nobis; non significent: loco, vel vice nostri, verum, propter nos; uti etiam Apostolus, 1. Cor. VIII. 11. expresse loquitur. Quod etiam similia verba indicant, cum Scriptura loquitur pro peccatis nostris mortuum esse Christum. Quæ verba eum sensum habere nequeunt, loco, seu vice peccatorum nostrorum mortuum esse; verum, propter peccata nostra esse mortuum, ut Rom. IV. 25. manifeste scriptum legimus. Ea porro verba: Christum pro nobis esse mortuum, hanc habent vim, eum idcirco mortuum, ut nos salutem æternam, quam is nobis coelitus attulit, & amplecteremur & consequeremur, quod qua ratione fiat, paullo superius accepisti. 1)

Notæ:

1) Antequam primum argumentum plane invictum vindicemus, placet aliqua *Fausti Socini*, unde hæc in Catechesin relata sunt, describere, ut lector, quid veri falsive toti disputationi insit, possit accurate judicare. Igitur is, *de JEsu Christo Servatore, Libr. II. c.* 8. sic ait: „Sed, quid respondebis, inquies, ad ea testimonia, ubi „Christus pro nobis passus & mortuus esse legitur. Hoc „nimirum respondebo: si in illis locis dictionem *pro*, „caussam finalem denotare contendis, jam abunde per superiora responsum esse; Christum enim nostri caussa pas-

„passum & mortuum esse, ideo rectissime dicitur, quia ut
„nos salutem æternam, quam ipsemet de cœlo nobis at-
„tulerat, amplecteremur, & consequeremur, mori voluit.
„Et ita, ut nobis bene esset, ut nos ab æterna morte vindi-
„caremur, ipse & affligi & mortem oppetere non recusa-
„vit. Atque, ut tu ipse (*Covetum* alloquitur) fatearis,
„dictione *pro* in finalis caussæ significatione accepta, nihil
„aliud esse, Christum *mortuum pro nobis fuisse*, quam,
„*ut nos maximis beneficiis afficeret, ipsum vitam suam ne-*
„*glexisse*: neque vel necessarium vel etiam verisimile esse,
„ut per ea verba sacri Scriptores Christum, ut pro nobis
„justitiæ divinæ satisfaceret, mortuum esse, ostendere
„voluerint; memineris eorum *Jo. Apostoli* verborum:
„*In hoc cognovimus charitatem, quod ille pro nobis animam*
„*suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*
„*Prima*, 3. *v.* 16. Ubi vides nos quoque mori pro fratri-
„bus posse; non tamen, quia pro illis justitiæ divinæ sa-
„tisfaciamus: sed quia interdum morimur, dum curamus,
„ut aliquod longe ab isto diversum beneficium illi sentiant.
„Nam & *Paullus*, ad *Col. I.* 24 ita scribit: *Nunc gaudeo*
„*in passionibus meis pro vobis, & compleo, quæ desunt affli-*
„*ctionum Christi in carne mea; pro corpore ipsius, quod est*
„*ecclesia.* Non tamen Paullus pro *Colossensibus*, sive pro
„Ecclesia Christi ullo modo satisfaciebat; quamquam
„affligebatur, dum non minimum momentum ad *Colossen-*
„*sium* & Christi ecclesiæ ædificationem afferre curabat.
„Verum enim vero, licet ita scriptum reperiatur, non tamen
„vere & proprie dici potest, vel fratrem pro fratre mori,
„vel *Paullum* pro *Colossensibus*, aut pro Ecclesia passum fu-
„isse, sicut vere & proprie dici potest, Christum pro
„nobis passum & mortuum esse. Neque enim frater ideo
„revera moritur, vel *Paullus* affligebatur, ut hic suis affli-
„ctionibus, ille morte sua alicui beneficium det, aut da-
„ret; quamvis dum prodesse alteri curant, mortem &
„afflictionem incurrant, & pro nihilo ducant. Christus

minus altero loco, cum *Paullus* se *pro Ecclesia* sustinere calamitates prædicat, hoc vult, se velle Ecclesiam aliqua parte levare calamitatibus ab ipsa tolerandis, in quantum ipse eas toleret; v. g. Doctores Pastoresque probi & vigiles, cum gregis periculum a lupo imminens observant, vel interpositu corporum suorum arcent, vel fugant, si possunt, vel saltem morantur, dum oves sibi consulere possint & in tutum venire. Hic nihil est, quod *Socinus* dicit: *Paulli & Joannis* non posse hanc mentem esse, ut Apostoli vel quicunque fratres pro ecclesia satisfacere credantur, Sane hoc sancti viri non volunt; satisfecit unus Christus. At hoc patet: In quantum pro fratribus & Ecclesia mori vir sanctus vult, in tantum velle Ecclesiæ & fratrum personam & vices sustinere, & quantam partem oneris ipse suscepturus est, tanta cupere levatos fratres. Et, nisi hic esset sensus, plane sensum nullum fore horum verborum: *oportet nos pro fratribus vitam ponere*. Quod ubi concesserint Sociniani, id quod, velint nolint, necesse est concedi, obtinuimus Christum pro nobis mortuum, vicem nostram gessisse, ne nobis esset moriendum. Tum vero non difficile est sic porro ratiocinari: Si Christus ita personam nostram gessit, ut fieret pro nobis peccatum, & nos vice versa in ipso justitia, 2. *Cor*. *V*. 21. expiavit peccata nostra, & satisfecit pro nobis. Hoc cum non dicatur de ullo sancto homine, sed de solo Christo, nec licebit de ullo sancto dicere, expiata per ipsum esse hominum peccata, seu, ab ipso esse satisfactum pro peccatis. Id fatetur quidem *Socinus* verbis, cum negat præter Christum quemquam pro hominibus *proprie* mortuum esse, verum *re* negat. Quid enim magnopere præ *Jobo*, *Abrahamo*, aliisque præstitit Christus, si non tulit peccata nostra & eorum pœnas, si non satisfecit? summa quæque meritus esset secundum *Socinum*, sed non nobis, verum sibimet ipsi. Exemplum autem patientiæ nobis utilius esset, item subsecutæ felicitatis in *Jobo*, quam in *Christo*, cum illum nobis similiorem, assequi posse nos, magis sit sperandum, quam

Chri-

Christum, nimis sublimem, & quem pari gradu sequi, vel paucis vel plane nemini datum esset. Addit quidem, ne videatur nihil dixisse, *Socinus*, meruisse sibi Christum cruciatibus toleratis facultatem nos juvandi, atque hactenus ad nos pertinere fructum passionis. Sed & hæc verba sunt, prætereaque nihil. Nam, si Christus merus est homo, & in cœlis quasi inclusus, præsens nobis adesse non potest, ergo nec audire preces nostras, nec quidquam nobis opis præstare. Nam sine præsentia nihil horum intelligi potest, nec Deum crederem mihi ferre opem posse, nisi dixisset: *Ego sum cum eo in calamitate. Psalm. XCI.* 15. Quamquam ergo de Christi gloria & regno in nobis, seu ecclesia magnificentissime loquantur interdum Sociniani, & ampullas projiciant, tamen, quoad mordicus defendunt impium dogma de Christo mero homine, nihil loquuntur, nihil agunt. Inconcussa adhuc veritas, Christum pro nobis passum satisfecisse & vicem nostram gessisse, non evertitur observatione Catecheseos; dici etiam in Scriptura, Christum *pro peccatis* mortuum esse, quem vice peccatorum mortuum esse nemo dicere possit. Ego vero quamquam possem facile tueri hanc locutionem; Christum vicem peccatorum gessisse, ut sane non caret emphasi *Paulli* dictum, 2. *Cor. V.* 21. ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, *pro nobis ipsum peccatum fecit.* Nam debebant peccata nostra puniri, ipse vero punitus est: nolo id tamen, & nemini auctor sum ita loquendi; malo potius dicere: peccata nostra in Christo punita esse. Sed nostræ caussæ nihil decedit. Diximus enim & merito diximus, quoties de *personis* sermo est, pro quibus aliquid dicatur factum, intelligi vicem alterius geri; aliud est, cum de *re* agitur; v. c. qui *pro Consule* mittebatur apud Romanos, vel, ut *Cicero* alicubi de *Pompejo* loquitur, *pro consulibus*, vicem consulum, qui rebus in urbe præerant, nec sufficere poterant regundis provinciis, supplesse nemo negat, etiamsi simul *pro* libertate civium, *pro* incolumitate sociorum, *pro* salute publica missi essent. Neque ideo, quod hic:

pro salute minime est *vice salutis*, ibi quoque *pro consule*, non erit *vice consulis.* Quod tandem dicitur a *Socino*, loco vocis *pro* esse alibi *propter*; Christum propter peccata nostra passum esse, levius est, quam ut respondere necesse ducam, nam utriusque vocabuli eandem significationem esse arbitramur. Recentiores nihil novi hic addiderunt, nisi absonum illud *Socini*, qui e victimarum ratione contendit *pro* non significare *commutationem aequivalentium*, nam eas pro hominibus caesas esse *non in compensationem sed in remissionem peccatorum.* Nihil enim certius, quam victimas mori jussas pro homine vel populo, mortem merito, & compensationem fieri, non ipsa quidem illa victima, sed ejus antitypo Christo.

401. *Quid vero ad ea testimonia, quae nos a Christo testantur redemtos, respondes?*

E verbo redimendi non posse effici satisfactionem hanc, hinc est planum, quod de ipso Deo & in novo & in prisco foedere scribatur, eum redemisse populum suum ex Aegypto, eum fecisse redemtionem populo suo, Es. XXIX. 22. Deinde quod scriptum sit, quod Deus redemerit Abrahamum & Davidem, & quod Moses fuerit redemtor, Ps. XXXI. 6. Act. VII. 35. &, quod simus redemti e nostris iniquitatibus aut e vana conversatione nostra, Tit. II. 14. 1. Petr. I. 18. aut e maledictione legis, Gal. III. 13. Certum est autem Deum nemini satisfecisse, nec vero iniquitatibus, aut conversationi vanae aut legi satisfactum dici posse. 1)

402.

402. Quam autem vim putas ea verba habere, quod JEsus nos redemerit, & seipsum pretium redemtionis dederit?

Vox redemtionis simpliciter liberationem notat. Porro de Christi morte dicitur, quod nos per eam liberaverit, quod ea interveniente liberationem consecuti simus, & ab ipsis peccatis, ne eis amplius serviamus, & ab eorum poena, ut e faucibus aeternae mortis erepti in perpetuum vivamus.

403. Cur vero ea nostra liberatio voce redemtionis exprimitur?

Propterea, quod maxima interveniat similitudo inter liberationem & redemtionem proprie acceptam. Ut enim in proprie accepta redemtione oportet esse captivum, & eum, qui captivum detineat, tum redemtorem, denique redemtionis pretium: ita in nostra liberatione est homo captivus; qui hominem captivum detinent, sunt peccatum, mundus, diabolus, mors, est praeterea Deus & Christus captivi redemtor; denique redemtionis pretium ipse Christus vel anima ipsius a Deo & ipso Christo impensa: Tantum eo differt, quod in nostra hac liberatione nemo est, qui accipiat aliquid liberationis nomine, quod in vera redemtione semper inveniri necesse est. 2)

Notae:

Notæ:

1) *Redemtio* proprie & ordinarie est liberatio alterius *sumtu* vel *pretio*, vel, quod pretii rationem habet, *facta*. Quod, nisi res clara esset, & ipsi Sociniani viderentur concedere, probarem pluribus. Sufficit unus locus *Ciceronis, Epistol. Familiar. L. II. ep. 16. ad Cœlium*: *Nulla est enim acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere videatur: quam quidem ego a republica, meis privatis & domesticis incommodis libentissime, vel istis ipsis, quæ tu me mones, ut caveam, redemissem.* Quæ *Ciceronis* verba digna huc referri ideo visa sunt, ut appareat, non modo *homines*, v. g. *servos*, *captivos*, recte dici *redimi*, sed & pœnas & calamitates, nempe cum ab iis liberantur homines. Verum quoniam de latino vocabulo non agitur, de græco autem verbo λυτρώσασθαι supra demonstratum est, si addatur, quale λύτρον impensum sit, non posse simplicem liberationem sine permutatione aliqua intelligi; nunc placet de ebraica voce פדות, quam, v. D. peculiari dissertatione excutere animus est, aliqua *Jacobi Gussetii*, viri doctissimi, verbis disserere, *Commentar. de Lingua Ebr. p. 664. ad Exod. VIII. 19. vel 23. Et ponam redemtionem inter populum meum & populum tuum.* „Oportuit ergo Deum, dum illud malum altera manu „emittebat in Ægyptios, altera id coërcuisse, & conti„nuisse a limitibus Israëlitarum; quo duplicatur miracu„lum. Ideo libuit פדות describere *muri* instar metony„mice, quoniam ea præstabat munus, quæ murus præ„stiturus fuisset. Sensus est: Redimam & servabo popu„lum meum ab hoc malo, sicque fiet, ut ne illum attin„gat. Redemtio etiam, quam a Christo faciendam jam monstrabat ac imputabat, hic intelligi potest ille murus autem. Nam non modo pœnis æternis liberat, sed etiam iniqu[illegible]orales evertit, & earum minuendarum occasionem [illegible] quando expedire censet, suppeditat, ut patet ex [illegible]uod ad morborum depulsorum rationem reddendam

„dam allegatur satisfactio Christi, verbis *Esaiæ*, *Matth.* „*VIII.* 17. Hoc non leviter prætereundum est, ne temere „statuamus פדה sæpe sumi sine pretio redemtionis. „Nam proprietas ejus illa est, ut pretium ponat vel pe„cuniam, vel animal hominemve, hocque sive absque cul„pa, sive supposita in redemto culpa mortis periculum cre„ante. Vide exempla, *Numer. XVIII.* 15. 16. *&c. Num.* „*III.* 46. *&c. Exod. XIII.* 13. *& XXI.* 30. Sic & *Psalm.* „*XLIX.* 8. Quidni ergo & ejusdem *v.* 16. objicitur, „1. *Sam. XIV.* 45. ubi populus redimit *Jonathanem*, non „apparet autem pretium. At *Jonathan* tum ob dicti „*Saulis* temeritatem, tum ob suam ignorantiam, a Deo „judicatur insons, ut patet ex auxilio divino ei populoque „sub ipsius ductu concesso, quod allegatur a populo, tan„quam innocentiæ ipsius argumentum evidens. Insons „autem cum fuerit, non poterat propter juramentum a „Saule subjunctum, *v.* 39. necari. Nam Sacramentum „occidendi insontis non valet. Quid igitur supererat? „Saul culpa temerarii juramenti implicitus erat, pro qua „fuit sacrificandum, juxta *Levit. V.* 4. *Jonathan* quoque „etsi non in foro conscientiæ reus, attamen externa qua„dam ἀνομίᾳ & a lege Patris discrepantia notatus fuit. „Itaque victima pro priore culpa Saulis nempe, offerenda, „*Jonathan* vero, si id, quod dixi locum habuit, compa„rari potuit cum viro illo *Exod. XXI.* 29. cujus status talis „erat, ut occidi posset, non tamen ob caussam necessariam. „Sed λύτρῳ præscripto redimendus erat. Populus itaque „rem istam utramque suppeditaverit, & ideo dicetur re„demisse *Jonathanem*, absoluto toto illo negotio, per pre„tii cujusdam solutionem: „ Hæc *Gussetius*, cujus opinionem, de voto Saulis, meam non facio, sed neque hic excutere vacat.

Ad *Esaiæ XXIX.* 22. quem locum in prima acie contra nos Catechesis ponit, pulchra sunt *Campeg. Vitringa* verba, *Commentar. Tom. II. p.* 187. *a.* „Respicitur *libera-*

„*tio* & *redemtio* ipsius *Abrahami ex terra idololatrica*, ejus-
„que assertio facta ex singulari prærogativa divinæ gratiæ,
„qua illum adversus naturalem affectum, quo in terram pa-
„triam ferebatur, & necessitudinum proximarum vota ac
„obtestationes, ut credere par est, *pretio* præstantium bo-
„norum, quorum ipsi spem certam fecit, ex natalitia sede
„sua eduxit, & veluti *eripuit*, ut in ejus domo & gente ve-
„ra conservaretur veri Dei religio. Deinceps vero cura
„suæ providentiæ ita complexus est, ut in discriminibus,
„quæ respectu conjugis suæ *Sara* aut *Lothi* ex fratre nepo-
„tis, subinde subiit in Ægypto & Palæstina, nullam honoris
„aut salutis suæ jacturam fecerit. Nec dubito tamen, quin
„Propheta vindicias ejus ex terra idololatrica hic potissi-
„mum ob oculos habuerit *Jos. XXIV.* 2. 3. *Patres vestri*,
„ait *Josua, trans flumen Euphratem, sedebant olim, Thera*
„*pater Abrahami, & Pater Nachoris, & serviebant Diis alie-*
„*nis*, ואקח את אברהם & assumsi Abrahamum (mihi
„illum vindicavi & quidem pretio ingentium promisso-
„rum, quæ est emphasis vocis פדה:) ex terra trans-Eu-
„phratensi ואולך אותו & *circumduxi illum in tota terra*
„*Cananaa*.„ Eleganter *Vitringa* ostendit illam eductio-
nem *Abrahami* eodem sensu vocari *redemtionem*, quo eadem
vox & alibi venit. Nam ab hostibus non opus habuit li-
berari, cum e Chaldæa egrederetur, quos nec videtur ha-
buisse, alioqui non fuisset res dura deserere patriam. Ali-
ter ergo non videtur factum, quam ut oblata spe certissima
summorum præmiorum, suavitatem patriæ redimeret.
Superest, ut de *Psalmo. XXII.* 6. paucissima dicamus.
Plurimi negant psalmum de Christo exponendum, ma-
luntque intelligi de *Davide*; hoc saltem certum, in Novo
Test. non laudari de Christo. Me vero, cum alia, quæ in
Christum pulcherrime conveniunt, tum verba hæc, quæ
in cruce elocutus est, facile movent, ut totum hymnum
Christi esse largiar. Non difficulter autem explicabitur,
quomodo Christus sit liberatus seu *redemtus* dicendus,
nempe ut *Zach. IX.* 9. coll. *Ebr. V.* 7. vocatur נושע *serva-*
tus.

tus, quamvis sit ipse Servator; ita vero est redemtus, ut pro illo, qui victor videbatur diabolus, succumberet. Non ibo nunc per singula loca biblica, quibus verbum פדה legitur, nec satagam ostendere, ubique, non simpliciter liberationem ejus, significare, qui redemtus dicitur, sed impendio aliquo factam, v. g. hostium clade loco cædis eorum, quibus illi minabantur. Sed silere non possum commemorabilem locum *Esaiæ* Prophetæ, *cap.* XLIII. 3. *Quia ego sum Jehovah Deus tuus, Sanctus Israelis, Servator tuus: Dedi pretium redemtionis tuæ Ægyptios, Cuschæos & Sabæos loco tuo.* Nos alio loco demonstramus idoneis rationibus totum hoc caput *Esaiæ* ad ecclesiam N. T. referri & doctissimi *Vitringæ* cogitata refellimus, sed placent tamen, quæ ad h. l. scripsit p. 525. „Quod mala calamitatesque, „quæ Judeæ genti imminebant, eique allatura videbantur „exitium, ab iis sua providentia averterit, eaque derivarit „in Ægyptios, Custhæos, & Sabæos, ut illi populi, luendo „mala, quæ Judæis decreta & absque dubitatione obven„tura videbantur, visi sint pro iis persolvisse λύτρον, quod „justitiæ divinæ debebatur, h. e. ut eorum veluti loco & „vice a Deo puniti sint; sive, ut illi calamitatibus & malis, „quæ pertulerunt, populum Dei a malis ipsi imminenti„bus liberum præstiterint. Quæ est genuina significatio „vocis כפר, quæ valet λύτρον, *pretium redemtionis*, quo „quis suam aut alterius libertatem salutemque æquivalenti „pretio redimit, jacturam, quam *tertius* facit, pretio ejus„dem valoris pensans. Id vero fieri potest proprie vel im„proprie. Proprie quidem, ubi quis passione aut solutio„ne voluntaria, consentiente principe aut judice, alterius „malum aut incommodum, in se transferri patitur, ut ali„um ab hoc malo liberet. Improprie, ubi quis simpliciter „*malo*, quod ipse perfert, alium liberat, licet ipse illud nec „voluntate sua ferat, nec immerito. Veluti, si hostis, pa„ratus ad invadendos Phœnices, Syros, Philistæos, quo„rum singuli hoc malum metuant, neglectis Phœnicibus

& Phi-

„& Philiſtæis, invadat Syros;" qui improprie dicantur „λύτρον כֹּפֶר, quod ſuis malis reliquas gentes ab iisdem „malis liberos præſtiterint. conf. *Prov. XXI.* 18." *Proprie* dictum eſſe λύτρον, quod Chriſtus præſtitit, ex eo patet, quod ſciens volensque, conſentiente Deo Patre, *Eſa. LIII.* 10. perſolvit. Subjecit Catecheſis tria alia loca: *Tit. II.* 14. 1. *Petr. I.* 18. *Galat. III.* 13. quaſi teſtimonia vocis *redimere* pro ſimplici liberatione, acceptæ. Verum nihil agunt Sociniani; nos potius tria hæc illuſtriſſima loca penitus noſtra eſſe confidimus, nec poterat quidquam clarius de *propria* redemtione dici, quam factum eſt his locis. Mire frigent hæc verba Catecheſeos: *Certum autem eſt Deum nemini ſatisfeciſſe, nec vero iniquitatibus, aut converſationi vanæ, aut legi ſatisfactum dici poſſe.* Nam, quod ad primum pertinet, neſcio contra quem pugnent, neque enim eſt, qui dixerit Deum Trinunum, ſatisfacere ei, a quo liberat. Male vero colligeretur: quia Deus, cum liberat ſeu redimit homines, uno quidem pro altero & ejus vice poſito, non ſatisfacit alicui; ergo nec Chriſti redemtio hoc infert, ut alicui ſatisfecerit. Nam ſatisfactio vera demonſtratur haud e vocula *redemtio*, quam aliquando improprie accipi, modo e *Vitringa* obſervavimus, ſed inde, quod redemtio Chriſti proprie ſic dicta redemtio eſt, hoc ipſum vero luculenta dicta & ipſa res docent, quoniam ſciens & volens peccatum, ἁμαρτία, factus eſt, ut nos eſſemus juſtitia. In reliquis vero neſcio, ubi mens fuerit auctoribus Catecheſeos. Quis unquam dixit ſatisfactum eſſe iniquitatibus & vanæ converſationi? Neque vero ex noſtra doctrina ita abſone loquendum eſt. Redemit utique Chriſtus nos a peccatis & vana converſatione, ſatisfactione vera ac proprie ſic dicta, præſtita, ſed Deo præſtita, qua factum, ut, cum reatus peccatorum tolleretur, tum & facultatem nanciſceremur ſancte & pie vivendi. Nam qui redimit captivum parata & præſenti pecunia, libertatem illi reddit, & hoc vult, ſi ſapit, ut caute deinde verſetur, ſed

carceri utique non persolvitur pretium, verum carceris Domino, seu Magistratui. *Legi* autem vulgo dici solet *satisfieri*, quamquam & hoc ea mente, ut intelligatur legum custodi, seu Principi, satisfieri. *Smalcius* hoc omisit in *Germanica versione*, scripsitque solum: Und dass auch der Ungerechtigkeit nicht genug geschehen sey.

2) Praeclara est confessio, quam veritas victrix ringentibus Socinianis expressit, esse in nostra per Christum liberatione, ut in redemtione proprie accepta, hominem captivum, esse, qui hominem captivum detineat, esse peccatum, mundum, diabolum, mortem; porro esse Deum & Christum captivi redemtorem (hic mirandum placuisse vocem singularis numeri, *redemtor*, cum non credant Deum & Christum esse eundem seu unum,) esse denique redemtionis pretium, ipsum Christum vel animam ipsius a Deo & ipso Christo impensam. Quid ergo obstat, quo minus credatur esse redemtio propriissime sic dicta? *Tantum*, inquiunt, *eo differt, quod in nostra hac liberatione nemo est, qui accipiat aliquid liberationis nomine, quod in vera redemtione semper inveniri necesse est*. Utinam vero tam facile mederi possemus heterodoxorum mentibus, quam facile est demonstratu, esse hic, cui sit pro nobis satisfactum, & sane incredibile multis videbitur, scribi haec ab hominibus, qui sana mente utuntur, potuisse. Passim extat in Scriptura, Christum praestitisse sacrificium in odorem bonae fragrantiae pro nobis, Tune credes neminem esse, cui illud sacrificium destinatum oblatumque sit? Ipsi *Athenienses* non usque adeo desipuerunt, *Act. XVII.* Nam, quamquam incognitus ipsis Deus esset, quem in ara aliqua colerent, non tamen nemini, sed ipsi illi ἀγνώςῳ θεῷ, quicunque foret, lata esse sacra sua voluerunt. Itaque si vel non extaret vox DEO; vel coecus tamen videret, sacrificium a Christo pro nobis Deo traditum esse. Quid vero clarius, quam *Ephes. V. 2. Quemadmodum & Christus amavit nos, & tradidit se ipsum pro nobis oblationem & sacrificium DEO in odorem bonae fragrantiae?* Porro constat,

 non

nos esse *conciliatos* per Christum, & sanguine quidem :
morte Christi ; quæ qui audit, hoc saltem intelliget, es
aliquem, cum quo nobis antea lis intercessisset & inimiciti
Quærendumne autem diu erit, quisnam sit ille gravis in
micus, ni Christus interveniret ? Lege *Coloss. I.* 21. *Et n*
quondam alienatos & hostes, mente in operibus malis, nu
vero reconciliavit. Cui ? quæris ; lege eundem Apost
lum. *Rom. V.* 1. *Justificati igitur ex fide pacem habem*
ergà Deum, per Dominum nostrum JEsum Christum. Et
10. *Si enim, cum essemus hostes, re conciliati sumus, De*
per mortem Filii ipsius, multo magis, cum reconliati jam
mus, servabimur in ipsius vita. Lege denique ut bre
sim, 2. *Cor. V.* 18-22. & videbis, Deo, cujus consilio op
redemtionis a Christo confectum, nos reconciliari. J
cogita, cum fateatur Catechesis esse *redemtionis pretiu*
Christum nempe ipsum, seu ipsius animam, scil. mo
positam, & certum sit illa morte Deum esse nobis pla
tum, supereritne dubium vel minimum, esse istud preti
Deo, qui placatus est, datum ? Verbum addam de *Apoc*
V. 9. Canunt viginti quatuor seniores *sese Deo emtos s*
guine agni, h. e. ut essent Dei peculium. Hic cogit
aliquis poterat, qui ematur Deo, ejus emti pretium
esse datum Deo, sed nescio cui alteri, cui sit pretium :
illo datum. Verum hominis Christiani est scire, & sali
docili animo discere, quemadmodum idem Deus est,
nos reconciliavit secum, per Christum, & cui per h
Christum reconciliati sumus, ita pariter eundem esse I
um, cui pretium, quo emti sumus, persolvitur, & cu
redemti servire debeamus. Quæ cum omnia in Scrip
clare sint exposita, nefas est alterum alteri opponere v
Maxime cum et in humanis non infrequens sit, servum
gitivum, præstita, v. g. ab aliquo consanguineo illius s
satisfactione offenso Domino, ita illi reconciliari, ut ac
ficium promtius redeat et operas suas strenue præstet.
lateat Sociniana perfidia sub voce *liberationis nomine*, e
villetur, acceptum quidem a Deo esse Christi sacrifici

at non liberationis nomine, e re erit audire Recentiores, & tum respondere. Sic ajunt: „Si vero loquamur de „liberatione a peccatorum pœna, hanc Deo debebamus, „a qua nos Christus liberavit, cum se ipsum pro nobis, „Deo sic volente, in mortem tradidit, & per sanguinem „proprium in cœlesti sacrario obtulit: quam Filii sui ad „mortem, eamque crucis, obedientiam Deus pro omni„um gratissima sibi victima accepit. Neque tamen hoc „eam vim habet, quasi Deus debita nostra sibi proprie „persoluta receperit: cum Christus illius proprius, victi„maque ab ipsomet data fuerit, quod & in anniversario „illo sacrificio (sacrificii Christi figura,) fiebat, & omnia „ipse per se suoque nomine Deo debuerit; & quamvis „omnium maxima ac perfectissima ejus fuerit obedien„tia, nihilominus incomparabiliter majora pro illa pre„mia acceperit. Proinde hoc immensæ Dei gratiæ & li„beralitati ad scribendum est, quod non solum nihil eo„rum, quæ sibi a nobis debebantur, receperit, non solum „omnia debita nobis condonaverit, sed etiam victimam „de suo, eamque Filium suum proprium & unigenitum „uniceque dilectum, agnum illum immaculatum pro nobis „peccatisque nostris impenderit, non ut sibi quidquam „pro nobis persolveret, (ficta enim solutio hæc foret, non „vera solutio,) sed ut nobis tanto majus certiusque jus „veniæ et æternæ vitæ faceret, seseque ad eam dandam „tanto pignore obstringeret, nosque ad se converteret, „aliisque ingentibus bonis, de quibus egimus, per mortem „Filii sui bearet.„ Dicant, si possunt Sociniani, qualis videatur Deus esse, qui diros cruciatus Filii dilectissimi et innocentissimi, sed neque aliorum culpam in se transferentis, quæ est eorum hypothesis, pro victima svavissima acceperit. Itane Deus, nullis justitiæ rationibus poscentibus, tam sævus est et truculentus, ut instar *Phalaridis* morientium gemitu aures oculosque pascat? Res sane cogitatu nefaria! Si est Christi mors Deo grata victima, ut certissime est, nec audent negare adversarii, nulla ratio excogitari

 potest,

potest, quam quod justitiæ divinæ, pœnas ab humano genere poscenti, pro quo & victima hæc offertur, perfectissime satisfecit. Anniversarii sacrificii apud Judæos recordatio monere debuerat Socinianos, tam vice nostra functum esse patientem & morientem Christum, quam victimas istæ piaculares loco & vice hominum, qui mortem Deo debebant, ceciderunt. Absonum vero est, quod perhibent, Christum ut Dei proprium, jam omnia per se suoque nomine Deo debuisse. Nam, si ponamus etiam Christum esse merum, sed omnis tamen sceleris purum, hominem, capi non potest, cur debeat mortem & omnis generis pœnas Deo, qui nihil unquam usquam peccavit. At, cum constet demonstratumque sit esse Christum Personam divinam, per se concidunt omnia. Non deberet quidquam Christus, nisi sponte nostram vicem subiisset. Pulchra sunt verba *de Christo unice dilecto, unigenitoque Filio, agno immaculato, pro nobis impenso,* sed in ore Sociniano nihil plane significant. Quid enim sibi vult: *pro nobis impensus?* si non est mortuus, ne nos moreremur, sive quod idem est, vicariam pro nobis mortem oppetiit. *Ficta,* inquiunt, *solatio foret;* Cur vero? cruciatus in Christo nemo dixerit fictos, qui Domino cruentum sudorem, & deinde horrendum clamorem: *Eli, Eli* &c. extorserunt. Sed neque hoc fictum; istos a Christo tolleratos cruciatus nobis imputari, nam maledictio factus est Christus pro nobis. *Gal. III.* 13. Hoc volunt, ne posse aliquem sibimet ipsi quidquam persolvere. Hic respondeo, eodem intuitu hoc fieri non posse; sed, cum sæpe homines duplicem personam gerant, ut v. g. Judex s. Prætor herciscundis hereditatibus præfectus, si contigerit ipsum in heredibus esse: unde, quæso, demonstrabitur non posse personarum divinarum unam duplici munere fungi, sive, non posse Filium simul cum Patre & Spiritu Sancto placari ut Deum læsum peccatis hominum, ipsum in carne a se libere assumta, quod perferre non poterant homines, horum vice pertulisse. Quod si non ca

nustrem mysterii plenissimam, ut certe non capimus, fas tamen est compescere luxuriantem, sed divinarum rerum imperitam rationem. Quod ajunt Christum pro obedientia Deo præstita incomparabiliter majora præmia accepisse, huc tandem pertinet, ut *pro nobis* non possit mortuus dici, sed pro parandis sibi excellentissimis donis. At Scriptura *pro nobis* mortuum omnibus locis prædicat. Denique, si non satisfecit Christus pro peccatis nostris, intelligi non potest, cur nobis ejus morte majus certiusque jus veniæ & æternæ vitæ obtigerit?

404. *Cur vero Spiritus S. 1) voce metaphorica potius, quam propria utitur?*

Propterea, quod metaphorica hac voce charitas & labor Dei & Christi in liberatione nostra ostensus exprimatur disertius. Liberatio enim contingere potest sine charitate: at tam insignis redemtio sine charitate confici nullo modo potest. 2)

Notæ:

1) Lingua evangelica, mens Sociniana! Quid vero significat in cerebro Sociniano hæc locutio: *Spiritus Sanctus utitur hac illave phrasi;* cum Spiritum Sanctum negent esse personam?

2) Hac opera poterat Catechesis supersedere, ut ostenderet cur metaphorica voce Scriptura utatur. Metaphorici enim hic nihil est; postquam ad superiorem quæstionem vidimus, magis propriam nullam esse posse redemtionem, quam qua nos a Christo redemti sumus.

405. *Quid ad hæc dicis, quod Christus sit mediator inter Deum & homines, aut novi fœderis?*

Cum legatur Moses fuisse mediator (puta inter Deum & populum Israël, & prisci fœderis,) neque eum satisfecisse Deo, ullo modo constet, ne hinc quidem, quod mediator Dei & hominum Christus sit, colligi certo poterit, eum satisfactionem aliquam, qua Deo pro peccatis nostris satisfieret, peregisse. 1)

Notæ:

1) Respondeat pro nobis *Paullus* Apostolus, 1. *Tim. II. v. 6. Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus, qui dedit semetipsum pretium redemtionis pro omnibus.* Itaque non est vox *mediatoris* simpliciter consideranda; pluribus enim mediatoribus, per quos nobiscum agat Deus, locum esse posse, quis dubitet? Sed de mediatore eo agimus, qui suo nos sanguine emit, qualem nonnisi *unum* esse, age credamus Apostolo!

406. *Cur Christo nomen mediatoris Scriptura tribuit?*

Propterea quod fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit, & omnem Dei voluntatem, per quam aditus nobis ad Deum patefactus est, exposuerit. 1)

Notæ:

Notæ:

1) Recte hæc dicta sunt, at non sufficiunt. Longe plenius enarrat hanc rem Apostolus, *Ebr. IX.* 15. *Itaque ob id novi fœderis mediator est, ut morte facta ad redemtionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priore testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hereditatis.* Hinc discimus, alium fuisse mediatorem, *Mosen*, alium, *Christum*, quorum ille nulla peccata redimere potuit, hic redemit omnia. Deinde ideo novi fœderis esse mediatorem; h. e. evangelicum fœderis gratiæ schema, abrogato legali ejusdem fœderis schemate initiasse ipsum, ut morte sua peccatorum omnium reatum deleret. Itaque secundum Apostolum non sufficit ad munus Christi mediatorium referri, quod voluntatem Dei nobis patefecerit, quamquam & hoc præclarum est, sed potissimum hoc, quod morte sua Deo nos reconciliaverit.

---

407. *Ad hoc vero, quod nos Deo reconciliarit, quid affers?*

Primum, nusquam Scripturam asserere, Deum nobis a Christo reconciliatum; verum id tantum, quod nos per Christum aut mortem ejus simus reconciliati, vel Deo reconciliati, ut ex omnibus locis, quæ de hac reconciliatione agunt, videre est. 1) Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea satisfactio exstrui potest. Deinde vero, quod aperte in Scripturis extat, Deum nos sibi reconciliasse, id opinionem adversariorum prorsus falsam esse evincit. 2. Cor. V. 18. Coloss. I. 20. 22. 2)

Notæ:

1) Iniquissima est conditio disputandi cum hominibus, qui aliquam formulam sibi monstrari jubent, in qua si literula, salvo quidem sensu, desit, quicquid dicatur, omnia spernunt, liquidissima etiam argumenta. Quo jure postulant has voces exhiberi: *Deum nobis a Christo reconciliari*, cum res, quam hæc verba significant, plurimis dictis habeatur, v. g. 1. *Jo. II.* 2. *Ipse* (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris.* Nemo erit ita mente captus, ut credat Christum esse *actionem expiandi*, quam ἱλασμὸν proprie appellamus; sed usitato tropo, quem de vocibus ἁμαρτία pro ἁμαρτωλὸς & δικαιοσύνη pro δίκαιος jam observavimus, ἱλασμὸς est idem quod ἱλάσκων h. e. *propitiationis auctor.* Reconciliavit ergo nos; cur vero? quasi res in *Joanne* dubia esset, nimirum illi nos reconciliavit, a quo, etsi a peccatis non sumus immunes, nunc nihil nobis timendum est, h. e. Deo. Habent ergo hic Sociniani, quod quærunt, nisi forte non sufficit, ut credas me locutum cum Principe, ubi dixero: *Princeps me audivit*, sed dicendum præterea est: *Ego sum a Principe auditus.* Ita non erit Catechesi satis: *Christus nos reconciliavit Deo*, sed hoc necesse est insuper: *a Christo sumus reconciliati Deo.* Idem, quod modo de dicto *Joannis* feci, poterit lector de pluribus aliis facere. Me quidem tædet impudentiæ Socinianæ: Postquam autem constat nos Deo reconciliatos esse, cadetne in hominem sanæ mentis dubitare, an vicissim Deus nobis sit reconciliatus? quasi facta possit esse reconciliatio, ubi alterutra pars iram & offensam servat; aut sublata dici maledictio legis, non placato sive reconciliato legislatore ac judice?

2) Quasi vero hæc non conspirarent amicissime, ut Deus in Christo & per Christum nos sibi reconciliasse dicatur, & a Christo reconciliatus esse nobis. Hoc unum necesse est poni, Deum esse placabilem, si possit idonea satisfactio reperiri, quæ cum sit in consilio divino reperta, nempe

nempe hæc, quæ facta nunc est: reconciliationis alioqui nunquam futuræ initium ab ipso Deo faciendum fuit; nam miseri mortales, plane, quid agerent, nescirent. Quod in Principe laudarent, ut opinor, Sociniani, ut pro lurcone ære alieno obruto, atque hinc in carceres detruso, & ex lege detinendo in vinculis, circumspiceeret aliquem, qui & redimere hominem & sanare ac meliore mente imbuere posset velletque, id in Deo, quem Scriptura simili sed infinite sapientiori ratione, in generis humani salutem invenisse viam narrat & inculcat, non modo non laudare sed ne agnoscere quidem volunt.

408. *Quid vero de hac reconciliatione sentis?*

Christum JEsum nobis, qui propter peccata nostra Dei inimici eramus, & ab eo abalienati, viam ostendisse, quemadmodum nos ad Deum converti atque ad eum modum ei reconciliari oporteat. 1.)

Notæ:

1). Hem quam tenue est, quod hic Christo relinquitur! Viam monstravit, qua curreremus ipsi, nosmet ipsi converteremus, ipsi expiaremus Deum. Observandum hic in latina versione *passivis* verbis uti Socinianos, quibus alicui posset fucus fieri; & sane, si quicunque alius hæc dixisset, Christum viam monstrasse, quemadmodum reconciliari oporteat, non rejicerem hæc verba, pertinet enim ad Christi munus propheticum, viam ad salutem monstrare mortalibus. Sed hoc modo non negaretur, poneretur potius reconciliationem ab ipso Christo, qui & eam factam nunciet, auctore proficisci, non demum faciendam esse, quamquam & hoc monendum, *reconciliari*

interdum in Scriptura dici, cum homo factæ dudum expiationis a Christo, fide particeps redditur. Nam 2. *Cor. V.* 18-21. expiatio per Christum facta ponitur; nunciari enim non posset, quod non esset factum in consilio divino. Itaque *ministerium reconciliationis*, & *verbum reconciliationis v.* 18. 19. occupatum est in nunciando Deo, qui *fuerit* in Christo, & ob istum non imputaverit hominibus peccata. Quodsi hoc vellet Apostolus, non factam jam esse, sed fieri expiationem, cum singuli homines convertuntur, non dixisset ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ, multo minus *v.* 21. dixisset, ideo esse amplectendum Evangelium, *quoniam Deus fecisset Christum pro nobis peccatum*, quæ omnia docent Apostolum de expiatione jam facta palam loqui. Nihilominus autem *v.* 20. homines gravissimis verbis monet, ut patiantur se conciliari Deo, quo intuitu conciliatio nondum erat facta, hoc est, nondum applicata. Neque miranda est duplex acceptio verbi καταλλάσσω, cum & in humanis accidere soleat, ut, v. g. *David* Rex dicatur factus, cum frui cœpit regia dignitate, quamquam jam tum fuerat Rex, cum divinitus designatus est Rex, &, non ut posset aliquando fieri, sed ut esset, unctus est. Quæ cum ita sint, poterat, si Evangelici ita locuti essent, Catechesis bono sensu accipi, doceri nos a Christo, ad quem modum nos Deo reconciliari oporteat, fide nempe meritum ipsius Christi sibi applicante. Verum hæc non est Catecheseos mens. Itaque *Smalcius* in germanica versione *activis* verbis utitur: Den Weg gewiesen, wie wir uns zu GOtt bekehren, und uns mit ihm vereinigen sollen. Hic repetenda sunt, quæ jam plus semel monui, Christum non fuisse aptiorem magistrum monstrandi viam, qua ipsi nos expiaremus, quam vel *Jobus* vel *Abrahamus* alique, si alio modo non est conciliator noster, quam monstrata via. Nam homines nobis similiores, quam secundum *Socinum* Christus esset, lubentius & felicius imitaremur. Immo reconciliatione plane non est opus,

opus, secundum Catechesin, nam jubent nos credere, remittere Deum peccata ita gratis, ut nullam a quoquam satisfactionem accipiat. Quid vero concilies ei, in quo nulla est ira, &, si fuit offensa, sponte cessavit?

409. Ad ea vero quid respondes, Christum peccata nostra tulisse?

Ne hinc quidem illam adstrui satisfactionem, id argumento esse, quod de Deo in hebraico textu scriptum sit, ipsum esse, qui misericordiam millibus servet, & portet iniquitatem & peccata. Exod. XXXIV. 7. Num. XIV. 18. 1) Et Matthæus disertissime ait: Tum, cum Christus multos morbos curasset in populo, impletum fuisse illud per Esaiam scriptum: Ille infirmitates nostras sustulit & morbos portavit, 2) Matth. VIII. 17. Esa. LIII. 4. Nihilominus Deus, nec pro peccatis cuiquam satisfecit, neque Christus pro morbis hominum.

410. Quid vero sibi volunt hæc verba?

Id nimirum, quod Christus omnia peccata & peccatorum pœnas a nobis abstulit, atque si ea in regionem longe dissitam deportasset; uti etiam Scriptura ait: eum esse agnum Dei, qui tollat peccata mundi, Jo. I. 29. &, oblatum esse semel, ut multorum peccata tolleret. 3) Ebr. IX. 28.

Notæ:

Notæ:

r) Argumentum invictum pro vera satisfactione Christi hoc est, quod *portasse*, *tulisse*, *sustulisse* dicitur peccata nostra, quo pertinent hæc potissimum loca: *Esa. LIII*. 6. 11. 12. *Jo. I*. 29. 1. *Petr. II*. 24. 1. *Jo. III*. 5. In quibus præ ceteris clarum est testimonium *Joannis*, qui Christum ut *agnum* tollere peccata nostra docet; agnum autem constat duplicem quotidie mactatum esse, ut typum Christi Domini nostri, quem typum non minus clare gessit agnus paschalis. Hos agnos omnes, in quibus תמיד seu quotidianum sacrificium, *Exod. XXIX*. 41. לריח ניחוח *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*, quas voces & de Christo legimus *Ephes. V*. 2. offerendum sit, qui non videt Christum præfigurasse, nihil videt. Digna sunt huc referri testimonia Rabbinorum, quæ ad *Ebr. II*. 9. p. m. 114. laudavit *Theodorus Akersloetus*. „Sic, inquit, vicariam mortem in lege „statuerunt Judæorum Magistri: *R. Moses ben Nachman, ad Lev. I.* de reo offerente victimam: Æquum erat, „ut sanguis suus funderetur, & cremaretur corpus suum. „Creator autem pro clementia sua hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam & *λύτρον* ejus; ut hujus sanguis „sanguinis ejus vice profunderetur, anima scil. vice animæ. *Isaac ben Arama ad Levit. prope initium:* Reus, „cum victimam de peccato suo immolatam mactari, pelle „exui, prosecari, igneque aræ comburi videt, secum ipse „cogitare debet, ita secum agi & ita se tractari oportuisse, „nisi Deus pro misericordia sua pro anima ejus piaculum „accepisset.„ Sanctus *Joannes* potissimum in *Apocalypsi* appellatione hac, qua Christus *agnus* dicitur, egregie delectatus est. Et dignus sane hic agnus mactatus *Apocal. V*. 12. cui laudes perpetuas agamus. Indignissimum vero homine Christiano, non agnoscere, cur Dominus noster toties *agnus* dicatur, qua de re pulcherrime egit Rever. *Salomo Deylingius*, *Observ. Sacr. L. III. Obs. XXXV*. p. 254. *sqq*. Hic qui somniet, *agnum* viam demonstrare debu-

debuisse sanctæ vitæ instituendæ, prætereaque nihil, nonne is proderet summam suam inscitiam? quid enim oportuisset occidi & quidem tot agnos & *odorem bonæ fragantiæ* fieri? Potius servatus esset agnus aliquis candidus & purus, ut *Apis* Ægyptiorum. Quomodo autem tulisse dicitur agnus peccata populi, nisi quod pro iis mortuus est expiandis? Sed frustra agnorum omnium mors fuisset, nisi Christus, qui vere omnia expiavit, cujus figuræ cetera omnia sacrificia fuerant, peccatorum reatum tulisset. Antequam autem Catechesi respondeamus, e re erit *Faustum Socinum* audire, quem hic reliqui sequuntur. Is, de *J. C. Servatore L. III. c. 4.* sic ait: „Sequitur, ut de „iis sacris testimoniis videamus, in quibus Christum tulisse „seu portasse peccata nostra, sive languores & dolores no„stros, scriptum legitur. Quæ testimonia te ideo attu„lisse certum est, quod existimes inde aperte probari, „Christo a Deo imputata fuisse peccata nostra, & eorum „pœnas ab ipso exactas esse. Quod si animadvertisses, „ferre & portare in sacris literis per metonymicam quan„dam translationem auferre nonnunquam significare, „(quod enim alicunde aufertur, ab eo, qui aufert, tantis„per, dum id abjiciat, aut alibi deponat, portatur,) „nunquam ex illis locis tantam veritatis sententiæ tuæ „opinionem concepisses; tametsi alioquin hæc locutio: „*portare peccatum* seu *iniquitatem*, in sacris literis signi„ficare soleat, pœnam peccati seu iniquitatis subire. Abs„tulisse enim Christum peccata nostra, nihil tuam senten„tiam juvat, ut melius postea videbimus. Interim *ferre*, „seu *portare* auferendi simpliciter significationem aliquan„do habere, demonstremus, præsertim, cum peccatis „jungitur. Scriptum est *Exod. cap. XXXIV. v. 7.* de „Jehovah, servans misericordiam millibus, auferens ini„quitatem & prævaricationem & peccatum. In hebræo „autem est, pro *auferens*, *Nose*; quod portans proprie si„gnificat. Nam quod quidam *condonans* seu *remittens* „interpretantur, id quidem veritatem continet; sed po-

„tius

„tius modum, quo fiat a Deo id, quod verbum significat,
„quam ipsam verbi significationem exprimit. Siquidem
„peccatum seu prævaricatio sive iniquitas in hoc & simi-
„libus locis, non delictum ipsum, hoc est ipsum factum,
„quod proprie auferri nequit, sed delicti reatum & pœ-
„nam declarat. Et idcirco sicuti auferre reatum & pœ-
„nam peccati proprie diceretur: ita etiam auferre pec-
„catum hac vocis peccati significatione servata proprie di-
„citur. Eundem prorsus loquendi modum eandemque
„verbi hebræi *Nasa* significationem habet *Numer. XIV.*
„18. Et multis aliis in locis illud verbum istam significati-
„onem obtinet, eoque usus est *Esaias* in loco à te citato.
„Unde scriptores novi fœderis & ipsi aliquando *βαστάζειν*,
„quod proprie *portare*, seu *bajulare* significat, pro *auferre*
„usurparunt. Nam *Jo. XX.* 15. ubi scriptum est: *Do-
„mine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum*,
„in Græco est: *εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτόν*. &c. Propterea,
„cum apud *Esaiam* legitur de Christo: *Vere languores
„nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, non in-
„telligendum est, Christum sustinuisse universas pœnas,
„quas nos sustinere debueramus: id enim, ut supra levi-
„ter attigimus, & infra latius demonstrabitur, falsissimum
„est, sed sensus eorum verborum est, Christum a nobis
„omnes dolores & languores nostros abstulisse; & nos ea
„ratione potissimum, quam paullo ante exposuimus, ab
„omnibus nostris malis redemisse & liberasse. Dices,
„vehementer coactam esse hanc interpretationem, & trans-
„lationem istam verborum *portandi & ferendi* raro a Scri-
„ptoribus sacris usurpari, immo fortasse nunquam in verbo
„*Sabal*, quo secundo loco in illis verbis utitur Propheta.
„Sed en tibi *Matthæus*, qui *cap. VIII. v.* 16. 17. eo modo,
„quo ego feci, locum illum interpretatur, & in eo transla-
„tionem istam explicat atque agnoscit. Inquit enim: *Ve-
„spere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes,
„curavit, ut adimpleretur, quod dictum est, per Jesaiam
„Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit,*

„&

„*& morbos portavit.* Num, rogo te, JEsus Christus eo-
„rum, qui male habebant, infirmitates & morbos, ab il-
„lis in se transferebat, atque eo pacto illos sanabat? An-
„non manifestum est, sanasse eum ægrotos ab ipsis tantum
„morbos depellendo? Qui autem insolens & ridiculus
„sanandi modus iste fuisset, cum, ut illi sanarentur, satis
„esset ab ipsis morbos fugare, neque ut eos Christus in se
„susciperet, quidquam vel cogeret, vel suaderet? Eadem
„igitur ratione locum illum ad spirituales nostras infirmi-
„tates & morbos accommodantes, tantum Interpretem
„imitati, dicamus Christum peccata & scelera nostra, sive
„eorum pœnas portasse quidem & suscepisse, at non in se
„transferendo, sed a nobis auferendo: & ridiculum fu-
„turum fuisse, si is, ut nos liberaret, peccata & scelera
„nostra in se, nulla ratione vel cogente vel suadente,
„transtulisset: Quæ simpliciter a nobis auferendo libe-
„ralissimum istud atque egregium opus perficere poterat.
„Hinc patet, ea, quæ eodem *cap. LIII. Esaiæ* de Christo,
„qui nostras iniquitates aut peccata nostra tulerit, repe-
„tuntur, aliud nihil significare, quam Christum omnia
„peccata & scelera nostra, sive eorum pœnas a nobis sustu-
„lisse & quodammodo in longinquam aliquam regionem
„secum asportasse.„

Nihil solidi inest huic disputationi *Socini*, quam ideo licet verbosam, repetii, ne quis conqueratur, dissimulata esse aliqua hujus hominis. Minime est ea ambiguitas in vocibus: *Ferre peccatum*; quam credi vult adversarius. Nam ut apud *Romanos* variæ quidem sunt significationes verbi *ferre*, at, hujus locutionis: *ferre legem*, una simplex & constans interpretatio, nempe *dare legem*, meritoque adeo ridendus est, qui velit e diverso usu verbi colligere, posse alicubi *ferre legem*, exponi, *tollere legem*, *& legislatorem* interdum esse, qui abroget leges, non qui sanciat: Ita iniquissima res est, cum phrasis; *ferre peccatum*, in Scriptura sit usitatissima, &, ut ego collatis studiose omnibus exemplis, vidi, *semper*, ut *Socinus* fatetur, *ple-*

rumque

rumque significet ob peccata affligi, & cruciatus sentire; res, inquam; est iniquissima, non intelligere obvio planoque sensu, ut, cum Christus dicatur peccata nostra tulisse, *Esa. LIII.* 11. 12. item agnus esse, qui ferat peccata mundi, *Jo. I.* 29. tamen negetur, cruciatus pro nobis tulisse; &, cum hoc negari non possit, perhiberi, non tulisse *pro expiandis peccatis* istos cruciatus. Ea Scripturæ loca, quæ velim a lectore considerari, sunt: *Gen. XLIII. 9. Exod. XXVIII. 38. 43. Levit. X. 17. Lev. XVI. 22. XIX. 8. 17. XX. 17. 19. 20. XXIV. 15. Numer. V. 31. IX 13. XVIII. 1. Ezech XIV. 10. XVI. 52. 54. 58. XVIII. 19. 20 XXIII. 35. XLIV. 10. 12. IV. 5. 6. Numer. XIV. 33. 34.* E quibus duo potissimum huc describam, *Exod. XXVIII. 38. 43. Et portabit Aaron peccata sanctificatorum, quæ sanctificabunt filii Israël, in omnibus eorum sanctis oblationibus. Et esto super fronte ejus jugiter in beneplacitum ipsis coram Jehovah. v. 43. Et erunt super Aarone & super filiis ejus, quum intrabunt in tentorium conventus, aut, quum accedent ad altare, ad ministrandum in Sancto, ne portent iniquitatem moriantur que.* Hinc primo colligitur, oblationibus in se nullam infuisse sanctitatem, &, ut possent Deo placere, offerentiumque peccata tegi, necesse fuisse, præstantiorem sanctitatem Christi, quam indicavit bractea fronti Sacerdotis aptanda, atque his verbis: *Sanctitas Jehova:* insignita. Tum, si sustinerent Sacerdotes, qui homines peccatores erant, sua sanctitate freti, expiare populum & offerentes, cum sola Christi sanctitate confidendum esset, mortem pœnam fuisse. Alter locus sit, *Levit. X.* 17. *Quare non comedistis peccatum* (sacrificium pro peccato) *in loco Sanctitatis, nam Sanctum Sanctorum illud est, & illud dedit vobis ad portandum iniquitatem concionis, ad expiandum illos coram Jehovah.* Quo in loco observari velim, comedere debuisse Sacerdotes sacrificium pro peccato, ad indicandum,

quem-

quemadmodum nihil magis sit nostrum, quam quod comedimus, ita Christum peccata nostra quasi sua ferre; porro, ad expiandum cœtum illum, cum oblationem, tum comestionem sacrificii pertinuisse. In his omnibus autem & reliquis functionibus sacris Sacerdotes gessisse personam Christi, &, quod hic reapse præstet, figurasse, in Christianis debebat esse extra controversiam. Portarunt ergo Sacerdotes peccata populi in *figura;* Christus, re. Hæc res ita clara, ita manifesta est, ut nihil contra dici possit cum aliqua specie, &, quæ conatus est *Socinus* dicere, carent ipso etiam fuco verisimilitudinis. Intelligi vult tantum *abstulisse* Christum peccata nostra; verum initio, neque hoc fieri potest, quin Christus & *tulerit* peccata, neque enim male ipse *Socinus* observat, eum, qui aufert, aliquantisper, dum abjiciat, ferre onus. Itaque tulisse Christum onus peccatorum, vel sic concedendum est; sensisse autem & gravissime sensisse hoc onus, qui negat, *Esaiam* non legit; nam Christi sunt verba, *cap. XLIII.* 24. 25. Sed neque hoc sufficit; concedent enim hactenus Christum peccata nostra abstulisse, quod multa acerba propterea passus sit, ut nos viam sanctius vivendi doceret. Itaque non solum observandum, hoc ἄγραφης dici, quæ potius vulneribus Christi nos sanatos esse prædicat, cum nemo, ad ostendendum alteri rationem sanandi cruris, ideo crus suum ipse frangat, &, si frangat, non ideo medicina fiat alteri saucio. Porro & contra ipsam rationem est, quam tamen ubique *Socinus* quasi magistram sequitur. Quid enim, obsecro, dirissimorum cruciatuum perpessio confert ad rectius dignoscendam viam salutis, quæ a Deo, peccatis sine satisfactione remissis, secundum Socinianam hypothesin, hominibus tribuitur? Præterea autem tenendum, non abstulisse Sacerdotes peccata hominum, nec hostias immolatas eadem peccata *abstulisse*, quin illi comestis carnibus & in viscera adeo sua ingestis, hæ moriendo, etiam *ferre* se ea significarent; quod cum in figura, tamen serio gestum sit, ita ut tot ani-

malia morerentur, Sacerdotibus autem, nisi, quod jussi erant, accurate facerent, mors proposita esset; quanta vehementia peccata generis humani incubuisse ipsi Christo necesse est? Hinc tot de summo angore Christi, cruento sudore, &c. liquidissima testimonia. Sed videtur sibi observasse, cum Catechesis nostra, tum ipse *Socinus*, duo potissimum loca, quibus *ferre peccata* sit quocunque modo auferre. Quæ licet concedenda forent, ut sane *Lubbertus* aliique concedunt, fas tamen haud esset, ordinariam phraseos significationem hic deserere, præsertim, cum de Christi cruciatibus, quos pro nobis toleravit, tot extent testimonia, ut non possit, *ferre peccata*, si quidem de Patre legeretur, idem significare, quod significat, cum legitur de Christo: verum in *nota* 2. docebimus, falsa omnia esse, quæ Catechesis cum *Socino* suo perhibet.

2) *Exod. XXXIV.* 7. opponitur clarissimo nostro argumento, nempe, ne videantur nihil dixisse adversarii. Hoc volunt: Cum de Deo voces: *portare peccata*, non significent, sibi imposuisse, ut pro iis satisfaceret: sequitur nec de Christo lectas easdem voces id significare. Quodsi quæras, an ipsi Sociniani credant, eandem esse significationem vocabuli αἴρειν *Jo. I.* 29. quæ est *Exod. XXXIV.* 7. certissime negabunt; Deum enim abstulisse peccata *remittendo*, ajunt, Christum, *viam*, qua nosmet ipsos iis liberemus, *ostendendo*. Sed tamen non pudet homines, locum, quem ipsi aliter intelligunt, nobis objicere. Verum accedamus ad rem propius. Nego pernegoque, *Exod. XXXIV.* 7. ceterisque similibus locis, *tollere peccata*, alium sensum habere, quam qui alibi tot locis est. Neque agit iste locus de *Deo Patre*, sed de *Deo Filio*, qui vere est נשׂא עון *portator peccatorum*. Consideremus, age, hunc locum, nam est, si quisquam alius, creberrima meditatione dignissimus. Promiserat Deus Opt. Max. *Mosi* flagitanti, *cap. XXXIII.* 22. 23. ostensum ipsi iri, *quod est posterius in Deo*; quoniam, *quod prius est*, videre negatum esset. Hic intelligo merito, cum nihil sit in ipso Deo

pro-

proprie prius posteriusve, per *posterius* Filium Dei hominem deinceps futurum, qui & *Abrahamo* aliisque Patriarchis in humana forma apparuerat, quem & *Achar Cabod* dictum esse *Zachar. II.* 8. *collato*, 1. *Petr. I.* 11. supra conjecimus. Sed nunc certiora & liquida, nam his opponi aliqua posse video, venient. *Cap. XXXIV.* 5. descendit Jehovah in nube, substititque apud eum ibi, & exclamavit nomen *Jehova;* ubi mallem *Seb. Schmidium* non vertisse: *Qui invocavit nomen Jehova*, quasi de *Mose* ageretur; nam certissimum est, factum hic esse, quod futurum prædictum est, *cap. XXXIII.* 19. *Moses* vero, ut e *v.* 8. patet, adhuc nihil locutus fuerat. Hinc liquet & eum Jehovam esse, qui clamat, seu prædicat Jehovam, & illum, de quo prædicatur, h. e. duos nomine *Jehovah* appellatos, seu duas Personas divinas. En vero & tertiam! *v. 6. Et transiit Jehovah ante eum*, nempe *Mosen*, *& clamavit: Jehovah, Jehovah, Deus misericors & propitius, longanimis ad iram, & multa gratia ac veritatis. &c.* Audire hic mihi videor Spiritum Sanctum de Patre & Filio testantem, & utriusque divinas virtutes concelebrantem, *Jo. XV.* 26. Nam, si attendere velis, non est eadem persona, quam *Moses* modo dixerat in nube constitisse, hæc vero persona *transiens*, h. e. a Patre & Filio proficiscens & missa, æqualis tamen & Jehovah, ut duæ reliquæ personæ, repetita voce *Jehovah*, *Jehovah*, duas alias personas a se distinctas, in una quidem divinitate, indicat. Et de Patre quidem accipio hæc: *Deus misericors & propitius &c. ad finem v. 6.* Tribuitur enim Deo Patri placabilitas, missio filii ad redimendum & placandum sibi genus humanum. 2. *Cor. V.* 18. 19. & gratia ac veritas, quam in Christo Filio suo exhibuit. *Jo. I.* 17. Comma *septimum* autem ipso initiali suo verbo, grandiuscula litera in antiquis codicibus signato, *Nozer*, jubet nos de Christo Domino nostro cogitare. Hic est qui servat gratiam in millibus, h. e. diutissime & ad finem mundi, vid. *Act. XIII.* 34. ubi τὰ ὅσια πιστὰ Δαβὶδ, & *Esaia LV.* 3. חסדי דוד הנאמנים

 eun-

eundem Dominum nostrum significant. conf. *Mich. VII.* 20. Quidni de eodem accipiamus sequentia, *qui tollit,* sive *fert delictum, & pravaricationem* & peccatum, *& qui dando impunitatem, non dabit impunitatem,* h. e. pro diversa hominum vel credentium vel non credentium conditione aliquos innocentes & pœna liberos pronunciat, alios secus; memorabile enim est has voces fere addi, cum de benignitate Dei sermo est. Vid. *Nahum. I. 3.* qui locus ob triplicem vocis *Jehovah* repetitionem *v.* 2. observandus; item *Joël. IV.* 21. ubi exposita regni gratiæ in N. T. felicitate, Dominus, ut hic, loquitur: *Pronunciabo justos, & sanguines eorum,* h. e. maleficia reliquorum, *non pronunciabo justa,* i. e. non sinam impune abire. Nos quidem in loco *Exodi* pergimus. Quæ sequuntur: *Visitans iniquitatem patrum super filios &c.* manifeste produnt eundem hic loqui, qui *Exod. XX.* legem pronunciavit, hoc est, *Filium Dei,* voluntatis divinæ Interpretem, qui & *Mosi* in rubo apparuit, qui eduxit populum Israëliticum ex Ægypto, quem tentarunt Israëlitæ &c. Denique *Mosis* preces *v.* 8. 9. testes sunt plures esse, quibus vox ארנו augustissimo sensu tribuatur: *Quodsi gratiam inveni in oculis tuis Domine! eat obsecro Dominus in medio nostrum!* Hic vero Dominus de se ut pluribus loquitur *v.* 10. & dixit: *Ecce ego faciens fœdus,* h. e. ego sponsor ille magnus fœderis, *coram populo tuo faciam mirabilia, qualia non sunt creata in omni terra, & omnibus gentibus. Et videbit totus populus, in cujus tu medio es, opus Jehova, nam venerabilis est,* (hic vocem נורא plerique Interpretes ad מעשה referunt, non malo utique sensu, sed commodius refertur ad ipsum auctorem operis Jehovam,) *quod ego facio apud te.* Loquitur Jehovah, & laudat opus Jehovæ, idque se facere prædicat. Quæ omnia indicant Filium Dei, Dominum nostrum J. C. qui opera Patris sui facit. Lector autem, qui hæc attente, ut par est, meditatur, hoc saltem inveniet, quod mihi hoc loco satis est, perquam opportune Christum per illum *Nose avon Exod. XXXIV. 7.* intelligi, & frustra

frustra nobis a Socinianis eum locum objici, Neque vero alia est ratio alterius loci, *Num. XIV.* 18. de quo sigillatim exponere nolo, nisi quod tribus verbis monendum arbitror, *v.* 17. *Jod* magnum in voce *Jigdal*, ut ceteras majusculas literas, non videri frustra positum. Quid impedit nos connectere illud Nozer, quod *Exod. XXXIV.* vidimus cum hoc *Jod*, ut prodeat נוצרי h. e. *Nazarenus*, ut *Esaia XLIX.* 6. vocem נצירי alio loco observavimus.. Duobus his locis cum nihil egerit *Socinus*, & ex eo Catechesis, quibus *Nose avon* perquam commode intelligitur Christus, qui propriissime tulit peccata mundi; éruntne alia loca, quibus dubiam nobis facere possint ordinariam vocum *ferre peccatum* significationem? Ipse quidem *Socinus* nulla alia laudat, solita tamen jactantia sua ait: *Multis aliis in locis illud verbum istam significationem obtinet.* Sed cave credas. *Socinus* non habuit loca plura, nec videtur serio indagasse. Nos mediocri studio evolvimus expendimusque loca omnia, quæ hanc phrasin exhibent, & huc possent trahi. Sunt vero ista: *Mich. VII.* 18. *Psalm. XXXII.* 5. quo cum *v.* 1. & *Esa. XXXIII.* 24. conferri velim. *Psalm. LXXXV.* 3. *Exod. XXXII.* 32. Quæ omnia de Christo *portatore* peccatorum ita pulchre explicantur, ut nihil possit esse pulchrius; sed ea lectoris meditationi relinquere malo, quam præter modum verbosus esse. Superest unicus locus *Genes. L.* 17. qui possit favere *Socino*; nam *Josephus* remittere quidem poterat delictum fratribus, sed portare illud ipse atq:.e pro eo satisfacere, nec potuerat nec debuerat. Veru n, cum bis extet שא-נא & secundo loco voci פשע præfixa sit literula (ל), manifesto indicio, etiam priori loco eandem literulam subintelligendam esse, patet non esse locutionem eandem, de qua adhuc disputavimus. Subintelligenda videtur vox *ira*, h. m. tolle, scil. *iram propter peccata nostra. Hos. XIV.* 4. autem, ostendimus alibi, hunc esse loci vexatissimi, huc vero, quoniam non est eadem locutio, non pertinentis, sensum commodissimum: *Omnia tolle*, h. e. si placet,

 omni-

omnibus nos opibus exue, *propter peccatum* (ב seu alia litera subintellecta ante עון,) *& eripe bona, & pendemus, pro tauris*, qui in re tenui deerunt, *labia nostra*, h.e. non desinemus tamen laudis tibi ferre sacrificia.

3) Non immerito ratus est *Socinus*, dicturum adversarium suum, qui tum *Covetus* fuit, vehementer coactam esse hanc interpretationem, nempe Christum tulisse peccata, cum docuit exemplo viam sanctitatis, & translationem istam verborum *portandi & ferendi*. At tueri suam, quamquam dictante conscientia, *coactam* ipsimet visam interpretationem, se posse arbitratur celebri illo, & plus quam opus erat, vexato loco, *Matth. VIII.* 16. 17. Hic utinam non esset fatendum, in multas vias itum esse ab Interpretibus, nostratibus etiam, ut in concordiam redigunt Prophetam & Evangelistam. Namque illum primo, de spiritualibus morbis, h. e. peccatis loqui existimant, tum vero ea ita suscepta esse a Christo, ut proprie ferret, h. e. pœnas his debitas sustineret, *Matthæum* contra & de corporis infirmitatibus verba facere, & eas non a Christo toleratas seu in ipsum translatas, intelligi velle, sed ablatas sanando, ut Medicus non in se transfert febrim, qua medicamentis suis ægrotum liberat. Non satisfecerunt, quod sine vituperatione summorum ingeniorum dictum velim, omnes interpretes omnium religionum. Res mihi videtur hinc orta, quod unica neglecta hypothesi, quam paullo post indicabo & veram esse demonstrabo, difficultates & nodos, cum nulli essent, sibi finxerint, & hos quidem ita arctos, ut expedire frustra conarentur. Curatius igitur orabo hanc caussam, non in Socinianorum gratiam, qui unico hoc & in multas sententias distorto loco non poterunt eludere divinam veritatem, de satisfactione proprüssime a Christo pro peccatis generis humani præstita: sed in gratiam cordatorum hominum, & quibus veritas dulcis est. Minime omnium placent, qui *Esaiæ* duos sensus tribuunt, primarium unum, alterum secundarium; hunc de morbis corporis accepisse & repetiisse *Matthæum*

thaum. Mihi enim ista vehementer noxia opinio de pluribus Scripturæ Sacræ sensibus inquinare videtur & multis modis perdere exegesin Scripturæ, itaque non dubito, virum licet doctissimum, *Campegium Vitringam*, in explicando hoc *Esaiæ* loco infeliciter versatum. Frustra etiam ii omnes sunt, qui caussas circumspiciunt, cur dicta de *re spirituali*, *Matthaus de physico malo* explicuerit, esse nempe peccata caussas morborum, &, qui illis medicatus sit, posse dici hos quoque sustulisse; nam, non quæritur, quid ratiocinando colligi possit e Prophetæ verbis, sed, qua de re ista verba agant? Nec colligitur recte, morbos sanari miraculosa ratione ab eo, qui peccata nostra tulit; sequeretur enim, cum Christus sit redemtor universalis, omnium etiam morbos a Christo miraculosa ratione auferendos esse. Missis igitur ambagibus ad *Matthaum* accedo, quem certus sum, ut scriptorem Θεοπνευστον verum sensum *Esaiæ*, qui non nisi unus esse potest, nos docere, alioqui Spiritus Sanctus a seipso abiret, quod vel cogitare blasphemum. Jam vero in *Mattheo* res clara: Vespere facto, cum Dominus noster beneficiis omnis generis tribuendis confluenti populo fatigatus, quamquam non pertæsus, denuo agmine ægrotorum & obsessorum quasi obrueretur, iisque omnibus præstitisset miraculosam medicinam, tum dicit *Matthaus* impletum esse illud *Esaiæ* Prophetæ dicentis: *Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portavit.* Hic quid clarius, quam de physicis varii generis morbis sermonem esse? Sanatos quoque intus esse in conscientia vel omnes vel plerosque nemo inficias iverit, quamquam nunc eam disputationem, utrum nonnisi credentibus sanatio corporis a Christo obtigerit, necne? non placet ingredi. Itaque liquet, & *Esaiam* de corporis infirmitatibus loqui, nec est sane quidquam, quod vetet eum ita intelligi, contra sunt in ipso Propheta, quæ suadent & cogunt ita explicari. Recognoscamus verba Prophetæ: *v. 3. Contemtus, desertus a viris alicujus dignitatis, vir doloribus obrutus, quem constat ægritudine affectu m*

esse; & instar hominis, qui faciem, ne ipsum inspiciam tegit, h. e. veluti leprosus, *contemtus, neque alicujus pr æstimavimus ipsum.* Hanc translationem nolo in præ multis comprobare. Quod autem הסתר פנים ממנו exemplum doctissimorum virorum secutus, pro *le* habui, recte me fecisse arbitror, nam leprosorum e faciem, cum obvios haberent sanos, tegere. *Lev. X* 45. neque obstat, quod *Vitringa* objicit, non *faciem labrum superius*, potius *mystacem* operiundum fuiss prosis, & videre nos jubet *Mich. III.* 7. & *Ezech. X* 17. Nam, quod intectum manet, labro superiori & obvoluto, tantillum est, ut nihilo secius faciem te dici possit, qui ita incedit. Quam vero substituit *Vitringa*, expositionem, durior mihi videtur, cum, inferenda sit vox aliqua, tum, quod ne sic quidem commodus sensus eliciatur, nempe, Christum in cru aspectu quidem dignum habitum esse, quod histori pugnat; pasti enim sunt hostes jucundo Christi, qu putabant vicisse, aspectu. Illa verba autem ידוע חלי certissime, hoc, quod dixi, significant, nempe a *quem constat laborare morbis:* & dupliciter errat d simus *Vitringa*, cum sic scribit: „*Expertus ægrit* „Sensus est: vocatus ad experimenta, sive ad *expe* „*am*, si mavis, asperrimarum & dolorificarum aff „num, quæ corpus animumque infirmant. *Sym* „dederat, *γνωςὸς νόσῳ*, *familiaris morbo*, quam „nem facile fert vox hebræa חלי, *ἀῤῥωςία*, *ἀσ* „*infirmitas, morbus*, & qualecunque malum aliud „dolorem ciet, hominemque affligit, ac debilita „*morbi* respectus in Christo JEsu excludendus, qu „quo nihil historia. חלי hic notat qualequale „quod afflictum infirmat, sive animi sive corporis „*συνωνύμως* conjungitur cum מכאב, ut mox Nihil idonei expectes ab Interprete, qui abreptus dicatis opinionibus ad interpretandum accedit.

ratione fieri potest, ut חלי ידוע vertas: *Expertus ægritudinis*, seu *vocatus ad experimenta*; hoc si vellet *Esaias*, dixisset ידע activa forma vocabulo, non, ut extat ידוע, quæ vox *passiva forma* est. Nec est, quod quisquam ebraice doctus hac de re dubitet; non dubitasset ipse doctissimus *Vitringa*, nisi mens jam alio abstracta fuisset. Porro nec *Symmachi* græca: γνωςὸς νόσῳ recte interpretatur noster: quæ potius vertenda sunt: *cognitus morbo*, seu, quem sciunt omnes morbidum. חלי autem vox minime rara est, ut exempla docent, quæ huc describam omnia. *Deut. XXVIII.* 61. *VII.* 15. *Esa. I.* 5. 2. *Chronic. XXI.* 15. 18. 19. 2. *Reg. I.* 2. 1. *Reg. XVII.* 17. 2. *Reg. XIII.* 14. 2. *Chronic. XVI.* 12. *Psalm. XLI.* 4. *Esa. XXXVIII.* 9. *Deut. XXVIII.* 59. *Hos. V.* 13. *Cohel. V.* 16. *Jerem. VI.* 7. *X.* 19. Sunt in his paucissima exempla, quibus non de physico corpore, sed, v. g. de integro populo sermo est; vox autem חלי ideo non amittit suam significationem, sed metaphora in integra locutione quærenda. Quo jure ergo *Vitringa* vocem, quæ constantissime *morbum* significat, hic neget significare, sed potius *qualecunque malum*, equidem non video. *Morbi*, inquit, *respectus in Christo JEsu est excludendus.* Cur vero? quem in omnibus cruciatuum generibus, ut nos, afflictum & exercitatum *Epistola ad Ebræos* narrat, non ægrotasse, unde probabimus? & in istis cruciatibus cur non sint morbi censendi, velim rationem audire. *Historia*, inquit, *non narrat quidquam de Christi morbis.* Ego quidem crederem *Esaiæ* nihilominus, nam omnia quæ Christus cum fecit, tum passus est, nemo dixerit scripta esse. *Jo. XX.* 30. Sed videbimus de historia paullo post. *V.* 4. sequitur: *Certe morbos nostros ipse tulit, & plagas nostras portavit, nos autem putavimus eum tactum, percussum divinitus & humiliatum.* Quis non intelliget eandem vocem חלי in plurali nunc numero repetitam eadem significatione? *Physici* ergo sunt *morbi*, quos tulit Christus, & rectissime vertit Θεράπευςος

Matthæus, nam vulgari græca versione hic non est usus: τὰς ἀσθενείας, τὰς νόσους. Quemadmodum vero in his initium explicandi fecimus a clarissimis *Matthæi* verbis, quibus deinde vidimus Prophetam suavissime concinere: Ita de reliquis primum videre placet *Esaiam*, tum *Matthæi* eandem esse mentem patebit. Abstulitne hos morbos Christus tantum, ut medicus eorum, quibus medicinam facit, an potius ita abstulit, ut ipse ferret? Hoc ita vult Propheta, ut, si aliter explices, sensu careat Prophetæ oratio. Inducit homines, qui sprevissent Christum, seu spreturi essent, ut morbidum, infirmum, languidum, dolentem; præcipitique adeo judicio, ut nautæ de Jona, & *Melitenses* seu *Meledenses* de *Paullo*, collegissent, divinitus morbos ut propriorum peccatorum pœnas ipsi inflictos, sed deinceps agnovissent, *suos* esse morbos, *suas* infirmitates. Hæc, ut dixi, nullum habent sensum, si velis, non extitisse istos morbos in Christo, sed tantum sanando ablatos ab aliis esse. Certissime autem idem vult *Matthæus*. Nam, primo observa, pronominis αὐτὸς magnam hic emphasin, qualis & vocis ebraicæ הוא hoc loco est, quæ nulla foret, si non sustulisset in se morbos; nam, de medico, qui tantum aufert dolores ægri, nemo dicit *ipsum* abstulisse, hunc enim non alium id facere, per se constat; verum de eo, qui alterius cruciatum in se transfert, ut aliquando veneno e vulnere hausto factum est, commode hæc vox *ipse* adhibetur. Deinde ipsa vox ἔλαβε locum nullum habet, nisi de morbis in Christum ipsum susceptis *Matthæum* explicemus. Λαμβάνειν dicitur, qui aliquid, bonum malumve, ita accipit, ut habeat, v. g. 1. *Jo. II.* 27. *Apocal. XIX.* 20. *Gal. III.* 2. & infinitis locis aliis, nec puto in verbo usitatissimo unquam usquam contrarium exemplum haberi. Sed βαστάζειν & ebræum סבל frigide explicatur *auferre*, nisi ablatio ita facta sit, ut qui abstulit, antea portaverit. Nescio, cur huc passim referant *Jo. XX.* 15. quasi ibi non intelligatur portasse

adeo-

adeoque in se suscepisse & sensisse onus, is, qui *Mariæ* videbatur corpus Christi abstulisse. Itaque ne dubitandum quidem censeo, in se suscepisse Christum eos dolores morbosque, quos in aliis sanavit, ægritudinem & molestias morborum istorum sensisse & tolerasse omnes, non ita quidem, ut decumberet, nam obambulavit per terram, & beneficia multis tribuit, qua in re obstitisset, affixum hærere lecto; ita tamen, ut persentisceret cruciatus. Quæ res etsi ridicula *Socino* sit, hujus tamen hominis & aliorum ejusdem furfuris cachinni parum me movent. Sed & bonis viris initio rem, de qua fortasse nunquam accurate cogitarunt, incredibilem visum iri, facile video: Christum aliquando morbis tentatum esse; sed paullatim puto cessaturam admirationem, si, & quæ adhuc disputata sunt, & paullo post dicentur, maturius expensa fuerint. *Bernhardus Lamyus, Harmon. Evangel. L. II. cap. XXII. p.* 355. sic ait: „Hebræi, qui carent compositis verbis, simplici „utuntur pro composito, ita *accepit & portavit* ibi sunt „pro *abstulit, & asportavit*; neque enim Christus morbos aliorum ipse in se suscepit. Constat ex hac allegatione „*Isaiam* habuisse in animo morbos, quos sanabat Domi„nus, quibus sanatis ostendebat & posse sanare mentes „a vitiis, quod potissimum intuebatur Propheta in hocce „vaticinio.„ Verum huic *Gallo* doctissimo alterum *Gallum*, sed qui ætatem exegit in *Britannia* & hujus ecclesiæ sacra amplexus est, cum gente Judæus, tum Andegavensis Academiæ doctor fuisset, opponere licebit, *Carolum Mariam de Veil, Explicat. literal. Matthæi, p.* 103. „Accepit, id est, accipiendo abstulit; Christus enim anima „& corpore pœnas tum animi tum corporis, nobis debi„tas, luit, nos ab iis liberaturus. *Portavit*, id est, por„tando asportavit; Christus enim portando miserias no„stras, ex uno peccati fonte derivatas, omnes a nobis sus„tulit, seu meruit nobis omnem ablationem; non tamen „omnes omnino aufert in præsenti vita, sed meritis passio„num ipsius Christi auferentur a justis in resurrectione,

quando

,,quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur ,,1. *Cor. XV.*,, Hæsit hic vir, ubi hærent ceteri, nec agnovit, tum, cum sanaret ægros Christus, morborum dolores in se suscepisse, sed vidit tamen verba λαμβάνειν & βαςάζειν non posse non de *susceptione*, morborum corporis etiam, exponi. Restat, ut de aliquot locis Scripturæ parce & modeste disputemus, unde merito colligitur, sensisse Christum cruciatus multorum, quos sanavit. Nam affectum fuisse iis infirmitatibus, quæ solerent & alios homines corripere, vix dubitandum. *Ebr. II.* 17. 18. *Propterea oportebat ipsum in omnibus, fratribus suis similem fieri, ut fieret misericors, & fidelis Pontifex, in iis, quæ ad Deum pertinent, ad expianda peccata populi. Nam, in quibus rebus passus est ipse tentatus, potest tentatis succurrere.* B. *Seb. Schmidius ad h. l. pag. 260.* ,,Sed quid sunt tentationes? *Sunt*, inquit *Estius* h. l. ,,*qui Christum tentatum interpretantur, h. e. solicitatum* ,,*ad peccandum, sive a diabolo, sive a Judæis. Alii ten-* ,,*tatum dicunt, id est, interrogatum & examinatum ab* ,,*iisdem, ut de eo caperent experimentum, quis esset,* ,,*quid sciret, quid ageret, aut quid posset. Sed illi mul-* ,,*to rectius, qui tentationem hanc exponunt de laborum,* ,,*dolorum, mortis, ceterorumque malorum perpessione,* ,,*quod his tentari soleant homines, & per experientiam* ,,*cognosci: quales sint* Hæc ille. Conf. *Justinianum* ,,ad h. l. Nobis non videtur disputatione longa opus ,,esse, nam aperte Apostolus tentationes nostras & Christi ,,tentationes comparat, ut verum magis appareat, quod ,,v. præcedente dixit; debuisse fratribus per omnia simi- ,,lem fieri. Et infra, *cap. IV.* 15. nihil plane excipit ,,præter peccatum, cum dicit: *Tentatum vero juxta* ,,*omnia, juxta similitudinem*, χωρὶς ἁμαρτίας, *sine pec-* ,,*cato.* Si itaque exceperis peccatum, tum inhabitans, ,,tum actuale, de reliquis tentationibus nihil quidquam

necesse

„necesse erit excipere.„ Idem *Schmidius ad Ebr. IV.* 15. delatus, cum antea merito nihil excepisset, nunc tamen *morbos* excipit. Recitabimus & hæc verba: „ Idem *Ju-„stinianus* disputat, an Christus morbos sustinuerit, vel su-„stinere potuerit, & posterius etiam affirmare putat te-„merarium, ex hoc maxime principio, quia Christus fue-„rit sine peccato, morbi autem non sine aliqua, saltem „levi culpa, obveniant, non autem extrinsecus illata vul-„nera & passiones. Contra *Estius* cum aliis putat, potu-„isse Christum sustinere morbos sine peccato. Nos hoc „in Scriptura de Christo non invenimus, quod ullum mor-„bum sustinuerit, ideo etiam non affirmandum esse sta-„tuimus. Si quid dicendum de hoc, an potuerit? malu-„mus cum *Justiniano* sentire, quam cum *Estio*, si quid sen-„tiendum: quamquam satius putamus, nihil sentire, ubi „Scriptura nobis non præit. Nostrates tamen etiam „Theologi haud obscure suam sententiam produnt, quan-„do dicunt, a Christo removenda esse personalia malà, vi-„delicet morbos.„ Placet in *Seb. Schmidio & Gerhardo* modestia, qui, etsi non putant Christum morbos tulisse, minime tamen damnant secus sentientes. Et merito quidem. Nam cum ajant hi docti viri, non esse quidquam præter Scripturam statuendum, videntur ipsi præter Scripturam excipere *morbos*, *Paullo* nullum genus malorum, quod Christus non sensisset, excipiente, præter peccata. Certe, ut ea nunc non repetam, quæ in locum *Matthæi VIII.* 16. disputavimus, ad quæ satis scio nihil responderi posse, quin Christus corporum morbos in se transtulisse dicendus sit; nulla parte satisfaciunt laudato dicto ad *Ebræos*. *Morbos* nemo dixerit esse *peccata*, & quod *Justiniano* in mentem venit, morbum non sine aliqua, saltem levi culpa, homini obvenire; de ceteris hominibus, quorum non est aliorum sed suam culpam ferre, concessero lubens: sed cur de illatis extrinsecus vulneribus & passionibus neget, non video. Est enim eadem omnium ratio, neque ulla foret vel interna, vel externa calamitas, nisi peccatum esset.

esset. Quo cum laborent & polluti sint homines omnes, hinc factum, ut nemo ad morborum & vulnerum periculo immunis sit. Multo autem minus Christus immunis censendus est, cum totius generis humani, tam immensæ multitudinis peccatorum, personam gerat, quamquam in se propria peccata nulla habet. Esse vero morbos genus calamitatis humanæ, & his subinde graviter pios tentari, quibus adeo maximo solatio cedit nosse, eandem acerbitatem esse a Domino gustatam, non puto quemquam facile negare posse. Itaque mihi videtur sine ratione excipi *morbus*, quod e gravissimis vexationum generibus est, in Apostoli universalissimo sermone, maxime cum *peccatum* diserte excipiatur, unde clarissime sequitur, & ferrea consecutione, quicquid peccatum non est, nec excipi. *Esaia* autem certissime contradicitur, si negare porro ausis Christum morbos sustinuisse, nam præter ea, quæ de vocibus חלי & ידוע abunde dixi, observandum: si de extremis tantum vitæ Christi inter homines actæ horis intelligas illa vaticinia Prophetæ, qui potuit eum repræsentare ut hominem, *quem constaret cum morbis conflictari, eandemque esse caussam, ut vulgo sperneretur?* Huc, antequam ad dicta biblica pergam, referenda duxi aliqua *b. Athanasii, Orat. IV. contra Arrianos, T. I. Opp. p. 483.*

Καὶ διὰ τῦτο, τὰ μὲν ἴδια ταύτης αὐτῦ λέγεται, ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ ἦν. οἷά ἐςι τὸ πεινῆν τὸ διψῆν τὸ πάσχειν τὸ κοπιᾷν καὶ τὰ ὅμοια, ὧν ἐςιν ἡ σάρξ δεκτικὴ. Τὰ δὲ αὐτῦ τῦ λόγυ ἴδια ἔργα, οἷά ἐςι, τὸ ἐγείρειν νεκρὺς, καὶ τυφλὺς ποιεῖν ἀναβλέπειν, καὶ τὴν αἱμοῤῥοῦσαν ἰάσασθαι αὐτὸν, διὰ τῦ ἰδίυ σώματος αὐτὸς ποιεῖ.

Καὶ ὁ μὲν λόγος τὰς τῆς σαρκὸς ἐβάςαζεν ἀσθενείας ὡς ἰδίας. αὐτῦ γὰρ ἦν ἡ σάρξ. καὶ ἡ σάρξ δὲ ὑπύργει τοῖς τῆς Θεότητος ἔργοις. ὅτι ἐν αὐτῇ ἐγένετο. Θεῦ γὰρ ἦν σῶμα. εὖ δὲ ὁ προφήτης εἴρηκεν, ἐβάςαζε,

καὶ

καὶ οὐκ εἴρηκε· τὰς ἀσθενείας ἡμῶν αὐτὸς ἐθεράπευσεν, ἵνα μὴ ὡς ἐκτὸς ὢν τοῦ σώματος, καὶ μόνον ἰασάμενος, ὡς ἀεὶ πεποίηκεν ὑπευθύνους πάλιν τῷ θανάτῳ καταλείψῃ. τὰς δὲ ἀσθενείας ἡμῶν βαστάζει καὶ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς φέρει, ἵνα δειχθῇ, ὅτι καὶ ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς γέγονε, καὶ σῶμα τὸ ἐν αὐτῷ φέρον αὐτὰς αὐτοῦ ἴδιόν ἐστι. κ. τ. λ. „Ideoque „quæ propria sunt carnis, etiam de illo referuntur, ni„mirum, quia in carne consistebat: qualia sunt esurire, „sitire, pati, fatigari, aliaque id genus, quæ caro in se „recipit. Quin & ea opera, quæ sunt propria verbi, qua„lia sunt, mortuos excitare, cœcis visum restituere, hæ„morrhoissam sanare, ea quoque omnino corporis mini„sterio peragebantur. Et quemadmodum verbum carnis „infirmitates bajulabat, ut suas, neque id mirum, erat „enim caro ipsius: ita rursus, cum caro suo ministerio „divinitatis operibus inserviebat, illa opera carne fiebant, „quia caro illa erat corpus Dei. Probe autem Propheta „locutus est: *Gestavit infirmitates nostras*, non autem „*curavit*, ne quasi extra corpus humanum consistens, cor„pusque sanans, uti semper fecit, obnoxios iterum morti „homines relinqueret. Ceterum, infirmitates nostras „ipse bajulat, & peccata nostra ipse gestat, ut in conspicuo „sit, eum hominem propter nos esse factum, & corpus, „quod peccata ferebat, illi esse proprium.„ Hujus generis complura sunt apud *Athanasium*, sed nos unicum tantum locum eumque solum latine descripsisse contenti sumus. Ibid. p. 485. „Eadem igitur ratione, etiam cete„ras affectiones corporis non incongruenter in seipsum „transposuit, ut jam deinceps, non ut homines, sed ut ii, „quos ut proprios & pro suis agnoscit verbum, æternæ „vitæ consortes efficeremur. Non enim ulterius secun„dum priorem originem *Adæ* intermorimur, sed dein„ceps nostra origine, cum omni carnali infirmitate in Ver-

bum

„bum translata (τῆς γενέσεως ἡμῶν καὶ πάσης τῆς „σαρκικῆς ἀσθενείας μεταθεθείσης εἰς τὸν λόγον) „e terra excitamur, dissoluto peccati piaculo per eum, qui „in nobis & pro nobis piaculum factus est. Ac non im„merito. Quemadmodum enim in Adam ex terra de„rivati morimur, ita denuo ex aqua & Spiritu Sancto re„generati in Christo omnes vivificamur, quasi caro nostra „non amplius terrestris, sed rationalis facta sit; &, ut „sic dicam, verbificata ob rationem sive verbum, quod in „nostri gratiam caro factum est. Ut autem impassibilita„tem naturæ verbi, ejusque ob carnem infirmitates co„gnoscamus, operæ pretium est, ut majori diligentia au„diamus *b. Petrum;* is enim dignus testis, cui de Salva„tore habeatur fides, qui ita scribit in epistola: *Christo igi„tur pro nobis carne passo;* quo circa cum dicitur aut esu„rire aut sitire, aut fatigari, aut nescire, aut plorare, aut „postulare, aut fugere, nasci item & deprecari calicem, „& simpliciter, quæcunque sunt corporis, tolerare, recte „ea omnia de Christo esuriente, sitiente pro nobis, cola„phis cæso, laborante, exaltato, nascente, crescente, me„tuente, latente, atque ad istum modum loquente: *Si „possibile est, transeat a me calix iste:* tum denique quan„tum ad carnem attinet, pro nobis vapulante, accipiente, „(hic est in græco vox λαμβάνειν,) ea inquam omnia „recte de eo dici ac prædicari possunt.„ Facile vides san-ctum virum nullas infirmitates humanas, quarum magnam partem morbi absolvunt, exclusas velle, & totam vitam sanctissimi Servatoris, non tantum extremas horas, in quas quidem dirissimi cruciatus confluxerunt, acerbitatum plenissimam fuisse. Nunc pergamus ad alia argumenta, quamquam, quæ dixi, abunde sufficere possunt. *Lucæ* narratio, *cap. IV.* de Christo *Nazarethæ* in patria sua docente, sed miracula oppido pauca patrante, non videtur adhuc satis intellecta, ea parte, quæ de caussis contemti Servatoris agit. *V.* 23. Christus civibus suis dixit:

Omnino

Omninò dicetis mihi proverbium hoc: Medice, cura te ipsum; quæ audivimus facta Capernaumi, hic quoque fac in patria tua. Non dubito plerosque sic intelligere fore aliquando, ut, ipso nempe in cruce pendente, ita dicerent osores Christi, hucque referre, *Luc. XXIII.* 35. quo loco legimus, exsibilatum & subsannatum Christum, a malignis spectatoribus. Verum illa verba non sunt eadem, quæ hic *Luc. IV.* nam de *cura medica* ibi nihil est, & quæ nostro loco connexa sunt; *quæ audivimus alibi à te facta* fac & in patria, liquidissime docent, illud: *Medice, cura te ipsum,* non demum cruci affixo Christo, nec à promiscua multitudine spectatorum, in quibus fortasse paucissimi Nazarethani fuere, dictum iri. Tum enim parum ad rem fuisset, petere a Christo miracula in *patria Nazarethana* patranda, sed prodit Christus mentem civium, qui tum & cogitabant & dicturi inter se erant, vel ad ipsum Christum, notissimum proverbium: *Medice, cura te ipsum.* Itaque constitit Judæis Nazarethanis Christum cum malis conflictari solitum. Quod quamquam nemini fortasse observatum, non minus ideo verum est. Eorum vero morbos, quos liberavit Christus, saltem dolores, quos sustinuerant illi, & sustinere amplius debuissent, in suo sanctissimo corpore tolerasse ipsum, aliquot alia loca haud obscure indicant. Quid enim sibi volet, *infremuisse Christum in Spiritu, & se commovisse acerrime,* quæ verborum ἐμβριμᾶσθαι & ταράσσειν ἑαυτὸν significatio est, si non sensit animi corporisque dolores Christus, cum mortis vinculis exsolveret *Lazarum? Jo. XI.* 33. Nam, quod alii perhibent, ira commotum esse ob potestatem Satanæ, qui posset homines mortis vinculis tenere; alii, indignatum esse Judæis, clam secum convicia Christo dicentibus, conjecturis nititur nulla solida ratione demonstrandis. Hoc vero certum, Christum ἐν ἑαυτῷ *in se ipso* conturbatum, doloribus, cujus & externa indicia apparuere, non caruisse. *Marc. III.* 21. cum confluxisset magna multitudo hominum, ægrotos undique suos affe-

rentium ad sanctissimum Dominum nostrum, qui, ut aliquando de via lassus ad puteum consederat, *Jo. IV. 6.* ita nunc vel cœnandi facultate privatus, tantum non defecit; crediderunt οἱ παρ' αὐτοῦ, h. e. propinqui ejus, quicunque fuerint, fore ut Christus animi deliquium patiatur, quoniam hoc futurum ex infirmitatis signis in sancto corpore collegisse videntur. Nam, etsi in omnes partes se versant interpretes doctissimi, tamen frustra sunt, qui vel verbum κρατεῖν de populo conantur explicare, quæ vox *compescere & arcere* nusquam significat, *apprehendere & continere* ubique; vel, ὅτι ἐξέστη, de alia ulla re, quam *deliquio animi*, sæpe extraordinariis & insufitatis gestibus conjuncto, exponi volunt. Et hoc ipsum indicat propinquos & alias similem languorem in Domino observasse. At, cum hos dolores tum potissimum senserit, cum ægrotos morbis levaret, liquere arbitror eum horum hominum dolores in se trajecisse. Hic dicam aliquid, quod accipiet quisque ut lubet, equidem arbitror esse verosimillimum. Videntur e dolorificis sanctissimi corporis Christi motibus & concussionibus calumniandi occasionem arripuisse hostes Christi, ipsummet obsessum esse, & agi majoris aliquanto imperii Cacodæmone, quam illi essent, quos ejecisset ex aliis. Vid. *Marc. III.* 22. 30. *Jo. VIII.* 48. 52. Igitur luctatus est Christus cum Cacodæmone, non quasi dubia victoriæ spe, sed luctatus tamen. Vid. *Marc. III.* 27. Quæ cum ita sint, nihil esse censeo, quod concedamus βαστάζειν & φέρειν τὰς νόσους καὶ τὰς ἀσθενείας, non esse proprie de Christo explicandum. Neque velim mihi objici, non fuisse opus in se transferre dolores, quos verbo & sanare potuerit & sanarit vel non translatos in se; nam eodem modo quæreres, cur voluerit paupertatem, cur ceteras tentationes & ærumnas perpeti, quas perpessum esse nemo dubitat. Meminisse decet verborum Apostoli 2. *Cor. VIII.* 9. *Agnoscite gratiam Domini nostri JEsu Christi, quod propter vos pauper est factus, cum esset dives,*

dives, ut vos ipsius paupertate divites fieretis. Nihil addo, nisi cogitata *Caroli Mariæ de Veil*, in locum *Marci*, „*in furorem versus est, i. e. extra se factus est.* Prophe„tarum olim credebatur proprium, dum Spiritu corripe„rentur, extra se, ac parum sui compotes esse: unde & „*insanire*, aut mitiori voce, *alienari* dicebantur. Sic *Se*„*neca libro de constantia Sapientis: cum*, inquit, *sapientem* „*negatis insanire, non negatis & alienari, & parum sana* „*verba emittere.* Hinc 4. *Reg. IX.* 11. filius Propheta„rum ab *Elisæo* missus a ceteris *insanus* vocatur. Sic & „1. *Reg. IX.* 18. ubi habetur in textu *Ebræo & Vulgato:* „invasit Spiritus Dei malus Saul & prophetabat, *Chal*„*daus paraphrastes* vertit: *Et insaniebat*, & ibid. *cap.* „*XIX.* dicitur de *Saul*, quod exspoliavit ipse se vestimen„tis suis & prophetavit cum ceteris coram *Samuele*, & ce„cidit nudus tota die illa & nocte; quod satis indicat, „*Saulem* fuisse sui impotem & in potestate spiritus. Hinc „& *Montanistæ*, ut se Prophetas simularent, verba ambi„gua, & quæ nihil sani præ se ferrent, effundebant, ut „testatur b *Epiphanius;* atque ita etiam in præsenti loco, „amici & cognati Christi, ut furenti eum turbæ eriperent, „ac sic, quod verisimile est, servarent, suæ eum potestatis „esse negant.„ Essent & in Epistola *Ignatii ad Philippens.* sed spuria, §. *VIII. p.* 342. edit. *Ittigii* aliqua huc pertinentia, sed non est operæ pretium, describere. Contra observatione dignissimus est locus, *Marc. V.* 30. coll. *Luc. VIII.* 45. Sensit egressam a se virtutem, qua sanata esset muliercula, h. e. tantum sibi infirmitatis, quantum huic roboris, datum, quam quidem infirmitatem seu virium defectum, infinita sua virtute facile vicit Servator, sed sensit tamen, nec alio modo intellexerunt discipuli, culpa in populi impetum, quo afflictus esset, collata. Sic & *Esaiæ* verba *cap. XLIX.* 45. si vellem fusiore oratione uti, egregie huc facerent, *Psalmi* item duo, *LXIX.* 9. 10. 11. & *CII.* 5. 23. 24. non de postremis solum Domini cruciatibus agunt.

agunt. Sed propriæ meditationi lectoris ea commendatam velim.

411. Ad hoc vero quod Dominus JEsus propitiatio vocetur, quid respondes?

Hinc non extrui necessario satisfactionem vel id argumento est, quod Scriptura tradat ipsum Deum proposuisse propitiationem Christum, uti Apostolus aperte loquitur. 1) Rom. III. 25. Deinde ex eo, quod etiam illud operculum arcæ Dei propitiatio, seu propitiatorium sit vocatum, cum nimis apertum sit, ipsum Deo nequaquam satisfecisse. Ebr. IX. 5 Exod. XXV. 22. 2) Denique aliud est, satisfacere alicui, aliud, eum reddere propitium: cum is, qui propitius redditur, seu placatur, possit multum de jure suo remittere; cui vero satisfit, nullo pacto de jure suo remittit. 3)

412. At ea de re quæ tua est sententia?

Ea, quod Deus in Christo mirum in modum se nobis propitium exhibuerit, & omnia, quæ nos scire voluit, per eum revelarit, maxime vero, cum Filium suum in mortem dedit, unde Apostolus in loco superius citato adjecit, in sanguine ipsius. 4)

Notæ:

1) *1. Jo. II. 2. IV.* 10. vocatur Christus ἱλασμὸς περὶ

περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. *Propitiatio pro peccatis nostris, neque pro nostris solum, sed & totius mundi.* Ita ergo propitium facit nobis Deum, Christus, ut peccata non imputet, quæ fuisset imputaturus, nisi propitius esset per Christum factus. Quæ ut recte agnoscantur, velim considerari *comma ultimum cap. I.* unde elucet, neminem unquam tantæ posse sanctitatis esse, ut plane non peccet. Hæc vero dixit, ut, quoniam peccatis infecti natura omnes sumus, majori studio nobis caveamus, ne in gravia scelera ruamus, uno verbo, ut cauti simus. Sed, ne quis despondeat animum, nulla proposita spe in hac vita plenissimæ liberationis a peccatorum radice, addit: *Si quis autem peccet, habemus, qui caussam nostram agat, JEsum Christum, qui justus est.* Quibus verbis quid aliud vult, quam, etsi nos destituamur laude perfectæ justitiæ, alium esse, qui sua justitia suppleat vicem nostram, sed, cum non satis sit præstare Christum, quæ præstanda a nobis fuerant, verum & propitius reddendus sit seu reconciliandus Deus, irascens peccatis, quæ admisimus; addit: *Qui est propitiatio pro peccatis nostris*, h. e. satisfecit pro nobis, &, ne quis sua atrociora putet esse peccata, quam ut ad ipsum conciliatio pertineat, insuper monet, *esse propitiationem pro totius mundi peccatis.* Hæc & rei & singulis verbis & ordini ab *Joanne* observato consona interpretatio, præterea eo confirmatur, quod, si Socinianorum opinio veri aliquid haberet, monitum de Christo Servatore potius addendum fuisset, ad hæc verba: *ne peccatis*; hoc sensu: nolite peccare, nam habetis ducem viæ strenuum, qui, quomodo sit sanctis operibus placandum numen, egregie docet exemplo verboque suo. Ita vero, ut Apostolus instituit, nullus locus est Socinianæ detorsioni. Frigeret enim mirum in modum hæc oratio: Nolite animi angi, tametsi peccatorum vobis conscii, habetis enim Christum, qui vos ad longe majorem sanctitatem, quam quæ priore lege exigebatur, nova & accuratiore lege propositam, vocat, hunc, ubi strenue sequemini, placabitur Deus.

Absone utique; nam, quo major postulatur sanctitas, eo magis excruciatur conscia peccatorum & recordatione sauciа mens, eoque propius ad desperationem accedit. Idem fere repetendum foret, ad 1. *Jo. IV.* 10. sed relinquo id lectoris meditationi propriæ, contentus hoc unum monuisse: Cum *v.* 10. Apostolus charitatem Dei in eo maxime celebrasset, quod Filium dedit ἱλασμὸν *v.* 17. subjicit, hunc esse fructum hujus amoris Dei, ut confidenti animo judicium divinum expectemus. Quid hoc est aliud, quam operibus nostris nulla ratione confidendum esse, &, si id faceremus, tremendum fore tribunal divinum, contra, cum Christum habeamus paracletum, Servatorem, propitiationem, cessare timorem, crescere fiduciam. Huic tam claro argumento nostro, si idonei aliquid opponere potuissent Sociniani, fecissent haud dubie. Verum nervo caret exceptio: *Deum ipsum proposuisse propitiationem Christum, ergo non posse inde satisfactionem Christi extrui;* immo, si alius quicunque propitiationem dare ausus esset præter Deum, tum fas esset negare, satisfactionem esse factam. At, quam Deus dedit propitiationem, eam vere talem esse, & revera expiasse peccata nostra, nefas est dubitare. Tantum vero abest, ut Christus non satisfecerit pro peccatis, quoniam divino consilio ad hoc munus missus est, ut, nisi hoc consilium divinum esset, satisfactionem Deo gratam esse, minime constaret. Pulcherrima hic sunt verba *epistolæ ad Ebræos X.* 4. 5. *Fieri non potest, ut sanguis taurorum & hircorum tollat peccata. Propterea eum ingreditur mundum, dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus vero aptasti mihi. Holocausta & sacrificia pro peccatis non probasti. Tunc dixi: Ecce venio, in volumine libri de me scriptum est, ut faciam, o Deus! voluntatem tuam. V.* 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis JEsu Christi semel factam.*

2) Hæc exceptio admodum est mirabilis. Nam quis nescit rerum figuris & rebus ipsis multa inter se esse communia, nomenque quod typo improprie debetur,

anti-

antitypo tribui propriiſſimo ſenſu. Quamquam igitur illud arcæ operculum ἱλαστήριον vocatur, (non quidem ἱλασμὸς,) nihil tamen decedit honori Chriſti; nam typus ille ſanguine animalium aſperſus, locus fuit, quo veluti reſideret juſtitia divina, unde oraculo ederet, ſeque ob allatum animalium ſanguinem placatum oſtenderet. At, cum animalium ſanguine proprie non potuerit expiatio fieri, & fructus, ampliſſimus quidem, quem fideles V. T. inde habuerunt, ſanguini præſtantiori per illum præfigurato, debeatur, ſequitur inde, primo, operculo iſti hoc nomen dari improprie, tum etiam, neceſſe eſſe dari aliud, cui nomen *propitiatorii* proprie debeatur. Quid vero hoc præter Chriſtum? In hoc conſilium divinum de ſalute generis humani patefactum eſt. 2. *Cor. V.* 19. *Jo. I.* 18. Invertimus igitur telum, quod imprudentes Sociniani in nos vibrare voluerant, &, cum vellent ſolidum noſtrum argumentum evertere, incaute addiderunt nobis alterum pariter invictum. Sic colligo: Si *propitiatorium* vocatum eſt operculum arcæ fœderis improprie, quia ibi facta eſt expiatio peccatorum typica, & iræ divinæ, alias, niſi ſacrificium fieret, certo punituræ, ſatisfactum eſt, modo typico, fructuoſo tamen; minime autem lex ibi nova data, per quam obſervandam homines ipſi Deum placarent: ſequitur Chriſtum, qui proprie vocatur *propitiatorium*, vere placaſſe Deum, & ſuſtuliſſe iram divinam, quæ, niſi is ſuo ſacrificio ſatisfeciſſet, punitura erat genus humanum, idque nomen gerere, non ob aliquam noviter propoſitam legem, cujus obſervatione Deus placandus eſſet.

3) Diſtinctio inter varios modos reddendi aliquem propitium, ſuo loco adhibita, optima eſt; fieri enim poteſt, ut aliquis nulla præſtita ſatisfactione acceptave, reum gratiæ amici condonet, eumque benevolo affectu proſequi incipiat, quem oderat ante. Ita homines poſſe, ſi neminis juribus officiatur, de ſuo jure cedere, nemo eſt, qui ignoret. Juſtitiæ autem divinæ novimus e Scriptura aliam rationem. Ipſo enim celebratiſſimo loco de gratia Dei &

de propitiatorio, *Rom. III.* 25. 26. hæc verba extant: *& ipse sit justus & justificans eum, qui est ex JEsu.*

4) Quis vero ille *mirus modus*, quo se Deum Christo propitium exhibuerit, si Sociniana perversi obtinet? *Omnem suam voluntatem*, inquiunt, *seu om quæ nos scire voluit, per Christum revelavit.* Immo m per Apostolos magis & Evangelistas; nam nisi ho libri extarent, nos omnes, qui Christum in carne nunq vidimus, de Evangelio nihil rescivissemus. Merebun ne ideo & Apostoli & Evangelistæ nomen *propitiat Sanguinis effusionem* quid commemorat Catechesis, si est satisfactio pro peccatis? Apostoli verba: *propitia um per fidem in ipsius sanguine*, nullum habent sen nisi ita intelligas, Sanguinem Christi esse caussam, ob q nobis Deus sit propitius. Verum secundum Socini rum systema, vel scopas potius dissolutas, Sanguis Cl nihil minus est quam caussa, cur nos habeamus Deum pitium. Meruit enim Christus, si his credas, glo fuso patienter sanguine, sed sibi meruit, non nobis. ro, patientia in profundendo sanguine exemplum est ges tulerit, vitæ pariter strenue ponendæ, sed quid omnia ad placandum Deum? Quodsi placandus sit minum propria sanctitas eum placare potest debetq non placandus, si, ut ajunt Sociniani, peccata ultro r tit, nec postulata nec accepta satisfactione, per se Sanguinis Christi hic nullum usum esse; nam qui f Deum propitium, qui dudum sponte propitius Videt lector frustra hæc omnia, ad fucum aliquem f dum, dicta esse. Reipsa nihil plane relinquunt C mediatori. Turpiter adeo conantur & recentiores tis credulitati imponere; nam ita scribunt: „Cum „lus Christum propitiatorium a Deo propositum, „in ipsius sanguine, per fidem in ipsum, id sib „Christum ex Dei voluntate sanguinem suum pro p „omnium fudisse. Proinde: qui velit Deum pro

„experiri, & peccatorum suorum veniam consequi, ad „Christum accedat per fidem in ipsum. Hic uni, cum est „omnium peccatorum asylum. Cum vero *Joannes* eum „propitiationem pro peccatis nostris appellat, significat, „per eum peccata nostra expiari: vox enim Græca, quæ „latine propitiatio redditur, in sacris literis sæpe expiatio„nem seu a reatu peccatorum liberationem denotat. „Unde & ipsa peccata propitiari dicuntur, i. e. expiari. „ Venusta verba in fumos abeunt, cum intelligitur Socinianis *credere in Christum*, esse, sequi ejus vestigia.

---

413. Quid vero ad ea testimonia respondes, in quibus traditur, illis sacrificiis prisci fœderis mortem Christi figuratam, & adumbratam fuisse?

Primum tenendum est, non ipsa sacrificia prisci fœderis mortem Christi figurasse; verum mactatio illius pecudis tantum, quæ quotannis mactabatur, & cujus cum sanguine summus Pontifex in sancta sanctorum ingrediebatur, Christi mortem adumbrabat. 1) Quæ, ut non erat ipsum sacrificium, verum quædam ad sacrificium præparatio, & illius inchoatio quædam, sacrificium vero ipsum, tum peragi certum erat, cum summus Pontifex ingrediebatur cum illo sanguine in Sancta Sanctorum: ita etiam mors Christi non erat ipsum sacrificium, verum quædam ad sacrificium præparatio, & sacrificii inchoatio. Sacrificium vero ipsum tum peractum fuit, cum Christus in ipsum coelum ingressus est, qua de

de re inferius audies. 2) Præterea, quamvis illa ſacrificia mortem Chriſti figuraſſent, hinc tamen non efficitur, Chriſti morte Deo fuiſſe ſatisfactum pro peccatis noſtris, cum nusquam teſtetur Scriptura illa ſacrificia illam vim habuiſſe, ut Deo pro peccatis ſatisfacerent. Et tamen neceſſe eſt inter figuram & figuratum aliquam ſimilitudinem intervenire. 3)

414. *Quid vero de illis ſacrificiis ſentis?*

Id imprimis, quod per ea peccata populi Dei expiata fuere, id eſt, gratia & Decreto Dei, accedentibus illis ſacrificiis, peccata fuere remiſſa. 4)

Notæ:

1) Inficetum eſt ευρημα *Fauſti Socini*, ab ejusdem ſodalibus varie impugnatum, non habuiſſe omnes hoſtias V. T. figuram paſſuri & morituri Chriſti. Quod quam lubrice & parum conſtanter tuitus ſit ipſe *Socinus*, operæ pretium eſt recognoſcere. *De JEſu Chriſto Servatore, libr. II. c. IX.* ſic incipit *Socinus*, adverſus *Covetum*, a quo acriter urgebatur, infeliciter diſputans: „De ultimo igi„tur tuorum teſtimoniorum capite, in quo major vis eſſe „videtur, jam Deo annuente, diſſerere aggrediamur. Et „primum, quid ipſe dicas, conſideremus. Scribis igitur: „*Quid etiam, obſecro, ſacrificia nobis ſub lege figurarunt,* „*tot agni pro peccatis immolati? Annon paſſim in epiſtola* „*ad Ebræos, Chriſti agni immaculati mortem, qua Deo ſa*„*tisfieret, adumbraſſe dicuntur? Nonne id verum agnovit* „*Baptiſta, cum de Chriſto clamaret: Hic eſt agnus Dei,*


„qui

"*qui tollit peccata mundi.* In his paucis verbis tuis sunt
"multa errata. Primum enim non usque quaque verum
"est, sacrificia sub lege mortem Christi figurasse; tantum
"abest, ut generatim, quemadmodum tua verba fuerunt,
"per eam divinæ alicui justitiæ satisfaciendum fuisse ad-
"umbraverint. Figuratum enim sive adumbratum illud
"sub lege fuisse dicitur, ex iis, quæ sunt sub Evangelio,
"cujus imaginem quandam, veritati, quoad ejus fieri po-
"test, respondentem, in vetere fœdere Deus præcedere
"voluerit. Nam sicuti universum antiquum fœdus ima-
"go quædam est novi: Ita, si quis singulas ejus partes di-
"ligenter inspexerit, eis, tanquam imagini cuidam verita-
"tem, totidem fere partes in novo respondere comperiet.
"Quare, cum non omnia sacrificia legis, quamvis pro pec-
"catis facta, (de istis enim quin loqui velis, non dubito,)
"Christi morti, tanquam imago veritati, respondeant:
"non omnia Christi mortem figurabant. Sed figura mor-
"tis Christi erant tantummodo sacrificia illa, quæ publi-
"ce, hoc est, pro universo populo, ipso etiam aliquando
"summo Sacerdote non excluso, & statis quibusdam tem-
"poribus fiebant; præsertim vero illud, quod semel in
"anno summus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingrediens,
"peragebat, ut ex *Epistola ad Ebræos* cuicunque non osci-
"tanter eam legenti constare poterit." Idem *Socinus
ad Radecium epist.* 2. *p.* 95. "In eo tamen abs te dissentio,
"ut minutiora quædam prætermittam, quod videris con-
"cedere, viros pios, qui sub Vetere Testamento fuerunt,
"ad Christum in ceremoniis illis & sacrificiis, in quibus
"adumbrabatur, respexisse, & in spe illius venturi, serva-
"tos fuisse. Id quod ego mihi persuadere nulla ratione
"queo, vel ob id, quod expectatio futuri Messiæ, sicut
"nec aperta promissio, non fuit in populo, nisi tandem
"paullo ante captivitatem Babylonicam, per *Hieremiam*
"Prophetam." Hic nihil videt de Messia in Prophetis,
præterquam in *Jeremia*, homo vertiginosus, cui facile
credas, quod de se ipse fatetur, in Prophetarum libris
parum

parum fuisse versatum, nam epist. 5. ad eundem *Matth. Radecium*, p. 181. sic scripsit: *Tibi ingenue fateor, me, utpote qui hanc sacrarum literarum partem, quae ad praedictiones pertinet, leviter hactenus inspexerim, nihil dum, quid id significet, constituisse.* At alio loco, Messiam clarissime praedictum esse fatetur quidem, nec sustinet negare: sacrificiis adumbratum esse, at solita pervicacia in sententia tamen persistit: ad *Math. Radecium epist. III. p. 137. seq.* „De spe ac fide in venturum Christum, qua praediti „fuerint Patres illi sub Vetere Testamento, ita, ut in suis „sacrificiis ad illum respexerint, nihil aliud in praesentia „dico, nisi me nullo modo diffiteri, Christum ibi adum-„bratum fuisse, sed nego hoc illos intellexisse, quod nobis „demum patefaciendum erat, ut coelestis atque aeternae „veritatis & lucis confirmationem ex antecedentibus figu-„ris & umbris haberemus; sub quibus veteres illi omnes „conclusi erant, usque ad correctionis tempus, ut loqui-„tur Apostolus, *Ebr. IX.* 10. & quod dixi de Messia *Hie-„remiae* temporibus aperte promisso, ita ut nova quaedam „promissio censeri debeat, verissimum est, & per ea, quae „in ejus Prophetae vaticinatione scripta sunt, *cap. XXIII.* „& repetita *cap. XXXIII.* abunde confirmari videtur. „Tametsi enim antea per alios Prophetas, praecipue vero „per *Esaiam*, Messiae adventus ita praedictus fuerit, ut nunc „ejus vaticinationem legentes, historiam potius, quam va-„ticinationem legere nobis videamur, tamen eo tempore „praedictiones istae obscuriores erant, eaeque ad varios „atque extraneos sensus accommodari poterant. Cujus „rei fidem faciunt, quae hodie inter Judaeos receptae sunt, „earum interpretationes. ---- Itaque quod dicis, Chri-„stum ipsis etiam antiquioribus illis patribus fuisse promis-„sum, id sane fateor. Sed nego ita apertas fuisse promis-„siones, ut id ipsi intelligerent, nedum ad se pertinere „arbitrarentur, illud, quod non ipsis, sed eorum posteri-„tati se daturum Deus promiserat.„ Nolo plura hujus hominis consarcinare, alias & huc pertineret p. 8. *Tracta-*

tus

tatis de Justificat. Præstat, paucis ostendere, sacrificia omnia, & in his maxime *expiatoria*, seu *pro peccato*, *& pro delicto*, Christum præfigurasse. Hic non dicam, quamquam maxime ad rem pertinet, hos ritus per se nihil potuisse, quod Deum faceret propitium, continere, placuisse autem & placasse tamen numen, quod ne intelligi quidem potest, nisi typum sanctioris rei gesserint, h. e. Christi. Sed urgebo adversarios eodem dicto *Psalmi XL.* quod è *decimo cap. epist. ad Ebreos* paullo superius recitavi. *Ebr. X. v. 8. cum superius dixisset: Sacrificium & oblationem & holocausta & sacrificia pro peccatis noluisti, neque probasti, quæ secundum legem offeruntur, tum dixit: Ecce ego venio, ut faciam, o Deus, voluntatem tuam. Tollit prius, ut statuat posterius. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis JEsu Christi semel factam.* His explicatur comma primum: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, quot annis iisdem sacrificiis, quæ offerunt, in perpetuum, non potest unquam, eos, qui accedunt, perfectos reddere. Hic, qui oculos non claudit, videt factam esse veteri ævo, per sacrificia oblata, expiationem, verum, quoniam ipsis sacrificiis ea vis non inesset, repetenda fuisse subinde, denique oportuisse plane locum cedere unico sacrificio Christi & perfectissimo, cui soli virtus inest expiandi peccata, cujus *umbra* prisca illa sacrificia fuerant, & diserte hoc vocabulo insigniuntur. Qua fronte igitur negabitur adumbratum illis sacrificiis Christum esse? Liquet autem, non de illis modo expiatoriis sacrificiis, quæ *Levit. XVI.* exponuntur, juvenco, & hirco utroque, mactato altero, altero ἀποπομπαίῳ, item ariete, sermonem esse Apostolo, quamquam de his merito potissimum loqui censendus est, cum festus ille dies festorum omnium fuerit maximus. Nam in Psalmo mentio diserta fit eorum sacrorum, quæ זבח & מנחה dicuntur, & ab Apostolo θυσία καὶ προσφορὰ, quæ voca-



figuratam in vetere fœdere expiationem peccatorum „vere respicere potuit Baptista, nec alius quisquam in novo fœdere, qui Christum agnum appellaverit, sed ad „sacrificia in universum respexerunt, quibus non solum „apud Hebræos, sed etiam apud gentes, peccata expiari cre„debantur; & eum agnum potius, quam aliam pecudem, quæ in sacrificiis mactari soleret, nominarunt, ejus innocentiæ & puritatis & mansuetudinis rationem habentes atque hujusmodi translatione totum Chri... lammodo nobis describentes.„ Hæc ita in... ...s legi, ut non præterviderem tela, quæ ip... prudentia porrigit, quibus ipsius maxime ... ...itia possit jugulari. Ait enim ad sacrificia in universum ...pici, quibus apud Ebræos, (nam ad hanc caussam ... gentes non pertinent,) creditum sit peccata expiari... ...c quæro: verane an falsa crediderint Ebræi? Falsa, puto aliquem dicturum; ita enim tota gens, in qua ...nen vera ecclesia fuit, immanis erroris & turpissimæ ...erstitionis ac vanitatis temere argueretur. Superest ...ere, verum fuisse, quod credebant pii Ebræi. Itaque ...nibus sacrificiis expiati sunt; quæ virtus expiandi cum ...n possit animalium sanguini tribui, præstantiori debe... sanguini, h. e. Domini nostri JEsu Christi. Porro, ...od *Socinus* de binis agnis quotidie *in odorem bonæ fra...ntiæ* immolatis, ne verbulum quidem habet, atque ...onet, agnos quidem pro *delicto*, non vero pro *peccato*, ...ctatos dici, prodit hominis non nimis magnam in li...s *Mosis* peritiam. Itaque velim a lectore meo huc con...ri, quæ ad radicem אשם, quod vocabulum *delictum* ...*inus* transfert, doctissimus *Gussetius* observavit, cujus ...ua saltem, cum omnia mererentur, huc describam. ...*mmentar. de L. E. p.* 100. *G.* „Duo tantum habeo 1) אשם sacrificium esse, ut speciem, & חטאת ut genus, ...nde, in casibus, in quibus paupertatis caussa, permuta...r אשם in חטאת, nihil est, nisi reductio sacrificii spe...fici ad generale. Vid. *Lev. V. v.* 7. & 11. & conf. cum

v. 8. 9.

vocabula & in LXX. Interpretibus extant. Hæc vero genera sacrificiorum ad diei expiatorii solennitates non pertinebant, ne quidquam de iis, *Lev. XVI.* legitur. Hinc palam esse puto, ea non exiguam partem ejus legis esse, quæ tota Christum repræsentandum suo tempore dudum figuravit *Mincha* illud, quod perpetuo & singulis diebus offerendum fuit, bis, quamquam fere vespertinum tantum hoc vocabulo appellant, *Numer. XXVIII.* 3-6. vocatur *odor bona fragrantia;* poteritne ulla justa caussa subesse dubitandi, si cum his conferas *Ephes. V.* 2. *Christus tradidit se ipsum pro nobis oblationem & sacrificium in odorem bonæ fragrantiæ;* typum esse istum duplicem agnum, antitypum esse Christum? Hinc, quamquam hostiis die expiationis magno oblatis certissime & clarissime Christus figuratus est, & simul ipso Sacerdote solennibus istius diei fungente, cum Christus vera hostia & verus Sacerdos simul sit. *Joannes* tamen potissimum *agnum* appellavit, *tollentem peccata mundi.* Itaque sine indignatione legere non potui *Socini* verba de *J. C. Servatore, libr. II. cap. IX. p.* 187. *b. edit. Lubberti.* „Ultimus error, qui in „verbis tuis deprehenditur, est is, quem modo attigi, „quod scil. Baptista, cum de Christo dixit: *Ecce agnus* „*Dei, qui tollit peccatum mundi*, respexerit ad figurationem in lege factam ejus satisfactionis, quæ per Christum fieri aliquando deberet. Nam, præterquam quod „Baptistæ verba non de satisfactione ulla, sed simpliciter „de ablatione agunt, nullo præterea modo ad rem aliquam „figuratam in vetere fœdere respicere potuit ille; cum „in vetere fœdere, ut jam dictum est, pro peccato nullus „agnus immolaretur, sed tantum vel pro holocausto, vel „simul & pro holocausto jugi & pro expiatione altaris „vel in sacrificiis, quæ pacifica appellabantur, sive in aliis, quæ expiatoria non essent, agni immolarentur, exceptis quibusdam paucissimis sacrificiis, in quibus non „quidem pro peccato, sed pro delicto agnus mactabatur. „Vid. *Levit. XIV.* 12. *&* *Numer. VI.* 12. Non igitur ad figu-

„figuratam in vetere fœdere expiationem peccatorum „vere respicere potuit Baptista, nec alius quisquam sub „novo fœdere, qui Christum agnum appellaverit, sed ad „sacrificia in universum respexerunt, quibus non solum „apud Hebræos, sed etiam apud gentes, peccata expiari cre- „debantur; & eum agnum potius, quam aliam pecudem, „quæ in sacrificiis mactari soleret, nominarunt, ejus in- „nocentiæ & puritatis & mansuetudinis rationem haben- „tes atque hujusmodi translatione totum Christum quo- „dammodo nobis describentes.„ Hæc ita indignabundus legi, ut non prætervidérem tela, quæ ipsius *Socini* imprudentia porrigit, quibus ipsius maxime impia sententia possit jugulari. Ait enim ad sacrificia in universum respici, quibus apud Ebræos, (nam ad hanc caussam ceteræ gentes non pertinent,) creditum sit peccata expiari. Hic quæro: verane an falsa crediderint Ebræi? Falsa, vix puto aliquem dicturum; ita enim tota gens, in qua tamen vera ecclesia fuit, immanis erroris & turpissimæ superstitionis ac vanitatis temere argueretur. Superest dicere, verum fuisse, quod credebant pii Ebræi. Itaque omnibus sacrificiis expiati sunt; quæ virtus expiandi cum non possit animalium sanguini tribui, præstantiori debetur sanguini, h. e. Domini nostri JEsu Christi. Porro, quod *Socinus* de binis agnis quotidie *in odorem bonæ fragrantiæ* immolatis, ne verbulum quidem habet, atque monet, agnos quidem pro *delicto*, non vero pro *peccato*, mactatos dici, prodit hominis non nimis magnam in libris *Mosis* peritiam. Itaque velim a lectore meo huc conferri, quæ ad radicem אשם, quod vocabulum *delictum* *Socinus* transfert, doctissimus *Gussetius* observavit, cujus aliqua saltem, cum omnia mererentur, huc describam. *Commentar. de L. E. p.* 100. *G.* „Duo tantum habeo 1) „אשם sacrificium esse, ut speciem, & חטאת ut genus, „unde, in casibus, in quibus paupertatis caussa, permuta- „tur אשם in חטאת, nihil est, nisi reductio sacrificii spe- „cifici ad generale. Vid. *Lev. V. v. 7. &* 11. & conf. cum

v. 8. 9.

„v. 8. 9. & 12. 2) אשם pariter respicere expiationem
„hujus peccati præcise, sed חטאת aliarum culparum cum
„ista. At inde suborietur hæc quæstio, quare Deus pro
„minori culpa requirat duo illa simul, אשם & חטאת
„etiamque pro plebejis, & contentus sit solo חטאת pro
„gravioribus culpis, & pro personis, quarum dignitas
„auget culpam malo exemplo & scandalo, contemtuque
„& cognitionis & vocationis suæ eminentioris, immo pro
„populo toto. Numquid ut moneamur, 1) peccatum
„non posse expiari solo חטאת legali, cum interdum re-
„quiratur אשם quoque. &c. „

2) Mactatio pecudis, cujus cum sanguine Pontifex quotannis sanctum sanctorum ingrediebatur, videtur Catechesi tantum præparatio, vel inchoatio quædam sacrificii fuisse, id factum tum censeri demum, cum ingressus est Pontifex. Hinc colligit mortem Christi non esse sacrificium ipsum, sed hoc peractum esse, cum ingrederetur Christus cœlum. Lectoris interest & hic audire *Socinum*, ut, quibus coloribus paradoxon, quod si verum esset, tota corrueret evangelica fides, pingere & ornare conetur, accurate videre possit & impietatem solide refellere. *De J. C. Servatore L. II. c. XIV. p.* 228. „Animadverten-
„dum autem est, verba illa: Obtulit se ipsum immacula-
„tum Deo, non ad solam mortem crucis referri, sed ad in-
„gressum simul in Sancta, id est, in ipsum cœlum, ubi nunc
„Christus perpetuo pro nobis astat. Per Christi enim
„oblationem tota illa epistola, Auctor ille, ut supra mo-
„nuimus, nihil aliud intelligit, quam, per proprii sangui-
„nis fusionem Christi in cœlo Deo factam, sui ipsius
„pro nobis, ut ita dicam, præsentationem. Nam, sicuti
„non prius Sacerdotium suum vult eum vere adeptum
„fuisse, quam, cum post mortem in cœlum, ut pro nobis
„coram Deo appareret, introductus est; sic non prius
„perfecte eum se Deo obtulisse statuit, quam, cum se illi
„in cœlo præsentavit. Relativa enim sunt: Sacerdos &
„oblatio. Itaque ubi verus Sacerdos nondum est, nec

„vera

„vera oblatio esse potest. Ubi autem verus Sacerdos, „ibi & vera oblatio sit necesse est. Christum autem a scri-„ptore illo, non ante verum Sacerdotem, quam post ejus „in cœlum ascensum, & unicuique, qui eam epistolam „vel semel legerit, satis constare potest, & infra, cum de „ipso Christo in summi legalis Sacerdotis persona adum-„brato agemus, Deo dante, demonstrabitur. Quid? „quod epistolæ auctor ipse, quidnam Christi oblationis „nomine intelligat, adeo dilucide explicat, ut nulla dubi-„tandi occasio relinquatur. Sic enim scribit eodem *cap.* „*IX. v.* 25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmo-„dum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos, in san-„guine alieno.* Elegantissime opponit Christi, quam sui „ipsius semel oblationem fecit, ingressui Pontificis quot-„annis in Sancta, cum sanguine alieno. *Offerre enim ingres-„sui Sancta* respondet; verba, *neque sæpe,* verbis: *per „singulos annos; semetipsum, sanguini alieno;* cum decen-„te quadam antithesi, opposita esse apparet. Quamquam „cetera pro concessis hoc loco sumuntur, & in eo tantum „fit comparatio, dissimilitudoque ostenditur, quod Pon-„tifex ille quotannis offerebat, Christus autem semel ob-„tulit. Quis igitur in his verbis manifesto non deprehen-„dat, nihil aliud esse obtulisse Christum se ipsum Deo, „quam per proprii sanguinis fusionem, sive, ut idem hic „scriptor loquitur, per proprium sanguinem in vera Sancta, „h. e. in ipsum cœlum ingressum esse, & ibi pro nobis co-„ram Deo adstare. Quod etiam satis declarant sequentia „verba: Primum enim ait: *Alioquin oportebat eum sæpe „pati ab origine* (seu potius *a constitutione*) *mundi.* „Nulla sane elegantia sive etiam vis esset in his verbis, si „idem foret, se offerre, quod pati, nec oblatio aliquid „diversum a morte præcipue significaret. Quam enim „elegantiam aut vim possent auctoris verba habere, si di-„xisset: non opus esse, ut Christus sæpius patiatur, alio-„quin oportuisse, ut sæpius pateretur a constitutione mun-„di? Nam etiamsi vis aliqua, ut equidem inesse credo,

„esset in illis verbis: *a constitutione mundi*, non tamen „verisimile est, ipsum eo modo locuturum fuisse, & inepte eadem verba, id est, idem significantia repetiturum, „sed omnino ita scripturum: Alioquin oportuisset, ut „jam ab ipsa constitutione mundi id facere instituisset. „Sed, si offerre se ipsum, in cœlo Deo se præsentare præcipue significat, elegantissime & efficacissime concludit „Apostolus, non opus esse, ut Christus se ipsum sæpius „offerat, alioquin oportuisse, ut sæpius etiam passus fuisset: Nec enim Deo se præsentavit, aut præsentare po„tuit Christus in cœlo, nisi per mortem & proprii sangui„nis effusionem. Quæ vero deinde divinus ille scriptor „per antithesin adjungit, totam rem dilucidius etiam ape„riunt. Inquit autem: *Nunc autem semel, in consumma„tione seculorum ad destructionem peccati per hostiam su„am*, sive, *per immolationem sui ipsius, apparuit*. Verbum „enim *apparere*, quod paucos animadvertisse existimo, „eo in loco nihil aliud significare videtur, quam coram Deo „apparere. &c.

Satis, opinor, nugarum, non confidentia quidem magna, subinde enim prodit animum minime constantem, sed impudentia tamen incredibili, editarum! Animadvertendum est, inquit, verba illa: *obtulit seipsum immaculatum Deo*, non ad *solam* mortem crucis referri. Ergo refertur tamen *ad mortem*, factumque est *sacrificium* morte Christi, facta item est *expiatio;* tametsi tantisper concederemus, posse etiam ingressum in cœlos sacrificium vocari. Sed Scriptura non nisi unum sacrificium Christi novit, quo omnia sint consummata; *Ebr. X.* 14. *sequ.* Itaque si *mors* est sacrificium Christi, quod concedit jam *Socinus*, quamquam *solam* mortem sacrificium esse negat; alterutrum necesse est fateri, vel ingressum in cœlos non esse sacrificium; vel esse continuum cum morte Christi actum. Illud si dixerit, palam caussa cecidit. Hoc vero caret ipsa verisimilitudine. Nam, quis sanæ mentis dixerit, actum continuum offerendi fuisse, id quod in cruce, &

quod

quod ascensione in cœlum factum est, cum non modo triduum mortis, sed & quadraginta dierum intervallum post resurrectionem intercesserit. Tantum vero abest, ut laudato illo loco *Ebr. IX.* 14. simul respexerit Apostolus ad ingressum Christi in cœlos, ut nulla syllaba eo rapi possit. Instituit comparationem inter *sanguinem bestiarum vaccaque rufa cineres*, quibus, quod typi Christi essent, voluit eam sanctitatem tribui, ut qui essent eo conspersi, pro mundis haberentur; & *sanguinem Christi ipsius*, qui ut agnum immaculatum se Deo obtulerit, hujus sanguinem, multo magis conscientiam ipsam, a labe peccatorum expurgare posse. Hic quid est, quod de Sancto Sanctorum & hujus antitypo cœlo agat, quid potius, quod non evincat, minime de eo agi. Nam taurorum & hircorum sanguis & vaccæ rufæ cinis non sane fuerat in Sanctum Sanctorum illatus. Liquet adeo non pertinere *commata* 13. *&* 14. *ad commatum* 11. & 12. illustrationem, sed novum argumentum inchoari, cujus hæc est conclusio, Christi sacrificium præstantius esse sacrificiis Leviticis. De *versibus* 11. & 12. autem dicetur illico. Sequitur, quod *Socinus* posita verecundi negat, Christum ante ascensionem in cœlos *verum* Sacerdotem fuisse. Ne vocabulo *verus* aliquis fallatur, observandum, *verum* aut *falso* opponi, aut *typico*. Ita *Aaron* non falsus utique fuit, sed a Deo constitutus Sacerdos, verum expiationis factæ ipsius ministerio verus auctor non ipse est, sed Christus, cujus gessit figuram. At *typicus* fuit Sacerdos, & hoc modo Christo oppositus, non *verus*. De Christo autem cum sermo est, non opus est addi vocem *verus*, cum per se liqueat, nec falsum esse posse nec typicum Sacerdotem. Cujus enim esset typus? Itaque si demonstratum est, Christum fuisse Sacerdotem ante ascensum, simul demonstratum est, fuisse *verum Sacerdotem*, id quod tanta facilitate ostenditur, quanta impudentia negatum a *Socino* est, qui putat suam opinionem satis constare, si quis vel semel Epistolam ad *Ebræos* legerit & demonstratam inferius, quod cave credas unquam vel

factum esse vel potuisse fieri. In hac Epistola autem contraria sunt omnia, & poterat hominem ipsa comparatio Christi cum Pontifice saniora docere. Non enim ingressu in Sancta Sanctorum factus demum est Sacerdos, *Aaron* aut ceterorum aliquis. Sed, nisi jam fuisset Sacerdos, non licuisset ingredi. *Cap. IX.* 11. Christus παραγενόμενος cum *esset* Pontifex futurorum bonorum, non, cum *esset futurus*, per tabernaculum melius & perfectius ingressus est. Sed perlustremus, quoniam res non caret voluptate, Epistolam ab initio. *Cap. I. v.* 1. narrat Apostolus, novissimis diebus nobiscum locutum esse Deum per Filium. Nemo dubitat, Sacerdotum ordinarium, extra ordinem vero Prophetarum munus fuisse, indicare voluntatem Dei hominibus. Quod cum fecerit Christus, antequam tolleretur in cœlum, Sacerdos fuerit necesse est. *V.* 3. *Cum per se ipsum purgationem fecisset peccatorum nostrorum, consedit ad dextram magnificentiæ in excelsis.* Qui hic negat maxime sacerdotale munus esse *purgationem facere peccatorum*, durus est. Qui inficiatur factum hoc, ante quam digrederetur in cœlum, cœcus est. *Cap. II.* 9. 10. *Scimus eum JEsum, qui nunc gloria & honore coronatus est, ad eam gloriam accessisse per passiones, ut gratia divina pro omnibus mortem gustaret*, idem & ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, *Dux princeps ad salutem* vocatur, idque factus consummatusque per παθήματα seu passiones. Qui si nondum fuit Pontifex, cum moreretur pro populo, & morte sacrum offerret, quod non negantem vidimus *Socinum*, functus est munere, quod nondum habuit, contra *Ebr. V.* 5. Et, si, quod nemo dubitare potest, opera maxime sacerdotalis est ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας εἶναι; *consummatum* autem esse affirmat Apostolus hunc ἀρχηγὸν per passiones, non potuit sacerdotalem dignitatem demum ingressu in cœlum nancisci. *V.* 14. *Ut per mortem inefficacem redderet eum, qui mortis habet potestatem, seu robur, diabolum, & liberaret omnes, qui mor-*

mortis metu tota vita servituti erant obnoxii. Utrumque hic clarum; & functum esse munere Sacerdotali Christum, cujus hic est finis, homines liberare a potestate diaboli; &, functum esse illo munere, tum maxime, cum moreretur. Ne omnia excutiamus, *cap. V. 7. Qui in diebus carnis suæ precationes & supplicationes, ad eum, qui poterat ipsum servare e morte, cum clamore maximo & lachrymis offerens, & exauditus &c.* Nemo non videt, sacerdotalia hic munera narrari, quibus ante mortem & morti proximus Dominus defunctus est, quomodocunque verba: *in diebus carnis*, de quibus in præsenti disputare nolo, explices. *Cap. VII. 27. Hoc fecit semel seipsum offerens.* Quis nescit hoc ἀνενεγκεῖν factum esse in ligno, 1. *Petr. II.* 24. atque adeo ante ingressum in cœlum? *Cap. IX. 15. Ut morte facta ad redemtionem transgressionum sub priori testamento &c.* Qui non videt mortem Christi esse sacrificium pro peccato, ei quid faciam, nescio. Sacrificium vero sine Sacerdote offerri non potuit. Fuit ergo tum Christus Sacerdos. De *v.* 25. 26. seorsum dicendum est; itaque pergo ad *v.* 28. *Christus semel oblatus, ut multorum tolleret peccata, secundum sine peccato apparebit &c.* Lector videt, ut alter adventus in conspectu hominum futurus est, ita & in hominum conspectu, crucis nempe theatro, oblatum esse id, quo expiati sumus, sacrificium. *Cap. X.* 5. Cur Christus εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον dixit Deo Patri: *Sacrificium & oblationem noluisti; ecce ego venio, &c.* si Sacerdos demum futurus erat post ascensionem in cœlos? Hoc si verum esset, sic oportuisset dici: Ἐξερχόμενος ἐκ τοῦ κόσμου, *egressus e mundo, &c. v.* 12. Cum Christus, *oblato uno pro peccatis sacrificio, in perpetuum sedeat ad dextram Dei*, hoc claret, oblationem præcessisse sessionem istam, quæ cum ingressu in cœlum indivulso nexu cohæret. *v.* 26. *Non est reliquum sacrificium.* Hæc non potuisset dicere Apostolus, si non esset sacrificium pro peccatis generis

humani in terris semel perfectum. Nam, si adhuc offert Christus, quod necesse est dici, si ingressus in cœlum Christus demum offert, cum non sit ulla mutatio in cœlis, frustra negatur reliquum esse sacrificium. *Cap. XII.* 24. Sanguis *aspersionis* hic & alibi legitur. Jam lubet quærere, an aspergatur sanguine nondum fuso? Porro, an fusus sit Christi Sanguis in cœlo? Quamquam impudens est *Socinus*, tantum tamen, si hodie viveret, ei tribuerem, ut neget utrumque. Itaque certissimum, Sanguinis Christi fusionem esse sacrificium & factum in terra, nam alio sanguine adspergere frustra esset. Nolo jam de v. 12. quidquam addere, sed facessere potius jubemus ineptos disputatores, qui porro contendent sacrificium Christi in cœlo factum esse vel fieri. Quamquam longissime a nobis abest, negare, Christum sacerdotale munus adhuc hodie gerere, intercedit enim pro nobis, *offert*, si hæc vox tantopere placeat, semel præstitum & perfectissimum sacrificium mortis suæ. Confodere sibi videtur *Socinus* sententiam catholicam, laudato *Ebr. IX.* 25. aitque elegantissime opponere Apostolum, Christi, quam sui ipsius oblationem semel fecit, ingressui Pontificis in Sancta Sanctorum. Sed multis verbis nihil agit. Concedimus elegantissimam illam oppositionem; at cum palam sit, Pontificem Leviticum non fecisse sacrificium expiatorium, ingrediendo in Sanctum Sanctorum, sed confertum fuisse foris, antequam ingrederetur: palam & hoc erit, Christum, antequam in cœlos ascenderet, sacrificium expiatorium perfecisse. Et, quemadmodum ingressus Pontificis non ad expiandum Numen factum est, nam, nisi expiatum fuisset, sacrificiis eo die factis, *Lev. XVI.* 3. 6. non licuisset ingredi; inter spargendum sanguinem vero ingressus est, ut, cui rei fideret, non sanctitati suæ, sed sanguini sacro, ostenderet: sic Christus, cum suo unico sacrificio perfectissimo absolvisset omnia, quæ ad genus humanum Deo expiandum pertinent, in cœlum ivit, omissa sanguinis sparsione, quæ in veteri Sacerdote ad significandum sancti-

orem

orem sanguinem necessaria fuit, nunc, cessantibus omnibus sacrificiis typicis, & ipsa merito cessavit. *Nulla elegantia*, inquit, *sive etiam vis esset* in his verbis: Alioquin oportebat eum sæpe pati &c. *si idem foret, se offerre, quod pati, nec oblatio aliquid diversum a morte præcipue significaret.* Veretur enim, ne tavtologia fiat, hoc modo; non opus fuisse, ut Christus sæpius patiatur, alioquin oportuisse, ut sæpius pateretur. Absone hæc *Socinus*, ut omnia. Scire debuerat, Christum duplicem personam gerere, *Sacerdotis & hostiæ.* In quantum Sacerdos est, non patitur: in quantum hostia, non offert; sed quoniam utrumque est, & patitur, & offert, neque possunt *pati & offerri* in Christo ullo modo divelli, quæ res in se quidem sunt oppido diversæ; nam quis dixerit dolores pecudis offerendæ & actionem Sacerdotis offerentis rem eandem esse? Sed conjunctissimæ tamen fuerunt, ita ut nec sine hostia cum dolore moriente Sacerdos Sacrum facere posset, nec, si nullus adesset Sacerdos, munere ex legis formula fungens, mors pecudis pro sacrificio habenda foret? Ita ergo eleganter & solide Apostolus, ut magis solidum & elegans nihil esse possit, in hunc modum disputat: Non, ut Pontifex Leviticus ingressum in Sancta quotannis repetiit, ita Christus repetit ascensum in cœlos. Nam, si hoc esset, sequeretur, ut quemadmodum Pontifici hoc non licuit, nisi aliquot mactatis & mortuis animalibus oblatisque: ita necesse foret & Christum sua mactata hostia, h. e. seipso sæpius mactato, sacrificium seu oblationem repetere. Ita clara hic sunt & expedita omnia, ut plura non videantur disserenda. 'Argumentum autem pro nostra, h. e. catholica sententia, inconcussum est. Quoniam passio & oblatio Christi sunt conjunctissimæ, illa ut hostiæ, hæc ut Sacerdotis, non poterit oblatio in cœlis fieri, unde passio penitus exulat. Quamquam vox *oblatio*, modo non de sacrificio expiatorio, quod nunquam repetendum est, accipiatur, facile de *repræsentatione* semper durante meriti Christi in consilio divino intelligi potest, cum & pre-

ees nostræ & obsequia &c. *oblationes* vocari possint & soleant. Tribus verbis lector monendus est, de consilio *Socini*, quo mavult ἀπὸ καταβολῆς κόσμου vertere *a constitutione*, quam, *ab origine mundi*; nam persuaderi posse vellet hominibus, *mundum* hic esse Novum Testamentum, veretur autem, ne, quod res est, lector colligat, Apostolum eo ipso, cum dicit, Christo ab origine mundi sæpius fuisse patiendum, velle, extitisse eum ab origine mundi. Sed frustra & hic dolus est. Nam, quia vocibus *consummatio seculorum*, illis ab *origine mundi*, oppositis, tempora Novi Testamenti intelligit, reliquum est, ut origo mundi de aspectabilis mundi principio accipiatur. Utrumque autem vocabulum *origo mundi & consummatio seculorum* non pro puncto temporis, sed aliquanto latius accipi debere, lector per se videbit. Neque prætereundum est *Fausti* nostri εὕρημα, in quo sibi videtur placere: πεφανερῶσθαι esse *coram Deo* apparere. Quæ res ita comparata est, ut nostræ caussæ nihil officeret, neque negandum ἐμφανισθῆναι *v.* 24. certissime hanc apparitionem coram Deo in cœlis significare; fac enim Christum per suum sacrificium coram Deo apparuisse; hoc tamen patet sensum esse: præstito prius sacrificio apparuisse, quemadmodum per Sanguinem proprium ingressus dicitur, quod certissime de Sanguine ante profuso capiendum est; non enim cruentatus sed glorificatus cœlum ingressus est. Verum caret tamen verisimilitudine observatio *Socini*, & longe rectius exponitur mens verbi πεφανερῶσθαι, ex 1. *Petr. I.* 19. 20. *Sed redemti estis pretioso sanguine tanquam agni immaculati & impolluti, Christi, præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, manifestati vero novissimis temporibus propter nos.* Itaque locus *Ebr. IX. 26. Nunc vero semel in consummatione seculorum* (quod quid sit exposui in dissertatione de *aonibus regni gratiæ*) *ut sui immolatione peccatum destrueret, apparuit.* Non vidit autem bonus *Socinus*, se, hac inutili sibi observatione

tione misere cecidisse vinea sua. Nam, si tum demum Christus, cum post resurrectionem in cœlum digressus est, apparuit coram Deo, corruit penitus paradoxa opinio ejusdem *Socini*, quam & Catechesis adoptavit, de Christo in cœlum rapto ante inchoatum ministerium. Quam absurditatem cum supra profligaverimus, nunc abstineo plura dicere, nisi quod recitanda aliqua duxi e libro *Socini* an. 1618. edito, *Christianæ religionis institutio*, p. 126. *sqq.* quorum quidem partem jam supra p. 264. recitatam esse video. „*Interrogatio:* Nonne poterunt verba „ista Christi, *ubi erat prius, Jo. VI.* 62. si minus ad il„lam divinam naturam, quam isti intelligunt, tamen ad „existentiam aliquam Christi probandam usurpari, quæ „fuerit, antequam homo nasceretur? *Responsio:* Tunc de„mum illud fieri posset, si ad Christum ut hominem illa „accommodari non possent. Quemadmodum ipse opi„nari, vel saltem dubitare videris. Verum ista tua sive „opinio sive dubitatio omni fundamento destituitur, „cum contra nihil verisimilius, & verbis ipsius Christi & „hic & alibi magis consentaneum sit, quam, ipsum Chri„stum, postquam natus est homo, & antequam munus sibi „a Deo Patre suo demandatum obire inciperet, in cœlo „divino opere atque consilio fuisse, & aliquamdiu ibi com„moratum esse, ut illa ab ipso Deo audiret, & præsens „apud ipsum, ut ipsa Scriptura loquitur, videret, quæ „mundo mox annunciaturus & patefacturus ipsius Dei „nomine erat. Verba quidem ipsius Christi, hoc ipso in „loco, non minus quam in superiore, *Jo. III.* 11. et 32. „de Filio hominis, i. e. de homine expresse sunt dicta. Et, „si quis vel id animadvertat, quod factum est cum *Mose*, „antequam divina lex tota ipsius ministerio promulgare„tur, & manu facta opera omnia, quæ ad ipsum divinum „cultum pertinerent, cujus materiæ cujusve formæ esse „deberent, ipsi *Mosi* a Deo præscriberetur; statim fate„bitur, præsertim, cum certum alioqui sit, *Mosen* Chri„sti typum fuisse, nihil convenientius excogitari posse, quam

„ut Christus ante illud tempus, quod diximus, in cœlum „ad Deum, idque fortasse non semel, ascenderit, ibique „aliquandiu cum eo fuerit. &c. *Interrogat:* Jam tuæ sen„tentiæ de interpretatione illorum duorum de quibus te „interrogaveram, locorum, deque ascensu & commora„tione Christi hominis in cœlo, antequam munus suum „in terris obire inciperet, quantumvis novæ & majoribus „fortassis inauditæ, acquiesco. Video enim hac ratione „complura sacra testimonia admodum alioquin explicatu „difficilia planissima reddi; Tantum dic quæso, cur Ev„angelistæ in sua historica de Christo narratione istius ejus „in cœlum ascensus nullam mentionem fecerunt? *Respon„detur:* In promtu caussa est, cum res ista ejusmodi fue„rit, quæ a nemine conspecta sit, nec porro plane con„spici a quoquam potuerit.. Et priores quidem tres Ev„angelistæ, ne verba quidem vel ipsius Christi vel alterius „cujuspiam, ulla commemorant, unde res ista intelligi „possit; cum tamen quartus & postremus, h. e. *Joan„nes* & ipsius Christi multa & Joannis Baptistæ quædam „recenseat, unde illa aperte intelligitur, si modo ea, ut „sonant & proprie accipiantur; ut sane fieri debet, cum „aliter fieri debere non constet. Qui Joannes Evangeli„sta, cum plane non posset, ad fidem tantæ rei faciendam „satis habuit, & satis omnibus esse debere credidit, testi„monia aperta ipsius Christi, ejus rei referre. Quibus „si quis non persuadetur, næ is ipso Evangelistæ testimo„nio minime persuasus fuisset.„ Vide mihi lector! mi-serum *Socinum.* Ideo ait non fecisse Evangelistas hujus commorationis in cœlo ullam mentionem, quia a nemine conspecta sit conspicive potuerit. Immo, quia non erat cognitus ille ascensus, si factus tamen esset, necesse fuerat auditores et lectores ea de re docere. Porro satis fuisse *Joanni* ait, recitasse *testimonia aperta ipsius Christi.* Quæro qua de re sint *aperta?* Si de isto raptu in cœlum, cur dixit *Socinus* eum *verisimilem* esse? Nam quæ apertis Christi testimoniis nituntur, non jam verisimilia sunt, sed cer-

certissima. An vero de eo tantum aperta sunt testimonia, fuisse Christum apud Patrem in cœlis? Recte quidem hæc, sed, cum sint plana intellectu de æterna Divinitate Christi, de raptu aliquo, vel pluribus in cœlum e terra, nulla ratione intelligi possunt, nisi aliunde pateat ejusmodi *raptus* contigisse. Sed non celabo lectorem ea *Socini*, quæ huc propius pertinent. *P.* 129. *interrogat:* „Aliud occurrit, „quod videtur tuæ sententiæ obstare. Dic igitur, rogo, „quomodo, si Christus in cœlum adscendit ante resurre„ctionem & mortem suam, ausus est auctor epistolæ ad „Hebræos dicere, *c. IX.* 12. & 24. Christum ingressum „fuisse semel in Sancta, id est, ut ipsemet declarat, in „ipsum cœlum, postquam videlicet Sanguinem suum fu„disset? *Respons.* Locus ipse, quem intelligis, responsio„nem secum ad quæstionem istam affert. Neque enim vel „simpliciter ibi dicitur, Christum semel ingressum fuisse „in Sancta, vel semel ingressum fuisse, tunc videlicet cum „eo, postquam Sanguinem suum fuderat, ingressus est. „Sed sic ipsa verba habent: *Per proprium* sanguinem in„troivit semel *in Sancta;* quæ aperte significant, hunc „JEsu Christi in cœlum ingressum, qui factus est per ipsi„us Sanguinem, semel tantum extitisse: seu mavis, Chri„stum JEsum per Sanguinem suum nonnisi semel in cœ„lum fuisse ingressum &c. „ Minime conceditur *Socino* ita elabi. Non enim hoc quæritur, quoties *cum Sanguine*, sive *profuso Sanguine* necesse fuerit Sanctuarium ingredi? sed simpliciter, quoties necesse fuerit? Nam hoc ponitur, sine Sanguinis effusione non licere ingredi. Alioqui nulla foret Apostoli argumentatio: Si sæpius ingredi oportuisset Christum, ut Leviticum Pontificem, & hoc necesse futurum fuisse, ut sæpius pateretur. Nihil ergo certius, quam, si Christus post resurrectionem demum ingressus est cœlum, non posse consistere alteram hypothesin de Christo vel sæpius vel semel ante id tempus in cœlos rapto.

3) Neget Catechesis, si vel concedatur, sacrificiis anti-

antiquis Christum adumbratum esse, sequi inde, morte Christi satisfactum esse Deo pro peccatis nostris. Est & hic necesse *Socinum* audire, ex quo sapit, an desipit? Catechesis. *Institut. Christian. Religionis* p. 131. *Interrogatio:* „Dic igitur, annon, quando Christus cum legali „illo antiquo Sacerdote comparatur, ejusque similis esse „ostenditur, hinc sequi videatur, Christum sacrificio suo „nobis Deum placasse, & pro peccatis nostris illi satisfe„cisse, adversus ea, quæ ante conclusisti? *Responsio:* Quasi „vero constet, antiquum illum Sacerdotem, ratione illius „populi illorumve hominum, pro quibus sacrificabat, ista „sacrificio suo peregisse. *Interrogatio:* Nonne apertum „& illustre simul exemplum est placationis iræ divinæ a „Sacerdote illo antiquo peractæ, cum *Aharon*, monente „*Mose*, accepto thuribulo, *Num. XVI.* 41. *sequ.* eique „igne ex altari & thure imposito, suffitum fecit, atque ea „ratione populum expiando, ingentem illam plagam co„hibuit, a Deo irato adversus populum, qui contra ipsum „*Aharonem* & *Mosen* propter extinctos divinitus *Chore* & „Socios ejus murmuraverat? *Responsio:* Exemplum „istud nihil pertinet ad sacrificium illud anniversarium illi„us antiqui Pontificis, cujus sacrificii ratione nominatim & „expresse cum Sacerdote illo Christo comparatur, eique „assimilatur. Estque præterea factum illud *Aharonis* „prorsus singulare atque extraordinarium. Et idcirco „non potest ex eo per comparationem ac similitudinem „colligi, quale fuerit Christi munus, & qua ratione expi„averit aut expiet peccata nostra. *Interrogatio:* Annon „potest tamen nihilominus ex eo colligi, Christum fuisse „& esse aptum ad iram Dei adversus nos placandam? *Re„sponsio:* Potest sine dubio. Sed non quatenus Christus „est Sacerdos, idque non modo propter jam indicatam „caussam, quod *Aharonis* factum istud non pertinuerit ad „ordinarium ipsius sacerdotale munus, sed etiam propter „id, quod in Christi sacerdotio nullum potest habere lo„cum placatio Dei pro nobis. *Interrogatio:* Cur vero?

Respon-

„*Responsio:* Nempe quia, ut multo ante dictum a me fuit,
„Christus revera tunc Sacerdos noster esse cœpit, cum in
„dextera Majestatis consedit, & sibi a Deo decretæ in
„terra & in cœlo omnis potestatis possessionem, ut ita di-
„cam, est adeptus. Id est, (ut paullo ante satis longa di-
„sputatione disputatum est,) veris precibus ejus pro no-
„bis ad Deum, nullus est locus, & consequenter nec ulli
„alii rationi, qua nobis Deum placet. Quando jam ipse
„est, qui nos plane regit ac gubernat, nostræque vitæ ac
„mortis imperium habet. Quod si quis tamen velit, Chri-
„sti Sacerdotium, antequam is per fusionem sui Sanguinis
„in cœlum ascenderet, hic in terris cœpisse, ne tum qui-
„dem ratione ipsius Sacerdotii fuit, cur Christus Deum
„nobis placaret, id est, illum nostris peccatis propitium
„redderet, cum, ut antea demonstratum fuit, Deus sua
„sponte nostra peccata nobis resipiscentibus ignoscere de-
„creverit, & ad decretum hoc suum promulgandum con-
„firmandum & sanciendum, Christum nasci voluerit, ea-
„que omnia dicere & facere, quæ ipsius nomine, dum in
„terris versatus est, vel dixit vel fecit. Itaque nullo pa-
„cto ex similitudine, quam inter antiquum illum Pontifi-
„cem & Christum Scriptura agnoscit & statuit, colligi po-
„test, Christum sacrificio suo Deum nobis placasse; sed
„neque alia quavis ratione id peregisse aut peragere;
„cum ea re nihil omnino opus sit aut fuerit, neque ei in
„negotio Salutis nostræ per ipsum Christum ullus locus
„esse queat, etiamsi alioqui Christi Persona, si gratiæ, quæ
„apud Deum pollet, ratio habeatur, ad eam peragendam
„est, supra quam dici possit, apta & accommodata. *Inter-
„rogatio:* De placatione respondisti mihique sane satisfe-
„cisti; quid jam de satisfactione dicis? Nonne Sacerdos
„ille Aharonicus victimis illis expiatoriis pro illis pecca-
„tis satisfaciebat, pro quibus offerebantur? *Responsio:*
„Nihil minus. Nam & pecudes illæ, antequam sacrifica-
„rentur, ipsius Dei plane erant, nec etiam alioqui æstima-
„tione sua ullam proportionem habebant cum Dei offen-

sis,

„sis, &cultus ille totus, quo offerebantur, una cum obe-
„dientia, quæ hac ratione Deo præstabatur, non tanti
„erat, ut compensare posset delictum ullum, aut pecca-
„tum quamvis minimum, adversus Dei legem admissum.
Non hærebo multis hoc loco in refutando *Socino*, magis e re erit nosse mentem viri, cui & jam dictis & mox dicendis abunde satisfit. *Aaronis* extraordinarium factum tum negarem huc pertinere, si quidquam ab ordinario munere abiret præter occasionem, quæ tum fuit extraordinaria. Sed jussus est a *Mose* fungi munere suo, & accepto igne ab altari suffitum facere ad expiandum, quod & factum. Hoc non jussisset *Moses* fieri, nisi *Aaronis* Sacerdotium talia ipsi officia imponeret; nec expiatio fieri potuisset, nisi habuissent sacrificia virtutem placandi Deum, quæ cum certissime non sit propria, restat, typicam fuisse, h. e. retro efficax fuisse Christi meritum. Sed & ordinaria sacrificia ad expiandum data esse patet *Lev. I.* 4. *Imponet autem manum suam super caput holocausti, tum cum beneplacito accipietur pro ipso ad expiandum ipsum.* Eodem modo loquitur Scriptura pluribus aliis locis. Sed, cum expiationem sacrificiis factam non neget Catechesis cum *Socino* suo, negat tamen *satisfactionem* illis sacrificiis factam esse, ejusque rei duas affert *Socinus* rationes. Primo, hostias, antequam sacrificarentur, jam fuisse Dei, satisfaciendum autem esse illis rebus, quæ nondum debebantur. Tum, nullam esse proportionem inter offensam Dei, & hostias; nec res omnes fuisse tanti, ut compensatio possint dici. His non est difficile respondere, immo monstrare ex his ipsis caussæ nostræ bonitatem. Satisfactio vel typica est vel propria; ut rem simili, quod facile intelligi possit, declarem: Pone vivere cives duos, creditorem unum, alterum debitorem in republica, in qua lege cautum est, chartulis certa ratione signatis vim tribuendam numorum ex auro argentove, ita tamen, ut aliquando in ærario pro chartulis pecunia solida reponatur. Fac debitorem creditori suo reddere ejusmodi chartulas; satisfecitne illi?

illi? Sane; sed typice, hoc est, verum pretium, quod debebat, non reddidit, id tamen, quod cum vero pretio aliquando certissime permutandum intuitu ejus idoneum valorem habet, dum tempus præstitutum permutationis faciendæ cum vero pretio veniat. His probe cognitis cessant rationes *Socini*. Fuere sane hostiæ omnes Dei, debebantur illi omnia animalia, at non debebatur id, quod illis figuratum est, h. e. Christi cum *activa tum passiva obedientia* non debebatur; poterat ergo Christus eam, utpote indebitam, pro humano genere interponere. Porro, non inest quidem hostiis illis pretium verum, sed valor tamen ob pretium verum secuturum. Noli ergo dubitare, esse cum *expiatione* per sacrificia *satisfactionem* præstitam. Quid enim est satisfactio? certissime vel ejus rei, quæ debebatur præstatio, vel alterius ejusdem valoris. Hoc vero contigit in sacrificiis Leviticis. Debebantur Deo & obsequium perfectissimum, & ob id non præstitum, iræ placamen. Animalia ergo pura dabantur necabanturque, quibus utique non infuit aliqua dignitas propria, sed vicaria & typica, hactenus ut valor sufficeret. Itaque sane præstita est satisfactio. Itaque & gratia Dei peccatis amissa recuperata est, non accipienda tamen ab homine, qui non sit vera fide ejus particeps factus. Hinc non potuerunt Deo grati esse, qui Sacra pollutis manibus, cum quibus fides consistere nequit, offerebant.

4) Frigidissima descriptio expiationis! Sic ait Catechesis: *Gratia & Decreto Dei, accedentibus illis sacrificiis, peccata fuere remissa.* Quid significant hæc verba: *accedentibus sacrificiis?* Nihilne; an caussam, ob quam peccata remittantur? hoc et dicta omnia Scripturæ, quibus de expiatione agitur, docent, et ipsa vox, *expiatio* seu *placatio*. Quid enim expies, et quem places, si is, quem placare institueras, sponte remiserit iram? Videbit lector, quod dixit Catechesis, per ea sacrificia peccata populi Dei expiata esse, illico everti, cum decreto et gratia Dei, *accedentibus sacrificiis*, contendit peccata remissa esse. Quod

idem

idem eſt, ac ſi tu diceres: *Eliam*, accedente admiratione *Eliſæ*, ſublatum in cœlos eſſe; quæ admiratio ita acceſſit, ut ejus in evehendo *Eliâ* nulla plane ſit ratio. Sed non inanes ritus voluit Deus condere, cum ſacrificia inſtituit, verum ſanctiſſimos typos mortis Filii ſui, qua æterna redemtio inventa eſt.

CAPUT IX.
DE FIDE.

415. Intellexi ea, quæ ex parte Dei ad fœdus novum pertinent: Expone etiam ea, quæ ex parte noſtri ad idem videntur ſpectare.

Id, quod ex parte noſtri ad fœdus novum ſpectat, eſt fides in Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.

416. Quid vero eſt fides in Dominum JEſum Chriſtum?

Hæc duplici ratione in Scriptura conſideratur. Interdum notat eam fidem, quam ſalus non conſequitur neceſſario. Interdum eam, quam ſalus neceſſario conſequitur.

417. Quæ vero eſt, quam ſalus non conſequitur neceſſario?

Eſt aſſenſus tantum, quo JEſu Chriſti doctrinam eſſe veram atteſtamur, quem non conſequi prorſus ſalutem, apparet e Principibus illis, de quibus Joannes ait, c. XII. 42. mul-

multos in Dominum credidiſſe, verum propter Phariſæos eum confiteri recuſaſſe, ne e Synagoga ejicerentur.

418. Quæ vero fides eſt, quam neceſſario conſequitur ſalus?

Eſt fiducia per Chriſtum in Deum. Unde apparet, eam in Chriſtum fidem duo comprehendere: unum, ut non ſolum Deo, verum & Chriſto confidamus. Deinde, ut Deo obtemperemus, non in iis ſolum, quæ in lege per Moſen lata præcepit, & per Chriſtum abrogata non ſunt; verum etiam in iis omnibus, quæ Chriſtus legi addidit. 1)

419. Ergo tu obedientiam ſub fide comprehendis? 2)

Sic eſt. Etenim res ipſa indicio eſt, neminem inveniri poſſe, qui ſpem certam vitæ æternæ animo concipiat, quam Chriſtus tantum ſibi obtemperantibus promiſit, qui non Chriſto dicto audiens ſit, quandoquidem ejusmodi bonum eſt immortalitas, ut illud nemo ſciens volens aſpernari queat. Præterea Jacobus, c. II. 26. apertiſſime teſtatur, ut corpus absque anima mortuum eſt, ita ſine operibus, fidem mortuam eſſe. Et paullo ſuperius idem ait: ex operibus fidem Abrahæ eſſe conſummatam. v. 22. Quapropter etiam in Scripturis homines pii & Deo obe-

 dien-

dientes duntaxat, fideles vocantur. Qua de re auctor ad Ebræos, cap. XI.

Notæ:

1) De *fide* nemo sana docere potest, quem *Pelagiana Sordes* inquinarunt. Omnes enim, apertius alii, alii tectius, fidem pro humano opere habent, quod Deo ita gratum acceptumque sit, ut propterea hominem ad salutem æternam admittat. Sed hoc cum satisfactione a Christo præstita nullo modo consistere potest. Itaque si *fides*, prout in homine *animi propensio* est, *credendi, quæ docuit, sperandi, quæ promisit, faciendi, quæ præcepit*, imputatur ad salutem, vel plane neganda est satisfactio Christi, quod facere videmus Socinianos, vel saltem negotium salutis parandæ inter hominem ipsum & Christum quasi dispertitur; id quod *Paullo* penitus adversatur, qui magis claris verbis, quam fecit, non potuisset Christo omnia, & homini salvando nihil tribuere, *Ephes. II.* 4 - 10. Quem locum, cum sit pulcherrimus, volupe est paucis, non illustrare, nam luce nulla indiget, sed considerare & in succum & sanguinem convertere. Cum commonefecisset *Ephesios Paullus*, & ipsos & se quoque, nemine plane excluso, natura iræ divinæ reos esse; ceterum Deum interna & summa sua misericordia ductum, cui adeo salus nostra in solidum debetur, homines cum Christo vivificasse, resuscitasse, ad cœlestia gaudia admisisse. Hæc omnia palam est, non de fruitione, quæ actu fiat, omnium harum rerum, sed de jure nobis parto intelligenda esse. Itaque συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ non hoc significat, ad spiritualem vitam nos revocari a morte peccatorum spirituali, quemadmodum Christi mortuum corpus ad vitam resuscitatum est, quamvis ista mors spiritualis, qua nihil boni homini naturali inest, nullæque vires Deum agnoscendi & amandi insunt, certissima sit, & e *v.* 3. solidissime demonstrari

strari possit; sed indicat *consilium divinum*, quo homines omnes νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι *mortuos in peccatis*, h. e. morte afficiendos æterna, quæ & significatio est vocum *v.* 3. τέκνα ὀργῆς *filii iræ*, in Christo, h. e. *propter Christum, vita adjudicavit*. Hanc interpretationem non modo postulant ea, quæ in parenthesi posita sunt: *Gratia estis salvati;* χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, non de gratia vitæ spiritualis, quamquam hæc præcedit, sed vitæ æternæ, intelligenda; quo conferri velim, parallelum locum, *Coloss. II.* 13.14. ubi est: χαρισάμενος, *condonans peccata & delens chirographum, affixum cruci, &c. Non-imputatio* peccatorum autem haud est vita spiritualis ipsa, sed justificatio & adjudicatio vitæ seu salutis æternæ, alias hominibus indebitæ, & *chirographum* illud legis in consilio divino, ob Christi mortem & crucem, pro deleto habetur: sed & idem confirmant subsequentes voces συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *una excitavit & statuit in supercælestibus;* quæ mihi videntur ita clare loqui de salute non *applicata* jam, sed per Christum *parta*, ut nihil restet, quod dubitemus. Liquet ergo, quisnam sit *auctor & acquisitor* salutis? Solus nempe Christus, cum nos contra omnes, ut mortis rei & damnandi coram Deo consideremur. Quæ adhuc dixi, confirmantur luculenter *v.* 7. Consilium divinum erat, vitam adjudicare partam & acquisitam omnibus per Christum, ut, subsequentibus se invicem seculis, quod ab æterno in Deo decretum erat, re ipsa demonstraretur & patefieret hominibus, nempe abundantissimas esse divitias bonitatis divinæ et lenitatis in Christo JEsu, non extra eum. Non tangunt rem acu, qui sic interpretantur voces, τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, in Apostolis et tum viventibus Christianis exemplum proposuisse Deum, quomodo subsequentibus temporibus post Apostolos cum hominibus acturus esset. Nam tum fuit ἡ συντέλεια τῶν αἰώνων, 1. *Cor. X.* 11. et, cum non

alia veterum alia recentiorum sit salutem adipiscendi ratio, non potuit tum demum manifestari consilium divinum, sed patefactum est potius omnibus temporibus. Pulchre hoc modo connectitur *comma* 8. *Gratia enim estis salvati;* scil. id consilium divinum, quod, quantum ad acquisitionem salutis attinet, omnes homines complectitur, vos ipsa applicatione experti estis, sola gratia salutem adepti estis, (nam incipit salus in hoc seculo prægustu gaudiorum æternorum,) per fidem. Neque id ex vobis, Dei donum est gratuitum, non ex operibus, qualiacunque illa sint, ne quis sibi suæque sanctitati quidquam possit tribuere. Non, quasi expertes essent sanctitatis vitæ illi, qui salvantur, sed, quod ad id studium vitæ sanctæ divinitus impellantur et idonei fiant, et quoniam sanctitas vitæ in Christianis necessaria quidem est, ut vocatione sua digne ambulent, sed in tribunali divino, cum absolvendi sunt a peccato, nulla ejus ratio habetur. Hæc qui accurate considerat, videbit et convincetur, si plane nihil homini ipsi tribuendum sit, non posse fidem, cui salus tribuitur, aliter, quam pro nudo instrumento, accipi, quo nostra fiat aliena per se, et ab alio præstita justitia. Colligimus hinc definitionem huic et aliis quam plurimis Scripturæ dictis congruam: *Fidem esse fiduciam in justitia & merito Christi, quod cognovimus pro nobis præstitum esse, repositam.*

2) *Obedientiam* sub *fide* hujus rei plane imperiti Sociniani non modo complectuntur, sed et passim fidem, obedientiam esse, rotundis verbis ajunt. v. g. *Osteradus* Unterrichtung, *p.* 303. *cap. XXXVI.* Solt man aus den Werken, wie durch ein Verdienst gerecht werden, so müste man nie im allergeringsten das Gesetz übertreten. Weil das aber nicht geschiehet, so kan man durch die Werk des Gesetzes nicht gerecht werden. Derhalben hat uns GOtt nach seiner grossen Barmhertzigkeit einen andern Weg, für ihn gerecht zu werden, gezeiget; nemlich den Glauben an JEsum Christum, *das ist den Gehor-*

sam

sam der Gebote Christi, unter der Hoffnung das ewige Leben zu erlangen; um welches Gehorsams willen ein jeglicher, der ihn hat, ob er schon etwan ein Sünder und GOttes Feind gewesen ist, GOtt dennoch lieb und angenehm ist, und aller seiner *Sünden* Vergebung erlangen wird. Lege, si placet, et sequentia in *Ostorodo*, nam p. 304. convicia atrocia in nostram, de fide, quæ meritum Christi apprehendat, doctrinam effutiit. Falsitatem horum commentorum spero lectorem, vel me non monente, visurum. Sed *Socini* aliquot verba recitabo, et deinde paucis refellam. *De J. C. Servatore, libr. IV. cap. XI. p.* 560. „Fides ergo in Christum, qua justificamur, quamvis obedientiam, quam spe futuri boni, quod is nobis „daturus sit, Deo præstamus, et complectatur et significet, atque idcirco opus omnino declaret, operibus tamen „propterea merito opponitur, quia nec perpetuam et absolutissimam præceptorum Dei conservationem ipsa per „se continet, nec propria vi justificat: sed propter Dei „clementiam, qui ejusmodi opus facientibus, quod ob „eam rem *Dei opus* a Christo appellatum fuit, justitiam, „quantumvis antea injustis, imputare dignatus est; et „ipsos pro justis coram se habere, pro incomparabili sua „benignitate, voluit. Mirum est autem Theologos ve„stros omnino velle, propterea, quod Christum morte „sua peccata nostra delevisse credamus, vos justos coram „Deo constitui: Et interim, ut id obedientia, quam ex „Christi præscripto Deo præstemus, fieri possit, dicere „penitus horrere. Quasi vero major dignitas in ista fide, „quam in hac obedientia reperiatur. Annon dicunt ipsi, „fidem istam, non quidem propria dignitate, sed, quia „ipsum Deum apprehendat, justificare? Cur igitur hæc „quoque obedientia, non quidem propria dignitate, sed „quia Dei misericordiam apprehendat, justificare non po„terit? Præsertim cum ista vestra Christi apprehensio, ut „ex iis, quæ a nobis supra disputata sunt, liquere potest, „merum humanum commentum, et inanissimum somni-

„um sit; misericordiæ vero divinæ apprehensio et omni-
„bus divinis oraculis sit consentanea, et solidissimum justi-
„tiæ nostræ fundamentum et caussa censeri debeat. „ Hem quantam in summa rerum ignorantia protervìam prodit *Socinus*? *Paullus Rom. III.* 20-24. ex lege ideo negat justificari posse hominem, quia lex omnibus hominibus exprobret imperfectionem, itaque ejus vicem supplere justitiam JEsu Christi per fidem, nempe nobis applicatam; quoniam nemo a peccatis immunis sit, per solam Christi redemtionem ad salutem aditum patere. Ut verbo omnia dicam: negat ex operibus salutem esse, quia semper sunt imperfecta. Contra *Socinus* fidem *imperfectum opus* esse docet, & ideo, quia sit *opus imperfectum*, justificare hominem. Quo disputandi genere hoc efficitur, ut *per opera* quidem sit quærenda salus, sed *perfecta* opera non valere ad salutem, contra *imperfectiora*, qualis sit fides, valere dicendum sit. Ait enim *Socinus*, *fidem* opponi *operibus*, non quasi non sit & ipsa *opus*, sed, quod non contineat in se perpetuam & absolutam præceptorum Dei conservationem. Hinc plane ineptam explicationem vocis *operari* fingit *Socinus* eadem pagina: „ Ex quo etiam apparet, non
„quocunque modo opera in ea, ad *Rom. IV. capite*, dispu-
„tatione apud *Paullum* accipi debere; sed tantummodo,
„quatenus per se Dei misericordia seclusa, hominem justi-
„ficare possunt. Si quis enim perfecte legem Dei serva-
„ret, quod ille, ut dictum est, *simpliciter operari* appellat,
„isti, ut justus coram ipso Deo esset, ejus misericordia
„opus non foret, quandoquidem, ut idem ait, ejusmodi
„homini merces, non ex gratia, sed ex debito, tribuitur.
Hinc videbit lector verum esse, quod *Socino* imputavi, credere ipsum, operibus salvari hominem, sed non *perfectis operibus*, quibus eam nolit Deus salutem dare, ut suæ misericordiæ aliquæ partes sint, verum *imperfectioribus*, v. g. fidei. Non poterat autem magis in faciem contradicere Apostolo, qui *Rom. IV.* 5. 6. 7. hominem ut ἀσεβῆ considerari docet in *opere justificationis*, & de mera atque gratu-

gratuita peccatorum remissione loquitur, adeoque opera omnia cujuscunque generis penitus secludit ab hoc negotio. Et absonum foret, perfecta, si qua darentur, opera tantùm secludere, imperfecta admittere. Exclusit Deus opera omnia Judæorum, qui nolebant in Christo salutem quærere, *Rom. X. 3.* Quorum opera nemo dixerit ita perfecta fuisse, ut misericordia non amplius haberent opus; sed ideo exclusa sunt, quod sibi aliquod meritum vindicarunt, quæ est emphasis vocum *ζητοῦντες στῆσαι δικαιοσύνην ἰδίαν*, contra eam, quæ sola coram Deo valet, justitiam Christi, noluerunt habere. Hinc apparet, *Lutherum* nostrum longe rectius, quid sit *ἐργαζόμενος*, quid *μὴ ἐργαζόμενος*, intellexisse. Ille est, qui *ζητεῖ στῆσαι*, *erigere in foro divino contendit*, justitiam propriam, qualibuscunque operibus consistentem; hic, qui etiamsi vere bona opera Spiritus Sancti gratia & virtute præstet, sibi nihil, JEsu Christo crucifixo autem omnia, tribuit, & hujus justitia sola justum se coram Deo esse credit. Non minus absurdum est in *Socino*, quod *fidem* ideo *operibus* opponi dicit, quia illa non *propria vi justificat, sed propter Dei clementiam, qui ejusmodi opus facientibus justitiam, quamvis antea injustis, imputare dignatus sit*. Hoc modo fides nec *operibus Leviticis* opponi posset, quæ profecto ita nunquam fuere comparata, ut clementia divina non esset opus. Implicat autem *Socinus* se ipsum misere, cum fidem *imperfectum* vocat *opus*, & Deo tamen ita placuisse arbitratur, ut, ceteris omnibus spretis, huic soli operi, quod vocatur *fides in Christum*, salutem tribuat. Quod si verum est, illud opus longe excellentissimum, saltem multo perfectius reliquis omnibus operibus, esse necesse est. Scimus vero nos & didicimus a *Paullo*, omnia opera excludi ab negotio salutis, ne homo vel tantillum habeat, quod glorietur: adeoque & fidem ipsam excludi, si consideretur ut opus hominis, tribui autem fidei ut mero instrumento, quo accipitur & prensatur a Christo solo parata

 salus

falsa. Miratur *Socinus*, nostros Theologos credere, coram Deo justos nos constitui, quod Christus nostra peccata morte sua delesset; at nos miramur hominis pervicaciam, qui non vult videre, quod tota Scriptura tradit. Porro miratur, docere nos fidem justificare, non propria quidem dignitate, sed propter apprehensionem meriti Christi, & horrere tamen dicere, obedientiam, quam ex praescripto Christi Deo praestemus, nos justificare; licere enim & hic dicere, obedientiae isti non propria dignitate istam justificandi virtutem inesse, sed ob apprehensam misericordiam Dei. Cui sic respondeo: primo, non accurate dici, *fidem nos justificare*; Deus enim est, qui nos justificat propter fidem meritum Christi apprehendentem. Deinde, quod ait, posse etiam *obedientiam* propter apprehensionem meriti vel misericordiae Dei justificare dici, prodit se nescire, quid sit *apprehendere*. Apprehendere est rem adhuc alienam nunc suam facere, & pro sua uti. Hoc, si de justitia Christi loquamur, *credendo* fieri potest; nam, cum, edoctus a Spiritu Sancto, certo persuasus sum, pro me Christum fecisse & passum omnia, jam pro meis utor, his Christi meritis, sed *faciendo*, sive *obediendo* non apprehendimus, quod adhuc alienum erat, sed potius, quod nostrum adhuc erat, alteri tradimus. *Paulus* autem non *nostra*, sed *Christi obedientia* nos justificari docet, *Rom. V.* 19. Denique atroci convicio lacerat homo impius apprehensionem meriti Christi per fidem, cui nihil respondeo, nisi *Rom. X.* 4 - 11. & *Galat. II.* 21. Ne putet Lector, esse fortasse ab aliis Socinianis doctrinam de fide melius expositam, quam ab ipsorum magistro, *Jo. Crellii*, quem putant esse acutissimum, locum huc describam: In *Cap. II. ad Galat. p.* 74. „Requiritur autem ad eam *fides* a JEsu „Christo praescripta, atque in eo collocata, ut, tum ex „hac ipsa *Pauli* disputatione, tum ex multis aliis Scriptu„rae locis patet. Fides vero illa assensum doctrinae Christi „adhibitum, ac porro etiam spem promissorum ejus, in „qua fiducia in ipsum collocata cernitur, in se comprehendit.

„hendit. Sed in hoc & similibus locis non solam. - Ete-
„nim, cum ex plurimis illisque clarissimis Scripturæ testi-
„moniis liqueat, ad peccatorum remissionem opus esse
„pœnitentia, hoc est, animi, ac porro etiam vitæ mutati-
„one in melius; & *Jacobus* expresse testetur, hominem,
„non ex fide sola, sed ex operibus etiam cum illa conjun-
„ctis, justificari, idque *Abrahami* demonstret exemplo,
„quem *Paullus* simpliciter fide justificatum esse, probat
„eo ipso, quem *Jacobus* etiam citat, *Geneseos* loco. Cum
„denique & ad *Romanos* scribens Apostolus & infra *cap.*
„*V.* prolixe doceat, ad id, ut legis severitatem effugia-
„mus, & regni cœlestis fiamus participes, omnino requi-
„ri, ut non secundum carnem, sed secundum Spiritum am-
„bulemus: hinc necessario efficitur, tunc, cum fidei
„simpliciter, seu nulla alia re adjecta, justificatio ac salus
„sempiterna adscribitur, eaque sola operibus legis hac in
„parte opponitur, fidei nomine hanc etiam pietatem vi-
„tæ comprehendi, licet ea alibi, cum fides magis proprie
„sumitur, ab ea distinguatur; qua de re infra videbimus,
„*cap. V.* §. 6. ubi utriusque rei exemplum habebimus.
„Quale etiam extat dicto loco, *Jacob. II.* ubi nunc fidei
„nomine bona opera, tanquam illius Spiritum aut perfe-
„ctionem complectitur, nunc strictius ac magis proprie
„fidem sumens, eam a bonis operibus distinguit. Caus-
„sæ igitur, h. e. fidei nomine effectus etiam simul, &
„hic apud *Paullum* & alibi creberrime comprehenditur;
„quæ *Metonymia* est cum *Synecdoche* conjuncta. Per caus-
„sam enim non quidem effectus solus, h. e. vitæ pietas de-
„signatur, ut in simplici *Metonymia caussa* accidit: sed
„una cum caussa simul etiam effectus, tanquam altera fidei
„illius perfectæ pars, denotatur: Ita ut fides illa sit quip-
„piam ex fide stricte ac proprie sumta, & ejus effectu, qui
„est vitæ pietas, conflatum. Ex quibus intelligitur, fi-
„dem, cui justificatio simpliciter adscribitur, non quibus-
„vis operibus, sed tantum operibus κατ' ἐξοχὴν sumtis,
„h. e. perfectis, & perpetuam voluntatis divinæ exsecu-

„tionem complectentibus, opponi, idque non ut contra-
„rium contrario, sed ut latius angustiori, & ut id, quod
„imperfectiorem etiam Dei mandatorum obedientiam
„admittit, ei, quod perfectam & exactam omnino postu-
„lat. Qui opera haberet, fide carere non posset. Ideo
„enim ea praestaret, quia crederet, Deum esse, & esse re-
„muneratorem eorum, qui ipsum quaerunt, qua in re fi-
„des consistit, ut docet *auctor epist. ad Ebraeos*. In Chri-
„sto sane opera cum fide concurrunt; sed in nullo praeter-
„ea alio, cum omnes peccaverint. Atque hinc praecipua
„intelligitur caussa, cur, cum de justificationis adipiscendae
„ratione disputatur, fide, non operibus, ea obtinenda esse
„dicatur. Significatur enim, Deum, non perfectam ac per
„universam vitam continuatam mandatorum suorum obe-
„dientiam, ab iis, qui justificari velint, omnino postulare;
„immo ne illam quidem, quae ab eo tempore, ex quo
„Deum agnoveris, omni ex parte perfecta sit: sed ta-
„lem, qualem fides ac spes remunerationis a Deo adipi-
„scendae, in nobis pariat, quandocunque tandem ea coepe-
„rit.„ Quoniam *Crellius* fidei salvificae naturam usque
adeo non intelligit, ut eam fidem, una cum operibus, in
ipso Christo perhibeat fuisse; in ceteris autem eundem
errorem, quem in *Socino* castigavimus, errat, nempe fi-
dem operibus perfectissimis opponi; de *Jacobi* vero lo-
co peculiari dissertatione exponendum est, praetermit-
timus omnia, contenti hoc unum monuisse: Quod e cla-
rissimis locis patere ait *Crellius*, ad remissionem peccato-
rum necessariam esse poenitentiam; falsum esse, si poeni-
tentia stricte dicta, h. e. *contritio* intelligatur, & ea ne-
cessitas, quae infert influxum in rem; at, ubi de poenitentia
latiore sensu sermo est, quae totum opus conversionis adeo-
que & fidem complectitur, contra nos non pugnatur. Fi-
dem vero & opera bona conjunctissima esse nemo negat, ut
in lampade lumen & calor una sunt, calori tamen nemo tri-
buet lumen.

Recentiores Catechesi hic insuerunt novam quaesti-
onem,

onem, cui & cum mea ἐπικρίσει locum hic concedam. Interrogant: „Qui fit ergo, ut Apoſtolus dicat, eum, „qui ore ſuo confiteatur JEſum Dominum, & in corde ſuo „credat, quod ipſum Deus ſuſcitaverit ex mortuis, ſalva- „tum iri. *Rom. X. 9. Reſpond.* Hoc non ideo fit, quaſi „id ſolum & per ſe, in iis, qui poſt hanc fidem aut fidei „iſtius occaſionem ſupervivunt, ad ſalutem ſufficiat; ſed „quod ex hac fide conſequantur reliqua, quæ ad ſalutis „adeptionem ſunt neceſſaria, naturali quodam nexu & „concatenatione. Nam, qui credit JEſum a mortuis re- „ſuſcitatum eſſe, idem credet eum factum eſſe a Deo Do- „minum & Chriſtum; qui id credet, fidem quoque in ipſo „collocabit, & nomen illius invocabit; qui hoc fecerit, to- „tum ſeſe ad obedientiam illius convertet, & ſic fidem ha- „bebit vivam, & per charitatem efficacem; unde ſalus „conſequitur.„ Turpiter errant miſeri Sociniani, non in eo modo, quod fidem pro nudo aſſenſu veritatibus agnitis dato habent, cum Scriptura eam *fiduciam* eſſe ubique doceat; item, quod putant in hominis eſſe viribus agnoſcere veritates divinas, & non poſſe non, agnita una veritate, & reliquas inde eliciendas amplecti, cui rei uſus quotidianus repugnat, nam nihil eſt frequentius, quam, admiſſo licet principio, conſecutiones utut liquidas, nihilominus negari: ſed & in eo hallucinantur, quod veritatum divinarum nexum minime idoneum conſtituunt. Nam ſidetur quoque, quod multi merito dubitabunt, ſequi pulcherrime, ut, ſi credatur reſurrectio Chriſti, etiam *Dominum* eſſe eundem, neceſſario admittatur: hoc ſaltem non video, cur, ſi homo agnoſcit Chriſtum eſſe Dominum, ſtatim fidem in eo collocet, ejusque nomen invocet? Nam diaboli, teſte *Jacobo, c. II.* 19. agnoſcunt creduntque Deum unum eſſe, at fidem certe in eo non collocant. Sed cum non intellexerit Catecheſis locum graviſſimum *Rom. X.* 9. meum eſt paucis eum expendere. *V.* 6. demonſtrat Apoſtolus verbis e *Deut. XXX.* 11. 12. notis, non eſſe anxie laborandum, qua ratione ſalutem adipiſci queamus; non

eſſe

... conspiciendas has illasve vias, solum esse Christum, ... qui confidat, eum esse salutis participem. Hic si intel... per fidem obedientiam legibus Christi præstandam, ... Sociniani longe sanctiores contendunt esse *Mosaicis*, ... difficillima esset, immo impossibilis repertu via ad salutem. Fidem vero non esse hominis in viribus, ita ostendit Apostolus, ut *verbo Dei*, quo *aures implentur & corda pulsantur*, eam vim tribuat, Spiritum Sanctum nempe adesse docet, qui moveat hominem foris & intus, ut agnoscat Christum esse Dominum, ut, resurrectione quasi locupletissima teste, convincatur opus redemtionis absolutum esse.

420. *Cur vero Apostolus Paulus fidem operibus opponit?*

In iis locis, ubi Apostolus fidem opponit operibus, Rom. III. 28. IV. 5. Galat. II. 16. Ephes. II. 8. 9. de operibus ejusmodi agit, quæ & perfectam & perpetuam obedientiam continent, qualem sub lege Deus ab hominibus requirebat, verum non de iis operibus, quæ obedientiam, quam Deus a nobis, qui in Christum credidimus, requirat, comprehendunt.

421. *Quæ vero est isthæc obedientia?*

Ea, ut primum veterem hominem cum operibus ipsius exuentes ab omni peccato anteacto desistamus, quam quidem rem Scriptura pœnitentiam vocat. Deinde, ut pro virili voluntatem Dei exequamur, adeo, ut

non

non secundum carnem ambulemus, verum spiritu opera carnis mortificemus. In summa, nullius peccati habitum contrahamus, omnium vero virtutum Christianarum habitus comparemus. 1)

Notæ:

1) Duplex est in his non parum grandis error. Alter, quem jam profligavimus, fidem operibus perfectis, qualia Deus sub lege ab hominibus requisiverit, opponi, non operibus in universum omnibus. Contrarium docent dicta in Catechesi laudata, v. g. *Ephes. II.* 8. 9. Nam, si omnia ea excluduntur, quæ vel minimum gloriæ homini ipsi relinquunt, necesse est *opera* non *aliqua*, sed *omnia* excludi; in quantum enim alicujus opera in censum veniunt, in tantum aliquid est meritus. Sed hæc nolo repetere. Nunc quæro, cur *perfecta* dicantur opera sub lege, h. e. ante Christum, requisita? Legem Novi Testamenti prædicat *Socinus*, multis partibus præstantiorem esse lege antiqua. Qui poterit ergo fieri, ut perfectiora sint opera hic requisita, quam in lege absolutissima? qualis enim lex est, talia sunt opera secundum istam legem instituenda. Hæc, qua ratione possint expediri, ut non sint longe absurdissima, nego me posse perspicere. Quæro insuper: Factane sunt unquam ista, quæ vocantur perfecta opera, sub veteri lege; an nunquam facta? Si hoc, quid opus erat, fidem ejusmodi operibus opponere, quæ nunquam quisquam fecisset? Quid tot verbis Apostolus contenderet, male fecisse Judæos, qui vellent στῆσαι justitiam ex operibus; *Abrahamum* coram Deo non esse ex operibus justum factum. Cur non potius negasset dari opera, qualia a lege requirerentur? Hoc non fecit, potius præclara in *Abrahamo* opera fuisse minime inficiatur, quemadmodum

dum & *Joannis Baptistæ* parentes sancte secundum legem vixerunt, *Luc. I. 6.* Verum ea omnia a negotio justificationis secernit. Quod si ergo facta sunt bona opera secundum legem, ut negari nequit, alterutrum dicendum est, vel olim sanctiorem fuisse Judæorum vitam, quam hodie est Christianorum, quo facto corruit universa Socinianorum disputatio de sanctiore lege Christi; vel, neque illa veterum opera fuisse *perfecta*. Nos quidem haud ignoramus, legem non hodie demum, sed semper, spiritualem esse, & perfectissimam obedientiam postulare, atque ex hoc ipso intelligimus, neque olim, neque nunc potuisse posseve quemquam ex observatione legis salvari. Alter error est, quod obedientiam, quam Deus a credentibus in Christum requirat, in exuendo vetere homine & induendo novo quærit, ut non secundum carnem ambulemus. & Quodsi Christus demum hæc præcepit, cum in hominibus versatus est, dicendum, veteribus ante Christum natum & passum licuisse secundum carnem vivere & quam absurditatem aliquoties supra damnavimus, nunc monemus, alteri hypothesi de perfectis operibus, qu antiqua lex postulaverit, hæc e diametro repugnare. Placet & hic aliqua *Crellii l. c. p. 76.* adjicere: „Itaque etiam „si aliquando in gravissimis peccatis hæseris, modo fid „cam impietatem consequatur, eamque tollat atque erad „cet, justificatio apud Deum parata est; &, etiamsi, pos „quam Deo parere cœpisti, ex infirmitate nonnunqu „labaris, modo vere de te dici queat, te fidem habere, „ea ductum Deo pro viribus parere, justificatione non e „cidis. At opera κατ᾽ ἐξοχὴν sumta, omnia pror „peccata excludunt. Quo accedit, quod, cum opera „justificationem requiruntur, ab omnibus æqualiter, qu „quid a Deo præceptum est, exigitur, modo quis id pr „are ulla ratione potuerit. At, cum fides tantum „[illegible] non ita æqualiter ab omnibus opera piet [illegible]r. Sed habetur ratio diversitatis v [illegible] præstanda unusquisque habuerit.

„tantum ab unoquoque exigitur, quantum in ipso præ-
„stare potest spes promissorum divinorum firma, acce-
„dente serio divinis mandatis parendi studio, quod ea ipsa
„spes in nobis, quamquam volentibus, excitat ac fovet.
„Unde non exigua, quod ad ipsam operum rationem atti-
„net, oritur inter fideles diversitas, quæ tamen non ef-
„ficit, quo minus ii quoque, qui operum ratione inferio-
„res sunt, justificentur. In omnibus nempe infirmitatis
„habetur ratio, quæ cum non in omnibus sit æqualis, inde
„fit, ut nec obedientia, quæ fidei nomine includitur, in
„omnibus sit æqualis simpliciter, sed secundum proportio-
„nem quandam, quemadmodum & sacræ Literæ testan-
„tur. vid. *Matth. XIII.* 23. Hæc ergo, quia fidei nomi-
„ne, uti explicuimus, commode significantur, ideo, cum
„de justificatione nostra sermo est, nomen hoc potius,
„quam alia, quæ pietatem nostram apertius significent,
„frequentatur. Quamquam & illa addi potest ratio,
„quod ea voce indicetur, id ipsum operibus nostris, licet
„ceteroquin imperfectis, magnum, ut ita dicamus, addere
„pretium, atque ut Deo placeamus efficere, quod ipsi,
„licet eum nunquam viderimus, confidamus ejus promis-
„sis, præsertim, quæ naturæ cursu inspecto impossibilia
„videntur, firmiter credamus, nec ab ea spe nos deduci ulla
„ratione ullave operum difficultate patiamur, & hoc pa-
„cto Deo omnipotentiæ, bonitatis summæ, ac veritatis
„laudem constanter tribuamus.„ In his *Crellii* tria ob-
servamus notanda 1) *impietatem*, 2) *dolum*, 3) *incon-
stantiam*. Impium sane est, quod ad salutem adipiscen-
dam tantum requirit bonorum operum, quantum quis-
que pro viribus facere potest. Hic pellis ovina non est
demum Socinianis detracta, sed detraxit *Crellius* ipse.
Mihi vero in mentem veniunt Servatoris nostri verba,
Matth. V. 20. O quam felices illi sunt, qui de sua justi-
tia, nunquam utique suffectura, desperantes ad vulne[ra]
Christi confugiunt! *Dolus* latet in his verbis: *Ideo, cu[m]
de justificatione nostra sermo est, nomen hoc potius,* (fides)
quam

alia, quæ pietatem apertius significent, frequentatur. irum, non dubitat propriam hominis pietatem esse am, quæ facit, ut homo justificetur; sed placet tamen ox, quæ non tam liquido prodat Socinianos suæ pieomnia tribuere. Scriptura, mi *Crelli!* ideo tribuit salutem apprehendendam, non merendam, nam meest Christus, ut ab hoc negotio pietas hominum proexcludatur. *Inconstantiæ* denique haud dubium argutum, quod *Crellius*, cum primum exemplo Socini sui, *rfectis operibus* sub veteri lege, quibus fides oppor, disputasset, deinde subolfaciens, hoc modo deronovæ legis sanctitati, quam ipsi Sociniani crepant, n quasi pro condimento habet, qua opera Christiam reliqua gratiora & jucundiora fiant. Sed si hoc est, ectiora jam sunt opera piorum, & illa antiqua, veteri imperata, quoniam tum fides, si Socinianis credas, fuit, imperfecta fuere opera. Idem esset de recen Catechesi dicendum, sed pergo.

CAPUT X.

DE LIBERO ARBITRIO.

r. *Estne id situm in nostra potestate, ut ad eum modum Deo obtemperemus?*

Prorsus. 1) Etenim certum est, prin hominem ita a Deo conditum fuisse, ibero arbitrio præditus esset. Nec vero caussa subest, cur Deus post ejus lapsum n eo privaret; ac neque justitia Dei adit, nec etiam inter poenas, quibus Adæ catum punivit Deus, ejusmodi poenæ ulla itio extat. 2)

423. *Nonne peccato originis hoc liberum arbitrium vitiatum est?*

Peccatum originis nullum prorsus est; quare nec liberum arbitrium vitiare potuit. Nec enim e Scriptura id peccatum originis doceri potest; & lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami, multo minus vero posterorum ejus posset, habere non potuit. Ipsi vero id in pœnam irrogatum fuisse, nec Scriptura docet, uti superius exposuimus; & Deum illum, qui æquitatis fons est, incredibile prorsus est, id facere voluisse. 3)

Notæ:

1) Quanta superbia! *Prorsus* est in hominis potestate, ut veterem hominem exuat, novam induat? Quid ergo gratiæ jam adscribitur? Et, cum sua quemque conscientia doceat, cor humanum esse sordibus peccatorum inquinatum, ita, ut *Paullus* conqueratur, se quæ divino Spiritu concitatus vellet, non posse tamen facere, audebitne humana arrogantia sibi vires sufficientes tribuere? Plane hic nullum discrimen est inter *Pelagianos* & Ethnicorum *Stoicos Philosophos*. Cum urgentur ipsa experientia, spirituali sensu legis, nimis manifesta hominum impotentia, tum ait Catechesis: sufficere, ut *pro virili* voluntatem Dei exequamur; & *Crellius: tantum ab unoquoque exigi, quantum in ipso præstare potest spes promissorum divinorum.* Hæc vero est illa præclara & ad ravim ingeminata sanctitas Christianorum N. T. præ veteribus, illa novæ legis puritas & magnificentia, ut faciant, quantum quisque potest! Si non multum proficiat, parata erit

excusatio, spem promissorum divinorum non potuisse in se plus præstare. Hoc modo facta, transacta, erunt omnia. Videmus ergo, quantopere a Pelagiano fermento cavere sibi debeant omnes, quibus sua & Ecclesiæ salus curæ est. *Pelagium* quidem ipsum, quem sanctum virum tradunt fuisse, dubitat hæc horrenda docuisse & sensisse *b. Augustinus*, cujus aliqua vehementer observanda hic quoque legere gratum fore spero lectori meo. *Libr. III. contr. Pelagian. cap. III. Tom. VII. Opp. p.* 721. „Veruntamen nos non negligenter oportet advertere istum, sicut eum qui noverunt, loquuntur, bonum ac prædicandum virum, hanc argumentationem contra peccati propaginem non ex propria intulisse persona, sed, quid illi dicant, qui eam non approbant, intimasse; nec solum hoc, quod modo proposui eique respondi, verum etiam cetera, quibus me in illis libris jam respondisse recolui. Nam, cum dixisset: si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia non credentibus prodest, quod in iis, quæ respondi, cernis, quam non solum non expugnet, quod dicimus, sed etiam nos admoneat, quid dicamus. Secutus adjunxit: Deinde, ajunt: si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati sunt, debent carere hoc peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, inquit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur, injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam, inquit, nulla ratione concedi, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena. Videsne obsecro, quemadmodum hoc totum *Pelagius*, non ex sua sed aliorum persona indiderit Scriptis suis, usque adeo sciens, hanc nescio quam esse novitatem, quæ contra antiquam Ecclesiæ insitam opinionem sonare nunc cœperit, ut eam ipse confiteri aut

vere-

„verecundatus aut veritus fuerit. Et forte hoc ipse non „sentit, quod sine peccato nascatur homo, cui fatetur ne„cessarium esse baptismum, in quo fit remissio peccato„rum, & quod sine baptismo damnetur homo, quem ne„cesse est non baptizatum in non credentibus deputari, „quia utique Scriptura evangelica fallere non potest, in qua „apertissime legitur: Qui non crediderit, condemnabitur. „Postea, quod sine baptismo imago Dei non admittatur „ad regnum Dei, quoniam, nisi quis renatus fuerit ex „aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: at„que ita vel in æternam mortem sine peccato præcipi„tetur, vel, quod est absurdius, extra regnum Dei habeat „vitam æternam, cum Dominus prædicens, quid suis in „fine dicturus sit: Venite benedicti Patris mei, percipite „regnum, quod vobis paratum est ab initio mundij mani„festaverit etiam, quid sit ipsum regnum, quod dicebat, „ita concludens: Sic ibunt illi in ambustionem æternam, „justi autem in vitam æternam. Hæc ergo & alia, quæ „hunc sequuntur errorem, nimium perversa & Christianæ „repugnantia veritati, credo, quod vir ille, egregie Chri„stianus, omnino non sentiat. Sed fieri potest, ut etiam „istorum argumentis, qui contra peccati traducem senti„unt, adhuc fortasse ita moveatur, ut audire vel nosse, „quid contra eos dicatur, expectet. Et ideo, quid illi di„cant, qui contra peccati traducem sentiunt, nec tacere „voluit, ut quæstio discutienda insinuaretur, & a persona „sua removit, ne hoc etiam ipse sentire judicaretur. „ Videt lector, ita illa ætate, qua *Augustinus* vixit, abhorruisse Christianos ab hac perversitate, qua homines facultate sancte vivendi natura pollere post lapsum, docetur, ut de viro docto & honestæ famæ, adduci non possent ad suspicandum tam impia & nova dogmata. Itaque & alio loco *Augustinus Cyprianum* aliosque veteres laudat, qui non dubitarint hominem sine gratia nihil posse in spiritualibus. Sed videamus Scripturam. Hæc, 1. *Cor. II.* 14. testatur ψυχικὸν ἄνθρωπον, non eum modo, qui, habitu mali-

tiæ contracto, præ reliquis obbrutuerit, sed qui non est πνευματικὸς, h. e. Spiritus Sancti lumine collustratus, quales certissime natura omnes sumus, *non admittere*, ὃ δέχεσθαι, quæ Spiritus Dei sunt, illam nempe sapientiam, qua ad salutem pervenitur. Ubi ergo libertas arbitrii ad bonum? *Rom. III.* 9 - 19. variis Prophetarum testimoniis collatis, omnes in universum homines defecisse & inutiles factos, demonstrat Apostolus, neque excludi eos, quibus legem Deus peculiari ratione revelaverat, immo hos potissimum hac ipsa lege accusari. Quod si autem post lapsum homines instructi essent libero arbitrio, quo possent suis viribus sancte vivere, qui factum, ut in tot millenis millibus ne unus quidem ea facultate uteretur. Rideremus hominem, qui serio vellet humano generi facultatem volandi tribuere, simul tamen, id quod necesse est, fateretur, neminem unquam mortalium volasse. Nolo cumulare biblica testimonia, nam, quibus tanta est audacia, ut sibi his non sinant os obturari, iis nihil sufficiet. Sed ea quoque dicta, quæ conatur Catechesis repellere, deinde vindicabo. In præsenti *Irenæi*, antiquissimi Doctoris, consensum laudare maxime e re est, cum *Erasmus*, infelix liberi arbitrii adversus *Lutherum* propugnator, in indice *Irenæi* hunc sibi Patronum esse crediderit. Ita noster, *L. III. cap. XX. p.* 184. „Igitur, „qui dicunt eum putative manifestatum, neque incarna„tum, neque vere hominem factum, adhuc sub veteri sunt „damnatione, advocationem præbentes peccato, non de„victa secundum eos morte, quæ regnabat ab *Adam* usque „ad *Moysen*, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitu„dinem transgressionis *Adæ*. Veniens autem lex, quæ „data est per *Moysen*, & testificans de peccato, quoniam „peccator est, regnum quidem ejus abstulit, (h. e. *peccati*, „quod ut personam prosopopæia *Irenæus* proponit,) la„tronem & non regem eum detegens, & homicidam eum „ostendit. Oneravit autem hominem, qui habebat pec„catum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritalis enim

cum

„cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, „non autem interemit; dominabatur peccatum, sed ho„mini. Oportebat enim eum, qui inciperet occidere „peccatum, & mortis reum redimere hominem, id „ipsum fieri, quod erat ille, id est, hominem: Qui a „peccato quidem in servitium tractus fuerat, a morte vero „tenebatur, ut peccatum ab homine interficeretur, & ho„mo exiret a morte. Quemadmodum enim per inobe„dientiam unius hominis, qui primus de terra rudis pla„smatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt „vitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, „qui primus de virgine natus est, justificari multos & „percipere salutem. Si igitur verbum Dei homo factus „est, quemadmodum & *Moses* ait: Deus, vera opera „ejus; si autem non factus caro, parebat quasi caro, „non erat verum opus ejus. Quod autem parebat, hoc „& erat, Deus hominis antiquam plasmationem in se re„capitulans, ut occideret quidem peccatum, evacuaret „autem mortem & vivificaret hominem, & propter hoc „vera opera ejus.„ Hic lectorem moneo potissimum observare nexum arctissimum, ut veritatum in *Irenæo*, sic errorum in Socinianis. Nam, cum hi negent veram Divinitatem Servatoris, ipsa opera, quam præstitit in nobis servandis, extenuanda fuit, neque potuit concedi tantam esse generis humani miseriam; ut mancipia peccatorum & æternæ mortis rei omnes natura essemus. Vicissim, quoniam *Irenæus*, ut Christiani omnes, e lege didicerunt, testante partim ipso rerum quotidiano usu, non unum alterumve hominem, sed omnes, natura miseros & perversos esse & a Deo alienatos; hinc solide evincit, oportere Servatorem, qui posset hoc damnum horribile reparare, & *Deum & hominem esse*; idque cum alibi toto libro suo, tum hoc nostro loco, præclare agit. Porro observandum præ ceteris, quod *Irenæus* legem *spiritalem* prædicat, quæ manifestarit tantum peccatum, non autem interemerit, adeoque dominari peccatum. Hoc vero non de paucis,

sed de mortalibus omnibus pronunciat, quos & claris verbis *mortis reos & in servitium a peccato tractos*, conqueritur, eamque calamitatem *Adami* lapsui tribuit. Hæc enim tota disputatio tanta perspicuitate homini liberum arbitrium in spiritualibus adimit, peccatum originis vero asserit, ut, quamquam in stilo latini Interpretis aliqua est asperitas, nesciam, quomodo clarius loqui aliquis possit. Denique & duplex fructus meritorum Christi pulcherrime exponitur, *ut peccatum ab homine interficeretur*, h. e. vires peperit homini sancte vivendi, quas natura non habet, *& homo exiret a morte*, h. e. reatum & pœnam peccatorum sustulit. Quæ cum ita sint, non est, quod aliquis moveatur aliis locis, in quibus *Erasmus* tamen triumphare sibi videtur. Non abiit enim ab hac orthodoxa mente *Irenæus*, quod patebit, ubi ea verba, quæ præ reliquis Pelagianis placent & favere putantur, descripsero. *Libr. III. c. 71. p. 280.* quod sic inscriptum est: *Ostensio, quod homo liber sit & suæ potestatis ad hoc, ut possit eligere bona vel contraria*, sic ait Sanctus *Irenæus*: „Aliud autem, „quod ait: Quotiens volui congregare filios tuos & „noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestavit, „quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam „potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia (al. *scientia*) Dei voluntarie, & non coactum a „Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem „electionis, quemadmodum & in angelis. Etenim angeli rationabiles, uti hi quidem, qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum „vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bonis, & meritam pœnam accipient. „Quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero „non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contemserunt. Abjicientes igitur bonum & quasi respicientes, merito

„merito omnes justum judicium incident Dei, quemad-
„modum & Apostolus *Paullus*, in epistola, quæ est ad
„*Romanos*, testificatus est; dicens ita: An divitias bonita-
„tis ejus & patientiæ & longanimitatis ejus contemnis,
„ignorans, quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te addu-
„cit. Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens
„thesaurizas tibimet ipsi iram in diem iræ, & revelatio-
„nis justi judicii Dei, gloria autem & honor, inquit,
„omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quem-
„admodum & Apostolus testificatur in eadem epistola, &,
„qui operantur quidem illud, gloriam & honorem per-
„cipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non
„operari illud: Hi autem, qui illud non operantur, judi-
„cium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati
„bonum, cum possint operari illud.„ Hic *Irenæus* primo Protoplastis liberum arbitrium fuisse contendit, quod, nemo nostratium est, qui neget. Porro, & in hominibus post lapsum eam facultatem ponit, ut possint respuere gratiam divinam. Neque hoc negamus, immo hanc veritatem contra *Reformatos*, & in his *Supralapsarios* potissimum, propugnamus. Sed facultatem per se sancte vivendi,-credendique in Christum, homini nullo modo hic tribuit *Irenæus;* ait enim, non vim quidem fieri a Deo homini, non cogi hunc, sed, *bonam sententiam Dei adesse ei semper, & propter hoc consilium bonum dare omnibus;* hoc vero ipsum est, quod & nos dicimus, Deum verbo suo, vivifica virtute prædito, cum quo Spiritus Sancti gratia est conjunctissima, prævenire hominem, ad sui agnitionem adducere, & viribus eligendi instruere. Huc facit & comparatio cum lapsis Angelis, quibus cum simile credit genus humanum lapsum *Irenæus*, hoc ipso lapsu factum esse; hoc vult, quemadmodum illi semel peccando & arbitrium liberum amiserunt, h. e. facultatem eligendi bonum, quam non esse in Cacodæmonibus omnes consentiunt: ita & genus humanum, in capite suo *Adamo* lapsum, naturam hodie habere aversam a Deo, & carere adeo viribus sancte

vivendi Deoque placendi. Quæ sub finem dixit *Irenæus*: *Non sunt operati bonum, cum possint operari illud*, nobis minime adversantur; adversarentur, si dixisset, homines id posse suis viribus, non *sententia Dei*, h. e. gratia divina præventos. Luculentius hoc intelligitur, quando aliqua e *cap. LXXII. p.* 281. adjecero, quæ nec me descripsisse, nec lectorem legisse, ob summam argumenti dignitatem pœnitebit. *Capitis LXXII.* hæc est inscriptio. *Ostensio, quod non natura quidam boni sint, quidam vero mali, & quod in hominis electione sit bonum.* Sic pergit *Irenæus*: „Si autem naturaliter quidam boni, quidam vero mali „facti fuissent, neque laudabiles essent, quia boni sunt, „tales enim facti fuerant, sed neque illi vituperabiles, & „ipsi enim tales fuerant instituti. Sed, quoniam omnes „ejusdem sunt naturæ, & potentes retinere & operari „bonum, & potentes rursum amittere id & non facere, „juste etiam apud homines sensatos, quanto magis apud „Deum, alii quidem laudantur, & dignum percipiunt te„stimonium, electionis bonæ & perseverantiæ; alii vero „accusantur, & dignum percipiunt damnum, eo quod ju„stum & bonum reprobaverint. Et ideo Prophetæ hor„tabantur homines justitiam agere, bonum quoque ope„rari, sicut per multa ostendimus, quia in nobis sit hoc, „& propter multam negligentiam in oblivionem incideri„mus, & consilio egeamus bono, propter quod bonus „Deus præstabat (*præstabit* videtur error librariorum,) „bonum consilium per Prophetas. Propter hoc autem „& Dominus: luceat lumen vestrum, dicebat, coram ho„minibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Pa„trem vestrum, qui in cœlis est. &c. ----- Et omnia ta„lia, quæ liberum & suæ potestatis ostendunt hominem, „& quia consilio instruat Deus, adhortans nos ad subjecti„onem sibi, avertens ab incredulitate, non tamen de vio„lentia cogens: Etenim ipsum *Evangelium* si noluerit quis „sequi, licet quidem, non tamen expedit. Inobedientia „enim Dei & amissio boni est quidem in hominis potestate,

læsio-

„læsionem autem & damnum non quamlibet (græca vi-
„dentur fuisse ζημίαν ού τὴν τυχοῦσαν. h. e. *damnum non*
„*vulgare seu leve,*) infert. Et propter hoc *Paullus* ait,
„omnia licent, sed non omnia expediunt, & libertatem re-
„ferens hominis, quapropter & omnia licent, non cogente
„eum Deo, & id non expedit, ostendens, ut non ad vela-
„men malitiæ abutamur libertatem, non enim hoc expe-
„dit. Et iterum ait: Loquimini veritatem, unusquisque
„cum proximo suo. Et, omnis sermo malus de ore vestro
„non exeat, aut turpitudo aut vaniloquium, aut scurrilitas,
„quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio.
„Et, eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lumen
„in Domino. Quasi filii lucis honeste ambulate, non in
„comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & libi-
„dinibus, non in ira & zelo, & hæc quidem fecistis, sed
„abluti estis, sed sanctificati estis, in nomine Domini nostri.
„Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere,
„quam caussam habebat Apostolus, & multo prius ipse
„Dominus, consilium dare, quæ (*aliqua*) quidem face-
„re, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberæ
„sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus,
„cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur
„ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est
„ad Deum, obedientia; & non tantum in operibus, sed et-
„iam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini
„servavit Dominus, dicens: secundum fidem tuam fiat
„tibi, propriam fidem ostendens, quoniam propriam su-
„am habet sententiam. Et iterum: Omnia possibilia cre-
„denti. Et, vade, sicut credidisti, fiat tibi. Et omnia ta-
„lia suæ potestatis, secundum fidem, ostendunt hominem.
„Et propter hoc is, qui credit ei, habet vitam æternam.
„Qui autem non credit Filio, non habet vitam æternam,
„sed ira Dei manebit super ipsum. Secundum hanc igitur
„rationem & suum proprium ostendens Dominus, & sui
„arbitrii ac suæ potestatis hominem significans, dicebat ad
„Hierusalem: quotiens volui congregare filios tuos,

„quemadmodum gallina pullos suos sub alas, & noluisti;
„quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta.
„Qui autem his contraria dicunt, ipsi impotentem intro-
„ducunt Dominum, scilicet, quasi non potuerit perficere
„hoc, quod voluerit. Aut rursum ignorantem naturam
„*Choicos*, ut ipsi dicunt, & eos, qui non possunt accipere
„ejus incorruptelam. Sed, oportebat, inquit, eum neque
„angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homi-
„nes, qui statim ingrati existerent in eum, quoniam ratio-
„nabiles & examinatores & judiciales facti sunt, & non
„quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quæ sua
„voluntate nihil possunt agere, sed cum necessitate & vi
„ad bonum trahuntur, in quibus sensus & unus mos infle-
„xibilis & sine judicio, qui nihil aliud esse possunt, præter-
„quam quod facti sunt. Sic autem nec suave esset eis, quod
„est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque ma-
„gnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio mo-
„tu & cura & studio provenisset, sed ultro & otiose insi-
„tum, ita ut essent nullius momenti boni, eo quod natura
„magis quam voluntate tales extiterint, & ultroneum
„haberent bonum, sed non secundum electionem, & pro-
„pter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum
„sit, quod bonum, neque fruentes eo. Quæ enim frui-
„tio boni apud eos, qui ignorant? Quæ autem gloria his,
„qui non studuerint illud &c.„ Consulto amplissimum
locum *Irenæi* descripsi, ne quis conqueri possit, dissimulata
esse aliqua, quæ fortasse caussam nostram lædere videan-
tur. Vir sanctissimus certe, quod & Evangelici faciunt,
media & tuta via incedit, cum Ecclesia aliquot seculis con-
cussa sit gravissime duabus contrariis & ita se mutuo ju-
gulantibus opinionibus, ut neutra consistere queat. Hinc
enim homini post lapsum vires tribuunt, quibus possit
ipse dignoscere bonum idque amplecti. Illinc, ne hoc
quidem concedunt, posse hominem oblatam gratiam re-
pudiare, sed necessario invictis viribus gratiæ expugnari &
acceptam semel gratiam deinde abjici non posse. Huic
quem

quem altero loco diximus, errori copiosius & acrius se opponit noster, nam fuit ipsi negotium cum ejus fautoribus. Et certe frustra essent adhortationes ad sanctæ vitæ studium omnes, si vel non possent homines, oblata licet gratia, illas sequi, vel fieri non posset, ut oblatam acceptamque gratiam repudiarent & abjicerent. Sed nec opposito errori occurrere oblitus est; quo potissimum hæc verba pertinent: *adhortans nos ad subjectionem sibi, avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens.* Quid enim est avertere ab incredulitate, nisi hunc, quæ natura inest homini, efficacissima operatione & commotione cordium tollere, ita tamen, ut vis & coactio absit.

2) Frustra dicitur in pœnis, quibus Deus *Adami Lapsum* punivit, nullam mentionem ejusmodi pœnæ fieri, qua liberum arbitrium homini sit ereptum. *Mors* est pœna peccati; neque vero protoplasti solum moriuntur, nec horum filii tantum adulti, qui possunt eodem modo, quo illi, peccare, sed & infantuli, quos, cum subeant eandem sortem, quæ tangit ceteros, necesse est peccasse, sed hoc intelligi nequit in puerulis, si neges eorum naturam esse corruptam. Non est veterum quisquam, qui non crebrius utatur gravissimo dicto Apostoli, *Rom. V.* 12. Sed inprimis jucundum erit audire *Augustinum, contra duas epistol. Pelagianor. ad Bonifacium, l. IV. p.* 915. *Tom. VII. opp.* „Ac per hoc consentiunt Manichæi Pelagianis, non „crimen primi hominis transisse in genus humanum, ne„que per carnem, quam nunquam fuisse dicunt bonam, „neque per animam, quam perhibent cum meritis inqui„namentorum suorum, quibus polluta est ante carnem, „venire in hominis carnem. Sed Pelagiani quomodo di„cunt solam mortem ad nos transisse per *Adam?* Si enim „propterea morimur, quia ille mortuus est, ille autem „mortuus est, quia peccavit, pœnam dicunt transire sine „culpa, & innocentes parvulos injusto judicio puniri, „trahendo mortem, sine meritis mortis. Quod de uno „solo mediatore Dei & hominum, homine Christo JEsu catho-

„catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc est pec-
„cati pœnam, sine peccato subire dignatus est. Sicut
„enim solus ideo factus est hominis Filius, ut nos per
„illum Dei Filii fieremus: ita solus pro nobis suscepit sine
„malis meritis pœnam, ut nos per illum sine bonis meritis
„consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debe-
„batur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Commen-
„dans ergo dilectionem suam in eos, quibus erat daturus
„indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem.
„Hanc singularem mediatoris prærogativam Pelagiani
„evacuare conantur, ut jam hoc non sit in Domino singu-
„lare. Si *Adam* ita propter culpam mortem passus est de-
„bitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam mor-
„tem patiantur indebitam. Quamvis enim bonis confe-
„ratur per mortem plurimum boni, unde nonnulli con-
„gruenter etiam de bono mortis disputaverunt, tamen &
„hinc, quæ prædicanda est nisi misericordia Dei, qua in
„bonos usus convertitur pœna peccati? Sed hoc ideo di-
„cunt isti, dum volunt ex verbis Apostoli in suum sensum
„homines detorquere. Ubi enim ait Apostolus: *Per
„unum hominem peccatum intravit in mundum & per pec-
„catum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, ibi vo-
„lunt intelligi, non peccatum pertransiisse, sed mortem.
„Quid est ergo, quod sequitur: In quo omnes peccave-
„runt? Aut enim in illo uno homine peccasse dicit omnes
„Apostolus, de quo dixerat: *Per unum hominem pecca-
„tum intravit in mundum*, aut *in illo peccato*, aut certe *in
„morte*. Non enim movere debet, quia non dixit, *in qua*,
„sed *in quo* omnes peccaverunt. Mors quippe in græca
„lingua generis masculini est. Quodlibet ergo eligatur,
„aut etiam in illo homine peccaverunt omnes, & ideo
„dictum est, quoniam, quando ille peccavit, in illo erant
„omnes; aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia ge-
„neraliter omnium factum est, quod nascentes tracturi
„erant omnes. Aut restat, ut dicatur, quod in illa mor-
„te peccaverint omnes. Sed hoc quemadmodum possit
dici,

„dici, non plane video. In peccato enim moriuntur om-
„nes, non in morte peccant, nam peccato præcedente,
„mors sequitur, non morte præcedente, peccatum. Acu-
„leus quippe mortis est peccatum, id est, aculeus, cujus
„punctione fit mors, non aculeus, quo pungit mors. Si-
„cut venenum, si bibitur, appellatur poculum mortis,
„quod eo poculo facta sit mors, non quod morte pocu-
„lum sit factum, aut a morte sit datum. Quod si pro-
„pterea non potest illis verbis Apostoli peccatum intel-
„ligi, in quo omnes peccaverunt, quia in græco, unde
„translata est epistola, peccatum fœminino genere posi-
„tum est, restat, ut in illo primo homine peccasse omnes
„intelligantur. Quia in illo fuerunt omnes, quando ille
„peccavit, unde peccatum nascendo trahitur, quod nisi
„renascendo non solvitur. Nam & sic sanctus *Hilarius*
„intellexit, quod scriptum est, in quo omnes peccaverunt;
„ait enim, *in quo*, id est, *in Adam* omnes peccaverunt.
„Deinde addidit: manifestum in Adam omnes peccasse,
„quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, om-
„nes quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens
„*Hilarius*, sine ambiguitate, commonuit, quomodo in-
„telligendum esset, in quo omnes peccaverunt. Propter
„quid autem idem Apostolus dicit, nos per Christum re-
„conciliari Deo, nisi propter quod facti fuimus inimici?
„Et hoc quid est, nisi peccatum? Unde & Propheta dicit:
„Peccata vestra separant inter vos & Deum. Propter
„hanc ergo separationem mediator est missus, ut tolleret
„peccatum mundi, per quod separabamur inimici, & re-
„conciliati ex inimicis efficeremur filii. Hinc utique Apo-
„stolus loquebatur, hinc factum est, ut interponeret, quod
„ait: per unum hominem intrasse peccatum. Hæc enim
„sunt superiora verba ejus. Commendat autem, inquit,
„suam charitatem Deus in nobis, quoniam, cum adhuc
„peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est,
„multo magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi eri-
„mus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus,
recon-

„reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo „magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non so„lum autem, sed & gloriantes in Deo per JEsum Chri„stum, Dominum nostrum, per quem & nunc reconcilia„tionem accepimus. Deinde subjungit: Propter hoc, „sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum „intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes pertrans„iit, in quo omnes peccaverunt. Quid tergiversantur „Pelagiani? Si omnibus necessaria est reconciliatio per „Christum, per omnes transiit peccatum, quo inimici fu„imus, ut opus reconciliari haberemus. Hæc reconci„liatio est in lavacro regenerationis & Christi carne & „Sanguine, sine quo nec parvuli possunt habere vitam in „semetipsis. Sicut enim fuit unus ad mortem propter „peccatum, sic est unus ad vitam propter justitiam. Quia „sicut in *Adam* omnes moriuntur, ita & in Christo omnes „vivificabuntur. Et sicut per unius delictum in omnes „homines ad condemnationem, ita & per unius justifica„tionem in omnes homines ad justificationem vitæ. Quis „ad hæc apostolica verba tanta duritia nefandæ impieta„tis obsurduit, ut his auditis mortem sine peccato in nos „per *Adam* transisse contendat, nisi oppugnatores gratiæ „Dei, inimici Christi? quorum finis est interitus, si in „hac obstinatione duraverint... Verum hæc dixisse suf„ficiat, propter eorum illam versutiam serpentinam, qua „volunt mentes corrumpere simplices, & avertere a ca„tholicæ fidei castitate, veluti laude creaturæ... Nihil poterat, cum ad reliqua, quæ contra *Socinum* adhuc disputavimus, tum ad præsentem caussam, magis appositum dici, quam quod hic audivimus ex ore *Augustini*.

3) Peccatum originis pudenda protervia negatur; quod æque insipidum est, ac si homo quadruplici catena vinctus liberrimum se esse vel crederet vel simularet. Tota lex, quæ non aliquot homines, sed omnes coarguit, quæ ipsas cupiditates, quam maxime naturales hodie, quas adeo *Paullus*, sine lege, non putasset improbas esse, tamen

impro-

improbat, convincit peccatum originis dari. Frustra occinit Catechesis, clementiæ divinæ non esse, pati, ut peccatum propagetur in posteros; quando enim constat, quid factum sit, gratis disputatur, quid fieri possit. Nec de clementia divina ἄτερ γραφῆς statuendum est, quæ nos omnes natura filios iræ, & in Adamo omnes mortuos arguit. Placet denuo *Augustinum* duobus locis audire, qui ita egit hanc caussam, ut melius non videatur a quoquam agi posse. *De Civitate Dei, L. XXII. cap.* 22. *Tom. V. Opp. p.* 1372. „Quod ad primam originem pertinet, „omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc „ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena, „testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam „profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui „omnes filios *Adam* tenebroso quodam sinu suscipit, ut „homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non „possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum? & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, „insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, „furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, „homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriusque sexus tot stupra atque immundiciæ, quas turpe est etiam „dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, „prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem „non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit. „Verum hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis „filius Adam nascitur. Nam quis ignorat, cum quanta „ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta „est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ „in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam,

ita

„ita ut, si dimittatur vivere, ut velit, & facere, quicquid „velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, & „quæ commemorare non potui, vel cuncta vel multa per„veniat? Sed divina gubernatione non omni modo de„serente damnatos, & Deo non continente in ira sua mise„rationes suas, in ipsis sensibus generis humani prohibitio „& eruditio, contra istas, cum quibus nascimur, tenebras, „vigilant, & contra hos impetus opponuntur, plenæ ta„men interim laborum & dolorum. Quid enim sibi vo„lunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulo„rum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi? quid ma„gistri? quid ferulæ? quid lora? quid virgæ? quid di„sciplina illa, qua Scriptura Sancta dicit dilecti filii latera „esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam du„rus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur „his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava „cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculo vi„vimus? Quid est enim, quod cum labore meminimus, „sine labore obliviscimur? cum labore discimus, sine labo„re nescimus? cum labore strenui, sine labore inertes su„mus? Nonne hinc apparet, in quid velut pondere suo „proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc „liberetur, indigeat. &c. „ Idem de *nuptiis & concupi-scentia ad Valerium, l. I. p.* 821. *Tom. VII. Opp.* „Ex hac „igitur concupiscentia carnis quod nascitur, utique mundo, „non Deo nascitur. Deo autem nascitur, cum ex aqua et „Spiritu Sancto renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum „regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit. Ergo „quod generatum est, regeneretur; quia non potest ef„fici aliter, ut, quod tractum est, remittatur. Ut enim, „quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris „quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia et in„fidelibus incredibilia, sed tamen vera, ut haberent ali„quod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis di„vina providentia procuravit. Cur enim non credamus „propter hoc esse institutum, ut ex oliva nasceretur

ole-

„oleaster? An credendum non est in aliqua re, quæ creata
„est ad usus hominum, creatorem prodidisse et instituisse,
„quid ad generis humani valeret exemplum: Mirum est
„ergo, quemadmodum a peccati vinculo, per gratiam
„liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos
„eodem modo oporteat liberari. Fatemur mirum est,
„sed, quod latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus
„olearum, quando et hoc crederetur, nisi experientia
„probaretur? Proinde, sicuti ex oleastri semine gignitur
„oleaster, et ex oleæ semine non nisi oleaster, cum inter
„oleastrum et oleam plurimum distet: ita gignitur et de
„carne peccatoris & de carne justi utrimque peccator,
„quamvis inter peccatorem & justum plurimum distet.
„Gignitur autem peccator actu adhuc nullus & ortu no-
„vus, sed reatu vetus: homo a creatore, captivus a de-
„ceptore, indigens redemtore. Sed quæritur, quomo-
„do trahi possit captivitas prolis etiam de parentibus jam
„redemtis. Et, quia non facili ratione indagatur, nec
„sermone explicatur, ab infidelibus non creditur; quasi &
„illud, quod de oleastro & olea diximus, ut generis dissi-
„milis sit, fœtus sit similis, facile aliqua inveniat ratio, vel
„explicet sermo. Sed hoc ab eo, qui experiri voluerit,
„cerni potest. Sit ergo in exemplo, unde & illud creda-
„tur, quod cerni non potest. Non enim fides dubitat
„Christiana, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, &
„eos, qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de po-
„testate diaboli, & eos, qui nondum tali regeneratione
„redemti sunt, etiam parvulos filios redemtorum, sub
„ejusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eadem
„Christi gratia redimantur. Ad omnes namque pertinere
„non dubitamus ætates, illud, de quo Apostolus loquitur,
„beneficium Dei: Qui eruit nos de potestate tenebrarum,
„quarum est diabolus princeps, id est, a potestate diaboli
„& angelorum ejus, quisquis erui, cum baptizantur, ne-
„gaverit parvulos, ipsorum Ecclesiæ Sacramentorum ve-
„ritate convincitur, quæ nulla heretica novitas in Ecclesia

tis tempore; quod merito quidem rejicitur, sed in ruborem tamen dare lucarus potest Socinianos nostros, qui nullam vident humanæ naturæ corruptionem. Verum accedamus ad rem! *Gen. VI. 5.* Catechesis perhibet de peccatis voluntariis sermonem esse, quia *Moses* id peccatum ejusmodi esse doceat, cujus caussa pœnituisset Deum, quod creasset homines; id vero de peccato, quod homini natura inesset, quale censeatur esse peccatum originis, nullo modo affirmari posse. Nimis hæc præcipitanter dicta esse demonstrabo: Sic colligunt Sociniani, quia pœnitet Deum creati generis humani, sequitur, voluntaria tantum peccata ab hominibus commissa esse. Immo contrarium potius sequitur. Si Deum pœnitet creasse homines, quorum magna pars infantuli sunt, ut taceam omnes ab initio infantes esse, eamque ob caussam non adultiores tantum & incorrigibiles, sed omnes etiam tenellulos infantes delere decrevit, colligitur, non modo voluntaria peccata, sed ejusmodi malum intelligi, quo & teneri infantuli polluti sunt. Alioqui illi soli essent extirpandi, de quorum emendatione desperatur: pueruli, si nihil in ipsis natura est vitii, remotis illis, qui exemplo forte corrumpere possent, conservandi & ad sanctius vitæ genus assuefaciendi erant. Si fuerunt hi infantuli, quales esse debebant ex creatoris mente, h. e. incorrupti, qui potuit Deum pœnitere eorum; hæc enim vox ab humanis ingeniis mutuo accepta, significat factum aliquod improbare, sed absit de constantissimo numine credere, improbare res a se factas, si tales sint, quales fecit. Itaque alios jam factos esse infantulos, quam quales Deus gigni voluerat, oportet. Pone tu principem decrevisse in silvis terrisque suis omne genus lupinum delere; catulos nemo dixerit rapacitatem ullam exercuisse, homines cervosque lacerasse, damni quidquam agrestibus dedisse; cur vero neque his parcitur? nimirum quod constat ingenium in his catulis, qui quidem aliquandiu non multum dissimiles videntur canum catulis, minime esse melius, quam in

gran-

grandioribus lupis. Itaque non est, quod neges, principis decreti, quod diximus, rationem esse, non modo damna, quæ lupi passim jam dederunt, sed totius generis lupini truculentum ingenium, quod morale quidem malum dici non potest, sed physicum. Quæ qui, ut par est, expendit, inveniet, decreti divini de humano genere extirpando ob peccatum, non modo eam esse rationem, quod adultiores omnis generis sceleribus se polluissent, sed, quod non melior esset natura & ratio succrescentium. Nostra ergo catholica sententia statim in animum venire debuerat lectori *Geneseos*, si nihil amplius extaret, quam voluisse Deum genus humanum ob peccata delere, non facta solum atrocia, sed & in ipsis infantulis pravitatem naturæ esse debere summam, quæ justissimi Numinis tantam iram concitaverit. Nullius frugis est aliquorum exceptio, si congenita pravitas hominum caussa decreti foret, hoc non demum post annos MD. a condito genere humano fieri debuisse, sed maturius. Nam nemo sanus dicet, Deum tum demum considerare cœpisse, cum hæc, quæ *Genes. VI.* legimus, acciderunt, hominum malitiam; vidit ab æterno omnia, atque ut cetera omnia decreta divina, ita & hoc æternum est, de extirpando, præter unicam *Noachi* domum, genere humano universo. Sed narratio hujus æterni decreti ad id tempus fit, quo executioni mandatur, & quo actu contingunt æternum prævisæ rationes ejus decreti. Vidit ergo Deus semper pravitatem generis humani ab ipso lapsu protoplastorum futuram, vidit eam exitio dignam, non antiquis modo sed & nostris temporibus. Sed decrevit, non, ob solam istam naturæ corruptionem, quamquam posset justissime fieri, delere genus humanum, sed semel, cum subinde per justitiam liceret, universali clade perimere pessimos homines, paucissimis servatis, eo tempore, quo præter communem naturæ pravitatem insignis voluntariorum scelerum cumulus accessisset, quemadmodum nec hodie, dum stabit cœli terræque machina, quamquam mererentur homines,

simili eos clade afficere velle testatus est. Quod si quis autem inde colligeret, non esse naturalem pravitatem in caussis diluvii, quoniam non sola esset caussa, facile omnes videbunt, nullam consecutionem esse. Nam si decimo gradu demum aliquid boni malive obtinetur, adeo non est negandum, novem præcedentes gradus aliquid contulisse, ut, si non fuissent illi, non potuisset existere gradus decimus, nec erupisset humana malitia in flagitia adeo immania; nisi pectora humana veneno peccati ab ipso ortu, qualis est post lapsum, essent infecta. Et, cum decrevit Princeps, eos supplicio crucis necandos, qui tertium essent furti convicti, quando hominem ter furatum ad pœnam duci jubet, non tertium solum, sed & bina præcedentia furta imputat, nam sine illis hoc non foret tertium, quamquam ob sola illa duo hoc genus pœnæ non fuisset irrogatum. Adhuc ostensum est, nostrum argumentum de peccato originis invictum esse, vel nondum consideratis verbis *Mosis*, modo intelligatur genus humanum universum ob peccata delendum fuisse. At, ubi acceditur ad explicanda verba, nihil potest homini docili, & qui nolit veritati proterve obluctari, dubii superesse. *Genes. VI.* 5. est: *Col Jezer machschehoth libbo; omne figmentum cogitationum cordis ejus.* Sufficeret, si tantum dictum esset: cogitationes omnes malas esse, nam fieri hoc non posset natura integra; itaque etsi concederetur, quod videri de voce יצר aliquot doctis viris nunc audiemus, tamen corruptio naturæ humanæ abunde esset manifesta. Sed hoc non solum dixit *Moses*, sed ipsam *primam efformationem cogitationum* jam pravam esse, & *semper* quidem, sive ut altero loco est, *ab infantia*, neque aliquas ejusmodi cogitationes ita pravas esse, ut possent tamen reliquæ dici meliores, sed *rak ra, non nisi malas omnes. Jo. Clericus*, qui hoc in argumento palam nobis adversatur, ad *Gen. VI.* 5. sic commentatus est: „*Nec quidquam eorum animum* „*præter malum quotidie effingere. ebr. Omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum omni die.* Quamvis

„vis ordinem & structuram vocum non servarim, quod la-„tine fieri non potuit, servavi tamen metaphoram, & sen-„sum ad amussim expressi, LXX. Interpretes laxius, sensu „tamen eodem: *Πᾶς τις διανοεῖται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ „ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ πάσας τὰς ἡμέρας.* „יצר *Jetser* figmentum cogitationis est, quicquid cogi-„tando seu animo effingitur. Vid. 1. *Paralip. XXVIII.* 9. „*XXIX.* 18. *Lebab*, *cor* idem passim esse, ac *animum*, „apud Hebræos, ut apud antiquissimos Græcos, vix opus „est monere. Hic habemus exemplum ejus, quod dixit „*Menander*: Πολλοὺς λογισμοὺς ἡ πονηρία κυκλεῖ. „*Multas ratiocinationes versat malitia.* Ceterum hæc „non ita sunt capienda, quasi Propheta vellet, ne unam „quidem antediluvianorum hominum cogitationem pec-„cato caruisse, cum innumera sint ἀδιάφορα, & pessimi „etiam homines interdum bonas cogitationes versent, „ut, quando conscientiæ sentiunt morsus, damnantque „ipsi, quod fecerunt; tunc certe ubi se ipsi malos judi-„cant, & pœna dignos, recte sentiunt. Sed emphatica „hæc antediluvianæ nequitiæ descriptio summam depra-„vationem significat. Similia legere est, *Psalm. XIV.* 3. „*& LIII.* 4. Sed & apud Ethnicos, a quibus constat om-„nes non creditos esse malos, haud minores sunt de suorum „temporum corruptione querelæ, quarum aliquot exem-„pli caussa recitabimus. &c.„ Nos vero *Theognidem, Se-necamque Tragicum & Sophoclem,* nulli bono huc laudatos missos facimus, sed miramur *Clericum*, cum fateatur emphaticam esse descriptionem nequitiæ antediluvianæ, suis tamen glossis emphasin obscurare conari & opprimere. Similia ait esse duo loca *Davidis, Psalm. XIV.* 3. *LIII.* 4. sed, cum his ipsis locis, tum authentico eorum interprete *Paullo*, *Rom. III.* 10. *sequ.* fas fuisset *Clericum* hactenus moveri, ut fateretur corruptionem esse *universalem;* nam si esset tantum *fere universalis*, nec omnium sed plerorumque tantum cor esset corruptum, non potuisset vel

David clarissimis verbis dicere: *Ne quidem unus*; disertius enim significari nequit universalitas, quam si nemo plane sit excipiendus; vel Apostolus l. c. *v.* 20. inde colligere, nullam carnem operibus legis posse servari, per legem esse agnitionem peccatorum. Perquam autem opportune *Clericus* utrumque locum *Chronicorum* laudavit; nam, cum inde demonstraturus esset יצר esse figmentum cordis, eo sensu, quo ipse explicat: *Quicquid* corde effingitur, h. e. peccata actualia & prodeuntia, imprudenter in ea dicta incidit, unde patet contrarium. 1. *Chronic.* *XXVIII.* 9. gravissime monet *David* Rex *Salomonem* filium: *Mi fili, agnosce Deum patris tui & servi illi corde integro, & anima lubenti; nam omnia corda scrutatur Jehovah, & omne figmentum cogitationum intelligit.* Hic frigeret oratio *Davidis*, qui & alibi agnovit Deum cogitationes suas מרחוק *de longinquo* nosse, *Psalm.* *CXXXIX.* 2. & renes suos in potestate habere, *v.* 13. si hoc tantum vellet, scrutari Deum & cognoscere effectus cogitationum. Tantum & hominibus paullo sagacioribus datum est. *Cap.* *XXIX.* 18. preces *Davidis* hæ sunt: *Jehovah Deus Israël, Patrum nostrorum, serva hoc in perpetuum, figmentum,* (vel potius, *pro figmento,*) *cogitationum cordis populi, & prepara cor eorum erga te.* Ultima verba docent, non velle Regem, ut Deus populi cogitationes, prout in actum prodierunt, curæ sibi esse velit, sed potius ipsas cogitationes formare & facere, ut nonnisi sancta cogitent homines. יצר ergo est ipsa cogitationum formatio, non earum effectus. Quod antequam e pluribus locis Scripturæ ostendere satagam, duorum Reformatæ Ecclesiæ celebrium Theologorum verba aliqua recitabo, quibus deinde una opera responderi poterit. Itaque *Campeg. Vitringa, in Esa. XXVI.* 4. *p.* 69. *a.* יצר *inquit, est quævis cogitatio, figmentum mentis* יצר מחשבות, *fictio* (πλάσμα) *cogitationum, h. e. productum earum, inter quas cogitandi species est actus ille judicii, qui fides dicitur. Jacob. Gussetius, comm. de L. E. p.* 432. *A. B.* „יצר signi-

„significat figmentum, non modulum, quo opus confi-
„guratur, cui in moralibus responderet habitus, vel fa-
„cultas animi, qua mens uteretur ad cogitationibus speci-
„em modumque peculiarem dandum. Significat, inquam,
„opus & effectum. Nam vides significare ollas ipsas figu-
„li, *Esa. XXIX.* 16. ויצר אמר ליצרו & figmentum di-
„xerit figulo suo. Etiam ibidem in locatione Synonyma
„ei respondet מעשה *opus*, dixerit opus opifici, atque hic
„usus simplex & sine metaphora. Item *Habac. II.* 18.
„בטח יוצר יצרו עליו *confidit fictor figmenti sui*, scil. *idoli*
„*super illud*. Ea vox ergo notat opificium ipsum, nec
„reperio exempla, in quibus figuram pro modificatione
„sumtam significare appareat. Confer nunc moralem
„usum, *Gen. VI.* 5. כל יצר מחשבת לבו, omne figmen-
„tum cogitationum cordis ejus. יצר etiam, h. e. figmen-
„tum ponitur, ut existentiam ordine naturæ obtinens,
„post ipsas cogitationes, quasi quod ex iis provenit, pro-
„ut & post לב *Gen. VIII.* 21. est nimirum id, quod resul-
„tat ex judiciis nostris, sive subitis, ut in effectuum ortu,
„sive etiam deliberatis. Conf. *Jac. I.* 14. 15. Ἕκαστος πει-
„ράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δε-
„λεαζόμενος, εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει
„ἁμαρτίαν· ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει
„θάνατον. Eodem loco est ἐπιθυμία & מחשבה,
„eodem quoque ἁμαρτία & יצר, ceterum diversa me-
„taphora est. Etsi autem רע *malum* esse prædicatur de
„יצר opere cogitationis, non innuitur id non competere
„cogitationi ipsi cordique. Nam contra, quia quod sem-
„per fit eodem modo, oportet ut fiat ex caussis ad hoc de-
„terminatis, ut, cum certam speciem fructuum arbor
„gignit. „ Quæ ultimo loco vir doctissimus disserit, ita
comparata sunt, ut recte de nostra caussa sentire judican-
dus sit. *Jacobi* autem locus etsi prosternit Sociniano-
rum impietatem; nihil enim certius est, quam concupi-
scentiam, qua quia trahitur & pellicitur, quæque adeo

 non

non est in ipso homine volente, sed facit eum volentem, esse ipsum malum originale: tamen huc perperam rapitur. Unde enim probabit *Gussetius*, ἐπιθυμίαν idem esse, quod מחשבה seu *cogitatio*, & ἁμαρτίαν idem, quod יצר seu *figmentum*? Potius ego respondere dixerim ebraicum יצר græco ἐπιθυμία, & מחשבה græco verbo ἁμαρτία, h. e. consilio in mente concepto, quod ubi perficitur, mortem necessario parit. Sed neque video, quo argumento probaturus sit vir doctus, יצר esse aliquid *post cogitationes*, seu *mentem hominis*, & inde demum proficiscens? Parum huc facit, quod figuli opus seu figmentum *Jezar* dictum, ordine naturæ posterius est figulo magistro suo, id quod nemo negat. *Genitivus casus* voci alicui additus varia occasione situque varias significationes sustinet, v. g. *domus architecti* fere significat ædificium ab ipso constructum, quod posterius ipso architecto esse liquet; at *domus*, v. g. *Ducis Saxoniæ*, sive tu pro *gente* sive pro *ædificio* accipias, potest ipso hoc Duce longe esse vetustior. *Vitringa* autem, cum πλάσμα cogitationum vocat τὸ *Jezar*, & eadem linea *cogitandi speciem*, impeditius locutus est, quamquam non nego fieri posse & solere, ut ex una cogitatione altera nascatur, tamen scire velim rationem, unde pateat, *Jezar* eam esse cogitationem, quæ ex aliis oriatur, & non potius originem seu primam efformationem cogitationum. Hoc paullo superius in duobus locis libri *Chronicorum* vidimus; nunc & cetera exempla contemplari juvabit. *Esa. XXVI.* 3. sensum *Vitringa* non videtur attigisse, qui vertit: *Cui est cogitatio fixa: servabis pacem, quia te nixa est*, quæ sic explicat: *Cujus cogitatio vel affectus tibi firmiter innititur, hunc tu, Deus, servabis in pace;* aliqua enim in textu ebræo subintelligi debere, ut hic sensus prodeat, omnes vident. Multo melius explicuit dictum hoc reverend. *Zeltnerus*, cujus germanica explicatio hujus sententiæ est: Hanc novum *κτίσιν* e regeneratione, *Gal. VI.* 16. quæ nova creatura

tura certo & solido fundamento promissionum Evangelii nititur, custodies pace firma, & per Spiritum suum subinde confirmatiori reddenda; regeneratione autem non cogitationes modo actuales emendari, sed & earum originem, h. e. facultatem cogitandi, certum est. Fortasse, quod exputandum relinquo eruditis lectoribus, hæc est commodissima *loci Esaiani* interpretatio, ut *Jezer* significet Christum *factum* a Deo & *positum*, idque ipsum vocabulo *tizzor* ex eadem radice non e *nazar* formando, indicatum, hanc formatam a Deo rupem pacem certissimam esse, in qua omnes placide possint acquiescere, quoniam spes non in nuda re creata, sed in ipso Jehovah reponatur; hoc modo & sequens comma vix alias intelligendum, explicabitur pulcherrime: confidendum esse Jehovæ semper, nam in *Jah*, h. e. Christo esse Jehovam, unam personam in altera, Patrem esse in Filio, atque hanc esse rupem sempiternam. *Psalm. CIII.* 14. sic extat: *Novit figmentum nostrum, meminit nos esse pulverem.* Nihil elegantius, quam hæc confessio suæ miseriæ, quæ misericordiam Dei movet, corruptionem animi & corporis nostri miserentis. Quamquam aliis, & in his B. *Geiero* nostro, aliud, sed sine ratione solida videtur. Denique *Deuter. XXXI.* 21. alii aliter vertunt: optime omnium Græci: Ἐγὼ γὰρ οἶδα τὴν πονηρίαν αὐτῶν, ὅσα ποιοῦσιν ὧδε σήμερον, πρὸ τῦ εἰσαγαγεῖν με αὐτὺς εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν. &c. *Moses* hoc mihi videtur velle: Ex eo, quod hodie faciunt, facile colligitur mens in posterum ejusdem populi & propaginis futura. Ceteri Interpretes sic intelligunt: Jam hodie præscio, quales sint facturi cogitationes. Sed certe, nec, quid sit *figmentum facere*, intelligetur, nec quomodo Judæi jam tum suum illud *Jezer*, quicquid fuerit, fecerint; nec vox היום commode ad ידעתי refertur, potius ad עשה pertinet. Nostra autem & Græcorum sententia plana sunt omnia. Quæ cum ita sint, quid dubitemus, *Jezer bara* esse condito-

„Christi auferre vel mutare permittitur, regente atque „adjuvante capite totum corpus suum, pusillos cum ma„gnis. In veritate itaque non in falsitate potestas diabo„lica exorcisatur in parvulis, eique renunciant, quia per „sua non possunt, per ora & corda gestantium, ut erui „a potestate tenebrarum in regnum Dei sui Domini „transferantur. Quid ergo in eis est, per quod in pote„state diaboli teneantur, donec eruantur inde per Sacra„mentum baptismatis Christi, quid est nisi peccatum? „Non enim aliud invenit diabolus, unde possit humanam „suo juri mancipare naturam, quam bonam bonus auctor „instituit? Nullum autem peccatum parvuli in sua vita „commiserunt proprium. Remanet igitur originale pecca„tum, per quod sub diaboli potestate captivi sunt, nisi inde „lavacro regenerationis & Christi Sanguine redimantur „& transeant in regnum Redemtoris sui, frustrata pote„state captivatoris sui, & data potestate, qua fiant ex fi„lius hujus seculi filii Dei.„

424. *Veruntamen esse peccatum originis illa testimonia docere videntur, Gen. VI. 5. Omnis cogitatio cordis humani maligna solum omni die. Et Gen. VIII. 21. Cogitatio cordis humani mala a pueritia sua.*

Hæc testimonia agunt de peccato voluntario, ex iis igitur effici nequit peccatum originis. Quod enim ad primum attinet, Moses id peccatum ejusmodi esse docet, cujus caussa poenituisse Deum, quod hominem creasset, & eum diluvio punire decrevisset, aperte demonstrat. Quod certe de peccato, quod homini natura inesset, quale peccatum origi-

originis censent, affirmari nullo pacto potest. 1) In altero vero testimonio docet, peccatum hominis eam vim habiturum non esse, ut Deus mundum diluvio propter illud puniret; quod etiam peccato originis nullo modo convenit. 2)

Notæ:

1) Supina negligentia recitat Catechesis duo gravissima dicta *Geneseos;* &, cum boni interpretis sit, simul dispicere, quid singula connexaque verba sibi velint, & quo nexu cum reliquis, quæ præcedunt & subsequuntur, cohæreant, Sociniani nostri de vocibus ipsis, quibus maximam inesse emphasin illico videbimus, plane silent. De scopo Scriptoris sacri aliqua dicunt quidem, sed ita levi brachio, ut veritatis studium in eo homine non credam esse, qui loca a tot doctissimis viris constantissime pro demonstrando peccato originis laudata, abjecisse contentus est, & maximo supercilio contemnit dissentientes, ceterum securus est, quem sensum postulent ferantque. Nos age accuratius illustria loca pertractemus! Judæi, quos constat Pelagianis opinionibus de propria sua sanctitate, & fastu Pharisaico turgere, non tamen usque adeo desipiunt, ut non videant naturæ corruptionem his locis intelligi. *R. Salomon ad Gen. XXI. 21. scriptum est*, inquit, מנעריו, *ut indicetur, ex quo infans* ננער i. e. *excussus est, ut ex utero matris suæ egrederetur, inditam ei esse pravam concupiscentiam.* Ad quem locum *Jo. Frider. Breithauptus* observavit in duobus codicibus *Raschii, Erfurtensibus*, esse משעה שהוא ננער, *ab illa hora, qua ille infans natus seu excussus est*, unde videri possit, dominari secundum hujus Judæi opinionem *Jezer hara*, h. e. peccatum & *figmentum malum* in homine, non a conceptionis sed a nativita-

 tis

tis tempore; quod merito quidem rejicitur, sed in ruborem tamen dare Judæus potest Socinianos nostros, qui nullam vident humanæ naturæ corruptionem. Verum accedamus ad rem! *Gen. VI. 5.* Catechesis perhibet de peccatis voluntariis sermonem esse, quia *Moses* id peccatum ejusmodi esse doceat, cujus caussa pœnituisset Deum, quod creasset homines; id vero de peccato, quod homini natura inesset, quale censeatur esse peccatum originis, nullo modo affirmari posse. Nimis hæc præcipitanter dicta esse demonstrabo: Sic colligunt Sociniani; quia pœnitet Deum creati generis humani, sequitur, voluntaria tantum peccata ab hominibus commissa esse. Immo contrarium potius sequitur. Si Deum pœnitet creasse homines, quorum magna pars infantuli sunt, ut taceam omnes ab initio infantes esse, eamque ob caussam non adultiores tantum & incorrigibiles, sed omnes etiam tenellulos infantes delere decrevit; colligitur, non modo voluntaria peccata, sed ejusmodi malum intelligi, quo & teneri infantuli polluti sunt. Alioqui illi soli essent extirpandi, de quorum emendatione desperatur: puerili, si nihil in ipsis natura est vitii, remotis illis, qui exemplo forte corrumpere possent, conservandi & ad sanctius vitæ genus assuefaciendi erant. Si fuerunt hi infantuli, quales esse debebant ex creatoris mente, h. e. incorrupti, qui potuit Deum pœnitere eorum; hæc enim vox ab humanis ingeniis mutuo accepta, significat factum aliquod improbare, sed absit de constantissimo numine credere, improbare res a se factas, si tales sint, quales fecit. Itaque alios jam factos esse infantulos, quam quales Deus gigni voluerat, oportet. Pone tu principem decrevisse in silvis terrisque suis omne genus lupinum delere; catulos nemo dixerit rapacitatem ullam exercuisse, homines cervosque lacerasse, damni quidquam agrestibus dedisse; cur vero neque his parcitur? nimirum quod constat ingenium in his catulis, qui quidem aliquandiu non multum dissimiles videntur canum catulis, minime esse melius, quam in gran-

grandioribus lupis. Itaque non est, quod neges, principis decreti, quod diximus, rationem esse, non modo damna, quæ lupi passim jam dederunt, sed totius generis lupini truculentum ingenium, quod morale quidem malum dici non potest, sed physicum. Quæ qui, ut par est, expendit, inveniet, decreti divini de humano genere extirpando ob peccatum, non modo eam esse rationem, quod adultiores omnis generis sceleribus se polluissent, sed, quod non melior esset natura & ratio succrescentium. Nostra ergo catholica sententia statim in animum venire debuerat lectori *Geneseos*, si nihil amplius extaret, quam voluisse Deum genus humanum ob peccata delere, non facta solum atrocia, sed & in ipsis infantulis pravitatem naturæ esse debere summam, quæ justissimi Numinis tantam iram concitaverit. Nullius frugis est aliquorum exceptio, si congenita pravitas hominum caussa decreti foret, hoc non demum post annos M D. a condito genere humano fieri debuisse, sed maturius. Nam nemo sanus dicet, Deum tum demum considerare cœpisse, cum hæc, quæ *Genes. VI.* legimus, acciderunt, hominum malitiam; vidit ab æterno omnia, atque ut cetera omnia decreta divina, ita & hoc æternum est, de extirpando, præter unicam *Noachi* domum, genere humano universo. Sed narratio hujus æterni decreti ad id tempus fit, quo executioni mandatur, & quo actu contingunt æternum prævisæ rationes ejus decreti. Vidit ergo Deus semper pravitatem generis humani ab ipso lapsu protoplastorum futuram, vidit eam exitio dignam, non antiquis modo sed & nostris temporibus. Sed decrevit, non, ob solam istam naturæ corruptionem, quamquam posset justissime fieri, delere genus humanum, sed semel, cum subinde per justitiam liceret, universali clade perimere pessimos homines, paucissimis servatis, eo tempore, quo præter communem naturæ pravitatem insignis voluntariorum scelerum cumulus accessisset, quemadmodum nec hodie, dum stabit cœli terræque machina, quamquam mererentur homines,

Psalmum LI. Jo. IX. 34. verba aliqua sunt Judæorum ad cœcum a Christo sanatum, quem calumniati sunt impudica ratione prognatum; sed horum hominum testimonio cur uti volent Sociniani? Nos quidem illorum Judæorum consensum adversariis nostris, quando ita volunt, non invidemus. *Jobi* locus, *cap. XXXI.* 18. quamquam nihil juvat Socinianos, quocunque modo explicetur, non tamen videtur recte & a nostratibus acceptus esse; & durus esset tropus, *Jobum* inde ab utero materno patrem se præbuisse pupillis & ducem viduis. Verba autem ebræa hunc non habent sensum, nisi subinde aliqua subintelligas durissima ratione. *B. Seb. Schmidius* vertit: *Nam a pueritia mea crevit*, hic, *mecum, quasi*, cum, *patre, & ab utero matris meæ duxi illam.* Non sufficit, quod vir doctus fecit, voculam *hic*, quam ad pupillum, nescio cur, refert, item vocem *cum* subintelligere, ante *patre*, cum potius כאב nominativi casus sit, *tanquam pater*; sed præterea non video qua specie גדלני vertatur; *crevit mecum.* Non dubito atu rem tetigisse *Chaldaicum paraphrasten*, cujus hæc est sententia: Deum esse, qui *Jobum* inde a pueris, ut verus pater educarit, & ex utero matris ac deinde clementer duxerit. Est sane aliqua difficultas in duabus vocibus ebræis, *Gedelani & Anchennah*, sed cum utraque vox non amplius legatur, nec in *Jobo* vocalium positio ubique sit grammaticorum opinionibus congrua, non est, quod ea res nos multum moretur. Nihil impedit גדל etiam in *Kal* significare, *magnum facere* seu *educare*, ut נחה in eadem *conjugatione*, non modo in *Hiphil*, *ducere* significat. Porro *anchenna* non difficile est formare e conjugatione Chaldaica *Aphel*, *suffixum* vero ad *matrem* referre, hoc sensu: Deum non modo ipsum *Jobum* a prima pueritia servasse, sed & ipsam matrem ex utero matris suæ eduxisse. Sed hæc obiter. Denique Psalmo *LXXI*, 6. nihil certius, quam laudari beneficia divina, in ipsa ex utero materno extractione cumprimis conspicua.

426. *At Paullus Rom. V. 12. ait: in Adamo omnes peccasse?*

Non habetur eo loco, in Adam omnes peccasse; verum in græco verba sunt ἐφ' ᾧ quæ passim Interpretes reddunt latine, in quo, quæ tamen reddi possunt, per particulas quoniam, aut, quatenus, ut e locis similibus, Rom. VIII. 3. Philipp. III. 12. Ebr. II. 18. 2. Cor. V. 4. videre est. Apparet igitur, neque ex eo loco extrui posse peccatum originis. 1)

Notæ:

1) Siccine credunt Sociniani se eludere posse telum, quo penitus confoditur ipsorum perversa opinio? ἐφ' ᾧ ajunt, neque nos intercedimus, significare interdum, *quoniam*, laudantque pro hac significatione quatuor dicta biblica, ea quidem incuria, ut duo plane non habeant has voculas; nam *Rom. VIII.* 3. & *Ebr. II.* 18. est ἐν ᾧ non ἐφ' ᾧ, sed non vident argumentum nostrum, quocunque se vertant, manere invictum. Nolo huc repetere, quæ paullo ante ex *Augustino* in hunc locum pulcherrime disputata descripsi, relegi tamen a lectore meo velim. Significet, ἐφ' ᾧ, quando ita vult Catechesis, *quoniam*. Itaque moriuntur omnes homines, quoniam omnes homines peccant. Sed & infantes moriuntur, peccant ergo & infantes; quod vero hi habent peccatum, si originale nullum datur? Porro, hoc peccatum, & ejus consequens mors, clarissimis verbis v. 12. & 14. per *Adamum* introductum est. Qui vero hoc factum? exemplo dato peccandi? Quod si & velles de adultis concedere, quamquam dici non potest, cur omnes, ne uno quidem excepto, pra-

vum exemplum sequantur, de infantibus certe, qui, quid sit exemplum, quid imitatio, plane ignorant, dici nullo modo poterit. Quam anxie, sed frustra sudaverit *Faustus Socinus*, ut se hoc laqueo, quo totus constrictus est, expediret, operæ pretium est ex ejus libro de *J. C. Servatore, cap. VIII. p. m.* 410. *sequ.* cognoscere & simul videre, quanta vis sit veritatis victricis. *P.* 412. aliqua huc transferam: „ Certum est autem, eos etiam, qui ante „Christum mortem æternam non subierunt, nisi Dei „gratia servati essent, non minus, quam ceteri, funditus „perituros fuisse, quippe qui & ipsi mortis æternæ rei „forent. Confirmatur hoc ex eo, quod *v.* 18. scriptum „est: *Sicut per unius delictum in omnes homines in con-„demnationem &c.* Neque enim omnes per delictum il-„lud reipsa condemnati fuere, sed rei tantummodo con-„demnationis facti sunt. Ex quo etiam perspicue appa-„ret, quid mortis nomine intelligat toto eo capite *Paullus*. „Id enim, quod alibi mortem appellat, hic condemnatio-„nem vocat; quod etiam fecerat *v.* 16. Quæ autem sit con-„demnatio illa, ex antithesi justificationis vitæ, quæ hoc „*vers.* 18. subjicitur, manifestum est. Justificatio enim illa „vitæ nihil aliud est, nisi absolutio a peccatis per vitam „æternam, quare condemnatio similiter nihil aliud esse „potest quam mortis æternæ reatus. „ Sufficit hic fateri *Socinum*, per delictum *Adami* condemnationem, seu ejus reatum in omnes homines venisse, quod de infantibus, negato peccato originali, nemo intelligere potest. Absonani vero descriptionem vocis *justificatio* propulsabo suo loco. Adjicienda vero hic sunt aliqua de recentiorum cogitatis. Hi postquam commenta *Racovienfium* repetiissent, addunt: „ Loquitur autem omnino de peccato actu-„ali; ut indicant sequentia, cum ait: *Usque ad legem „enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non im-„putatur, non existente lege.* Hæc enim verba ostendunt, „intelligi peccatum a lege prohibitum, quale originale „illud peccatum non est, sed actuale.„ Quis vero do-

cuit

cuit hos homines lege divina prohiberi tantum actualia peccata, neque simul originale peccatum improbari. *Paullus* certe, sana ratione usus, facile agnosset *actualem concupiscentiam* pravorum Deo improbari & peccatum esse, sed quod e Scriptuta & lege Mosaica demum agnovit, ipsam *habitualem cupiditatem* vetitam esse, docet hanc quoque in lege prohiberi, non eo fine, ut sint homines ab ea immunes, sed ut se non esse immunes cum dolore agnoscant; ex lege enim est agnitio peccati, *Rom. III.* 20. *Paulli* dictum *Rom. V.* 13. cum sibi favere putant, produnt se ignorare sensum loci, in quo aliqua obscuritas est vocis ἐλλογεῖται, hic modo & ad *Philemon. v.* 18. obviæ, non lectæ, quantum scio, externis auctoribus; videtur autem significare, *supputare*, sive in *rationes digerere*: ita vult *Paullus*, damnorum, quæ fortasse *Onesimus* dedisset, sibi rationem confici, tum se ea resarturum. Ita & nostro loco Apostoli hanc ajo sententiam esse: mors pervasit totum genus humanum, quoniam in Adamo omnes peccarunt. Cave enim credas, mortem vim demum nactam esse, cum lex de monte *Sinai* recitaretur, grassabatur & ante, verum hoc durat, ut, dum lex promulgaretur, *recensio peccatorum* fieret, quæ nunc secundum decalogum facilius institui potest. Restat, ut tangemus *B. W.* notam, ne cui videatur sapiens esse: Sic ait: „Digna est præ ceteris lectu „*Erasmi* in hunc locum exegesis. Ceterum, etsi altera „lectio retineatur, potest commoda horum verborum „dari interpretatio: Hanc vero *Grotius* nobis suppeditat, „cujus hæc sunt verba: Ἐφ' ᾧ hic est *per quem*; quo„modo ἐπὶ cum *Dativo* sumitur, *Luc. V.* 5. *Act. III.* 16. „1. *Cor. VIII.* 11. *Ebr. IX.* 17. Frequens est metonymia „Ebræis dicere *peccatum* pro *pœna*, & *peccare* pro *pœ„nam subire*; unde & procedente longius figura, per „μετάληψιν חטא sive *peccare* dicuntur, qui malum ali„quod etiam sine culpa ferunt, ut *Genes. XXXI.* 36. & „*Job. VI.* 24. ubi חטא vertitur per ἀναμαρτάνειν.

„*Chrysostomus* hoc loco, ἐκείνου πεσόντος, &c. i. e. *ipso* „*cadente, etiam qui non comederunt de ligno, ex ipso nati*, „*sunt omnes mortales*. Hæc *Grotius*.„ Nihil sani in tota hac observatione est, præter extrema illa e *Chrysostomo* laudata, quæ & *Erasmus* recitat, & ad suam, h.e. Pelagianam sententiam, quamquam se cum *Pelagio* non sentire protestatur, frigidissime & frustra pertrahere conatur. *Grotius* vero hic nulla ratione probari potest. Falsissimum est *peccare* usquam in Scriptura idem esse quod *puniri*, nec poterit locis laudatis *Gen. XXXI.* 36. & *Job. VI.* 24. qui locus falso ex mendo typographico, hic & in *Criticis Anglicanis* allegatur, cum deberet esse *Job. V.* 24. qui locus falso ex mendo typographico, hic & in *Criticis Anglicanis* allegatur, cum deberet esse *Job. V.* 24. demonstrari, & maliem meritissimum nostrum *Glassium* non scripsisse, quæ in *Philol. S. p. m.* 1436. extant; *peccatum* cum Synonymis pro *pœnis peccati* aliquando accipi: Nam loca, ad quæ se recipit, *Genes. XIX.* 15. *Ps. VII.* 17. *Jerem. XIV.* 16. *Zachar. XIV.* 19. hoc utique non probant. Itaque nihil est, quod argumento nostro e *Rom. V.* 12. ducto opponi cum ratione possit.

---

427. *Postquam igitur docuisti, liberum arbitrium originis peccato vitiari non potuisse; expone porro, quam longe vis ipsa liberi arbitrii pateat?*

Communiter in hominibus natura exiguæ admodum sunt vires, ad ea, quæ Deus ab illis requirit, perficiendum: at voluntas ad ea perficiendum omnibus adest natura. 1) Nihilominus tamen eæ vires non ita prorsus exiguæ sunt, ut homo, si vim sibi facere

cere velit, divino auxilio accedente non possit voluntati divinæ obsecundare. Auxilium vero suum nemini Deus prorsus denegat ex iis, quibus voluntatem suam patefecit: alioquin Deus nec castigare, neque punire juste contumaces posset, quod tamen utrumque facit. 2)

Notæ:

1) Exiguas esse vires ad perficiendum, quæ Deus præcepit, largitur Catechesis. Quod quamquam non sufficit, nam demonstrari e Scriptura potest, in rebus spiritualibus *nullas* esse: tamen lubet, hoc tantisper posito, quærere, unde hæc virium exiguitas, si plane nullum sit peccatum originis? In ceteris animantibus vires sufficiunt ad ea subeunda munia, ad quæ a creatore communi destinata sunt. Cervis pedum, aquilis alarum, velocitas pernicitasque tanta est ordinarie, quantam cursus volatusque postulat. At, cui rei debetur ista, quam ponimus, infirmitas in homine? Si habet homo adhuc talem naturam, qualem Deus ab initio condidit, neque tamen eas vires, quibus posset officia, ad quæ se se videt conditum, præstare, reperit: fieri non potest, quin concedas alterutrum, vel, non potuisse Deum, ministeriis, quæ ab homine postulaturus erat, eum aptum condere, vel noluisse; quorum hoc a bonitate & justitia divina, (postulare enim non posset jure, cujus præstandi facultatem homini negavit;) alterum ab omnipotentia, utrumque a majestate Dei ita alienum est, ut nihil possit magis esse. Liquet ergo, si habuit homo, qualis est conditus, facultatem suo munere fungendi, *integram & sufficientem*, hodie vero nonnisi *fractam* habet *& debilitatam*, quod cum Catechesi tantisper dicimus, perditus & corruptus est, hoc est, pec-

cato originali infectus, ut adeo, quamquam non tanta vis mali originalis sequatur ex his concessis, quantam nos cum Scriptura Sacra tuemur esse, necessario tamen fatenda sit satis magna & horrenda, neque decuit summa protervia penitus negare mali hujus existentiam. *Voluntatem* vero bene faciendi in homine natura esse (nam quod *communiter* vires esse exiguas, voce hac pro *plerumque* accepta, esse perhibent, eoque aliquibus, licet paucis, *non exiguas* inesse, intelligi volunt, transeo,) *voluntatem* illam, inquam, & studium perficiendi, unde colligent in homine esse hodie natura? *Paullus* certe *Philipp. II.* 13. cum ait: *Deus est, qui operatur in vobis, ut & velitis & perficiatis*, eoque loco, ut omnes arbitrantur, de salutis æternæ negotio agit; ut ego fatendum censeo, de *negotio restaurandæ & conservandæ quietis in ecclesia*: non ponit in ipsis hominibus natura esse voluntatem sancte vivendi; nam si esset, haud opus esset eam a Deo demum effici. Nulla vero ratione cum isto celebratissimo dicto, *Rom. III.* 12. *πάντες ἐξέκλιναν*, & *v.* 18. *οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν*, superba hæc opinio Socinianorum comparari poterit. Neque vero sufficit, in plerisque non plane in sensum reprobum traditis, & scelerata consuetudine peccandi atrociter pessundatis, civilis honestatis aliquod studium superesse, sine quo respublica nulla & ne domestica quidem familiaritas consistere posset. Hanc *Paullus* asserit hominibus, quales hodie nascuntur, *Rom. II.* 14. sed & ipsam raram esse, *cap. I. v.* 19. *sequ.* abunde docet. Hoc potissimum requiritur, ut homo habeat sincerum studium Deum colendi legibusque obsequendi in omnibus. Quod qui in homine naturali, in cujus membris lex est contraria legi divinæ, *Rom. VII.* 23. quærit, egregie fallitur. Nam, cum desit cognitio Dei, quæ certissime deest teste Apostolo, *Ephes. IV.* 17. 18. quo loco non de aliquorum, sed omnium extra ecclesiam cœcitate graviter agit: qui poterit esse studium Deum vere colendi? Et ubi in carne cupiditates dominantur legi

divinæ

divinæ certissime contrariæ, quo jure dicemus voluntatem esse ab natura in homine sancte vivendi, cum sit summa propensio in contrariam partem, & ad saniorem, non vero amore virtutis, sed vel formidine pœnæ, vel certe laudis cupidine, animus trahatur? Vacillat nimis manifeste Catechesis, cum negat *ita exiguas esse vires, ut homo, si vim sibi facere velit, divino auxilio accedente, non possit divinæ voluntati obsecundare.* Quid hoc rei est, *vim sibi facere?* Estne in eo voluntas perficiendi, quæ Deus jubet, quam modo homini natura inesse Catechesis asseruerat, cui necesse est vim adhiberi? Egregia vero voluntas, quam & posse malefico inesse dixeris moriendi in furca; nam si fiat ipsi vis & rapiatur ad supplicium, moritur sane. Verum, dices, non vim aliunde afferendam intelligit Catechesis, sed, quam sibi faciat homo ipse. Ego vero neque hoc capio, qui possit homo sibi vim facere, ut velit aliquid, quod tamen non vult; nam id, quod videt aliqua flagitia, ad quæ pronus natura est, turpia & damnosa esse, non facit studium virtutis, sed coactam abstinentiam a flagitio. Neque, si fieri posset, ut aliquis sibi vim inferat, hoc facturum arbitror, hominem non regenitum; quod enim Christiani crucifigunt carnem cum cupiditatibus, tribuendum est Spiritui Sancto, qui eos agit. Alibi ipse *Socinus* agnoscit pronitatem hominis ad malum, e. g. *Tractat. de Justificat.* p. 15. „His, quæ ha„ctenus exposuimus, per convenientes aptasque interro„gationes & responsiones, explicatis, possunt commode „testimonia proferri, de natura nostra ad peccandum pro„clivi, & de peccato, quod in nobis ante Dei patefactam „misericordiam, nosque justificandi rationem dominatur. Idem tamen paullo post, p. 21. *Christophorum* suum sic respondere jubet: „Commentum illud de peccato ori„ginis, seu parentum culpa, fabula judaica est, ut videre „poteris, *Jerem.* XXXI. 29. *Ezech.* XVIII. 2. 3. *Jo.* „IX. 34. ab Antichristo autem est in ecclesiam introdu„ctum, ad stabiliendum perniciosa dogmata, nempe Dei

„incarnationem, infantum baptismum, maxime autem „propterea, ut homines in perpetuis detineret peccatis. Quibus horrendis calumniis nolo hic respondere quidquam præter illa *Joannis* 1. *Ep. I.* 8. 10. *Si dicamus nos peccatum nullum habere, erramus, neque est veritas in nobis.*

2) Quæ de auxilio divino perhibet Catechesis, vera partim sunt, sed ea parte nostræ caussæ nihil nocentia, partim falsissima. Falsum est, si ponas, hominem adhuc, ut creati sunt primi parentes, integrum & incorruptum, debere Deum ipsi auxilium, atque ita quidem debere, ut alioqui non posset contumaces punire. Nam, si condidit hominem integrum, viribusque ad recte agendum sufficientibus instruxit, quid opus est, lato auxilio, novas vires addere? Ceterum, si auxilium divinum ita interpreteris, quod nonnulli faciunt, ut intelligamus Deum non addidisse aliquid virium homini per se jam aliquantum valenti, sed dedisse secundum gratiæ ordinem vires, quas adhuc habuisset nullas, deinde datas auxisse, largimur Deum, auxilium suum ita intellectum, nemini eorum, quibus voluntatem suam patefecit (patefacit autem omnibus, etsi non eodem modo,) denegare. Hoc ipso autem tantum abest, ut negandum sit peccatum originis, ut potius fortissime evincatur, inesse illud homini, sed hac de re plura sequuntur illico.

---

428. Quodnam est auxilium istud divinum?

Auxilium divinum istud duplex est, interius & exterius.

429. Quod vero exterius est?

Sunt promissa & minæ, quorum tamen promissa vim habent longe majorem. Unde etiam quod sint sub novo fœdere longe præ-

stan-

ſtantiora promiſſa, quam ſub vetere fuerint, 1) facilius eſt ſub novo, quam ſub vetere fœdere voluntatem Dei facere.

430. Quod autem interius?

Id nimirum, cum Deus in cordibus eorum, qui ipſi obediunt, quod promiſit, obſignat. 2)

Notæ:

1) Supra contradiximus Catecheſi, cum itidem perhiberet, præſtantiora eſſe promiſſa noſtris temporibus, quam Patriarcharum. Præſtantiora ſunt utique promiſſa fœderis gratiæ, quam diſpoſitionis Moſaicæ, & legis Leviticæ, quod & *Epiſtola ad Ebræos* teſtatur, ſed fœdus illud idem omni tempore fuiſſe, multis verbis evictum dedimus.

2) Auxiliorum divinorum hem quam levis & inanis deſcriptio! Tenebrarum expulſio ex animo & accenſio luminis, cordis inflexio ad amandum Deum, res ſunt in homine neceſſariæ, ſed poteruntne in homine ipſius hominis viribus effici? Ita oportet videri Socinianis, quoniam non niſi obſignationis faciunt mentionem, neque tamen, quid ea intelligi velint, explicant. Eſt ea obſignatio magnus gradus fiduciæ in Chriſti Deique promiſſionibus poſitæ, quam Spiritus S. verbi ſui & Sacramentorum uſu in homine credente producit. Vid. 2. *Cor. I.* 22. *Epheſ. I.* 13. *IV.* 30.

431. Si liberum ſit arbitrium, uti doces, cur igitur tot ſunt, qui illud oppugnant?

Faciunt idcirco, quod certa Scripturæ

testimonia se habere opinentur, quibus efficere se posse confidunt, nullum esse liberum arbitrium.

432. Quæ vero sunt ea testimonia?

Duplicis generis sunt. Alia quidem, ex quibus id efficere se posse sibi persuadent; alia vero, quibus expresse tolli liberum arbitrium putant.

433. Quæ vero sunt, e quibus id efficere conantur?

Ea omnia, quæ de prædestinatione Dei agunt?

434. Quænam eorum est de prædestinatione Dei sententia?

Ea, quod Deus ab æterno certos quosdam nominatim homines, ex omni hominum, quotquot unquam futuri essent, genere, sententia irrevocabili & immutabili prorsus ad salutem elegerit & designaverit, alios vero omnes æternæ damnationi subjecerit; non eo, quod horum contumaciam, illorum vero obedientiam prospexerit, verum eo, quod illi ita placuerit, & decretum ipsius de utrisque prorsus immutabile sit. 1)

Notæ:

1) Præclare norant, nostratium non esse eandem de prædestinatione sententiam, quæ est Theologorum de

Calvini

Calvini schola. Hinc *Osterodus*, Unterrichtung, *cap.* *XXXV. p.* 285. Dieser nicht allein wahrhafften, sondern auch in heiliger Scrifft mit viel unzehligen Zeugniss bewährten Meinung von des Menschen freyen Willen opponiren oder setzen etliche Theologi, sonderlich die Calvinisten, entgegen die Prædestination und Göttliche Versehung &c. Itaque decuisset maxime hunc *Osterodum* & *Smalcium* reliquosque, qui in Lutheranorum discipulis aliquandiu fuerant, horum doctrinam a placitis reliquorum probe disjungere. Itaque nos, cum tot libris protestati simus, improbare nos *Calvini* dogma de prædestinatione absoluta, potius ex prævisione fidei decretum prædestinationis, ex prævisione incredulitatis, decretum reprobationis, ab æterno factum: jubemus Ecclesiæ Reformatæ Theologos his cum Socinianis transigere, & favemus depulsuris horum tela, veriti quidem, ut id fieri facile possit. Ceterum ipsam prædestinationem eamque nominatim factam ab æterno (nam singulorum nomina libro vitæ inscripta testatur Scriptura,) porro decreta divina esse omnis mutationis expertia, constantissime tuemur. Neque vero necesse est, ut obtineamus liberum arbitrium in spiritualibus post lapsum nullum esse, ideo decretum de hominibus salvandis damnandisve *absolutum* fingere; Scriptura enim nos docet, quamquam sint homines naturalibus viribus Deo placendi destituti, Christum tamen invenisse redemtionem, & Spiritum Sanctum velle sufficientia media gratiæ, illisque utendi vires, hominibus concedere, quas homines vel repudiare possint, vel, non sua quidem virtute, sed Spiritus Sancti gratia præventi, admittere ac retinere. Quorum utrumque cum prævidérit ab æterno Numen omniscium atque adeo decretum vel salvandi vel damnandi fecerit, in concussa manet utraque nostra sanctissima doctrina de decreto æterno prædestinationis & defectu omnium virium spiritual.

435. *Quid vero tu de ea re censes?*

Ea de prædestinatione Dei sententia prorsus fallax est, id vero duas ob caussas potissimum: quarum una est, quod totam religionem corruere esset necesse: altera, quod Deo multa inconvenientia attribui oporteret.

436. *Cedo, qui hac sententia admissa religio prorsus corrueret?*

Id inde perspicuum est, quod omnia ad pietatem & religionem spectantia, necessario nobis inessent: quo admisso, quid juvaret anniti, & laborare, ut pii essemus? Omnis enim conatus & studium illic prorsus superfluum est, ubi omnia fiunt necessario, ut ipsa ratio docet. At, ex ipsa pietate & religione conatu & studio sublato, pietatem & religionem interire oporteret. 1)

Notæ:

1) Respondeant, quorum interest. Equidem vereor, ne nimis vera sint, quæ hic disputant non semper fallaces Sociniani. Modo hoc observetur, vocem *necessario* proprie accipi, non, quod *b. Lutherus* aliique fecerunt, pro *certo*. Hoc enim si fiat, nulla consecutio est, & potest *certo*, positaque hujus certi prævisione, *necessario* futura esse, v. g. pietas *Abrahami* fidesque minime excluso studio & conatu hujus viri, immo, nisi futura fuisset illa pietas & fides, nec potuisset prævideri.

437. *Cedo etiam, quæ Deo inconvenientia attribuerentur, si hæc sententia admitteretur?*

Ea sunt quatuor numero: Primum injustitia. Etenim id nimis injustum esset, punire aliquem, propterea, quod non fecerit, quod facere nullo modo potuit. At, cum Deus impios & verbo suo refractarios punit, quid facit aliud, quam eos punit, qui non faciunt, quod facere non possunt? Nam siquidem adversariorum sententia vera est, eos propter immutabile prorsus Dei decretum, ne pios quidem & obtemperantes Deo esse posse, ulla ratione, nimis perspicuum est. Secundum inconveniens esset hypocrisis cum deceptione conjuncta. Etenim Deus decreto suo magna, immo maxima eorum parte, quibus Evangelium annunciatur, a salute exclusa, omnibus nihilominus in illa Evangelii prædicatione salutem offert. Et ita aliud agit, aliud simulat, quod proprie hypocritarum est & eorum, qui dolo malo agunt: &, quod pejus est, facit illud in re tali, qua alium maximopere circumveniri perspicuum est. Tertium inconveniens foret summa imprudentia. Etenim videretur Deus ejus rei suscipere curam, quam certo novit non posse perfici. Quid vero ineptius, & quæ levitas major, quam id curare & præ se ferre, quod id summo studio perficere coneris, quod tibi certo con-

constet, fieri nulla posse ratione, & ita ludibrio te ipsum exponere. Quartum est pravitas, quod Deus ipse peccati auctor constitueretur. Etenim, cum damnationem peccata præcedere prorsus oporteat, certe, qui decrevit aliquem necessario damnare, idem, ut is peccet, necessario statuit. 1)

Notæ:

1) Pleraque & hic Reformatæ Ecclesiæ Theologis; defendenda, si possint, relinquimus; & conatus sane est *Nicolaus Arnoldus*, in suo hujus Catecheseos examine, quod inscripsit *Religio Sociniana*, *Franequeræ an.* 1654. edito. An felix fuerit in hac caussa, judicare lector poterit ex his paucis, quæ excerpam. *P.* 620. sic ait *Arnoldus:* ,,Saltem iis omnibus, quibus Evangelium annunciatur, ,,salus a Deo decreta est, dices. Nec hoc. Quia Evan-,,gelium prædicatum est simile reti, quo boni & mali ,,pisces capiuntur. Hinc Ecclesia areæ comparatur, in ,,qua præter triticum purum paleæ quoque abunde est. ,,Nec Evangelium omnibus, quibus prædicatur, fine salu-,,tis prædicatur. Quia iis, quibus Christus prædicatur, ,,ut *offendiculum*, ut stultitia, 1. *Cor. I.* 23. iis non prædi-,,catur, ut salventur; *impingunt enim ad sermonem, ad* ,,*quod etiam constituti erant.* 1. *Petr. II.* 28. Nec omni-,,bus, quibus prædicantur mysteria salutis, datur eorum ,,intelligere. *Vobis enim datum est*, inquit Salvator, di-,,scriminative scilicet ad alios, qui ejusdem concionis fue-,,rant auditores. *Matth. XIII.* 11. At ais: *ergo Deus hy-*,,*pocrita, ergo simulator.* Grande crimen! sed sententiæ ,,orthodoxæ injuria plane a calumniante Spiritu impa-,,ctum. Probandum autem primo fuisset, de Deo alicubi ,,in Scriptura doceri, voluisse verbum suum prædicari eo fine,

„fine, ut omnes, quotquot illud audirent, salvi fierent, „quod in æternum nemo adversariorum probabit. „ Idem p. 621. „ Ergo falsum est, quod dicit Catecheres: „*Deum omnibus prædicatione Evangelii salutem offerre*. „Prædicationem Evangelii offert, sed non salutis fine. „ Paullo post: „ At ais, quis ergo finis prædicati Evange„lii ratione eorum, qui damnantur? Dico, ut fiant inex„cusabiles, & ut convincantur tantæ salutis culpa sua ne„glectæ. Hinc nulla hypocrisis in Deo vocante; vocat „enim Deus omnes, quos vocat, serio, etsi non omnes, „quos serio vocat, fine salvationis vocet. „ Quam facile hæc refelli possint, & quam nullo negotio contrarium ostendi queat, docui alias: Nunc monendum, in Socinianis aliqua tamen, quæ hic dixerunt, contra dogma nobis cum Reformatis commune, non esse intacta prætermittenda. Cum grano salis accipienda hæc sunt in Catechesi: *Injustum esset punire aliquem propterea, quod non fecerit, quæ facere nullo modo potuit*. Imputatur & defectus facultatis faciendi justissime, si sua culpa eam amisit homo. Ita, qui grandi ære alieno se obstrinxit, quod dissolvi ab eo non posse palam est, merito punitur, ob id, quod non solvat, cum ponamus ipsius culpa factum, ut viribus solvendi nunc careat. Genus humanum, quod in *Adamo*, teste Scriptura, velint nolint Sociniani fateri, peccavit, exciditque adeo gloria Dei, h. e. ea dignitate, qua coram Deo fulgere debuerat, consideratur instar ejusmodi debitoris maligni. Huic imputatur defectus virium, &, quod præstare hodie nequit, sed debebat præstare posse, merito ab ipso exigitur. Verum hæc ipsa est culpa originalis, ad quam demonstrandam nolim denuo revolvi, postquam dixi, quæ satis sunt. Ratio nostra sapere debet e Scriptura, & cum hoc possit in se reperire, prona omnia esse ad peccandum, eamque ad malum pronitatem nec posse a Deo esse, nec eidem sanctissimo Numini placere, superest, ut ejus mali, quod palpat & videt, originem aliunde discat, id quod fit in Scriptura, quæ non eam modo, sed &

ejusdem mali longe majorem atrocitatem, quam ratio per se viderat, exponit. Deinde, quod *Levitatis* arguit Catechesis, ejus rei curam suscipere, quæ non possit perfici, si de *impossibilitate absoluta* intelligas, nihil est, quod contra dicam. At, si de hypothetica, non usque quaque verum est; possunt enim, etiamsi scias, rem non iri perfectum, obstantibus, vel certo obstituris aliquibus contrariis rationibus, nihilominus ea fieri, quæ ad perficiendam rem opus sunt. Id quod, cum videam, ad hunc lapidem multos impingere, uberius paullo explicandum est. Pone judicem, qui vel tulit, vel a majoribus accepit legem, qua cautum est, ne cujus rei bona publicari possent, neve in aliquem sententia dici, nisi post trinundinum, sive citationes ternas; hunc igitur pone præclare scire non venturum reum, vel centies citatum, immo fac scire, mortuum esse illum reum, tamen, nisi publice constet, quod ipse privatim novit, vel authentico aliquo testimonio demonstrari palam possit, citatio ex legis formula instituenda est, ne quis posset legi non esse satisfactum conqueri, vel, præcipiti affectu ad dicendam sententiam properatum esse suspicari. Idem agit Deus, cui pro omniscientia sua non poterat unquam ignotum esse, fore aliquando, ut *Judas* prodere vellet Christum, & spretis omnibus monitis Christi, re ipsa proderet periretque; hunc tamen suo tempore monuit Christus, iisque monitis potuisset homo infelicissimus obsecundare; nam seria & efficacia fuere monita, potuisset non perire, etiamsi certo futurum erat, quod nunc factum est, ut nempe periret, ut vocationi ad salutem non auscultaret. Sic, quis neget Deo, sine cujus numine ne passerculus quidem in terram concidit, quique pilos omnes in numerato habet, notissima esse omnia, quæ herbis arboribusque accidant & futura sint? Harum multis, quas novit succisum iri, antequam fructus possint maturescere, flores tamen concedit, nempe, ne semel positæ sanctissimæ leges motus dici possent sublatæ esse. Ita & hominibus, utut præscoverit, non esse credituros, vel

abjecturos fidem, serio tamen verbum Evangelii curat nunciari, serio vocari omnes; nam, nisi vellet venire ad salutem, non potuissent ob repudiatum Evangelium, quod ad ipsos non pertinuisset, damnari.

---

438. Qui vero istam suam de prædestinatione sententiam tuentur?

Conantur eam adstruere quibusdam testimoniis Scripturæ, in quibus illud est præcipuum, ubi Apostolus ait: Scimus, quod illis, qui Deum amant, omnia cooperentur in bonum, qui secundum propositum vocati sunt; etenim quos præscivit & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Rom. VIII. 28. 29. 30.

439. Quid vero ad id testimonium respondendum est?

Ut id testimonium & similia in Scripturis intelligere possis, primum declarandum tibi est, quid prædestinatio, electio, & vocatio in Scripturis notet.

440. Id mihi exponi velim?

Prædestinatio Dei in Scripturis aliud nihil notat, quam Dei ante conditum mundum de hominibus decretum ejusmodi, quod iis,

qui in ipsum crederent eique obedirent, daturus esset vitam æternam: eos vero, qui in eum credere, & ei parere recusarent, æterna damnatione puniturus esset. Quod hinc apparet, quod Christus, divinæ voluntatis perfectus interpres ita hoc Dei consilium atque decretum nobis exposuerit, eum, qui in ipsum crederet, vitam æternam certo habiturum esse: qui vero non crederet, eum certo condemnatum iri.

441. De electione vero quid ais?

Electio, cum de salute nostra agitur, duplicem significationem in Scripturis habet: Etenim interdum ii, qui assentiuntur prædicato Evangelio, dicuntur a Deo electi, interdum vero etiam ii, qui non solum Evangelio assentiuntur, verum etiam ex ipsius præscripto vitam instituunt, electi vocantur. Prioris significationis exemplum habes, I. Cor. I. 26. 27. Videtis vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed elegit Deus stulta mundi hujus, ut pudefaceret sapientes. Et infirma mundi elegit Deus, ut pudefaceret fortia. Ubi electio & vocatio pro eodem sumuntur. Alterius exemplum habes, Matth. XXII. 14. ubi Christus ait: multos vocatos, paucos vero esse electos. Utriusque vero exemplum ha-

bes

bes in illis Apostoli Petri verbis: 2. Petr. I. 10. 11. Studete, ut firmam vocationem & electionem vestram reddatis per opera bona; ut quædam habent exemplaria. 1)

Notæ:

1) Quæ hic φιλολογεῖ Catechesis de voce *electionis*, vellem luculentioribus exemplis adstruxisset. Dum id fiat, licebit duplicem, quem perhibet, sensum vocis hujus non credere. Ex 1. *Cor. I.* 26. 27. non hoc colligimus, vocationem & electionem esse idem, neque eos, qui assentiuntur Evangelio, esse statim electos omnes; sed, *Corinthios*, in sua vocatione, h. e. Evangelio apud se prædicato, observare potuisse, non amplexos esse plerosque in dignitate aliqua & auctoritate constitutos Evangelium: contra in multis tenuioris fortunæ, Deum electionis suæ ad salutem signa luculenta edidisse, cum in iis esset operatus fidem insignem & efficacem. *Matth. XXII.* 14. non video, cur ἐκλεκτοὶ non sint divino decreto prædestinationis, quale paullo superius exposuimus, ad salutem electi? hi utique ex præscripto Christi vitam instituunt, sed non videntur hinc nomen accepisse. Multo minus intelligo, cur visum sit Catechesi, duplicem, quem venditat, vocis hujus significatum simul quærere, 2. *Petr. I.* 10. 11. *Electio* enim semel tantum ibi legitur & a vocatione distinguitur. Eam *electionem* certam *nobis* facere possumus, (nam quantum ad decretum divinum pertinet, homines frustra monerentur id certum facere,) usu mediorum salutis pio atque crebro, non exclusis *operibus bonis*, quæ, ut fructus fidei, de inhabitante nos Sancto Spiritu testimonium præbere possunt, quamquam hæc lectio vulgati codicis aliorumque, reliquis melioribus refellitur. Ceterum ad illustrandum nostrum locum egre-

gie faciet, 2. Cor. I. 21. 22. Hæc & ad ſequentem quæſtionem ſufficiant!

---

442. At de vocatione quid ais?

Vocatio, cum ad ſalutem noſtram refertur, eadem ſignificata habet in Scripturis, quæ & electio, ut e locis citatis apparet.

443. Qua ratione vero ad illud teſtimonium reſpondes?

Ad eum modum, quod hoc teſtimonium ad prædeſtinationem adverſæ partis adſtruendam nihil prorſus faciat. Si quidem pars adverſa prædeſtinationem ſine ulla prorſus bonorum operum ratione conſtituit. At Paullus hic de ejusmodi Dei prædeſtinatione loquitur, quæ ejusmodi hominum rationem habet, qui Deum diligunt: Et demonſtrat ejusmodi hominibus afflictiones nihil obeſſe, verum etiam ad bonum opitulari. De his vero ait, eos vocatos eſſe ſecundum propoſitum, ut demonſtret eos demum ſecundum propoſitum Dei Evangelio crediſſe, & ad ſalutem prædeſtinatos eſſe, qui Deum diligant. Id vero in poteſtate hominis ſitum eſſe, ſuperius expoſitum eſt. 1)

Notæ:

1) Credimus nos quoque locum Apoſtoli ad prædeſtinationem, qualem ſibi Reformati concipiunt, factam demon-

demonstrandam, nihil prorsus facere; itaque cum Socinianis nihil hic disputandum, nisi quod contradici oportet opinioni, in prædestinatione respectum esse ad *bona opera* hominum; nam etsi & ea vidit Deus in piis atque ab piis futura, electi tamen sumus in Christo, h. e. intuitu solius meriti Christi, præcluso omni respectu ad bona opera nostra, *Ephes. I.* 11. Neque minus contradicendum denuo est frivolæ assertioni, in hominis potestate esse diligere Deum, cum excitatio hujus amoris maxime divinum opus sit, & humana natura sine Spiritu Sancto ab amando Deo maxime aliena.

---

444. Hunc igitur locum mihi explicari velim?

Simplex ejus loci sententia hæc est: Apostolum docere, iis hominibus, qui Deum diligunt, & Evangelio Christi crediderunt, omnes afflictiones in bonum cooperari; quod Apostolus ea ratione demonstrare nititur, quod ad ea omnia præfiniti sint, quæ Dominum ipsum perferre oportuit. Quemadmodum vero illa aditum ad immortalitatem Christo intercludere non potuerunt, ita nec eis illa eadem posse. Quod cum demonstrasset Apostolus, gradus quosdam describit, quibus immortalitatem homines consequuntur, explicans Deum, quod prædestinavit, ut essent conformes in afflictionibus & immortalitate Filio ipsius, hos per prædicationem Evangelii ad credentium Ecclesiam aggregare, deinde ab omnibus peccatis liberatos justificare, denique via quadam perfecti-

 ore

ore ad immortalitatem & vitam æternam præſcire. 1)

Notæ:

1) Ultima hæc: *Via quadam perfectiore ad immortalitatem & vitam æternam præſcire*, quid ſignificent, fateor me non poſſe capere; nec *Smalcii* germanica intelligo: Durch eine vollkommene Weiſe, zur Unſterblichkeit und zum ewigen Leben verſehen hat. Recentiores Sociniani viderunt obſcuritatem & hæc repoſuerunt: *Denique ad immortalitatem & vitam æternam perducere.*

445. *Quæ vero ſunt teſtimonia, quibus illi expreſſe liberum arbitrium opiniantur tolli?*

Ea ſpectant vel ad omnes, vel ad certas quaſdam perſonas.

446. *Quæ vero ſunt, quæ ad omnes ſpectant?*

Sunt inter alia hæc: Rom. IX. 16. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Et, ubi JEſus ait: Jo. VI. 44. Nemo venit ad me, niſi eum traxerit, qui miſit me, Pater. Et, quod Lucas ait: Act. XIII. 48. Crediderunt, quotquot ordinati fuerunt, ad vitam æternam.

447. *Quid ad primum locum respondes?*

Non agit eo loco Apoſtolus de voluntate atque conatu præceptis Dei obediendi, cum id Scripturis omnibus repugnet, quæ vix aliquid crebrius inculcant, quam ſtudium ſecun-

ſecundum præcepta Dei vivendi. Verum agit de voluntate & conatu ejusmodi, quo Deum præveniamus, & moveamus, ut nobis ſua beneficia proponat atque offerat, quod ita eſſe, ex ipſa theſi Apoſtolica apparet, quæ ejusmodi eſt: Non omnes, qui ſecundum carnem ex Abrahamo nati ſunt, vere ipſius eſſe filios, & ad illas promiſſiones, quibus Abrahæ poſteritati felicitas æterna eſt promiſſa, pertinere, verum eos duntaxat filios Abrahæ eſſe, quibus Deo placuit illam gratiam donare, nulla nativitatis, quæ ſecundum carnem eſt, habita ratione: ii vero ſunt, qui in Deum per Chriſtum crediderunt, (quibuscunque tandem parentibus orti ſunt,) atque hac ratione filii Abrahami ſpirituales facti ſunt. Unde non oportere jam ſalutem & juſtitiam ex lege a Moſe data petere, quæ quondam Abrahæ & Iſraëlis ſecundum carnem filiis a Deo tradita fuit, ſed per fidem JEſu Chriſti, quæ deinde ab ipſo eodem Deo Abrahæ & Iſraëlis ſpiritualibus filiis in ſempiternum propoſita fuit. Atque hæc eſt genuina hujus loci ſententia. Quamobrem, quemadmodum nos libenter ei rei accedimus, neminem eſſe hominem, qui voluntate & curſu ſuo hoc obtinere potuerit vel poſſit, ut Deum ad conferendum beneficium aliquod in illum moverit. Ita viciſſim, poſt-

quam Deus gratiam suam obtulit, hominem vel gratiam oblatam excipere & amplecti, aut ex præscripto divinæ voluntatis vitam instituere non posse, pro pernicioso errore ducimus. 1)

Notæ:

1) Infeliciter, ut plerumque Catechesis in explicando *Rom. IX.* 16. versatur, & magno conatu nihil agit. Fatetur, neminem posse suo conatu Deum prævenire & movere, ut beneficia sibi tribuat. Bene; itaque hoc jam ponamus, in hominis viribus non esse, movere Deum aliquo conatu, ut ipsis benefaciat. Porro quæritur, qualia beneficia hic intelligantur? Fatetur & hic *spiritualia* beneficia intelligenda esse, potissimum egregium illud, quo fit, ut spirituales filii *Abrahami* simus. Quod nisi contingat, salutis æternæ nulla spes est. Itaque & hoc ponere licebit: In homine nullas esse vires, quibus id agat, ut membrum ecclesiæ & heres æternæ salutis esse possit. Ubi vero liberum arbitrium, quod jactat Catechesis? Nam, si conatus mei, quantumcunque sint anxii, huc nihil conferunt, ut Filius Dei æternumque beatus fiam, in toto negotio salutis nihil feci, adeoque liberum arbitrium seu facultatem faciendi quidquam in sphæra rerum spiritualium, nullam possideo. Quæ cum sint manifestæ veritatis, ipsos puto Socinianos visuros fuisse, ni animus jam aliorsum fuisset raptus. Quod sub finem monet Catechesis, perniciosum errorem esse, si negetur, postquam Deus gratiam suam obtulit, hominem gratiam vel oblatam excipere & amplecti posse, hactenus concedo, si mens hæc sit: Spiritus Sancti prævenientis hominem viribus excitatum hominem posse uti gratia; nam in se certe & sibi relictus, ne admittendi quidem gratiam facultatem habet, ut manus hominis mortui non modo stipem sibi porre-

porrectam mereri nulla ratione potest, sed ne accipere quidem, nisi vires aliquæ se movendi antea sint inditæ, dum plenus vigor, ut cum viveret valeretque, fuit, restituatur. Hæc sufficere poterant, si hoc tantum agerem, ut Catechesis retunderetur. Sed in lectoris gratiam ostendam sensum hujus loci cum in *Exodo*, *cap.* XXXIII. 19. tum *Rom.* IX. 15. In *Mose* non necesse est laborare de eruendo vero sensu Acceperat benignissimum responsum Supremi Numinis, fore propediem, ut apparitione plane singulari bearetur, esse enim se clementem, cui sit clemens, & misereri ejus, cujus sit misertus, h. e. quem adhuc ornasset egregiis beneficiis, eundem se ornaturum & in posterum pluribus & amplioribus. At non idem videtur sensus eorundem verborum esse in Epist. ad *Rom.* IX. quo capite cum præcedentibus sequentibusque commatibus strenue contendatur, Deum agere absolute pro lubitu, hinc *Esavum* rejectum esse, quamvis nihil fecisset mali, *Jacobum* contra nullo suo merito electum, *Pharaonem* vero ea fini excitatum, ut interiret, ejusque interitu illustraretur gloria divina. Facile videbit attentus lector, nostra etiam verba eo animo laudata esse, ut intelligeretur, Deum & misereri solere aliquorum & damnare aliquos, prout ipsi venerit in mentem. Hinc *v.* 16. colligitur, neminem conando & currendo quidquam juvari, sed omnia in eo posita esse, si Deus velit alicujus misereri. Quoniam vero Apostolus θεόπνευστος non potest alio sensu dictum Scripturæ laudare, quam quo illo loco accipiendum fuerat, & hic ipse sensus, quem modo observavi hujus dicti esse in *Epistola ad Roman.* alienus est a tota Scriptura, cui nihil magis adversum est, quam perniciosum dogma de *absoluto decreto*: restat, ut dicamus, Pseudapostoli sive Judæi quiritantis de rejecto populo Judaico, & Deum tyrannidis accusantis hæc verba esse, certe mentem ejus exprimentia, id quod maxime e *v.* 17. quo præter mentem *Mosis* & contra antiquam Græcorum versionem ipsamque veritatem ebraicam verba aliqua recitantur, in *respon-*

in *responsione ad Steph. Viti Apologiam*, copiosius explicavi.

---

448. Quid porro ad secundum respondes?

Et ea trahendi ratio non tollit liberum arbitrium: Nec enim fit ea ratione, ut vis a Deo fiat hominibus; verum promissionum suarum Deus & præstantia & firmitudine ostensa, homines ad Filium suum trahit. Quod vero ea trahendi ratio non vi fiat, primum ex his, quæ Christus ibidem v. 45. subjecit, apparet, ubi rationem istam trahendi explicat: Et erunt omnes docti a Deo; qui itaque a Patre audivit & didicit, is venit ad me. Ubi manifestum est, a Patre trahi nihil aliud esse, quam a Patre audire & doceri. Id vero, qui fiat, ex verbis Christi paullo inferius expressis planum est: v. 46. non, quod quisquam Deum viderit, nisi is, qui a Deo est, is vidit Patrem. Deinde hinc etiam perspicuum est, quod ea trahendi ratio ad omnes pertinet, ad quos Evangelium pervenit, ut ex illo loco colligere promtum est, ubi JEsus ait: Jo. XII. 32. Ego, cum exaltatus fuero de terra, omnes traham ad me ipsum. 1)

Nota:

1) Quantum ad *Calvini* & sequacium dogma attinet,

net, qui *gratiam irresistibilem* docent, ipsorum esto respondere, utinam Sociniani nusquam infelicius disputarent, quam hic, cum tractione Patris homini vim fieri negant. Verum, quamquam in eo omnium Evangelicorum consensum facile obtinent, non tamen adstruxerunt hominis naturalis liberum arbitrium in spiritualibus. Neque enim, qui suis viribus respuere gratiam Dei & beneficium potest, ideo anhelare eam & ad eam adspirare poterit. Adversari Deo & Satanas potest soletque, obsecundare, nisi quod imperio divino cogitur, suis, quas hic nullas habet, viribus, minime potest. Quæ *v.* 45. laudantur, iis fateor bene explicari *tractionem Patris*; trahit sane verbo suo, cum auditur legiturve, cui verbo secundum *Ep. ad Roman. I.* 16. vis non *cogens* utique, sed *verticordia* tamen inest. Sed, cum deinde Catechesis nostra perhibet eam *tractionem* ad omnes pertinere, ad quos Evangelium pervenit, sic intelligendum est, serio velle Deum, omnes trahere, at, cum plurimi *inchoatæ tractioni* contumaciter resistant, non trahuntur sane, nec adducuntur ad Deum. Quod si alia Catecheseos mens est, falsa est. *Jo. XII.* 32. nescio cur huc laudetur. Illa tractio, quam Christus ibi pollicetur, quamquam passis Christi crucifixi manibus pulchre figuratur, *moralis* tamen est, & fit viribus divinis per ordinaria media gratiæ, verbum & Sacramenta operantibus, non cogentibus quidem illis sed efficacibus tamen. Liberum autem arbitrium planissime nullum est, si nemo ad Christum accedere potest, nisi tractus a cœlesti Patre. Necessitas enim hujus tractionis docet defectum sequelæ voluntariæ. At, cum hæc desit, palam est vel potestatem vel voluntatem sequendi Deum in homine natura non esse, vel deficere utramque, h. e. liberum arbitrium nullum esse. *Socinus* quidem, *Tractatu de Justificat.* p. 24. ad quæstionem *Joannis: At, cum fides Dei donum sit, qui fit, quod tu eam ponis in hominis arbitrio? Christophorum* sic jubet respondere: *Quid tum? In hominis arbitrio est donum ab aliquo*

sibi

sibi oblatum accipere aut contemnere. Verum non intelligit hoc in hominis potestate non esse, nisi quid qualeve sit donum oblatum, cognoscat. Homines autem naturales cum teste Scriptura Sacra in spiritualibus cœci sint, neque facultatem habere poterunt nisi a Deo, admittendi oblatum munus fidei, & vivere oportet eum, quem velis oblatum munus apprehendere, homo autem naturalis *mortuus* est.

449. Ad tertium vero quid affers?

Hoc testimonio non tolli liberum arbitrium hinc animadverti potest, quod hic nulla mentio Dei fiat, qui homines illos ad vitam æternam ordinaverit: verum simpliciter tantum scriptum est, credidisse, quotquot ordinati fuerunt ad vitam æternam; quod de ipsis hominibus intelligi potest, quod ipsi ordinati fuerunt, id est, apti ad amplectendam Christi doctrinam, ac proinde vitam æternam capessendam. Ut paullo superius in eodem capite, v. 46. scriptum extat in re huic contraria, alios seipsos indignos judicasse vita æterna. Et quemadmodum inferius Christus ait, sibi multum populi fuisse Corinthi, non alia de caussa, quam quod apti fuerint, ut populus Christi fierent. 1)

Notæ:

1) Vexatur *Act. XIII.* 48. præter caussam; cum, si animus, quod semel placuit, tuendi, abesset, res expedita foret. Non ab re monet Catechesis, *Lucam* non dicere,

a quo

a quo isti sint τεταγμένοι, nec additum esse, *a Deo*. Nempe, si res pateretur, possemus & intelligere, in ordinem sua sponte, vel a quocunque alio dispositos esse. Nam ἔταξαν ἑαυτοὺς *ordinarunt se ipsi in ministerium sanctorum*, extat 1. *Cor*. *XVI*. 15. quem locum similibus exemplis illustrat, Rev. *Georg*. *Raphelius* in Observatt. e *Xenophonte p*. 232. Verum, quoniam sermo est de animis ad vitam æternam paratis seu aptis & dispositis, quod certissime humanis viribus tota Scriptura abjudicatur, nefas est dubitare, quin ii, qui τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον dicuntur (nam quod *Knatchbullo* in mentem venit voces sic divellere, ut εἰς ζωὴν αἰώνιον cum ἐπίστευσαν, cohæreant, verisimilitudine caret,) ab ipso Deo ordinati seu apti facti sint. Absit vero, ut de prædestinatione absoluta hæc, obtorto quasi collo rapta, intelligantur, cum ne quidem de prædestinatione, quam omnes, verum minime absolutam sed hypotheticam tuemur, agant; nam hæc vox de tremendo prædestinationis mysterio alibi nusquam legitur. Quamquam, si quis velit ita interpretari, facile tamen veritatem ab horrendo dogmate *Calvini* defendet. Fac enim, quotquot prædestinati sunt, ex isto cœtu credidisse; si simul ponatur, quod nobis certum est, prædestinationem factam esse e prævisione, idem est, ac si dictum foret: crediderunt, quotquot Deus prævidit credituros. Cum vero genus humanum in eo consentiat, prævisionem non inferre rebus necessitatem, potius, quoniam res ita futuræ sunt, potuisse quoque ita præsciri: non sequitur, quos ita prævidit Deus, non potuisse non credere; neque hoc sequitur: quos non prævidit Deus credituros, non potuisse credere. Verum, ut dixi, si velis de prædestinatione divina locum exponere, in eum finem hæc disputata sunt, ut intelligatur rem nihilominus salvam esse; at mihi ne verisimile quidem videtur de ea re agi. Potius, ut v. 46. *Paullus & Barnabas* pervicaces Judæos increpuerant, quod repulissent verbum Dei, seque adeo ipsi non habuissent dignos vita æterna, h. e. recte explicante *Grotio*,

osten-

ostendissent se non esse dignos vita æterna, non minus clare, quam judex, qui sententiam pronunciat; ita illi, qui non repulerunt Spiritum Sanctum, qui præbuerunt huic operaturo & operanti aures cordaque sua, τεταγμένοι illis ἀτάκτοις, 1. *Thess. V.* 14. oppositi, recte vocantur. Nec de æterna prædestinatione, quæ actio in Deo facta est, sed de Dei fructuosa actione in hominibus in tempore facta, sermo est. Ceterum de voce hac contra Reformatos egregie, laudatis e tota *Græcia*, exemplis, egit *Jo. Henr. Majus*, fil. *observ. sacr. L. III. p.* 80. *sequ.*

450. Quæ vero testimonia sunt, quæ ad certas personas spectent?

Sunt inter alia, in quibus scriptum extat, Deum indurasse Pharaonem, & Judam, qui Apostolus Domini fuerat, Dominum prodere, ut e Scripturis apparet, coactum fuisse.

451. Quid vero tu ad hæc respondes?

Fateor, Deum interdum quosdam homines ita a gratia sua rejicere, ut nec resipiscere nec corrigi possint. Verum ea Dei opera, actionesque nullo modo tollunt simpliciter loquendo liberum arbitrium, cum ea exempla, in quibus illa apparent, sint singularia: Quæ Deus idcirco extare vult, quod homines, cum licuit, Deo tamen parere recusarint, eoque a multo tempore digni extiterint, in quos Deus judicia sua intenderet; quæ tandem, cum illi libet, extendit. Qualis erat

Pharao;

Pharao, qui Dei populum multo ante per tempus diuturnum afflixit; ita etiam Judas, qui a multo tempore fur & avarus erat: idcirco Deus iis ad perficienda tam nefaria flagitia est abusus. 1)

Notæ:

1) *Pharaonis & Judæ* exempla utique huc non pertinent. Hactenus enim in hominibus liberum arbitrium post lapsum quoque esse fatemur, &, nisi pœnas civiles & leges omnes corruere velis, necessario fatendum est, ut possint gravioribus & externis flagitiis, quale *Judæ* proditio & insignis pervicacia *Pharaonis* est, abstinere. Nequé velim ex illo atroci judicio indurationis, quod non est omnium, sed paucorum, argumentum, pro demonstrando defectu liberi arbitrii in hominibus post lapsum omnibus, quantum ad spiritualia attinet, peti. Itaque nec ad ea, quæ in recentiore Catechesi dicta, & a *Martino Bucero* annotata sunt, quibus ad hoc argumentum respondere conatur, quidquam regerere placet, quoniam mihi argumento hoc, non est consultum, uti.

CAPUT XI.

DE JUSTIFICATIONE.

452. *Cum perceperim, &, quid fides sit, & quatenus in nostra potestate sit, expone porro, quid ea fide consequamur?*

Per fidem in Christum consequimur justificationem. 1)

453.

453. Quid vero est justificatio?

Justificatio est, cum nos Deus pro justis habet; quod ea ratione facit, cum nobis & peccata remittit, & nos vita æterna donat. De quo aperte testatur Paullus, dum ait: in eo beatitudinem hominis consistere, cui Dominus imputat justitiam. Deinde, e Psalmo addit: Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Rom. IV. 6. Psalm. XXXII. 1. 2.

Notæ:

1) Primum videndum est, quomodo explicent Sociniani hoc assertum, per fidem in Christum, quem tamen negant pro nobis satisfecisse, hominem consequi justificationem; deinde ostendendum, eam opinionem adversari Scripturæ e diametro. Itaque observandum, extare *Fausti Socini Tractatum de Justificatione, Racoviæ an.* 1611. editum, sive farraginem potius aliquot opusculorum, quæ de isto argumento agunt. In his non multum est, quod non facile sibi mente concipiat, quicunque adhuc opusculum nostrum legit, præterquam unum, quod a victrice veritate extortum, nescio, quomodo cum ceteris suis placitis Sociniani conciliare velint, quamquam nec veræ doctrinæ satis consonum est. *P.* 8. 9. „Quemadmodum sacrificiis illis peractis, populus a reatu peccatorum, pro quibus victimæ illæ offerebantur, liberabatur, non, quia vis aliqua in ipsis inesset, pro peccatis satisfaciendi, sed, quia talis, qualem diximus, ex Dei voluntate effectus inde manabat: Sic Christi sacro ministerio peracto, nos, qui Christi sumus, id est, qui illi confidimus, & obedimus, a reatu omnium peccatorum liberamur: non, quia in illis, quæ in ipsius Christi Persona facta sunt, vis aliqua insit pro nostris peccatis satis-

„satisfaciendi, sed quia, cum Deus decrevisset, si Chri-
„stus sibi obediens fuisset, usque ad mortem crucis, non
„solum ipsum beata immortalite donare, sed etiam suos
„omnes beatos & immortales efficiendi potestatem ei
„concedere. Certe, cum Christus eam obedientiam
„Deo praestiterit, & eam ob caussam praedictam pote-
„statem ab eo consecutus fuerit, apparet, nos a peccato-
„rum nostrorum reatu liberatos esse, neque in judicium
„venturos, sed a morte ad vitam transiisse.„ Haec *Socini*, quamquam nec inter se nec cum veritate satis consonant, nam potestas efficiendi homines beatos, quam ait Christum nactum esse, non statim infert, homines a reatu liberos esse, sed liberos fieri posse; &, quod negat iis, quae Christus fecisset, vim aliquam satisfaciendi pro peccatis nostris inesse, blasphemum & falsissimum est; Christus enim est ἱλασμὸς reconciliatio pro peccatis nostris; tamen testimonium dignum mihi visum est, quod recitarem, quoniam ob ea, quae praestitit Christus, reatu peccatorum nos liberatos fatetur, quae res sine imputatione meriti Christi nullo modo vera esse potest. Quid per *fidem* intelligat Catechesis, h. e. revera opera hominis, *Socini* verbis confuse quidem toto hoc opere disputatis, *p.* 123. colligi poterit. Sic ait: „Quamobrem haec ope-
„ra, ex iis, quae initio sunt dicta, efficaciam habebunt ju-
„stificandi coram Deo ad vitam aeternam, non quidem ut
„opera, sed ut fiducia, quae per Christum in Deo colloce-
„tur, &, quia Deus pro bonitate sua ita vult. Nihil au-
„tem absurdi est in eo, quod istis operibus, non autem
„fidei illi, quae ipsa antecedit, justificatio ista adscribatur.
„Non enim propterea negatur, nos fide justificari, siqui-
„dem jam dictum est, & opera ista aliud nihil reipsa esse,
„quam fidem, id est, fiduciam; & fidem illam, quae eis
„reipsa praecedit, non esse revera eam fidem, quae nos
„Deo ad vitam aeternam gratos efficit. At vero, si de
„quadam subsecutione loquimur, non vera nec propria,
„sed tantum, ut loquuntur, per viam intellectus, ita ut

„opera a fide reipsa non distinguantur, tunc Christi fides, „quam opera subsequentur, aliud nihil erit, quam ipsi „Christo confidere, quod sine dubio coram Deo justifi„candi vim habet, & consequenter opera ipsa justifi„cant, quatenus executio sunt, ac perfectio, & tanquam „forma ipsius fidei; quocirca divinitus a *Jacobo* dictum „est, &c. Unde constat opera nequaquam simpliciter „esse fidei fructus, ut vulgo creditur, sed fidei formæ per„fectionem indere, & vitam, ut sic dicam, tribuere. Ita„que vides, quomodo & cur dicam, opera, quæ fidem „subsequuntur, efficaciam habere justificandi coram ipso „Deo, idque divinarum literarum testimonio. Quapro„pter, cum *Paullus* negat. &c.„ *P*. 136. subjicit: „Adeo „ut inter justificantem fidem & bona opera, nullam, nisi „ratione intellectus, differentiam constituam, sicut & „Scriptura facit, interdum pro obedientia fidem usurpans „easque invicem permutans.„ Paucis: huc omnia redeunt, obsequium, quod præstent pii homines Christo ejusque præceptis, quodque credant eum esse divinitus missum legislatorem sanctiorem *Mose*, & deberi ipsi obedientiam, tantopere placere Deo, ut propter hoc bonum opus, quod abusione vocis *fidem* appellant, admissorum peccatorum remissionem, errorum, qui subinde obrepunt, veniam, & salutem denique æternam iis attribuat. Nunc videndum, quam vehementer hæc a norma Scripturæ abludant, quamquam supra jam expositum est. Scriptura homini in negotio salutis nihil, Christo omnia relinquit. Sociniani certissime omnia hominis probitati & obsequio, Christo nihil, vel oppido parum. Nam, quicquid hic tribui velis Christo, vel ut legislatori, vel ut probitatis exemplo, vel ut adjutori tribuendum esset, Legislatoris tam nulla pars est, in laude boni civis, quam *Euristhei* in laboribus, quos Poëtæ fingunt, *Herculis*. Quod si *sapientiæ* caussa legislator laudandus est, *rerum* tamen *praclare gestarum* gloria ad auctores virtutis pertinet. Quod exemplum probitatis Christus dedit, etsi in eo benefi-

cium

cium insigne est, tamen hoc non efficitur, ut non sit eorum laus propria, qui bene præeuntem strenue sequuntur; ut taceam, eam ipsam gloriam, quæ exemplo, quod Christus dedit, debetur, communem huic esse cum sanctis quamplurimis, quorum exemplum eo propius ad nos pertinere dixi aliquoties, quo similiores nobis sunt, quam Christus, & facilius assequendi videntur. Placet hic videre, unde *Paullus* justitiam quæsiverit? Is *Philipp. III.* 7. 8. *sequ.* non modo ea opera ab hoc negotio excludit, quæ olim fecisset Pharisaico Zelo plenus; nam postquam *v.* 7. ea omnia propter Christum abjicienda censuisset, *v.* 8. pergit, ἀλλα μενȣνγε καὶ ἡγȣ̃μαι παντα ζημίαν εἶναι. *Sed & nunc*, h. e. ea quoque, quæ hodie facio, postquam diviniore Spiritu illustratus sum, *arbitror omnia damnum esse, propterea quod supereminet cognitio Christi JEsu Domini nostri, propter quem omnium damnum passus sum, & arbitror stercora esse, ut lucrifaciam Christum, & inveniar in eo, non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam, qua per fidem Christi est, nempe, quæ ex Deo venit, propter fidem, h. e. ut intelligam ipsum & virtutem resurrectionis ejus, & communionem passionum ejus, quando morti ejus similis fio.* Certum est ex *v.* 3. de fiducia, qua coram Deo comparendum sit, sermonem esse hic, ut Pharisæus ille *Luc. XVIII.* fecit; sic & plerique omnes Judæi opinione suæ sanctitatis turgidi, opponunt Deo opera sua: idem & fecerat Apostolus, antequam illustraretur a Christo, idque majori, quam reliqui, specie, facere potuerat. At nunc adeo nullorum operum sive olim sive nunc factorum fiducia nititur, ut in sola Christi morte, & resurrectione, spem ponat, etiam, quando similia pericula mortis, qualia Christus sustinuit, adeunda sunt, justitiam vult non suam, sed divinam, ex Deo datam, at quæ fidei datur seu tribuitur. Si hoc non est, quod Evangelici docent: Christi justitia per fidem apprehensa fideles justificari; scire velim, quibus verbis, quæ clariora essent, docenda sit hæc nostra sententia?

2) Cur in descriptione justificationis addatur: *nos vita æterna donat;* haud scio. Jus vitæ æternæ olim adipiscendæ datur homini, cum pronunciatur in foro divino justus, at nondum ipsa vita donatur. *Socini* etiam definitio, *Tractat. de Justificat. p.* 20. *Justificiatio est peccatorum absolutio, divinaeque naturæ participatio*, quantum ad ultima verba attinet, inconveniens est; ea enim participatio τῆς θείας φύσεως ad *sanctificationem* referenda est, quam cum *justificatione* Catecheseos non debuisset confundere, cum ipsa laudet præclara illa dicta, *Rom. IV.* 6. *Psalm. XXXII.* 1. 2. *Beatus vir, cui non imputat Deus peccatum, & cui imputat justitiam.* E quibus locis luculenter apparet, justificationem esse *actionem forensem*, ubi est *reus, judex, imputatio, absolutio*, &c. Imputantur homini ad justitiam, quæ ipse non fecit, non imputantur, quæ fecit, ad reatum. Horrenda est calumnia *Socini*, qui *l. c. p.* 26. scripsit: „Nemo justificatur, nisi „credat promissionibus divinis, quæ nobis persuadent, „ut mundi effugiamus corruptelas, divinæque fiamus „participes naturæ. Ob assensionem sive persuasionem, „quam plerique fidem esse putant, nemo justificatur; „alias omnis Papistarum fex & reliqui Christiani impii, „qui verbo Dei assentiuntur, Christique passionem & „mortem sibi applicant, justificati essent. Quod si sunt „justificati, ubi eorum justitia? ubi sanctitas? ubi nostra „cum illis communio?„ Quasi vero res tam levis esset, *passionem & mortem Christi sibi applicare.* Secura persuasio merito damnatur, verum fiducia cordis in Christo ponenda, qualem *Paullus* descripsit, *Rom. VIII.* 31 - 39. non levis est, sed res gravissima, & a solo Spiritu S. orta. Qualem vero hic Apostolus jactat justitiam? suam fortasse? nullo modo. Itaque *v.* 33. ad quæstionem: *Quis accusabit electos Dei?* respondet: *Deus est, qui justificat.* Porro ad alteram: *Quis est, qui condemnet?* sic respondet: *Christus mortuus est, immo potius resurrexit, & sedet ad dextram Dei, & intercedit pro nobis.* Hujus ergo passio-

ne,

ne, hujus resurrectione, quæ testis est acceptæ a Deo satisfactionis, confidit *Paullus*, hac se credit ita justum esse, ut peccata sua non possint ipsi nocere. Itaque licet merito a justificatis poscitur vitæ sanctitas; Christus enim neminem ideo Sanguine suo a peccatis abluit, ut pergat in peccatis, sed ut ζηλωτὴς sit καλῶν ἔργων: absone tamen quæritur: *Si justificati sunt, ubi est ipsorum justitia?* Ea enim justitia, qua justificamur, non potest monstrari, & quæ præstatur a piis, quamquam placet Deo, non est tamen perfecta, nec quæ in judicio divino possit consistere.

---

454. *Ergo sine fide in Christum nemo justificatur?*

Nemo prorsus. Verum id de eo tempore intelligendum est, quo Christus patefactus est. De quo etiam illa Petri verba accipienda sunt: Act. IV. 12. Non esse nomen sub cœlo datum hominibus, per quod nos servari oporteat, nisi nomen hoc JEsus. Nam, quod attinet ad tempus, quod Christi patefactionem antecessit, de eo id affirmari non potest. Etsi enim omnes, qui unquam in Deum crediderunt, ob fidem justificabantur, (ut e cap. XI. Ebr. aperte colligi potest,) nihilominus ea justificandi ratio in fœdere per Mosen dato, non fuit comprehensa, verum ab ipsa Dei gratia mere pependit: at nunc ea justificandi ratio per fidem in Christum in ipso fœdere continetur. Unde illorum fides fidem in Christum non includebat, eoque

Apostolus ait, fidem venisse per Evangelium. Atque ad eum modum illi non propter fidem in Dei Filium, sed in ipsum Deum sunt justificati. Galat. III. 22. 23. 24. 25. 1)

Notæ:

1) Veteres non accepisse justitiam per Christum, passim quidem Sociniani tradunt, sed, cum quasi titubantes & fluctuanti animo, tum adversante tota Scriptura. Quod utrumque paucis ostendendum est. Illud cognoscet lector e *Socini* verbis, quæ nunc recitabo: *Tract. de Justificat. p.* 15. „Deinde ea afferri poterunt, quæ peccato-„rum remissionem testantur, gratis a Deo nobis conces-„sam. Ea autem potissimum sunt afferenda, quæ ad nos „spectant, i. e. quæ in Novo Testamento habentur. Vel, „si sunt in Testamento Vetere, aut prædictiones sunt ejus, „quod futurum erat sub novo fœdere, aut ejusmodi sunt „testimonia, quæ perpetuam vim habere constet, & ad „utrumque fœdus peræque spectare. Nam de justifica-„tione nostra, id est nostrûm, qui sub novo fœdere sumus, „non autem illorum, qui sub vetere fuerunt, hoc loco „agendum est. Est quidem sub utroque fœdere eadem „hominis coram Deo justificandi ratio, quatenus utrobi-„que ex parte Dei peccatorum remissio requiritur, ex „hominum vero parte resipiscentia, & Dei præceptorum „in posterum obedientia, quæ illa fides est revera, quæ „semper hominem Deo acceptum reddit & reddituraest; „sed tamen, quia obedientia, quam a nobis requirit De-„us in novo fœdere, non eadem plane est, cum ea, quam „in veteri fœdere requirebat, sed multo quam illa absolu-„tior atque præstantior: idcirco non sunt hæ tractationes „confundendæ, nec una cum altera justificandi ratione „miscenda, præsertim, ubi de rudibus in religione Chri-„stiana instituendis agitur. Itaque vel ea tantum in

medium

„medium producenda sunt, quæ ad justificationem no-
„stram sub Novo Testamento pertinent, vel, si ea quo-
„que proferantur, quæ ad Testamentum Vetus sunt re-
„ferenda, diligenter prius inter utrumque fœdus in hoc
„justificationis negotio, distinguendum est, aut certe
„diserte monendus est lector, ea ideo afferri, ut appare-
„at, etiamsi non omnino eodem modo, utrobique homi-
„nes justificentur coram Deo, tamen hoc perpetuum
„esse, ut nemo coram Deo justificetur, nisi cui Deus
„gratuito peccata remittat; id autem nemini contingere,
„nisi ei, qui resipiscat, Deoque in futurum se obedien-
„tem præstet.„ Facile vides, cum ventum est ad mon-
strandam differentiam justificationis in veteri & recenti-
ori ævo, nihil afferre posse idonei *Socinum*. Fatetur utro-
bique fieri per obediendiam legibus præstitam. Quod
ait, leges hodie esse absolutiores, id multis verbis refuta-
tum est, & pugnat cum altera assertione: *In Veteri Testa-
mento perfectius & perpetuum obsequium* postulatum esse;
de quo pariter, quantum satis est, egimus. Et, si esset
tam verum, quam falsum est, leges hodie esse absolutio-
res, non ideo esset ratio justitiam obtinendi alia nunc,
alia olim, sed utraque e lege. Quemadmodum non di-
versa est ratio mercenariorum duorum, quorum alter in
viliori, alter in nobiliori materia opus fecit. Datur debe-
turque sua cuique merces diurna. Restat ostendere, fi-
dem veterum, qua justificationem nacti sunt, pariter in
Christo positam fuisse, ac eorum, qui post Christum
natum justificati sunt. Quod, cum *Epistola ad Ebræos*
opportune sit a Catechesi laudata, ex hac sola monstra-
bo in præsenti. *Fides* igitur, quam *undecimo* toto capite
prædicat Apostolus, & cui, quicquid fecerunt acceperunt-
que veteres, multis verbis unice tribuit, posuit sane suis,
ad quos scripsit, & nobis omnibus, exemplum imitan-
dum. Quodsi autem diversi generis illa fides fuit, male
commendatur nobis; ut de argumento Apostoli, *Rom.
IV.* nunc taceam, quo, cum fidei *Abrahami Moses* salutem

addixerit, nos quoque fide servari contendit; quod, nisi utraque fides ejusdem generis rationisque est, plane fallit. Et cur Patriarcha ille *omnium credentium Pater* appellatur, si non credidit in Christum, in quem nos credimus? Porro, hoc quærere lubet ex homine Sociniano: quoniam fatentur in V. T. promissiones de Christo extare, sed tum incognitas fuisse contendunt, credantne veteres illos pios neglexisse ea vaticinia? an, licet scrutati sint, tamen ad se pertinere non putarint? Utrumque longe est falsissimum. Prophetæ enim scrutati sunt, teste *Petro*, 1. *Ep. I.* 11. quos nemo dixerit celasse veritatem cognitam cives suos. Pulcherrima hic sunt verba *Ebr. XI.* 13. Κατὰ πίστιν, *secundum fidem*; eam utique, cujus se reliquosque pios dixerat esse, *cap. X.* 39. quamque describere cœpit *cap. XI.* 1. *diem suum obierunt hi omnes, non adepti promissiones*, nati nempe Christi, *sed eminus conspicati eas, & fiducia pleni easque salutantes*, more navigantium, qui salutare solent terram continentem diu non visam, cum tandem in conspectum venit, *fassique advenas se hic esse & peregrinos.* Quis hic non videt Christum & olim fuisse, qui pios omnes spe bona implevit? Plura hic addere non videtur opus, nec id moneri necesse est, solam hanc esse differentiam fidei veterum, & recentiorum, quod illi venturum prospexerunt: nos respicimus eum, qui dudum venit; nos clarius, quæ jam facta sunt: illi paullo obscurius, futura, sufficienti tamen lumine, viderunt. Quam iniqua autem sunt Catecheseos verba: *Illi non propter fidem in Dei Filium, sed in ipsum Deum, sunt justificati?* Cum *David* Christum *Psalmo CX.* teste hoc ipso Christo, Dominum suum appellarit. Quasi vero hoc dicere potuerit nulla posita in tutela hujus Domini sui fiducia.

---

455. Verum tamen locus ille Act. XV. 11. repugnare videtur huic sententiæ, ubi ait Apostolus: Nos per grati-

gratiam Domini JEsu Christi servatum iri, quemadmodum & illi patres?

In eo loco non habetur vox patres, verum ejusmodi oratio: Quemadmodum & illi. Ea vero vox, illi, non refertur ad propiora verba, in quibus patrum fit mentio, (nec enim de patribus illis erat sermo,) verum refertur ad verba remotiora, in quibus sermo de gentibus habetur, de quibus proprie agitur, qui superius aliquoties Judæis credentibus opponuntur, prout ipsi Judæi gentibus itidem credentibus. Sic enim legimus v. 8. 9. 10. 11. Deus ergo, qui novit corda, dedit eis, intellige gentibus, testimonium, dato eis Spiritu Sancto, quemadmodum & nobis (Judæis); neque discrevit inter nos & illos, fide purgans corda ipsorum (gentium). Nunc vero, quid tentatis Deum, imponentes jugum, (legem ceremonialem intellige,) cervicibus discipulorum (gentium), quod nec patres nostri, neque nos portare potuimus, verum per gratiam, &c. Nec vero officere quicquam huic interpretationi, quod vox, patres, propior sit, quam vox, gentes, e superioribus, quos attulimus, in re simili, locis, patere arbitramur. Ac ne id quidem alicujus momenti est, quod vox, illi, sit masculini, vox vero, gentes, in Græco neutrius generis, eoque vocem hanc,

illi, ad gentes referri non posse; cum alibi etiam vox gentes, in Scripturis reperiatur, aut conjuncta masculino generi, vel ad illud relata, Rom. II. 14. Matth. XXVIII. 19. Aut, si hanc interpretationem quispiam nolit admittere, tum vox, illi, ad vocem discipuli, quæ proxime antecedit, commode referri potest, quæ etiam masculini generis est, quemadmodum & vox, illi. Certum autem est, voce discipulorum gentes credentes intelligi. 1)

Notæ:

1) Primum observandum, nostram sententiam, de eadem fide, qua Patriarchæ & nos salvemur, nec uno hoc loco *Act. XV.* 11. nec præcipue illo niti, quod vel ex iis, quæ ad præcedentem quæstionem monui, abunde patet. Deinde, hunc tamen locum ita esse comparatum, ut naturalis sensus nobis faveat, nec nisi vi adhibita ita intelligi possit, ut Catechesis vult. Nam ad proxime præcedens ordinarie referendum esse pronomen in confesso est utrimque, modo de illo proxime præcedente proprie, nec obiter, sermo sit. Hic vero frustra negant de *patribus* proprie & ex instituto agi. Hoc potissimum egit *Petrus*, ut intelligeretur, rationem, per fidem adipiscendi salutem, minime novam esse, nec novatores, qui eam docerent; hinc & Prophetas dudum prædixisse, gentibus æque ac Judæis patefactum iri viam eandem ad salutem, paullo post laudatis e Scriptura testimoniis, monet. Ad gentes vero seu nuper conversos non referri vocem κἀκεῖνοι, duplici præterea argumento liquet. Primo, occupatus *Petrus*, in probando dogmate, salutem per JEsu Christi gratiam solam

solam quærendam, sine legis opera, si hoc vellet, se collegasque eodem modo servari cupere, quo servati sint nuper conversi e gentibus, peteret id, quod cum maxime demonstrandum non postulandum fuerat. At, cum monet Collegas, neque veterum patrum aliam fuisse rationem, legis enim jugo pressos quidem esse, sed salvatos minime; argumentum invictum est & clarissimum, hoc nempe: si majores nostri, cum gemerent quidem sub ceremoniali lege, non ea tamen, sed JEsu Christi gratia salutem nacti sunt, magis etiam necesse est, hodie, cum sustulit Christus umbram legum corpore suo, antiquam illam & unicam rationem accipiendæ salutis tueri. Deinde, vox ἀλλὰ non admittit Socinianorum interpretationem. Nam secundum hos homines ordo verborum Apostoli hic foret: *Quid tentatis Illum imponendo jugum collis discipulorum? Sed, per gratiam Domini nostri JEsu Christi credimus nos servari.* reliqua: *quod neque patres nostri, neque nos ferre potuimus,* in parenthesi essent ponenda. Verum hoc modo nexus constructionis nullus esset; non enim cohærent: *Quid tentatis? sed credimus.* Hoc si vellet, ita dicendum fuerat: *Quid tentatis? Nam credimus,* vel certe: *Sed credite.* Nostra autem sententia cohærent omnia pulcherrime: *Jugum neque nos, neque patres nostri potuimus ferre, sed credimus &c.* Hic utrobique est pluralis numerus primæ personae, & particula ἀλλὰ commodissime adhibetur, sensusque clarus est appositus. Quemadmodum in eo similes sumus patribus, ut portando jugo legis neutri sufficeremus: Ita fas est non alium modum quaerendae salutis circumspicere, quam quo & illi usi sunt. Haec ita clara esse, quamquam disputationes grammaticae fere spinosae sunt, ut nihil amplius desiderandum sit, confido; quamquam doctis viris, qui & in nostratibus locum hunc aliter explicant, dicam minime scripturus sum, nam ut dixi, si vel esset ita, ut volunt Sociniani, explicandus, nihil decederit veritati evangelicae aliunde demonstratae.

DE

DE OFFICIO CHRISTI REGIO.

456. Percepi omnia, quæ officium Christi propheticum complectatur. Progredere ad alia ipsius munera, regium nempe & sacerdotale.

Recte sane. Sic igitur habeto, munus Christi regium duplici ratione considerari, tum regni ipsius, tum ipsius populi, qui ei subest, ratione.

457. Quæ vero ipsius regni est ratio?

Ea, quod Deus eum suscitatum a mortuis & in coelos assumtum, a dextris suis collocavit, ei potestate in cœlis & in terra omni data, & omnibus ipsius pedibus, se excepto, subjectis, ut fideles suos gubernare, tueri, & æternum servare possit. 1)

Notæ:

1) Sessione ad dextram Patris occupatum esse regnum a Christo plenissime, tum & regia sua potestate absolutissime uti cœpisse, nemo nostrum negat. At, si hoc velit Catechesis, cœpisse demum in sessione ad dextram Christi regnum regiumque munus, Scriptura multis locis reclamat. Nam, si Christus Rex institutus est in sacro monte Zion, *Psalm. II. 6.* cœpit sane regnum ante illam sessionem. Montem enim *Zion*, quamquam proprie non accipitur, nemo tamen dixerit cœlum significare. Et cum a *Pilato* de regno suo quæreretur, id, non accepturum se respondit, sed habere, quamquam non sit terrenæ indolis. Munia quoque regia in ipso humillimo statu suo tamen imple-

implevit, quo ingressus in urbem Hierosolymam, in asino quidem, sed nihilominus magnificentissimus, & liberatio discipulorum ex insidiis hostium, *Jo. XVIII. 9.* aliaque pertinent, inprimis miracula multiplicis generis.

458. Ubi hæc scripta sunt?

Plena est horum Scriptura. Ea tamen de re singulari ratione testatur Apostolus: Deum supereminentem magnitudinem virtutis suæ erga nos reipsa ostendisse in Christo, dum eum a mortuis excitavit & collocavit ad dextram suam in cœlestibus. &c. Eph. I. 19. 20. 21. Et in Act. Apost. ait Petrus c. V. 30. 31. Deus Patrum nostrorum excitavit JEsum, quem vos sustulistis, suspensum in ligno. Hunc Deus Principem & Servatorem exaltavit dextra sua, ad dandam Israëli pœnitentiam & remissionem peccatorum.

459. Verum illi ajunt Christum seipsum a mortuis excitasse?

Falluntur vehementer, cum, ut audisti, manifeste in locis infinitis Scriptura loquatur, Deum Abrahami, Isaaci, Jacobi, qui Pater Christi sit, Christum a mortuis excitavisse. Quod adeo verum est, ut scripta novi fœderis, sæpius Dei nomine non expresso, ita eum describant: Is, qui Christum excitavit a mortuis. Rom. IV. 24. & VIII. 11.

460. At cur in ea sunt sententia?

Arbitrantur quædam Scripturæ testimonia id continere, ut, cum Servator ait: Jo. II. 19. Dissolvite hoc templum, & tribus diebus excitabo illud. Et infra, cap. X. 17. 18. Propterea amat me Pater, quia ego animam pono, ut eam rursus assumam. Nullus eam tollit a me, verum ego eam pono a me ipso. Et habeo potestatem ponendi eam, & habeo potestatem iterum sumendi eam. Et, cum Apostolus ait 1. Petr. III. 18. Christus semel passus est, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.

461. Quid ad primum locum respondes?

Primum respondeo, adeo pauca & figurata & obscura testimonia tot Scripturæ perspicuis testimoniis opponi non posse, ut ea, quæ & numero sunt pauca, & adeo obscura, ea, quæ & tot sunt numero, & adeo clara & perspicua, explicent. Verum & pauca & obscura omnino juxta sententiam & plurium & clariorum accipienda sunt. 1) Deinde, quod ad primum testimonium allatum attinet, græca vox ἐγερῶ, quæ est reddita latine, excitabo, potest reddi, erigam. Unde sensus erit, Christum excitatum ex mortuis suum corpus erexisse. 2) Deinde in his figuratis loquendi modis non tam verba ipsa,

quam res attendenda est maxime, si secundum verba aliquid falsi, aut, quod aliis Scripturis repugnet, constituendum sit. Denique si quis obstinate vocem, excitabo, urgere velit, is animadvertat, quid D. JEsus alibi dicat; eum, qui perdiderit animam, vivificaturum illam: Lucæ XVII. 33. ubi si quis insistere vellet ipsis verbis, eum colligere oporteret, credentes etiam ipsos sese vivificaturos & a mortuis excitaturos esse. 3)

Notæ:

1) Si hæc sine rubore scribere potuit auctor Catecheseos, perfrictam oportet fuisse frontem. Non poterat clarius dici, Christo inesse facultatem resumendi vitam, quam ipse utroque loco *Joannis* dixit. Urgentur claritate horum locorum miseri Sociniani, & in ipsa sua cœcitate hoc tamen vident, merum hominem non posse esse Christum, si sibi ipse vitam reddere potuit. Querela vero de obscuritate horum testimoniorum ita comparata est, ut, si vespertilio solem criminaretur opacum esse. Obscuriora loca e clarioribus exponi debere, hactenus concedimus, si alter alterum, obvio sensu acceptus tollat, nec possint simul consistere. Verum, ubi obscuritas fingitur, & nulla est, cum locis itidem claris, pugna, glacie magis friget ejusmodi disputatio. Dubio caret, Christum a Patre esse suscitatum, item virtute Patris. Hoc loquitur tota Scriptura. Sed non minus certum, Christum sua virtute surrexisse. Neutrum obscurum, neutrum ex altero explicandum, clarum utrumque, certum utrumque. Christi enim & Patris virtus, eadem virtus; quemadmodum Servator *Jo. X.* 28. 29. ait: primum, non posse oves e manu sua rapi; deinde, non posse

e manu

e manu Patris rapi, addita clave hujus ænigmatis, quod quidem Christianis non amplius ænigma esse debuerat: *Ego & Pater unum sumus.*

2) Piget me hic respondere ad inficetam exceptionem. Christus de corpore suo, quod vocabat templum, se illud, quando fuerit fractum, h. e. necatum opera Judæorum, id tertio die resuscitaturum. Hic ait Catechesis posse ἐγερῶ verti, *erigam.* Sane; sed qualis *destructio*, hoc est, necatio, talis *erectio*, h. e. vivificatio. Iniquissima querela est de difficultate tropicæ locutionis, cum sit ab Evangelista nobis clarissime exposita. Ita frivola & homine erudito indigna glossa est, posse sic intelligi: Christum vivificatum prius a Patre, tum corpus suum erexisse, ut pudeat absurditatis. Præclara vero res, si se facturum dixisset Christus, quod omnes, qui non ægrotant, quotidie faciunt, ut, cum humi vel in lecto cubuerunt, corpus suum erigant ipsi! Ἐγείρειν autem de *mortuis* acceptum ita frequens clarumque est, ut calumniæ nullus sit locus. 1. *Cor.* *XV.* 44. 1. *Cor.* *VI.* 14. *Marc.* *XII.* 26. &c. Indigna res est, eos, qui ordinario sensu, & ut res postulat, ἐγείρειν explicant, *obstinatos* a Catechesi dici.

3) De exceptione e *Luc.* *XVII.* 33. plane incertus sum, quid dicam, ita studio cavillari videntur hi homines. In Græco est ζωογονεῖν, quæ vox in N. T. bis, in LXX. Interpret. sæpius obvia, significat idem, quod σώζειν, h. e. in vita & incolumitate conservare, non, vitam, quam aliquis jam amisisset, reddere, v. g. 1 *Sam.* *XXVII.* 9. Καὶ ἐπάταξε τὴν γῆν, καὶ οὐκ ἐζωογόνει ἄνδρα ἢ γυναῖκα. *Percussit urbem, nec quemquam marium femellarumque in vita conservavit.* Vide, si placet, *Exod.* *I.* 17. 18. 22. 1. *Reg.* *XX.* 31. 2. *Reg.* *VII.* 4. *Judic.* *VIII.* 19. Non puduit tamen recentiores Socinianos idem repetere, qui & persuaderi lectori conantur, posse Christi hanc mentem esse: ego intra triduum vobis illud templum corporis

vivum

vivum & integrum sistam, & erigam; atque ita Christum jure loqui potuisse, etiamsi non ipse, sed Deus, esset ipsum virtute sua ex mortuis resuscitaturus; non enim id tum actum esse, utrum ipse id esset facturus: sed tantum, utrum is post mortem redivivum se esset exhibiturus. At, quam frivolum est perhibere, posse ἐγείρειν significare, *id sistere, quod alter excitavit*: tam falsum, de eo quæstionem fuisse, an sit Christus se redivivum exhibiturus. *Joannis* historia docet postulatum esse signum, quo Christus demonstraret se potestatem expurgandi templum & ejiciendi inde institores habere; ad hoc postulatum non faceret, si solum de resurrectione sua ab alio facienda dixisset, sed præclare facit, quod se potestatem longe excellentioris templi, corporis nempe sui, resuscitandi, tum fractum ab aliis esset, habere dixit.

---

482. Qui vero hoc intelligendum?

Ad eum modum, Christum hic ita loqui velle: Etiamsi vos me sustuleritis, nihilominus post tres dies a mortuis resurgam. 1)

Notæ:

1) Bene; sed ut addatur, *propriis*, seu, *meis viribus*. Alioqui fit vis textui sacro.

---

483. Ad secundum quid respondes?

Ea oratio non efficit, Christum mortuum aliquam virtutem in se habuisse, qua seipsum excitaturus erat; 1) cum & de credentibus legamus, ipsis datam esse potestatem, ut filii Dei, i. e. immortales fierent, licet hoc certum sit, Deum, donata eis immor-

talitate, eos filios suos effecturum. 2) Unde apparet, hujus loci hanc esse sententiam: Ut non in vestra potestate, ut, me tollatis e medio, verum in voluntate Patris mei situm est: Ita nec in voluntate vestra erit, ut in morte maneam. Verum ea voluntas Patris est, ut ego, posita anima, perveniam ad resurrectionem a mortuis, & accipiam a Patre vitam æternam. Quod etiam subsequentia verba indicant: Hoc mandatum accepi à Patre meo. 3)

Notæ:

1) Primo ostendendum est, vim argumenti nostri esse invictam, tum exceptionibus Catecheseos respondendum. *Christus*, propterea, inquit, *me, amat, quod animam meam pono*, h. e. mirifiee placet Patri meo promtitudo moriendi; *ita vero eam pono, ut resumam.* Hæc verba nullum habent sensum, nisi, quemadmodum in absolutissima potestate Christi est, mori, ita pariter in ipsius liberrimo arbitrio positum esset, recipere vitam. Et hoc ipsum subjicit Christus: *Habeo potestatem ponendi eam, & habeo potestatem resumendi eam.* Quæ, quamquam sunt per se clarissima, tamen vehementer confirmantur his Christi verbis: *Nemo eam a me aufert, sed ego ultro, ἀπ' ἐμαυτοῦ, eam pono.* Hic vellem monstrari, quibus verbis, quæ clariora essent, magisque indubitata, dici potuisset Christum suis viribus recepisse vitam, hujusque æque ac mortis liberam habere potestatem, & arbitrium. Hinc habere dicitur Christus *claves inferorum & mortis. Apocal. I.* 18. non modo, quod fideles suos possit morte liberare, sed potissimum, quod sibi vitam reddiderit. Incipit enim: *Ego eram mortuus, sed nunc vivo.*

2) Mise-

2) Miserabilis est exceptio e loco pulcherrimo, *Jo. I.* 12. Habent sane pii facultatem a Christo acceptam, qua possunt filii Dei fieri, h. e. participes omnium paternorum beneficiorum Dei, non tantum immortalitatis, de qua sola Catechesis, nulla ratione nixa, exponi vult jus adeptionis. Quid vero hoc faciat ad elevandum argumentum nostrum, non video. Tum faceret, si pii possent dicere: nemo facit me Filium Dei, habeo eam ἐξουσίαν ἀπ' ἐμαυτοῦ. Verum longe aliter instituunt fideles, exemplum Apostoli secuti: *Gratia Dei sum, quicquid sum.* Christus autem sic ait: ἀπ' ἐμαυτοῦ, *a me ipso*, habeo facultatem moriendi vivendique.

3) Verba Christi *v.* 18. non intelliguntur a Socinianis nostris. Videntur sic intelligere; Ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ Πατρός μου. Hanc facultatem, ut possem resurgere, accepi a Patre meo. Nam, nisi ita intelligeret Catechesis, nescio cui bono hoc dictum laudarit. Verum ἐντολὴ non significat *facultatem*. Ceterum sensus loci manifestus. Coeperat *v.* 17. dicere: placere Patri suam mortem voluntariam; cujus rationem cum explicasset, redit *v.* 18. in fine ad id, unde digressus fuerat, nempe, consilium hoc esse Patris, ut pro salute generis humani ipse mortem oppetat. Nihil hic memorabile addiderunt recentiores Sociniani, nisi λαμβάνειν posse etiam significare, *rem ab altero datam accipere*; quod cum nemo neget, hic tamen per ea, quæ nota 1) observata sunt, fieri nullo modo potest.

---

964. *Ad tertium quid respondes?*

Neque ex eo ullo modo apparere, Christum seipsum a mortuis excitasse: Cum in hoc loco non sit scriptum, eum Spiritu pro-

prio esse vivificatum, verum id solum, Spiritu vivificatum. Quod de Spiritu Dei prorsus accipiendum est; siquidem superius ostendimus, quod virtute sua Filium Deus Pater excitaverit. 1)

Notæ:

1) De significatu *Spiritus* 1. *Petr. III.* 18. non est eadem omnium orthodoxorum sententia. Sunt in antiquis doctoribus, qui de Spiritu S. tertia persona divinitatis accipiunt. B. *Gerhardus* vult *indeterminate pro Deitate ac divina virtute, qua Patri Filio, ac Spiritui Sancto communis est*, accipere. Mihi vero maxime se probant ejusdem *Gerhardi* verba, ad h. l. p. 439. „Quodsi „determinate nomen Spiritus accipere velimus, de divi„na natura filii potius accipiendum, ut ostendit antithe„sis. Christus mortificatus est carne, i. e. secundum hu„manam naturam passus est, & mortuus, sed, vivificatus „est Spiritu, i. e. divina natura seipsum ex mortuis resusci„tavit; qua tamen determinatione nec Pater nec Spiritus „Sanctus excluduntur, quippe unius & ejusdem cum „Filio essentiæ, æqualis potentiæ & gloriæ. „ Rectissime movit b. *Gerhardum* antithesis; sed ea accurate intelligenda est. Nam, si ita accipiendum putes, ut voce *σαρκὶ* intelligatur, id, *in quo* passio & mors accidit, voce *πνεύματι* autem, non *in quo*, sed *per quod* fit resuscitatio facta, antithesis non est accurata. Itaque hoc modo potius intellexero: Christus mortuus est, *quoniam carnem habuit*, quæ posset mori; vitæ redditus, *quoniam Spiritum habuit*, seu divinam naturam, quæ posset reddere carni vitam. Itaque ex hoc loco idoneum argumentum petitur, Christum suæ resurrectionis esse ipsum auctorem. Ne quid omittamus, tria dicenda sunt verba de

recen-

recentiorum commento *Racoviensium* responsioni assuto: Sic ajunt: „ Id solum (dictum est„) eum Spiritu vivificatum esse, nempe a Deo. Quem Spiritum si quis ob „oppositionem carnis Christi fuisse dictum velit, ei ta„men cogitandum est, eum in morte Christi ad Deum re„versum fuisse, a quo proinde, non autem a Christo mor„tuo ad corpus illius excitandum adhibitus fuerit. Sic „*Rom. VIII.* 11. in quibusdam editionibus dicitur, Deus „nos excitaturus per Spiritum suum in nobis habitantem, „nec tamen sequitur, nos esse nos ipsos excitaturos. Un„de etiam idem *Paulus* eandem sententiam, quam *Petrus* „verbis istis complexus est, ita effert 2. *Cor. XIII.* 4. „*Christus crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex poten„tia Dei.*„ Explicare nemo poterit, quid sit *Spiritu vivificari*, si non sit hic sensus, *opera* vel *vi Spiritus*, sive, *propterea, quod Spiritum habet*; nam *in Spiritu*, qui nec moritur, vivificatio non habet locum, sed corpus redditum est vitæ. Frivola est objectio de Spiritu Christi in morte ad Deum reverso, nam eum humanum fuisse, animæ nostræ quoad substantiam similem, constat, sed huic non tribuitur a quoquam nostratium vivificatio. *Rom. VIII.* 11. habent sane multi codices, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος, h. e. per *Spiritum ejus inhabitantem*, ut *Millii* editio, in qua quidem τὸ ἐνοικοῦν πνεῦμα extat, docet. Sed, quid hic lucrentur Sociniani, nemo facile dixerit. Nam fac per Spiritum Sanctum, qui in piis habitat, nos resuscitatum iri, quod cur non possit fieri, ita ut per Filium creatio contigit, haud video. Quid, quæso te, ad præsentem hoc caussam facit? Non sequitur, inquiunt, nos esse nos ipsos excitaturos. Sane; nam non nostro Spiritui, sed Dei, qui quidem in nobis habitat, tantum opus tribuitur; at, cum Christi vivificatio ipsius Spiritui tribuatur, fas erit credere Christum suæ resurrectionis ipsum esse auctorem. Quid velint sibi laudato 2. *Cor. XIII.* 4. quoniam hariolari non possum, nec est quod respondeam.

Tribuitur Christo *infirmitas*, ut *homini*, virtus Dei, ut vero Deo. Hinc, cum Apostolus & nos dicit victuros virtute Dei, addit *εἰς ὑμᾶς*, ut intelligatur, non quæ esset hominum propria sed quæ super ipsos aliunde futura sit.

465. *Quo vero in corpore Christus est excitatus?*

In eo prorsus, in quo crucifixus fuit: Quippe cum legamus, eum comedisse atque bibisse post resurrectionem cum discipulis suis, & vulnerum vestigia in manibus, pedibus & latere iisdem ostendisse.

466. *Cur vero Christus in ejusmodi corpore fuit excitatus.* 1)

Ut Apostolos discipulosque suos de resurrectione sua certos redderet; quæ caussa etiam erat, cur per dies quadraginta cum iis ageret, & de regno Dei colloqueretur, ac subinde iis appareret, postquam a mortuis excitatus fuisset.

467. *At quale Christus nunc habet corpus?*

Habet corpus immortale, gloriosum, potens, spirituale, cum factus sit in Spiritum vivificantem. 1. Cor. XV. 42. 43. 44. 45. 2)

Notæ:

1) Quemadmodum dubitare nefas, in eodem corpore resurrexisse Christum, in quo fuerat crucifixus: ita indignissima res est, quod Sociniani audent nobis persuadere, hodie esse Christo aliud corpus, quamquam in Catechesi

techesi dolo utuntur; nam, cum primo quæsitum esset: *Quo in corpore Christus est excitatus?* Deinde quæritur: *Cur in ejusmodi corpore fuit excitatus?* Lector autem observabit, posse *idem* corpus esse, nec tamen *ejusmodi*, quale antea fuerat. Nec statim colligendum, si idem fuit corpus Christi vitæ redditum, quod de cruce pependerat, iisdem etiam qualitatibus post resurrectionem instructum fuisse. Quo loco potissimum observandum, a recentioribus quæstionem hanc factam esse: *At per glorificationem Christi nonne aliqua in corpore ejus facta est mutatio?* Neque vero obscura res est, Christum in resurrectione non retulisse corpus infirmitati obnoxium, quale idem corpus antea fuerat, sed, quod posset subito cum discipulis Emmaunticis esse, subito disparere, per clausas fores penetrare, uno verbo, ubique esse, ubi vellet esse; sed quod itidem posset recipere eam formam, quam ante habuerat, ad demonstrandam resurrectionis veritatem, comedere, bibere, non, quod iis rebus haberet opus, sed, quod vellet iis uti, quemadmodum *Abrahami* hospites, *Gen. XVIII.* in quibus unam fuisse personam divinam nemo dubitat, ego tres arbitror, comederunt biberuntque. Sociniani autem Christum nunc plane aliud corpus habere fabulantur; quod ex *Ostorodi* Unterrichtung, *cap. XLI. p.* 388. *sqq.* ut alios taceam, patet. Sic ille: Woraus denn unwiderſprechlich folgen muſs, daſs Christus, von der Zeit an, da ihn GOtt zum HErrn und Könige gemacht hat, einen geiſtlichen und himmliſchen Leib gehabt, und derhalben kein Fleiſch und Blut mehr hab, wie er zuvor hatte, ehe ihn GOtt erhöhet hat. Denn hätte er noch Fleiſch und Blut, ſo hätte er keinen geiſtlichen Leib, und wäre derhalben ſterblich. Sintemal alles, was vom Fleiſch iſt, iſt Fleiſch, das iſt ſterblich und vergänglich. Joh. III. 6. Tædet plura describere hominis ineptientis. Si Christus e sepulchro retulit corpus, quod ante habuerat, quod & per se certum est, & Sociniani fatentur; nihil certius, quam idem corpus & in cœlum sub-

latum; hoc enim non aliud viderunt Apostoli ascendere, hoc, non aliud, nube tegi. *Act. I. 9.* Abusionem vero dicti illustris, *Jo. III. 6.* magis decet detestari, quam refellere; constat enim illo loco significare humanam naturam, prout corrupta est; & hanc non posse, si talis, qualis est, maneat, vitam aeternam ingredi, novimus quidem, & quantum ad nos attinet, a peccato penitus expurgandam esse, fatemur. Sed haec omnia Christum, in quo peccatum nullum est, minime tangunt, & in nobis quoque vitam aeternam ingressuris, non ipsum humanum corpus, sed peccatum, quo illud pollutum est, deponendum & radicitus evellendum esse probant.

2). Quasi vero Christus quadraginta istis diebus ante adscensionem non habuerit tale corpus?

---

468. *Fideles vero ipsius qualia corpora habitura sunt?*

Similia corpori glorioso Domini JEsu Christi. 1)

Notae:

1) Recte haec Sociniani, modo non absurdissime & Christo & piis in vita aeterna alia corpora, quam quae hic habuere, tribuerent. Quae res disertis Scripturae testimoniis, v. g. *Philipp. III. 21.* 1. *Cor. XV. 35. seqq.* & justitiae divinae, cum inclementer remunerando, tum puniendo, clarissime repugnat. Et quomodo explicari poterit, *Rom. VIII. 11.* quo loco Apostolus mortalia, vel si mavis mortua nostra corpora resuscitatum iri promittit, propter Spiritum in nobis habitantem: si non illa corpora, quae instrumenta facta sunt Spiritus S. in regno gratiae, sed nescio quae alia, in regno gloriae, gaudiis aeternis fruentur? Quid vero Socinianis hac de re videatur, docebunt

bunt verba *Ostorodi*, Unterrichtung, *cap. XLI. p.* 390. So kan man denn nun auch gleich sehen, dass wir in dem Tractat vom Nachtmahl des HErrn, da wir wider die, welche vermeinen, dass sie Christi Fleisch und Blut im Nachtmahl wahrhafftig essen und trincken, und das darum, weil Christus selber gesagt, das ist mein Leib, &c. disputireten, recht gesagt haben, dass, wenn solchs wahr wäre, folgen müste, dass Christus noch nicht GOttes Reich besessen hätte, um der Ursachen willen, dass Fleisch und Blut solchs nicht besitzen kan. Weil aber solchs falsch sey, werde offenbahr, dass Christus jetzt kein Fleisch noch Blut hab, und derhalben die Worte Christi, das ist mein Leib, &c. nicht proprie, sondern figurate; nicht eigentlich, sondern figürlich, sollen verstanden werden. Hat denn nun Christus keinen irdischen noch fleischlichen, sondern einen geistlichen und himmlischen Leib, so muss folgen, dass wir, nemlich seine Glaubigen, auch keine irdische noch fleischliche, sondern geistliche und himmlische Leiber haben werden. Sintemal er, wie der Apostel sagt, *Phil. III.* 21. unsere nichtige Leiber seinem herrlichen Leib gleichförmig machen wird. *P.* 394. Derhalben was betrifft die Worte des Symboli, von der Auferstehung des Fleisches, soll man wissen, dass sie nicht so viel Ansehens haben könne, dass man ihnen wieder die Zeugnisse der H. Schrifft glauben sollte, (dass wir von dem nichts sagen, dass etliche dafür halten, dass alles, was da gelesen wird, anfangend vom Glauben in den Heiligen Geist, bis ans End, zum Symbolo wahrhafftig nicht gehöre, sondern dass längst hernach, da es schon gemacht war, dasselbe hinzugethan sey;) sintemal es noch nicht bewiesen ist, dass es die Apostel gemacht haben. Wiewohl es sich ansehen läst, dass die Worte von der Auferstehung des Fleisches bestehen können, wenn man sie nur recht verstehe, nemlich, dass diss ihre Meinung sey, dass das, welchs Fleisch gewesen ist, auferstehen wird. Gleichwie auch Christus gesagt hat, dass die Hurer und Zöll-

ner ---- Und muss derhalben verstanden werden, dass Christus unter dem Namen der Zöllner und Huren nicht die verstanden hab, welche solche zu seyn fortführen, sondern die, welche solche gewesen waren. Wir bitten aber unsre Adversarios, wenn sie diss lesen werden, dass sie nicht bald heraus fahren wollen, und uns nachsagen, als glaubten wir die Auferstehung der Todten nicht. Sintemal, ob wir wohl nicht glauben die Auferstehung des Fleisches, so man die versteht, wie die Wort lauten: So glauben wir doch festiglich die Auferstehung unserer Leiber, und derhalben auch die Auferstehung der Todten. Paucis respondemus his *Ostorodi:* Quod extremo loco protestatur se Sociosque credere resuscitationem corporum *nostrorum*, bene est; namque ita & credendum est *eadem* esse corpora, quibuscum anima nostra hic conjuncta est, alioquin enim non essent *nostra*, nec *suscitata* possent dici, sed noviter creata. Verum hæc ipsa, quæ fatetur *Ostorodus*, consistere non possunt cum præcedentibus, quibus negatur *caro & Sanguis*, ex quibus totum corpus componitur, in civibus regni gloriæ esse. Quidnam enim de corpore superérit, caro certe qua voce & ossa continentur, & sanguis totum corpus absolvunt. Itaque quæritur non jam de qualitatibus corporis, quas alias esse in Christi glorificato corpore, alias futuras in nostris corporibus, quam fuerant antea, novimus & gaudemus; sed de ipso corpore humano, quod, ubi caro nulla, sanguis nullus est, nec ipsum est quidquam. Pugnat *Ostorodus* inaniter verbis Apostoli, 1. *Cor. XV.* 50. a se non intellectis, quod ostendam, simul atque aliqua ejusdem verba. l. c. p. 389. recitavero: Derhalben hat Paullus der Apostel, da er von der Glaubigen Leibe disputirt, 1. Cor. XV. dass sie nicht irdisch, sondern geistlich und himmlisch seyn werden, nemlich, wann sie werden von den Todten auferstehen, ausdrücklich concludiret, dass Fleisch und Blut das Reich GOttes nicht ererben können. An welchem Ort denn Fleisch und Blut nicht vom fleischlichen Menschen,

das

das ist, von solchen, welche fleischlich gesinnet sind, wie es etliche ohn allen Grund auslegen, sondern von fleischlichen Cörpern oder Leibern soll verstanden werden: Sintemal des Apostels Scopus und Ziel nicht ist zu beweisen, was für Menschen werden seelig werden, sondern, was die Christen für Leiber haben werden, so wol die, welche von den Todten werden auferstehen, als auch die, welche verwandelt werden. Palam est Apostolum non dixisse *alia* nos corpora resurrecturos, sed aliarum qualitatum; nam v. 53. ait, τὸ φθαρτὸν τῦτο *induet* &c. Si induet, manet; alias dicendum fuisset: peribit, & ejus locum implebit incorruptum aliquid. Quodsi manet τὸ φθαρτὸν, h. e. corpus nostrum, (non manente quidem φθορᾷ, *corruptione,*) manet *caro & Sanguis*, si hæc vocabula physico sensu accipias; nam carnem & sanguinem nemo dixerit esse corporis humani qualitates, sed sunt ipsum corpus humanum. Itaque non potest Apostolus, quod uno loco dixit, negare altero loco. Dixit, quod modo vidimus, carnem & sanguinem physico sensu accepta manere, ergo non accepit easdem voces physico sensu, cum negavit v. 50. hereditatura esse vitam æternam, sive, quod idem est, mansura æternum. Ut verbo dicam, τὸ φθαρτὸν manet, ἡ φθορα non manet. Ergo caro & Sanguis v. 50. non significant τὸ φθαρτὸν, sed τὴν φθορὰν, corruptionem naturæ a primo parente in nos transmissam, qui primus homo χοϊκὸς ideo potissimum dicitur, quod audivit sententiam, redeundum sibi esse ob peccatum in terram, unde corpus efformatum fuerat. Scopum Apostoli ait *Osterodus* esse, monstrare, non qui homines salvandi sint, sed qualia corpora habituri? Pulchre; sed hoc ipsum non jugulat caussam nostram, & jugulat *Osterodi*. Nam, si docet, *qualia* simus corpora nacturi, non vult substantiam aliam futuram, sed alias qualitates. Caro & Sanguis autem sensu physico *substantia* sunt, non *qualitas*. Bene ergo *Clemens Roman.* 1. *ad Corinth.* §. 26.

Jobi

Jobi mentem intellexit, cum sic ait: Καὶ πάλιν Ἰὼβ λέγει· Καὶ ἀναστήσεις τὴν σάρκα μου ταύτην, τὴν ἀναντλήσασαν ταῦτα πάντα. *Et rursus Job dicit: Et carnem hanc meam resuscitabis, quæ omnia hæc passa est.* Porro, si docet Apostolus, qualia speranda sint corpora piorum, nihil magis ad rem erat, quam monere, φθορὰν istam ab *Adamo* acceptam, cum consequentibus ante radicitus evellendam esse, quam homo vitam æternam ingrediatur. Quid vero longa disputatione opus.? Erunt similia corpora nostra corpori Christi glorificato; quod cum post resurrectionem adeoque glorificationem, carnem & sanguinem habuerit, *Luc. XXIV.* 39. habebimus & nos carnem & sanguinem. Vident Sociniani hoc telum, sed declinare non possunt. Nam inficetum commentum, Christi corpus ante sessionem ad dextram Patris nondum fuisse gloriæ particeps, quod paullo ante confutavimus, qua specie conantur nobis persuadere? Lepidum est, quod *Ostorodus* ait: Ita Symboli verba valere posse, ut intelligatur, resurgere non ipsa caro, sed *id, quod fuit caro.* Quasi vero quisquam unquam aliud crediderit. Nam hominis quod restat in sepulchro, vel quocunque difflatum dispersumque est, non est jam caro, sed pulvis & terra, nempe id, quod fuit caro. Sed illæ partes dispersæ dissolutæque nunc, ut caro dici nequeant, denuo copulabuntur, ut sit substantia idem corpus, quod confecerant dudum, corpus autem humanum, ut aliquoties jam dixi, sine carne & Sanguine certissime nullum est. De *Symbolo* autem *Apostolico*, quod neque nos, ita ut nunc extat, ab Apostolis compositum credimus, frivole disputat *Ostorodus*, cum alias Sociniani se illud, non item *Nicænum & Athanasianum*, amplecti protestentur. Nam hoc certe caput *de resurrectione carnis* antiquitus in Symbolo fuit. Id quod ex *Irenæo* discere poterat, qui in præclarissima fidei possessione *L. I. c.* 2. hæc posuit: *Et de cœlis in gloria Patris, adventum ejus, ad recapitulanda universa, & resuscitandam*

omnem carnem humani generis. Denique intempestive pro sua caussa *Ostorodus* laudat illud Christi: *Publicani & meretrices facilius ingredientur in vitam aeternam*, h. e. qui fuere, nec jam sunt amplius peccatores. Bene; nempe, ut hi peccatum quidem posuerunt, sed naturam humanam, corpusque & Sanguinem retinent, cum ad Christum convertuntur, & illud quidem corpus, quod peccatis polluerant; ita idem dicemus futurum de corporibus piorum resuscitandis.

---

469. *Ubi vero ea de re testatur Scriptura, Christum in cœlos assumtum?*

Testatur ea de re Lucas nominatim cap. XXIV. 50. 51. ubi legimus: Et eduxit eos foras, usque in Bethaniam, & sublatis manibus benedixit eis, & factum est, cum benediceret illis, disjunctus est ab eis, & sursum ferebatur in cœlum. De quo etiam Marc. XVI. 19. & Act. I. 9.

470. *Cur autem in cœlos sublatus est?*

Propterea, quod in cœlis habitet immortalitas, & illic sit domicilium, & respublica omnium Dei filiorum, quo ille, tanquam præcursor eorum, omnes prævenit, ut iis locum pararet. 2. Petr. III. 13. Philipp. III. 20. Ebr. VI. 20. Jo. XIV. 2. 3. 1)

Notæ:

1) Non equidem hæc, quæ hic dixit Catechesis, falsa esse ajo, nisi quod sublimem hanc locutionem, *in cœlo*

cœlo habitare immortalitatem vix capio: sed minime sufficiunt. Christus enim, cum humanam naturam cum divina conjunxisset, eamque adeo jure possessioneque omnis Majestatis divinæ donasset, non potuit semper in statu exinanitionis manere, sed adeundus tandem erat plenus usus illius divinæ gloriæ. Quæ nunc quidem supersedeo demonstrare, sed confido, Christianum Lectorem de veritate hujus rei non dubitaturum.

---

471. *At ubi Scriptura tradit JEsum ad dexteram Dei consedisse, & omnia subjecta habere?*

Ephes. I. 20. 21. 22. ubi hac de re expresse Apostolus agit, & 1. Cor. XV. 27. & 1. Petr. III. 22. Ebr. II. 7. 8.

472. *Quid autem est sedere ad dexteram Dei?*

Est vices Dei gerere, 1) ac virtutem efficacem habere, ad gubernandum & conservandum Dei populum. Quæ in eo eminet, quod Christus in corpora & animas absolutam habeat potestatem, nec hominibus tantum, verum etiam angelis, & bonis & malis, & morti ac inferno, dominetur.

Notæ:

1) Mihi non placet hæc locutio: *vices Dei gerere*; hoc fit, cum absentis vel saltem non agentis munere alter fungitur. Deus Pater autem cum Filio suo & Spiritu Sancto simul agit; & quamquam Christus nomine Patris se age e & venisse sæpissime dicit, nusquam tamen *vice* Patris se agere dixit; nisi velis huc trahere *Jo. V.* 22. ad quem locum venerandus *Wolfius, curis Philolog.* opportune

tunc monet, veteres recte observasse, non excludi Patrem penitus; quorum loca apud *Suicerum* legere jubet. Oeconomiæ divinæ hæc est ratio, ut per unam Personam hoc, per alteram aliud opus potissimum exeratur, omnibus tamen commune. Ceterum in eandem gloriæ divinæ communionem venisse Christum secundum humanitatem, merito tuemur. Nam, cum *absolutam potestatem* ipsa Catechesis dicat, minor divina esse non potest, quicquid enim Dei potestate minus est, limitatum est.

---

473. Cur eam potestatem in corpora & animas hominum habet JEsus?

Ut in omni necessitate & spirituali & temporali iis subvenire possit. 1) Et, quod sit constitutus vivorum & mortuorum judex, & cuique secundum opera ipsius redditurus, & secundum occulta cordis quemque judicaturus sit.

Notæ:

1) Vera hæc quidem sunt omnia, sed qui possint consistere cum Sociniana Theologia, non video. Christum enim præsentem hodie esse, cum sit in coelis, & a nobis sejunctissimus, negant. At, qui poterit subvenire, qui non est præsens? Et, si dixeris, angelis ultro citroque missis fieri aliquo modo posse, hoc saltem restat, Christum non posse cogitata mentis, quæ angelos ipsos fugiunt, rescìscere.

---

474. At in Angelos bonos & malos cur dominatur?

Angelis bonis idcirco dominatur, ut iis

uti

uti posset ad omne ministerium, quo vel regni ipsius fines promoveri possint, vel credentes in necessitate quavis juvari. In malos potestatem habet, ut eorum conatus & machinationes reprimat, qui in eo toti sunt, ut genus humanum universum, potissimum vero credentes, qui immortalitatem consecuturi sunt, deleant & exterminent, utque eorum potestate, cum vult, utatur, vel ad puniendum aut cohercendum homines, qui aut honori ipsius aut credentium saluti obstent, aut quoquo modo, quantum in ipsis est, nocere velint, aut vel ipsi, vel credentibus, adversarii existant.

475. *Mortis vero & inferni cur habet imperium?*

Ut credentes, licet a morte absorpti fuerint, denuo vitæ reddere, & immortales præstare possit. Quamobrem ipse Christus expresse ait, habere se claves inferni & mortis.

DE MUNERE CHRISTI SACERDOTALI.

476. *Exposuisti munus Christi regium, expone etiam sacerdotale.*

Licet jure hic progredi debeam ad explicandam doctrinam de populo JEsu Christi; quia tamen munus Christi sacerdotale cum

munere Christi regio nimis arcte conjunctum est, 1) prius te de illo instruam. Munus igitur sacerdotale in eo situm est, quod, quemadmodum pro regio munere potest nobis in omnibus nostris necessitatibus subvenire: 2) ita pro munere sacerdotali subvenire vult, ac porro subvenit, atque hæc illius subveniendi seu opis afferendæ ratio, sacrificium ejus appellatur. 3)

477. *Quare hæc ejus opis afferendæ ratio sacrificium vocatur?*

Vocatur ita figurato loquendi modo, 4) quod, quemadmodum in prisco fœdere summus Pontifex ingressus in Sancta Sanctorum, ea, quæ ad expianda peccata populi spectarent, perficiebat, ita Christus nunc penetravit coelos, ut illic Deo appareat pro nobis, & omnia ad expiationem peccatorum nostrorum spectantia peragat. 5) Ebr. II. 17. IV. 14. V. 1. IX. 24.

Notæ:

1) Conjunctionem utriusque muneris Christi nemo negaverit; sed hic Catechesis confundit ea munera, quod nullo modo concedere possumus salva Scriptura. Utrumque, nam res est gravissimi momenti, ostendendum esse video, primo esse hanc, quam dixi, sententiam Socinianorum, deinde, esse longe falsissimam. Observetur ergo, Unterrichtung, cap. XI. pag. 285. sic ait: Dass aber Christi Hohepriesterthum figürlich und von der Admi-

Administration und Vervvaltung seines Reichs zu verstehen sey., vvird aus dem erstlich offenbar, dass desselben Priesterthums Christi, im Neuen Testament, ausgenommen den Brief zun Hebräern, gar vvenig gedacht vvird; vvelchs denn nicht hätte geschehen können, so es ein besonder Amt und von der Vervvaltung seines Reichs unterschieden vväre. Darnach siehet man solchs aus dem, dass der Administration des Reichs Christi und desselben Hohenpriester-Amts einerley Ratio und Weise, auch einerley Effect und Würckung befunden vvird, nemlich die stetige Sorge, vvelche Christus trägt für das Volck GOttes zur evvigen Seligkeit. Denn vvas gesagt ist im Brief zun Hebräern von der Reinigung unserer Sünde, vvelche Christus gemacht hab, oder noch mache, ist anders nichts, denn vvas andersvvo im Neuen Testament gesagt vvird, dass er die Macht bekommen, uns zu erretten vom Tod, vvelchen vvir mit unsern Sünden verdienet hätten, und dass er stets für uns sorget. &c. Videt lector ab impietate Sociniana munus Christi sacerdotale penitus tolli, relinqui solum nomen. Scriptura vero clarissime, quid Sacerdotis, quid Regis sit munus, docet, distincta ea munera Christo tribuit, & nomina quoque Sacerdotis & Regis distincte Christo, quamquam in una convenientia, assignat. Quid Sacerdotis & maximi cumprimis fuerit in populo Judaico, credo lectorem meum scire, nempe Sacra pro populo & privatis offerre, ob quæ peccata remittantur illis hominibus, porro orare & deprecari pro illis. Regis autem & fuit olim, & hodie est, tueri cives ab injuriis, leges dare, præmiis afficere obsequentes, pœnis facinorosos. Hæc officia adeo non sunt confundenda, ut, cum Rex *Usias* Sacra vellet facere, id ipsi pessime evenerit; vicissim, si sacerdotes vellent rebus civilibus præesse injussi, gravissimum esset crimen, quod in *Abjathare*, qui *Adonijam* conatus est Regem creare, videmus. Quod interdum, maxime temporibus *Maccabæorum*, idem utroque munere functus est, non hoc significat, officia esse ejusdem indolis,

indolis, sed, concurrere in uno homine posse, quod factum esse in Christo agnoscimus; sacrificium vero obtulisse Christum, nempe sui ipsius, ita clare tota Scriptura ubique dicitur, non in sola *epistola ad Ebraeos*, quamquam & hoc sufficeret, ut stupenda sit audacia *Ostorodi* id negantis. Neque vero huc solum pertinent ea dicta, ubi expressa vox *θυσίας* seu *sacrificii* de Christo legitur; verbi gratia, *Ephes. V*. 2. Verum etiam, ubi *se tradidisse, in mortem tradidisse, animam posuisse* &c. praedicatur. Nam turpe est Christiano ignorare, quid haec verba sibi velint. Orasse autem olim & adhuc intercedere pro nobis, quis dubitabit, qui Epistolam ad *Rom. VIII*. 34. & historiam Evangelistarum novit? De Regio autem Christi munere ea omnia loca testantur, quae Christum *Dominum* nostrum, & *Judicem, & Largitorem patis, & Victorem* praedicant. In *Ostorodo* vero ceterisque Socinianis quanta absurditas, *purificationem a peccatis* nihil aliud esse, quam facultatem Christi liberandi nos a peccatis; quanta, inquam, absurditas, si ista liberatio absolvatur praescripta sanctiore lege, & monstrato exemplo recte vivendi?

2) Indocte dicitur Christum pro regio suo munere *posse* nobis subvenire. Illud *posse* non est *munus*, quod vocabulum significat alicui demandatum & concreditum esse, ut hoc illudve faciat.

3) *Opis afferendae ratio*, hem quam absone dicitur sacrificium! Sacrificium est, quod Deo offertur; opem vero Deo ferri, ita inepte dictum est, ut pudere credam ejusmodi locutionis ipsos Socinianos. Sed decuisset ipsos observare, quam incongrue haec omnia in Catechesi posita sint.

4) Sacrificium Christi *figurate* modo dictum ait Catechesis. Ita jam Leviticum illud erit *proprium* sacrificium. Itaque *corpus* deinde *umbram* dici oportebit. Mirum est, sine rubore talia dici scribique potuisse. Tu lege *Ebr. X*. 1-10.

5) Pontifex non sacrificavit ingressus Sancta Sanctorum,

rum, sed immolatione jam facta se Deo exhibuit. Quod non vidisse *Socinum* mirabilis res est. Bene ergo *Jo. Niemojevius, Socino* in ceteris ὁμόψηφος, *Epist.* 1. *ad Faustum Socinum*, quæ in hujus epistolis extat, *p.* 196. *Tu contra*, inquit, *Domine Socine! in caussa media non leviter hallucinari videris, qui mortem Christi extenuas, effectumque præcipuum mortis Domini nostri obliterare ac expungere vis, audacter pronuncians, Dominum JEsum Christum, non in ara crucis, sed in ipso cœlo sacrificium obtulisse. Miror, quid tibi in mentem venerit, ut tam confidenter, (ne quid aliud dicam,) contra manifesta Sacræ Scripturæ testimonia pugnare contrariamque sententiam tueri non timeas.* Legat, qui poterit, amœbeas hujus *Niemojevii* & *Socini* Epistolas, apparebit, non quidem optime illum pro bona caussa pugnasse; nam qui poterit homo Anti-Trinitarius? sed *Socinum* pro pessima caussa non sine solertia, neque minus tamen pessime. Quæ vero de claritate dictorum Scripturæ contra *Socinum Niemojevius* & *Jerem. Felbingerus in Epistola ad Christianos* disputant, luce sua radiant. Nam v. g. *Coloss. I.* 20. conciliatio hominum cum Deo & inter se *sanguine crucis* facta dicitur. Respondit victus *Socinus*, cœptum quidem esse sacrificium in cruce, non absolutum tamen. Verum frustra. Nam intervallum tridui mortis & quadraginta dierum post resumtam vitam, non concedunt, ut, quæ post adscensionem in cœlum acciderunt, cum iis, quæ ante contigerant, pro uno continuoque actu habeantur. Sed de his rebus jam supra actum. De laudatis locis *Epist. ad Ebr.* vident omnes, nullo modo sacrificium Christi in cœlis demum factum inde consequi, sed Christum absoluto sacrificio expiatorio, nunc, rebus præclare & ex sententia gestis, coram Deo Patre comparere: id quod nostram caussam luculenter confirmat; nam is, cui alterius culpa luenda est, non prius liberatur e custodia, nedum in aulam Principis admittitur, quam plenissime satisfactum sit. Postquam hæc *Racovienfibus* respondimus, satisfaciendum etiam est recen-

recentioribus nulla parte sanioribus, quamquam cautius aliquanto verba faciunt, & alio loco, quam quo *Racovien-sibus* placuit, hoc argumentum tractant. Res potest pau-cissimis absolvi. *Munus Christi*, inquiunt, *Sacerdotale in eo est, quod non solum in terris agens preces & supplicatio-nes pro se & pro nobis Deo obtulerit; sed etiam sese pro nobis sanctificarit, & victimam dederit, fuso pro peccatis nostris proprio sanguine, & sic per sanguinem proprium re-vocatus a Deo in vitam & immortalis effectus in Sancta illa cœlestia introiverit.* &c. Quæ de *supplicatione pro se facta* perhibent, non satis intelligo. Novi quidem *Ebr.* V. 7. sed, ut propter se, sive propria culpa, cum non pecca-rit, minime supplicio affectus est a Deo: ita liberatus utique a morte, alioqui nos non redemisset, sed una no-biscum periisset; verum non ipsius sed hominum causa, quorum hæc adepta salus esset. *Victima* autem cur voce-tur Christus patiens a Socinianis, nemo dixerit; nam *expi-ationem peccatorum nostrorum a JEsu in cœlis peragi* iidem diserte prædicant; sed in cœlis ille non patitur Christus. Subjungam his captiosam eorundem quæstio-nem. Sic quærunt: *An vero hæc omnia proprie loquendo de Christo dicuntur?* & sic respondent: *Hæc de Christo dicuntur propter comparationem & similitudinem cum pon-tifice legali; quod quemadmodum in prisco fœdere summus Pontifex ingressus in Sancta Sanctorum, ea, qua ad expi-anda peccata populi spectarent, perficiebat, Ebr. II. 17. IV. 14. V. 1. VIII. 24. ita Christus nunc penetravit cælos, ut illic Deo appareat pro nobis, & omnia ad expiationem pec-catorum nostrorum spectantia peragat. Etiamsi autem ob-latio Christi per similitudinem dicatur, nihilominus tamen & verum sensum habet, & longe perfectiorem, quam sacri-ficia & oblationes proprie sic dicta.* Falsum est, Pontificem Leviticum demum in sanctis sanctorum peregisse expia-tionem; nam nisi ea facta Deusque adeo reconciliatus po-neretur, non licuisset ipsi in Sanctis Sanctorum coram Deo comparere, quod Sanguinem tamen secum attulit, osten-

 debat,

debat, non suis meritis, sed ejus, qui olim passurus esset, se confidere. Hujus autem Pontificis antitypus Christus non sane cruentus cœlum est ingressus, nec sanguinem, quem ibi spargeret, attulit, sed eo dudum fuso & per resurrectionem recepto, vi tamen ejus præstitæ victimæ, adeoque facta plenissime expiatione in conspectum Patris venit. Cum *oblationem Christi per similitudinem* factam ajunt, invertunt nefarie totam Scripturam, & ex Christo umbram legis Leviticæ faciunt, cum hæc sit Christi umbra. Frustra autem additur: *oblationem Christi nihilominus verum sensum habere, & longe perfectiorem, quam sacrificia & oblationes proprie sic dictas.* Protestatio hæc facto contraria est. Nam si nihil nostra vice fecit passusque est Christus, ut certissime mactata animalia vicem subiere hominum alias moriturorum, plane nihil est, cur Christus *victima* dicatur.

---

478. Quid porro est peccatorum expiatio?

Est a poenis, quæ peccata, tum temporariæ tum æternæ, comitantur, & ab ipsis etiam peccatis, ne eis serviamus, liberatio. 1)

Notæ:

1) Non quævis liberatio potest expiatio dici. Ita cum *Jephta* liberavit cives suos ab insultibus *Ammonitarum*, nemo dixerit, eum sacerdotali munere functum & expiasse populum; solus ergo ille *modus liberandi a culpa & pœna, præstita satisfactione*, expiatio dicenda est & dici solet. Itaque expiarunt non Reges in populo Israelitico, sed Sacerdotes, animalium sanguine tum fuso, h. e. Christi typo, & hujus sanguinis virtute: Christus, ipso Sanguine suo. Quæ res cum sit clara, nec *expiationis* vox unquam legatur, nisi de liberatione per satisfactionem, sive

vera

vera illa sit, sive imaginaria, ut fuere sacra gentilium, poteram pergere; sed ne quis arbitretur, *Socinum* habere fortasse effugia, age audiamus hunc de *J. C. Servatore, L. II. c.* 13. summa audacia disputantem: „Jam vero, ut ex „iis, quæ supra disputata sunt, intelligi potest, sacrificia „illa non ideo expiare dicta fuerunt, quod in ipsis aliquid „esset, quod, vel Deum ad condonanda peccata movere „posset, vel ejus, pro quo offerebantur, culpam resarci„ret aut compensaret, sed, quia ipsis peractis, expia„tio, quæ ex Dei pura benignitate pendebat, statim con„sequebatur, h. e. ille a pœna suis peccatis debita, peni„tus eximebatur. Ita etiam Christi mors peccata nostra „expiasse dicitur, non, quia vel Deum ad peccata nobis „condonanda moverit, vel delictorum nostrorum culpam „resarciverit aut compensaverit, sed quia peccatorum no„strorum expiatio, quæ ex sola clementia tota pendebat, „Christi supplicio peracto, statim consecuta est. Simul „enim atque Christus crucis mortem passus fuit, id ex Dei „decreto adeptus est, ut non solum ipse immortali & „sempiterna vita donatus fuerit, sed nos quoque, qui illi „fidem habemus, & ipsius sumus, eadem donandi pote„statem habuerit. Atqui nihil aliud est reapse peccato„rum nostrorum expiatio, quam, a morte, peccati pœna, „plena & perpetua liberatio. Præterea, quemadmodum „sacrificiis illis peractis, is, pro quo victima offerebatur, „jam de divina erga se benignitate & placatione amplius „dubitare non poterat, & sibi delictum suum condona„tum jam esse, pro certo habebat: sic morte Christi, „seu ipsius supplicio peracto, nemo est, qui Deum nos „suprema charitate complexum non agnoscat, eumque „erga nos placatissimum non videat, qui dilectissimum „Filium suum, ut nobis ad æternam salutem ea via, quam „ipse ad potentiam & gloriam suam patefaciendam sapien„tissime elegit, dux & præcursor esset, tantis malis obje„cerit, & jam sibi universa delicta ipsius summa libera„litate condonata esse, (iis tamen conditionibus acceptis,

„quas ipse æquissimas in condonatione adscripsit,) pro „certo non habeat. Itaque expiationis tum effectus tum „etiam cognitio, sicut ex sacrificiis illis, ita ex Christi „morte provenit. Ad expiationis effectum pertinent ea „JEsu Christi verba, *Matth. XXVI. 28. Hic est Sanguis „meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissio„nem peccatorum.* Non enim, quia mors ipsius, sive „Sanguinis effusio Deum ad remissionem peccatorum no„bis largiendam motura esset, aut illam nobis conciliaturá, „hæc dixit Christus: sed, quia, ut nos peccatorum re„missionem in novo per ipsum percusso fœdere a Deo „sponte oblatam consequeremur, & a morte æterna li„beraremur, necesse erat, ut ipse Christus moreretur, „& suum Sanguinem funderet; & breviter, quia ex eo, „quod ipse mortuus est, & suum Sanguinem fudit, ad nos „tantæ liberalitatis effectus re ipsa manat, & manaturus est. „Ad idem pertinent ea *Epistolæ ad Ebræos* verba: Et ideo „Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, „in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant sub „priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vo„cati sunt, æternæ hereditatis. *Cap. IX. 15.* Vocabulum „enim redemtionis nihil aliud revera, ut supra indicatum „fuit, eo loco significat, quam expiationem. Usus est au„tem ea voce scriptor ille pro expiatione, ad exemplum, „ut ibi diximus, ebraicæ vocis *Copher*, quæ & redemtio„nem sive redemtionis pretium & expiationem significat, „& propterea, ut supra quoque dictum fuit, possunt com„mode loca, quæ de redemtione sanguinis simul facta „mentione, loquuntur, de expiatione accipi, præsertim „vero locus iste, ubi de ipsorum peccatorum redemtione „verba fiunt. Mors igitur Christi intercessit, ut nos per „novum nobiscum a Deo per ipsum Christum percus„sum fœdus expiationem consequamur earum transgres„sionum, quæ sub vetere fœdere non expiabantur. &c. Nugarum satis de re omnium sanctissima! Nam, cur non appellentur *nugæ* disputationes, in quibus nihil bonæ

rationis est? Sacrificia expiatoria negat ad condonanda peccata quidquam contulisse vel movendo Deum, vel culpam offerentis resarciendo, sed ideo dici expiare peccata, quia expiatio illis peractis illico sequebatur, eam vero expiationem perhibet esse liberationem a pœna peccatis debita. Rideretur summo jure homo, qui ita philosophari institueret: Carnes, olera, panes largiter in ventriculum ingesti saturare hominem dicuntur, non quasi moverent hominem, ut velit desinere esurire, aut quod conferrent isti cibi quidquam ad sarciendam sanguinis & succorum deficientium inopiam; nihil horum: sed, quod peracta comestione, saturatio illico sequitur. Quamquam non diffitendum, nostra ætate sapientes sibi aliisque visos esse homines, qui motus v. g. manuum pedumque non fieri ab humana mente perhibuerunt, quæ nullo modo possit corpus suum regere, sed ita præstabilitum esse, ut peracta voluntate seu cogitatione mentis subito motus membri corporis existat. Sed, cum impium dogma esse ex eo constat, quod motio membrorum ad actus prohibitos, v. g. obscœnos, tandem ad ipsum Deum referenda esset; tum vero genus humanum, quod non dubitat, esse cuique homini, dum sanus est, sui corporis, quamquam non omnium membrorum, imperium concessum, etsi modus movendi latet: miratur summam absurditatem pallio & opinione tegi sapientiæ. Quid vero de *Socino* dicemus? Is si venit ad mercatum, viditque a mercatore emtori omnis generis merces, repræsentata pecunia, aut fide facta ejus aliquando numerandæ, porrigi; contra, non porrigi nulla numerata pecunia, vel numerandæ olim fide facta: negabitne, mercatorem pecunia moveri, & poterit sibi persuadere, fieri istam traditionem mercium, peracta quidem solutione vel ejus fide facta, non tamen ob ipsam? Vel si mavis, pone captivum præstito lytro dimitti, haud dimitti non præstito; tu neminem moveri isto lytro credes? Quamquam desipiunt Sociniani, in tantum tamen non desipient. At, in sanctissima caussa, quam agimus,

 vident

vident non modo *emendi redimendi*que voces tot locis adhibitas; vident emendi pretium seu redemtionis, nempe pretiosum Christi Sanguinem, & quicquid fecit passusque est pro hominibus; vident, cui sit istud pretium redditum, nempe Deo justissima de caussa hominibus irascenti; vident, unde sit ista redemtio facta, nempe ab ira divina, & quæ cum ea conjunctissima sunt, potestate Satanæ, morte æterna; vident clarissima verba, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris; omnia, inquam, ista vident, & tamen negant Christi sacrificio satisfactum esse pro nobis; peracto tantum illo, sed sine ejus intuitu, velle Deum peccata remittere. Hic deploranda est pervicacia animi. *Nihil aliud est*, inquit, *revera peccatorum nostrorum expiatio, quam a morte, peccati pœna, plena & perpetua liberatio.* At, qua ratione probabit, quod ait, *Socinus?* Habetne ullum usquam exemplum, quo dictum sit expiari, quod nulla vel vera, vel saltem imaginaria satisfactione remotum sit? Certissime nullum. Nam cum mox res pollutæ, v. g. *domus*; mox, qui offensus est flagitio, v. g. *Numen*; mox ipsum *scelus*, expiari dicantur in vetustis auctoribus; id, sacris factis, superstitiosis quidem & absonis apud gentes externas, sed quibus tamen opinio sanctitatis infuit, neque unquam non factis ejusmodi sacris, fieri creditum est. Itaque nihil certius, quam expiationem sine satisfactione ne cogitari quidem posse. Imaginaria expiatio gentilium facta est imaginaria satisfactione: vera expiatio per solum Christum vera etiam satisfactione olim promissa & Leviticis sacris adumbrata, nunc præstita remotis umbris. Sed pone, quod falsissimum vidimus, esse verum; tamen tenetur *Socinus*. Sit ergo quævis liberatio expiatio; dixit, *morte Christi, seu ipsius supplicio peracto, expiationem, pura benignitate Dei, statim consequi.* Ergo liberati sunt homines, Christo mortuo, omnes, neque ii soli, qui tum nati fuerant, sed nascituri per multa secula. Quod quid sit, ne intelligi quidem potest, nisi ita: Peccata omnia, quæ Deus omniscius, cum

olim

olim commissa esse, tum commissum iri vidit, satisfactione deleta esse. Quid ludit nos *Faustus* inani voce *liberationis?* Si *liberati* sunt omnes homines statim peracto Christi sacrificio, scire velim, nihilne an aliquid commodi factum sit hominibus nondum natis illa tempestate? Aliquid, dices; quid vero? Actus liberationis non poterat, stante hypothesi Sociniana, tum fieri; nam, qui neque est, nec culpæ quidquam contraxit, quæ est *Socini* peccatum originis in figmentis censentis, opinio, unde liberabitur? Restat, *jus* tum fuisse *adquisitum* hominibus, ut liberentur olim. Id vero duabus, non pluribus, rationibus fieri potuit: vel præstita acceptaque satisfactione, quemadmodum mancipio ex ergastulo redempto, ejus quoque posteris jus libertatis, quo possent aliquando uti, paratum est; hoc ipsum vero, quod nos tuemur, *Socinus* acerrime negat: vel sine satisfactione, sola judicis indulgentia & benignitate. Sic vero nemo dixerit, cur *peracta sacrificia sequatur* illa expiatio seu liberatio? Nam, si non movetur isto sacrificio Deus ad jus illud liberationis concedendum, parum intererat, sive peractum sacrificium sit, sive non peractum; quod si autem non nisi peracto, certe promisso, hoc sacrificio, locum habet condonatio peccatorum, jam negari nequit, Deum illo sacrificio moveri. Vidimus adhuc, neque ipsam *liberationem*, neque *jus* adipiscendæ olim liberationis, ista expiatione Christi a Socinianis relinqui. Vox ergo est illa expiatio prætereaque nihil. Nam *virtutis exemplum*, præterea, quod nullo modo *liberatio* dici potest, nisi & *Jobum* omnium calamitosorum *liberatorem* dicere velis, cujus exemplum patientiæ imitandum omnibus proponitur, ad nasciuros non tam pertinuit, quam ad ejus ætatis homines, Christi autem sacrificium, quo absoluti sunt omnes, qui sanctificantur, *Ebr. X. 14.* non ad alios magis, ad alios minus, pertinet. Supra modum absona sunt *Fausti* verba: *Peracta Christi sacrificio, neminem esse, qui Deum nos suprema charitate complexum non agnoscat, eumque erga nos*

placa-

placatissimum non vident. &c. Si id vult, quod quidem verba sonant, nescio quid cogitaverit; nam palam est, paucissimos mortalium beneficia in Christo exhibita agnoscere. Si hæc est viri mens, par esse, ut agnoscant homines beneficia divina in Christo data generi humano, & credere Deum placatum, id tum demum concedi potest, si doceatur, quod Christiani omnium temporum docuere, præstitam esse a Christo pro peccatis generis humani satisfactionem & acceptam a Deo Trinuno. At, si hoc verum est, quod vult *Socinus*, Christum patientiæ & virtutis exemplum nobis a Deo monstratum esse, & facultatem accepisse, aliqua, sed nescio, qua ratione nobis opitulandi; nihil prætereа: tantum abest, ut placatum Deum inde agnoscamus, ut potius sic cogitandum sit: Si in affligendo Filio suo Deus, innocentissimo illo, tantam acerbitatem expromsit, pejus de nobis contaminatissimis hominibus actum iri; &, si, cum nihil esset necesse, nisi ut exemplum patientiæ in promtu esset, qualia dudum in aliis sanctis viris, nobis similioribus, quam Christus est, extitetant, Filium tantis cum cruciatibus mori jussit: necesse est opinionem in nobis nasci de sævo & truculento animo Dei. Indignis modis tractatur, *Matth. XXVI.* 28. Necesse fuisse *Socinus* fatetur, ut nos remissionem peccatorum consequeremur, fundi Sanguinem Christi, neque tamen ejus Sanguinis effusionem Deum movisse ad largiendam nobis remissionem. Sed eadem opera dixisset, frustra ac inaniter & sine caussa Sanguinem Christi, unam omnium rerum pretiosissimam, profusum esse. Nam, ut daret virtutum exemplum Christus hominibus, quamquam per se res non est contemnenda, tamen, si sejungatur a primario fine mortis Christi, qui est expiare homines, i. e. pro iis satisfacere, multo minor est, quam ut ideo Filius Dei unicus mortuus dicatur. Mirabile etiam est, *Socinum* pertinaciter tueri, noluisse Deum Filio suo gloriam concedere, nisi exantlatis horribilibus doloribus, a quo tamen nulla ratione offensus fuerat; neque aliter potuisse fieri:

at, reliquis hominibus peccato inquinatissimis velle glo[...]
am concedere, neque ipsis, neque alio satisfacientibus p[...]
admissis peccatis, quorum etiam multi fine notabili do[...]
rum sensu ad vitam perveniant. Denique superat fide[...]
Socini immodestia, qui in partes vocat ebraicum verbu[...]
Copher, testatus ipse significari eo redemtionem, redemt[...]
onis pretium, & expiationem, cum palam sit, ita colli[...]
oportere: Ut *Copher* fuit pretium redemtionis, imput[...]
tum illi, qui id offerret: ita Sanguinem Christi imputa[...]
tanquam antitypum & verum *Copher* credentibus ad salu[...]
tem. Qua de re alio loco in dissertatione de voce כפר
plura dicere D. V. cogito. Cum vero loci illustris, *Eb[...]*
IV. 15. mentionem injecerit *Socinus*, nobis licebit de e[...]
dem loco & sequentibus aliqua longe solidiora ex *Hug[...]*
nis Grotii pulcherrimo libro *de Satisfact. Christi cap. V[...]*
§. 3. 4. huc describere: „Hinc est, quod Christus dicit[...]
„*agnus mactatus* a jacto mundi fundamento, *Apoc. XII[...]*
„8. quem locum a *Socini* interpretatione, *L. II. c.* 26. s[...]
„tis vindicat tum ipsa verborum series, tum similis *Pet[...]*
„locus, ubi redemtio dicitur facta per Sanguinem Chri[...]
„*agni inculpati & immaculati, praecogniti ante jacta mu[...]*
„*di fundamenta, manifesti autem facti ultimis tempor[...]*
„*bus.* 1. *Petr. I.* 19. 20. „ (NB. quod ad *Apocal. XII[...]*
attinet, mutavit *Grotius* in Comm. ad eum locum senten[...]
tiam, quam hic tuetur, & connectit voces πρὸ κατα[...]
βολῆς κόσμου, quod & alii faciunt, cum γέγραπται[...]
Sed posteriores curas *Grotii* non esse meliores, ostendit[...]
a me alio loco.) „ Quare alibi Christi mors dicitur inte[...]
„cessisse ad *redemtionem etiam earum transgressionum*
„*quae sub priore pacto fuerant, Ebr. IX.* 15. & *per Sangui[...]*
„*nem ipsius justitia Dei demonstrata dicitur*, ob dissimu[...]
„lationem peccatorum praecedentium, quae Deus tol[...]
„rasse interim & sustentasse ostenditur, ipsa justitiae de[...]
„monstratione in Christi tempus dilata, *Rom. III.* 25. Ac[...]
„cedit illustris ille ad *Ebraeos* locus, *cap. IX.* 25. *Seq[...]*
„*Non ut saepius offerret se ipsum, sicut princeps Sacerd[...]*

„*in ſacrarium intrat quotannis cum alieno ſanguine, (alio-*
„*quin oportuiſſet eum ſæpe paſſum eſſe a jacto mundi fun-*
„*damento,) ſed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum,*
„*ad peccatum per immolationem ſui e medio tollendum, fa-*
„*ctus eſt manifeſtus. Et ſicut ſtatutum eſt hominibus ſe-*
„*mel mori, deinde judicium:* ita & *Chriſtus ſemel oblatus,*
„*ut ſurſum ferret multorum peccata* &c. Cujus loci to-
„ta ſeries, ſi recte attendatur, & præſertim conferatur
„*Petri* ille locus, 1. *Petr. I.* 19. ubi de re eadem iisdem
„prope verbis agitur, apparebit, hoc differre *Chriſti ſacri-*
„*ficium a Levitico*, quod hujus vis eſſet limitata annuo
„tempore, illius vero vis ſe per omnia ſæcula extendat.
„Quippe cujus paſſio apud Deum ante omne ævum
„pro peracta ſit habita, & ſic decretum Dei nobis aper-
„tiſſime ſit revelatum. Ni vero ita eſſet, oportuiſſe Chri-
„ſtum ſæpius ſubire paſſiones, non, poſtquam cœpit
„prædicare, ſed ab ipſa mundi origine. Quæ voces nul-
„lam plane habent ſignificationem, niſi vis mortis Chriſti
„ad omnia peccata ſe extendat, quæ ab ipſa mundi origine
„hominibus unquam remiſſa fuerunt, plane, ſicut judi-
„cium poſt mortem ad omnia ea peccata ſe extendit, quæ,
„vita durante, homo commiſit. Contraria vero *Socini*
„interpretatio, *libr. II.* 26. non modo voces reddit inanes,
„ſed argumentum quoque ſcriptoris enervat. Non enim
„ſequitur, poſito, Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe,
„debuiſſe eum pati non tantum ſæpius, ſed etiam ſæpius a
„jacto mundi fundamento. Hæc enim inter ſe connexa
„ſunt, quia non latius porrigitur effectus oblationis, quam
„immolationis dignitas. At offerri debuiſſe Chriſtum
„ſæpius a jacto mundi fundamento, poſita, quam ſcri-
„ptor *Epiſtola ad Ebræos* oppugnat, paritate ſacrificii Chri-
„ſti & Levitici, non aliunde ſequeretur, quam, quia effe-
„ctus oblationis Chriſti ad ea peccata porrigitur, quæ a
„jacto mundi fundamento unquam ſunt commiſſa & re-
„miſſa. Nam ſi Levitico par eſſet, (h. e. virtutis certo
„tempore limitatæ,) certe a tempore, quo mortuus eſt

Chriſtus,

„Christus, efficacia ejus ad antiquissima peccata non „posset pertingere, sed opus plane fuisset inter utrum„que tempus multos ejus generis actus interponi.„ Hæc *Grotius* solide, ut dixi, & pulchre. Atque ita, quæ de *expiatione* pessime disputavit Catechesis, accurate profligata arbitror.

479. *Qui expiationem peccatorum nostrorum JEsus in cœlis peragit?*

Primum a peccatorum pœnis nos liberat, dum virtute & potestate, quam a Patre plenam & absolutam consecutus est, perpetuo nos tuetur, & iram Dei, quæ in impios effundi consuevit, interventu suo quodammodo a nobis arcet; quod Scriptura exprimit, dum ait, eum pro nobis interpellare. Deinde ab ipsorum peccatorum servitute nos liberat, dum eadem potestate ab omni flagitiorum genere nos retrahit & avocat: id vero in sua ipsius persona nobis ostendendo, quid consequatur is, qui a peccando desistit: vel etiam alia ratione nos hortando & monendo, nobis opem ferendo, ac interdum puniendo, a peccati jugo exsolvit. 1)

Notæ:

1) Hæc omnia ad regium Christi munus pertinere & nihil minus esse quam *expiationem*, e superioribus, quæ ad præcedentes quæstiones disputata sunt, patet. Hoc loco observamus subdolam *Smalcii* versionem, qui in verna-

vernaculo pro *expiatio*, reposuit Reinigung. At nos supra ostendimus *expiationem* latinis auctoribus significare non quamcunque purgationem, sed, qua pro tollenda offensa Numinis sacrum factum est. Deinde prætereunda non videntur lubrica Catecheseos verba: *Iram Dei, qua in impios effundi consuevit, interventu suo quodammodo a nobis arcet.* Quis ille interventus? Moveturne eo Deus? Ita sane accidere oportet, alioqui non arceret a nobis Christus iram. Itaque videndum, quid sit, quod in Christo Deum movet ad parcendum hominibus? Oportet vel satisfactionem a Christo pro hominibus præstitam esse, vel nudam deprecationem, cui vim conciliat non deprecatoris dignitas, sed quod amore fruitur judicis. Tertium aliquod haud puto excogitari posse. Alterum horum dici de Deo nequit. Nam, cum gravi de caussa, ut justissimus, iram effundere cogitet, non modo æque gravem, sed graviorem etiam eam oportet esse caussam, cur, quod debuerat fieri, non fiat. Porro illa caussa, qua arcetur Dei ira alias effundenda, non potest in ipso Deo, prout Deus & justus judex est, esse, nam, si Dei natura postularet arceri iram, ea ne quidem effundenda fuerat, nec oporteret esse, qui arceret. Æque gravis autem immo gravior caussa, quæ Deum alias effusurum iram arceat, in nulla re creata esse potest, adeoque nec in Christo, si nuda res creata est. Nam, si ponis *amorem*, quo Deus Christum prosequatur, caussam esse, ut huic condonet peccatores alias perdendos, caussa revera non extra Deum est, sed in ipsius natura, nempe ejus benevolentia. Si dixeris, aliquam *dignitatem* rerum a Christo præclare gestarum caussam illam esse, scito eam dignitatem hactenus, non amplius, valere posse, ut ipsi tribuantur beneficia, non, ut ejus caussa aliis. Nam, si res creata sua dignitate aliis quoque obtineret beneficia divina; vel pertinere oportet eam dignitatem ad alios & communicabilem esse, vel non pertinere, nec esse communicabilem. Si illud: sequetur, posse rem creatam amplius aliquid facere, quam creatori

debe-

debet, neque adeo debere omnia, id quod longe absurdissimum. Si hoc: jam palam est, non dignitatem illius creatæ rei caussam parcendi esse, sed benevolentiam Dei, h. e. caussam esse *internam*, cum nos ostenderimus debere esse *externam*. Itaque Christus stante hypothesi utraque Socinianorum, nempe nudam creaturam esse, nec satisfecisse pro nobis, caussa arcendæ Dei iræ non potest esse, sed mera *occasio*; & hoc videntur miseri homines obscura vocula *quodammodo* voluisse. Lectorem autem monitum denuo velim, ut observet necessarium nexum de vera divinitate & de satisfactione Christi sanctissimorum dogmatum, quarum altera cadente, altera stare non potest. At nostra sententia, h. e. Scripturæ Sacræ doctrina stante, concinunt omnia pulcherrime. Arcet Christus iram Dei sua satisfactione, quæ est externa impulsiva caussa, & gravior quidem, quam ab altera parte peccata, quæ iram lacessunt.

---

480. Quodnam est discrimen inter veteris & novi fœderis peccatorum expiationem?

Expiatio peccatorum sub novo fœdere non solum distat ab expiatione peccatorum sub vetere plurimum, verum etiam longe præstantior & excellentior est; id vero duabus potissimum de caussis. Prior est, quod sub veteri fœdere iis tantum peccatis expiatio per illa legalia sacrificia constituta fuit, quæ per imprudentiam, vel, per infirmitatem admissa fuere, unde etiam infirmitates & ignorantiæ nuncupabantur. Verum pro peccatis gravioribus, quæ transgressiones erant mandati Dei manifestæ, nulla sacrifi-

cia instituta fuerant, sed mortis poena fuit proposita. 1) Quod si talia Deus alicui condonabat, id non vi foederis fiebat, sed misericordia Dei singulari, quam Deus citra foedus, & quando, & cui libuit, exhibebat. 2) Sub novo vero foedere peccata expiantur non solum per imprudentiam, & infirmitatem admissa; verum etiam ea, quae apertissimorum Dei mandatorum sunt transgressiones, dummodo is, cui labi ad eum modum contigerit, in eo non perseveret, verum per veram poenitentiam resipiscat, nec ad illud peccatum amplius relabatur. 3) Posterior vero caussa est, quod sub prisco foedere ad eum modum peccatorum expiatio peragebatur, ut poena temporaria tantum ab iis, quorum peccata expiabantur, tolleretur: 4) Sub novo vero ea est expiatio, ut non solum poenas temporarias, verum etiam aeternas amoveat, & loco poenarum aeternam vitam in foedere promissam iis, quorum peccata fuerint expiata, offerat.

481. Qua ratione vero utrumque demonstras?

Peccata, quae sub vetere foedere expiari non potuere, omnia sub novo expiari testatur Apostolus Paullus in Actis XIII. 38. 39. ubi ait: Notum igitur sit vobis, viri fratres, quod per eum annunciatur vobis peccato-

rum

tum remissio; & ab omnibus, a quibus per legem Mosis justificari non poteratis, per hunc, qui credit, justificatur. 5) Idem habetur, Rom. III. 25. & Ebr. IX. 15. quod vero ea ratione expientur peccata sub novo fœdere, ut etiam æterna pœna amoveatur, & vita æterna donetur, Ebr. IX. 12. habetur, ubi ait: Christus per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemtione inventa. 6)

Notæ:

1) Expiationis per sacrificia Levitica duplex fuit finis, primum, ut Deum haberent propitium, qui ita expiabantur; tum, ut possent in cœtu populi præsto esse, & communibus juribus frui. Utrumque beneficium, quorum illud longe excellentius est, agnoscimus non sacrificiis per se deberi, sed eorum antitypo Christo, diversa vero ratione, prout & Christus Rex Ecclesiæ suæ duplicem personam gessit. Nam, cum Ecclesia mox accipiatur pro visibili cœtu, mox pro illo numero credentium, qui in hominum oculos non incurrit; quoniam hoc videmus, quinam sint visibilis Ecclesiæ membra, at, qui vere credant, non videmus: voluit externis juribus civium sacræ Reipublicæ gaudere, quicunque externos ritus observassent, qui tamen non statim viva membra corporis Christi erant. Hinc per Prophetas gravissime monuit, externorum rituum observationem non sufficere, ut aliquis Deo placeat, *Ps. L. 7. 8. seqq.* Itaque considerandus est Christus, cum, ut Rector populi Judaici, in quo erat vera Ecclesia: tum ut Rector ejus veræ Ecclesiæ, quæ erat in populo Judaico. Constitutæ erant leges, quibus neglectis, ne quidem civem esse populi licuit, h. e. ut sic dicam, in atrio Ecclesiæ

esse, & in externo cœtu, v. g. circumcisio, præstatio sacrificiorum pro puerperis. Aliæ universis Ecclesiæ civibus, quocunque vivant tempore locoque & populo, constitutæ sunt conditiones, nempe sine fide, h. e. meriti Christi apprehensione, neminem posse placere Deo. Utrumque autem sibi Christus in consilio divino pactus meritusque est, *Esa. XLIX.* 6. *Rom. XV.* 8. *Psalm. II.* 8. ut Judæos, in quo populo decreverat homo fieri & aliquandiu more ceterorum hominum vivere, omnes, quantum ad externam regni formam attinet; tum vero, quantum pertinet ad regnum mere spirituale, & Judæorum illos omnes, qui se adduci ad veram fidem paterentur, & e reliquis gentibus, quicunque sequerentur vocationem, proprios haberet. Quæ jura utriusque regni civium cum sint diversa, diversis modis etiam poterant perdi & recuperari, v. c. poterat aliquis, quod factum est sæpissime, desinere vivum Ecclesiæ internæ membrum esse, cum tamen jure externæ Ecclesiæ seu civitatis Judaicæ minime excideret. Quamquam enim, qui amisisset jus externum, & nollet constituta ratione redire in communionem populi sui, simul abjecisse internam civitatem censendus est: non tamen versa vice placuit illico Deo, qui rituum observatione criminis expers erat. Utrumque hoc jus, si foret amissum, recuperandum fuit *expiatione* per sacrificia facta, sed diversa ratione. *Externum* illud jus civitatis Israëliticæ recuperari potuit sola externa rituum observatione, sive fides veraque resipiscentia accesserit, sive minus. At sanctius illud *internum* nullo modo sine vera fide & resipiscentia. Hæc, antequam cum *Socino* initium disputandi de hoc argumento faciamus, probe præcognoscenda sunt. Et qui hoc non videt, scopumque omninum sacrificiorum, qui Christus est, non agnoscit, plane cœcutit. Nunc ad ipsam Catechesin accedemus, in qua initio occurrit lepidum assertum, sacrificia V. T. tantum pro levioribus, minime gravioribus delictis expiandis constituta fuisse. Quo quid velint Sociniani, ex ipso *Socino*

cino exponendum esse video, cui deinde accurate satisfaciam. Igitur ille, *de J. C. Servatore, Libr. II. cap. XI.*
„Verbum, *expio*, cum de Deo dicitur, condonare declarat. Istud enim est, quod ad peccata expianda ex Dei parte fieri necesse est, cum de nobis id facere significat, quod ad ejusmodi condonationem reipsa adipiscendam, nos facere jubet Deus. Istud enim est, quod ex parte nostrum ad expianda peccata requiritur. Et hac de caussa, cum populus Israëliticus sacrificia illa pro peccatis offerebat, non dici poterat tantum expiare, sed re ipsa expiabat ea peccata, pro quibus sacrificabat. Deus enim propter ingentem misericordiam suam, illis sacrificiis peractis, volebat ipsos ejusmodi peccatorum plenam condonationem consequi. Hanc eandem ob caussam fit, ut sacrificiis ipsis vis expiandi peccata tribui jure possit. Nam & fidei quoque in sacris literis homines justificandi vis aliqua ratione attributa est; non, quod fides dignitate sua & merito hominem in Dei conspectu a peccatis absolvat; sed, quia est necesse ad gratuitam delictorum remissionem a Deo consequendam, ut illi fidem habeamus, & sine dubio omnibus ei fidem habentibus Deus pro sua benignitate omnium peccatorum condonationem perpetuo largitur. Cum igitur Deus illam sacrificiorum obedientiam a populo, si is a peccatis illis liberari vellet, omnino requireret, & cuicunque eam obedientiam præstanti eorum peccatorum veniam largiretur; sacrificia ipsa non virtute quidem propria, aut merito, sed ita Deo pro sua benignitate statuente, peccata expiasse dici non injuria possunt. Veruntamen, quia sacrificia illa levem quandam Dei obedientiam continebant, ut pro levibus duntaxat peccatis offerrentur, a Deo instituta fuerant, quæ scilicet per incogitantiam & errorem admitterentur. Quodsi pro quibusdam etiam voluntariis, sive, ut vocant, ultroneis peccatis, sacrificia instituta fuerunt, sola sacrificia non expiabant, sed, ad expiationem peragendam proximo

„etiam, qui in eis peccatis læsus fuerat, cumulate satis-
„faciendum erat; ut videre est in lege sacrificii pro peccato
„ultroneo, *Lev. VI.* in principio. Pro gravioribus autem
„peccatis nullum sacrificium a Deo institutum fuerat.
„Noluit enim Deus externo illo cultu cordis & volun-
„tatis pravæ opera & veras iniquitates, adversus expressa
„mandata sua commissas deleri & expiari posse. Sacrifi-
„cia tamen non minus pro gravioribus, quam pro levi-
„oribus delictis instituturum Deum fuisse, omnino di-
„cendum videtur, si sacrificia nullum peccatum vere ex-
„piassent, sed, ut vos dicitis, expiationem tantum per
„Christum olim faciendam adumbrassent, & a satisfa-
„ctione, quæ pro peccatis nostris ejus morte peragenda
„foret, vim omnem sumsissent. Quandoquidem mors
„Christi, ut vos asseritis, pro omnibus peccatis & iniqui-
„tatibus eorum, qui id ipsum credunt, & in ea spem su-
„am collocant, divinæ justitiæ cumulatissime satisfecit.
„Iis vero, qui sub lege, per fidem, istam futuram Christi
„satisfactionem sibi non applicabant, quodcunque tandem
„sacrificium offerrent, nulla, quantumvis levia errata
„condonata erant. Si enim ea fide præsente, omnia pec-
„cata, gravissima licet, expiabantur, absente, ne levissima
„quidem, & sacrificia illa per se nil nisi inanis figura erant,
„cur pro levioribus peccatis potius, quam pro gravíori-
„bus, instituta fuissent? Quin imo tanto magis pro gravi-
„oribus, quam pro levioribus instituenda erant, quanto
„graviora delicta conscientiam nostram magis perturbant
„& exagitant, & ad desperationem nos facilius adducere
„possunt, ut per sacrificia illa, si verum est, id quod
„vos opinamini, JEsu Christi futuræ mortis peccatores
„admoniti, qua pro omnibus peccatoribus Deo satisfa-
„ciendum fuerat, animum non desponderent, & inde con-
„scientiæ suæ vulneribus salutarem medicinam petere pos-
„sent. Quamobrem vanis istis commentis & somniis
„relictis, (quod enim sacrificia illa vim expiandi a futura
„morte Christi sumerent, de hoc ne verbum quidem in

uni-

„universa Scriptura extat,) statuendum omnino est, per „sacrificia & victimas illas expiatorias, non modo expiationes, quæ sub novo fœdere fieri debebant, adumbratas „esse, verum etiam peccata ipsa, pro quibus offerebantur „vere, ea ratione, qua supra expositum est, expiata fuisse. „Et ob eam rem, cum omnes fateantur, ex illis victimis „nullam justitiæ divinæ pro peccatis exhibendam satisfa„ctionem oriri potuisse, expiandi verbum in omnibus „locis, ubi expiandi vis ipsis tribuitur, nihil cum satisfa„ctione commune habere, concludendum est. Cumque „nihil unquam de sacrificiis illis a Mose scriptum fuerit, „quod magis satisfaciendi vim ipsis tribuere videatur, „quam, cum eis peccata expiari vel dixit, vel dicere volu„it: manifestum est, ab ipso nunquam scriptum fuisse, „per ea divinæ justitiæ pro peccatis satisfieri.„ Age demonstrabo, quæ hic *Socinum* non sine convitiis indignissima ratione in fidem nostram jactis nugari audivimus, falsa esse omnia: Ac initio quidem, quæ videntur ipsi de voce *expio*, cum de Deo legitur, significare nempe *condonare*, ostendemus illa, quam dixi, dissertatione de voce כפר de Deo, ut Deo considerato, nusquam legi, sed de Christo Θεανθρώπῳ mediatore inter Deum & homines, item de hujus veri & unici Sacerdotis, si proprio & accurato sensu loquaris, typis, Sacerdotibus V. T. Ad eam ergo dissertationem ablegandus est in præsenti lector. Quæ porro disputat de usu vocis, cum de hominibus occurrat, *expiare* nempe esse id facere, quod ad condonationem adipiscendam nos facere Deus jubeat, palam ineptit; nam nullus usquam locus est, quo homines dicantur se expiare, ubique potius dicuntur *expiari*. Gratis ergo explicatur sensus verbi, quod nusquam ita legitur. Vidit hoc *Socinus*, quod colligas ex his ejus verbis: *Cum populus Israeliticus sacrificia illa pro peccatis offerebat, non dici tantum poterat expiare, sed re ipsa expiabat. &c.* Ita dictum non esse constat; dici autem non posse inde liquet, quod actiones Sacerdotum, &, pro quibus offertur, non sunt

 eædem.

eædem. At, cum *expiare* proprium sit Sacerdotum, id quod præter constantem usum munus sacerdotale docet, de reliquo populo frustra idem diceres. Quid vero hoc rei? *Quod ad condonationem reipsa adipiscendam Deus nos facere jubet.* Quoties Christiani ajunt, Christi satisfactione partam nobis esse condonationem peccatorum, objiciunt nobis Sociniani, remissionem esse gratuitam, neque posse meritum ejus, quod gratis donatur, præstitum esse a quoquam. Sed aliquid hic tamen ab homine fieri volunt, ad condonationem accipiendam; id ipsum vero imputaturne homini a Deo, an non imputatur? Nam esse aliquid in homine, cui peccata condonantur, viribus tamen divinis concessum, nempe fiduciam seu fidem in promissionibus divinis positam, & nos dicimus. Sed huic tam negamus quidquam imputari, cum nonnisi instrumentum accipiendæ gratiæ sit, quam mendico, accipienti stipem, imputari non potest, quod manum, quam ponimus extendere ipsum non potuisse, posse tamen retrahere extensam, non retrahit & intellecta stipis bonitate, læta mente datum beneficium retinet. Quid vero est, quod secundum *Socinum* Deus a nobis requirit, ut peccata condonentur? En ejus verba paullo ante eum locum, quem descripsimus: *Dicimur tamen & nos, aut certe dici possumus,* (immo non possumus.) *expiare peccata nostra, non, quia pro ipsis Dei justitia satisfaciamus, quod affirmare maxima blasphemia est, sed, quia ea faciamus, quæ ille a nobis fieri omnino vult, si hanc ipsius supremam liberalitatem reipsa experiri & consequi velimus; cum interim satisfactionem veram nullam is a nobis requirat. Rectum enim & æquum est, ut, si nostra scelera ab ipso nobis condonari volumus, illi aliquam obedientiam præstemus. Itaque cum res eo devenit, ut ad effectum divinæ liberalitatis consequendum & ejus fructum revera percipiendum, nihil aliud requiratur, nisi ut a nobis ita Deo jubente aliquid fiat: certe, qui illud facit, expiat peccata sua & ab ipsorum reatu & pœna penitus liberatur.* Veram satisfactionem

negat Deum exigere ab hominibus, sed aliquam tamen obedientiam. Imputaturne autem ista obedientia homini ad remissionem peccatorum? Ita plane est secundum *Socinum; nam vult Deus omnino ea fieri, si hanc liberalitatem consequi velimus.* Quæ res ita mihi videtur comparata esse, ac si pistor panes suos publice propositos nolle se vendere protestetur, fas tamen & æquum esse, ut numum cistæ imponat, qui velit pane frui; qui non imposuerit, non fruiturum. Hic fortasse pretium minus, quam quod respondeat panis magnitudini, exigitur, ut liberalitas maneat aliqua parte; sed exigitur tamen aliquod, eaque parte, qua exigitur, desinit liberalitas esse. Satisfactio igitur postularetur a Deo, non plena illa quidem, sed aliqua tamen, & a nobismet ipsis præstanda; quo facto nec liberalitati Dei nec justitiæ consulitur. Non huic, nam fieret quidem aliquid, sed non tantum, quantum debuerat fieri; non illi, Scriptura enim nos docet plane gratis dari remissionem peccatorum, quod cessat, si vel minimum pro ea exigitur. Quanta vero hæc est pervicacia, a Christo satisfieri plenissime pro peccatis, fateri nolle; at, inchoatam & vix aliquota parte factam satisfactionem ab ipso homine exigere? Nam etsi vocem *satisfactionis* demunt, rem utique retinent, alioqui necessarium non putarent, illud, quod ab homine exigi ajunt. *Rectum*, inquiunt, *& aequum est, ut, si nostra scelera ab ipso nobis condonari volumus, illi aliquam obedientiam præstemus.* Palam est, imputari eam obedientiam homini remissionem obtenturo. Quodnam vero illud rectum & æquum in Deo, quod *aliqua ratione* fieri aliquid ab homine postulet, *plenissime* satisfieri non postulet? Immo, si liberalitatis divinæ est, quod perhibet Catechesis, remittere peccata, non præstita ulla vera satisfactione, quid attinuit tantillum illud, quod homo præstare potest, exigere, neque cum ceteris omnibus remittere? *Rectitudinem* Dei nobis laudat *Socinus*, quam cum agnoscere nolit, dissimulare tamen non potest. Verum hæc ipsa est *justi-*

 tia

tia, vel, si mavis, *Sanctitas Dei*; nam hac voce plures & commodius utuntur, qua Deus ob amorem, quo se, ut præstantissimum, ipse amat, impune se lædi non patitur. Ea non aliqua parte, sed plene, satisfieri injuriæ postulat. Non est autem, quod tanta fiducia colligat *Socinus*, quia gratuita sit remissio, non posse fieri præstita satisfactione a Christo. Utar hic *Hugonis Grotii* verbis, qui commodius fere, quam Theologi, non semper vocum juridicarum periti, possunt, quamquam veritas vel sine iis sibi constat, caussam hanc peroravit. *Cap. VI.* §. 6. „Nunc illud duntaxat addendum est, non esse verum, quod vult *Socinus*, „*remissionem* pugnare cum quavis *solutione antecedente*. „Quod ut intelligatur, descriptionem quandam ponimus „remissionis debiti, quæ species illas duas, nempe crediti „& pœnæ, sub se contineat: idque juxta ejus vocis usum, „tum in jure civili, tum in sermone communi. *Remittere* „ergo *debitum est actus aut creditoris, aut rectoris, pœna* „*seu crediti obligatione reum liberantis*. In gratiam eorum, „quibus minus sunt cognita juris vocabula, explicatio„nem fusiorem adhibebimus. *Obligationis destructio* in „jure *liberatio* dicitur; hanc præcedere potest solutio, „sequi non potest. Quia actus nullus versari potest cir„ca id, quod non existit amplius. Contingit ergo *libera„tio* interdum antecedente solutione aliqua, interdum citra „omnem solutionem. Sed alia solutio ipso facto liberat, „alia non ipso facto. Ipso facto liberat solutio rei plane „ejusdem, quæ erat in obligatione. Perinde autem est, „utrum ipse reus solvat, an alius pro eo, hoc animo, ut „ipse liberetur. Quod ideo notandum est, quia si alio „animo alius idem solvat, liberatio non contingit ----- „Ubi ergo idem solvitur, aut a debitore, aut ab alio no„mine debitoris, nulla contingit remissio. Nihil enim cir„ca debitum agit creditor aut rector. Quare, si quis „pœnam pertulerit, quam debet, liberatio hic erit, remis„sio non erit, ac talis liberationis professionem in jure cre„diti proprie ac stricte *ἀποχὴν* apocham vocant Jurisconsulti,

„sulti, *L. si accepto*, §. 1. *D. de Acceptilat.* alia vero quæ-„vis solutio ipso facto non liberat, puta, si aliud, quam „quod in obligatione est, solvatur. *L.* 1. §. 2. *D. de reb.* „*cred.* sed necesse est actum aliquem accedere creditoris „aut rectoris, qui actus recte & usitate remissio appel-„latur. Talis autem solutio, quæ aut admitti aut recusari „potest, admissa, in jure speciale habet nomen *satisfacti-*„*onis*, quæ interdum solutioni strictius sumtæ opponitur, „*L. Satisfactio, D. de solut.* Atque hinc vera caussa pe-„tenda est, cur pœnæ corporalis vicarius ipso facto re-„um, solvendo pœnam, nequeat liberare. Hoc enim ac-„cidit primo & per se, non quia alius solvit, (id quippe „liberationem non impedit, dum ea sit solventis voluntas,) „sed quia solvit aliud, quam quod est in obligatione. Est „enim in obligatione afflictio illius, qui deliquit. Unde „dici solet, noxam caput sequi. Quod in aliis quoque „obligationibus ad factum mere personalibus videre est, „ut in sponsalium contractu, & in obligatione opera-„rum officialium. *L. opera, D. de operis libert.* In his „enim omnibus, si aliis solvat, ipso facto liberatio non se-„quetur, quia simul aliud solvitur. Quare, ut ex pœna „unius alteri liberatio contingat, actus quidam rectoris „debet intercedere. Lex enim ipsum, qui deliquit, pu-„niri imperat. Hic actus respectu legis est *relaxatio* sive „*dispensatio*, respectu debitoris *remissio*. Liberatio vero „citra solutionem aut fit *substitutione novæ obligationis*, „aut *omnimoda ejus peremtione*. Substitutione novæ obli-„gationis quæ fit liberatio, *novatio* dicitur, & si persona „debentis mutetur, *delegatio*. Illa autem liberatio, quæ „citra ullam solutionem debitum plane perimit, si circa „creditum verbis quibusdam solennibus peragatur, in „jure civili *acceptilatio* dicitur; circa pœnam autem no-„men proprium, quod solutionem qualemcunque & quan-„tamcunque necessario excludat, non habet, sed communi „nomine vocatur *gratia, venia, indulgentia, abolitio.* Bis „ergo fallitur *Socinus*, cum ad tam remissionem, quam no-

bis

„bis Deus concedit, desumtam ex jure vocem *acceptila-*
„*tionis* applicat. Primum enim illa vox, etiam, cum solu-
„tio nulla antecessit, ad jus crediti aptari potest, ad pœnas
„nec potest, nec solet. Nemo enim unquam legit, ab
„ullo veteri scriptore indulgentiam criminum *acceptilatio-*
„*nem* vocari. Nam accepto fertur ea res, quæ accipi
„potest; at pœnam corporalem rector revera exigit,
„sed non accipit, quia nihil ex pœna ad ipsum proprie
„pervenit. Deinde vero *acceptilatio* opponitur quali-
„cunque solutioni, unde figurate definitur solutio ima-
„ginaria. At Christus λύτρον *redemtionem dedit vitam*
„*suam pro nobis, Matth. XX.* 28. *& pretio emti*, h. e. so-
„lutione aliqua liberati sumus. 1. *Cor. X.* 20. & *VII.*
„23. de qua infra latius. Non est ergo hic *acceptilatio*,
„non est etiam solutio ipsius rei debitæ, quæ ipso facto
„liberet. Nostra enim mors & quidem æterna erat in
„obligatione. Non est etiam *novatio* aut *delegatio*. Ne-
„que enim post nos liberatos aliud simile debitum, aut
„debitor alius succedit: sed est *remissio*, antecedente sa-
„tisfactione, quæ inter se pugnare male arbitratur *Soci-*
„*nus*, cum contra omnis *satisfactio*, hoc est, solutio recu-
„sabilis ideo admittatur, ut *remissioni* sit locus. Cum vero
„dicimus *satisfactionem antecedere*, id intelligendum est
„aut *actu ipso*, ut in peccatis Christianorum contingit,
„aut in *decreto certo* & irrevocabili, ut in peccatis sub lege
„commissis & remissis. Quod enim Deus facere decre-
„vit, pro jam facto habetur, &, dum debitum vere sol-
„vatur, nihil refert, quo tempore id fiat, præsertim apud
„eum, qui omnia, quæ certo futura sunt, compertissima
„habet, & ea, tanquam præsentia, perpetuo videt atque
„intuetur; quæ est ipsius *Socini* confessio, *Libr. II. c.* 26.
Post hæc *Grotii*, quæ neminem pœnitebit legisse, ad ex-
cutienda *Socini* nostri, quæ descripsimus, redeundum est.
Socinus ostendere conatur, sacrificia non injuria dici expi-
asse; quod, etsi nostræ caussæ nihil obesset, si verum es-
set, vereor tamen, ut ullo exemplo demonstrari possit,

qua

qua de re, maxime de *Levit. XVII.* 11. quem locum mihi aliquis posset opponere, in dissertatione de voce כפר exponetur. *Expiatio* est actio Sacerdotis. Sacrificium id est, *per quod* peccata, et peccatis polluti homines resque expiantur. Sacrificiis autem leviora tantum peccata expiata esse, quod *Socinus* tanta opera inculcat, dici non potest, quam sit absonum & falsum. *Si sacrificia* (sic interrogat *Socinus*,) *per se nihil, nisi inanis figura erant, cur pro levioribus peccatis potius, quam pro gravioribus instituta fuissent?* Merito hic *Sibrandus Lubbertius* ad marginem posuit: *Inanis interrogatio! Nam pro omnibus peccatis instituta fuerunt sacrificia. Levit. XVI.* 30. Qua enim fronte quave specie negabit *Socinus*, pro gravioribus peccatis sacrificia oblata esse? cum diserte dixerit Deus, se velle, non a levioribus, sed ab *omnibus peccatis* liberare Israëlitas, magno festo expiationis. Ibi vero animalibus mactatis, & potissimum duobus hircis, imposita esse populi peccata nemo negat; at illum ritum significasse eum, qui portaturus erat peccata mundi, *Esa. LIII.* 6. nefas est negari. Justitiæ autem partæ per Christum, significatæ per hostias, utique solo sacrificandi actu non poterant participes fieri Israëlitæ. Id apparet e pœnitentia, quam imperat Deus eodem capite populo. Nam nisi vere pœniteat hominem admissorum, nec quæret aliquem, qui expiet, & nisi credat se opus habere expiatore, non poterit confidere illi, qui demonstratur in Scriptura & sacrificiorum typis esse expiator. Cum vero Sacerdos, qui aliquid fecit, unde populus imitandi & pariter delinquendi occasionem arriperet, juvencum offerre jubetur, *Lev. IV.* 3. nemo dixerit culpam esse levem, quæ ad totius populi inquinationem pertinet. Porro, *Levit. VI.* 1. 2 3. non puto ipsos Socinianos pro crimine levi habere, abnegationem depositi, interposito perjurio; quod scelus ita grave est, & honorem Dei ita atrociter & directe lædit, ut fingi non posse videatur quidquam atrocius. Sed & pro hoc sacrificium offerendum fuerat. Nescio sane, ubi mens fuerit *Socino*, ejusque sectatoribus, cum talia scribere auderent. Cor-

ruit

ruit itaque misera ratiocinatio tam futili observatione innixa. Sic argutantur: Sacrificia tantum pro levioribus culpis offerebantur, non item pro gravioribus, ergo propriam virtutem habuerunt expiandi, quæ ad majora expianda non suffecit. Suffecisset autem, si non nisi typi Christi satisfacturi fuissent. At, cum expiatio per sacrificia non possit dici satisfactio, quia nimis tenuia sunt illa animalia, quam ut satisfiat illis iræ divinæ, sequitur dari expiationem sine satisfactione, itaque & Christus expiasse nos dici potest, nulla præstita satisfactione. Huc aurigatur callida, sed inepta tamen, argutatio *Socini*. At, falsum est, pro levioribus tantum peccatis victimas immolatas esse. Falsum multisque Scripturæ locis contrarium est, hostias illas expiasse propria virtute homines. Nam primo hostiæ plane non expiarunt, quod paullo ante monitum est, nec propter illas per Sacerdotes sibi reconciliari homines passus est Deus, nisi hactenus, ut possent esse externi cœtus sive populi Judaici membra esse: veræ autem Ecclesiæ membrum nullus peccator per ista sacrificia illisque propriam virtutem factus est. Quod qui non credit Apostolo, *Ebr. X.* 4. 11. erret suo periculo. Ita ille: *ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας. Fieri non potest, ut sanguis taurorum & hircorum tollat peccata, αἵτινες* (*θυσίαι*) *οὐδέποτε δύνανται περιελεῖν ἁμαρτίας. Quæ victimæ nunquam possunt auferre peccata.* Id quod præclare noverunt ipsi Patres. Vid. *Ps. L.* 8. *sqq. Jerem. VII.* 22. Ostendendum, inquis, erat, quo tenderent, quidve significarent ista sacrificia. Quasi vero hoc non esset factum, ita quidem, ut major lux servaretur posterioribus temporibus. Nam, ut nihil dicam de clarissimo testimonio *Esaiæ:* Christum portaturum delicta humani generis, positurum vitam in sacrificium pro delicto & similia plura, in quibus tamen illud *cap. LIII.* eminet: Ipso illo *Psalmo L.* quo vis propria expiandi in sacrificiis tam clare negatur, primis versibus

pul-

pulcherrimum habetur de JEſu Chriſto vaticinium, *e Zione prodituram perfectiſſimam pulchritudinem Dei, venturum Deum, qui colligat electos ex omnibus gentibus illos, qui fœdus faciant ſuper ſacrificio*, quod aliud nullum eſt eſſeque poteſt, quam Chriſti; nam per hoc, cum Levitica ſacrificia ad gentes externas non pertineant, fœdus pangitur Dei cum hominibus. Blasphema ergo & proterva *Socini* verba, quibus *vana commenta & ſomnia* appellat noſtram doctrinam, ſacrificia Levitica vim expiandi habuiſſe a futura Chriſti morte, & audacter pronunciat, de hoc ne verbum quidem in univerſa Scriptura S. extare. Summo jure ita excepit *Lubbertus: Refellat te Deus, qui dicit, prævaricationes V. T. eſſe redemtas morte Chriſti, Ebr. IX.* 15. Sane impudentiſſimi eſt negare rem adeo claram. Expiata eſſe peccata, per ſacrificia, non modo ut liceret in cœtu populi eſſe, ſed &, ut haberet peccator Deum propitium, ad quam quidem gratiam accipiendam fide, ut inſtrumento, olim æque ac hodie, opus erat, dubitare per tot loca biblica non licet; v. g. *Lev. I.* 4. *XVI.* 33. Cum vero propriam facultatem tantæ rei non habuerint victimæ, id quod paullo ante ex Epiſtola ad Ebræos demonſtravimus, ſupereſt eam facultatem, quam certiſſime habuerunt, aliunde petitam eſſe. Unde vero? quaſi opus eſſet quærere, quisnam ſit ille tot agnis figuratus ſanctiſſimus agnus, portans peccata mundi? Remiſſa ſunt peccata veteribus, quotquot veram egere pœnitentiam; cujus rei teſtimonium unicum ſufficiet, *David* Rex. Remiſſa autem ſunt oblatis ſacrificiis, ſed ita, ut hæc per ſe non ſufficerent, ergo aliena vi obtinuerunt ſacrificantes remiſſionem, nempe per eum, quem teſtatur Apoſtolus *Ebr. IX.* 15. mortuum eſſe *ad redemtionem transgreſſionum ſub antiquo fœdere factarum.* Idem Apoſtolus, cum *Coloſſ. II.* 16. 17. legem de feſtis, noviluniis, &c. umbram ait eſſe futurorum, (ad feſtos autem dies potiſſimum victimas pertinere quis neſcit,) ipſum corpus autem eſſe in Chriſto, ita confirmat noſtram ſanctiſſimam doctrinam, ut mille

Socini

Socini eam convellere nequeant. Christum in omnibus sacris, in omnibus precibus pii veteres respexere, *Dan. IX.* 17. Verbo dissolvendum restat, quod Catechesis ait, gravioribus delictis expiandis non fuisse sacrificia constituta, sed mortis pœnam propositam. Hujus scil. rei hæc est ratio, quod sacrificia Levitica duplicem haberent finem, non modo, ut per ea fide oblata obtineretur remissio peccatorum & conscientiæ purgatio, sed & jus comparendi in cœtu populi; hinc patet, quoties supplicium capitale sumendum esset de facinoroso, non potuisse ab illo sacrificium fieri. Verum id quod vult *Socinus*, nullo modo sequitur. Nam, non ideo facinorosis desperandum de gratia Dei fuit, nec non monendi erant de sacrificio Christi futuro, etiam ad ipsos spectante, quamquam hoc typo Christi, ob caussas, quas modo dixi, uti non potuere illi homines, istis tamen sacrificiis, quæ pro toto populo & quotidie bis facta sunt, uti ipsis, & participes eorum fieri licuit. In atrocissimo illo supplicio de *Achane* sumto, *Jos. VII.* 19. 20. cum ex *Josua* satis humanis verbis, nam *Filium* vocat, & ad laudandum Deum excitat &c. quæ omnia sperandæ gratiæ divinæ signa sunt, tum & ex ingenua confessione miseri hominis, colligo de æterna salute hujus viri bene sperandum esse, quamquam, quod ad supplicium corporis attinet, nihil remitti potuit. Hæc omnia, quæ adhuc multis verbis disputavi, si in unam summam colligantur, hoc liquet, Sacrificia Vet. Test. habuisse vim quæcunque peccata, quantumvis atrocissima, expiandi, non vero propriam fuisse eam vim, sed deberi Sacrificio Christi certissime suo tempore præstando.

2) Cum non possint negare Sociniani, dari exempla piorum V. T. quorum remissa sint peccata, comminiscuntur hoc factum esse, quasi extra ordinem, nullo fœdere percusso, quemadmodum & perhibent, vitam æternam nemini veterum promissam quidem esse, datam tamen aliquibus vel sine promissione. Dici autem non potest, quam absona hæc sint omnia. *Epistola ad Ebraeos* laudat

Abelis

Abelis & ceterorum fidem; hac fide factum esse, ut hujus Sacrificium placeret Deo, præ munere *Caini; fides* vero, ut, vel tacente Scriptura, ipsa vox docet, est credere promissa, quæ si nulla sint, & ipsam necesse est fidem cadere. Nota vero est vox *Pauli, Rom. X.* 14. *Quomodo credent, quod non audiverunt?* Remissionis autem peccatorum nullam fuisse Dei promissionem factam, quæ ad ejus ætatis homines etiam pertineret, audebitne dicere, qui legit verba *Psalmi CXXX. 7. 8. Spem ponat Israël in Jehovah, nam cum Jehovah est indulgentia, & multiplex apud eum redemtio*, (liberatio,) *& ipse liberabit Israël ab omnibus peccatis ejus.* Facile videt, qui vult attendere, promitti quidem redemtionem a peccatis futuram per ipsum Jehovam, h. e. Christum, sed quæ jam tum Israëlem solatio certissimo erigere deberet. Idem *Exod. XXXIV. 7.* ubi & hoc in nominibus Dei ponitur, *remittens peccata*; quo de loco me supra exponere memini.

3) *Amplius relabatur.* Quasi vero relapsis numquam contigisset venia. Postulatur quidem a Deo, ut, quibus sunt peccata remissa, illi in posterum sibi caveant, ne quid deterius ipsis accidat, non præcisa tamen penitus, si & secundum tertiumque &c. serio per Christum petatur, venia.

4) Pœnam temporariam solam sublatam esse ab eo, qui sacrificabat vel sacrum offerri per Sacerdotem curabat, unde audebit *Socinus* probare? Sub Novo Testamento demum hoc factum ait Catechesis, ut æternæ pœnæ amoveantur. *Davidi* remissa esse peccata novimus, & *Abrahamum* ad sedes beatorum translatum, vel utrumque potius de utroque. Cur enim, si secus esset, *Paullus Rom. IV. Davidis* exemplo uteretur, in demonstranda gratuita peccatorum remissione? Cur *Abrahamus pater credentium* diceretur, & accubitus in ejus sinu tanquam eximius gradus beatitudinis æternæ prædicaretur? Ceterorum vero prisca ætate piorum quis dixerit aliam fuisse rationem? Mirum vero, antiquos Reges tamen ad se

 per-

pertinere credidisse, quæ ille esset præstiturus. Equidem non capio, qualem sibi Sociniani animo fingant incuriam veterum, qui de vita post hanc mortem parum fuerint solicitii; & qualem Deum, qui populo, quem elegisset, quem dignatus esset Θεοκρατία & maxima stupendorum miraculorum copia, ac multitudine insigni sanctorum Prophetarum, de re tamen una omnium gravissima, æterna nempe vita, nihil dici curaverit.

5) De *Act. XIII.* 38. 39. paucis egisse juvabit. Plerique verba Apostoli ita intelligunt: Sub lege Mosaica sacrificiorum & hostiarum virtute non potuisse justitiam & remissionem peccatorum obtineri. Hi nihil dicunt, quod non sit longe verissimum, & a nobis supra demonstratum. Verum hujus nostri loci non videtur hic esse sensus. Ita enim Apostolus: *Per hunc* (JEsum) *vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab iis quoque omnibus, a quibus non potuistis secundum Mosis legem absolvi, quicunque in hunc Christum credit, liberabitur.* Hinc videmus pios N. T. non solum plenissimam peccatorum remissionem obtinere per Christum, sed præterea etiam a legibus Leviticis liberationem, sive immunitatem. Hæc ut exemplo illustrem, poterat v. g. *puerpera* in gratia Dei esse per fidem, & de salute ac peccatorum indulgentia certissima. Sed, quoad viguit lex Levitica, ad obeundos certos ritus & hostias offerendas obligata fuit. Hoc vero nexu solutos docet fideles N. T. Apostolus. Nihil ergo caussæ Socinianæ hic locus prodest. Male enim colligitur: Quoniam Veteres necesse habebant, legem Leviticam observare, ideo non impetrasse eos per Christum peccatorum omnium remissionem. Nam Leviticæ leges sunt *accessorium*, quod non tollit rem *primariam*. Primaria autem lex est moralis. Hujus violatæ gratia per Christum parata potuit accipi, ut nihilominus, si quis vellet civis reipublicæ Judaicæ esse, aliquibus casibus, ritibus Mosaicis defungendum esset.

6) Hæc

6) Hæc dicta, quæ laudat Catechesis, *Rom. III.* 25. *Ebr. IX.* 12. non hoc modo probant, quod sine controversia est, in N. T. pœnas æternas etiam removeri, & vitam æternam donari, sed hoc præterea, virtute ejusdem sacrificii Christi etiam olim meritas pœnas condonatas esse, & salutem adeptos veteres. Nam *Paulus* l. c. ait: Christum olim *propositum* fuisse, quæ est emphasis verbi προέθετο, tanquam propitiatorium, istam propitiationem autem factam olim esse per fidem; quæ fides non in victimarum sed Christi Sanguine aliquando fundendo acquievit: eam vero figurationem factam esse priscis temporibus, ut Deus justitiam suam per remissionem olim factorum peccatorum ostenderet. Quorum verborum hic est sensus: Poterant Veteres opinari, Deum, cum remittit peccata, sine λύτρῳ id facere. Id vero ne opinarentur, & potius viderent, justitiæ divinæ satisfaciendum esse, tot animalium mortes figurare debebant, quid meriti essent homines, quid passurus suo tempore Christus. Quam explicationem hujus dicti facilem sed & necessariam esse videbunt, quicunque animum serio advertere volent. *Ebr. IX.* vero incauti Sociniani plane non debuerant laudare, cum sibi esse totum illud caput maxime contrarium facile possent videre. Nos, ne repetendum sit, quæ ad *v.* 25. & 26. jam disputavimus & disputantem *Grotium* audivimus, in præsenti ad *v.* 12. monendum censemus, αἰωνίαν λύτρωσιν, quam reperisse Christus dicitur, non ob hoc solum *æternam* esse, quod in omnia futura tempora se expotrigat, sed, quod & retro profuerit.

---

482. Cur id sacrificium Christi in cœlis peragitur?

Ideo, quod tale tabernaculum requireret, qualis ipse esset Sacerdos, quale & ipsius sacrificium existeret. Cum enim Sacerdos ipse

esset immortalis, & sacrificium ipsius prorsus incorruptibile, in æternum tabernaculum ipsum intrare oportuit. At tale tabernaculum cum tantum cœlum existat, sedes & domicilium Dei, idcirco necesse erat, ut in cœlos profectus sacerdotali munere fungeretur, ut aperte autor Ep. ad Ebr. VII. 26. testatur, dum ait: Talis nos decebat Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Et inferius ait: Si in terris esset, ne Sacerdos quidem esset, cap. VIII. 4. Et inferius rursus: Hostiam & oblationem pro peccato noluisti, corpus autem aptasti mihi. Cap. X. 5. 1)

Notæ:

1) Rem nulla verisimilitudine commendabilem frustra pingit Catechesis, Christum Sacrificium suum non in terra obtulisse, sed offerre hodie in cœlo. Cum tota Scriptura de Sanguine crucis Christi, de morte ejus, qua simus placati, tot locis disserat, at non in cœlis crucifixum mortuumque Christum, quid opus est moneri? *Tale*, inquiunt, *tabernaculum, requirebatur, qualis esset ipse Sacerdos, & quale est sacrificium.* Lepida utique ratio! Nam si hoc necesse fuit, vivum tabernaculum & ratione præditum esse oportuit, quod vel cogitare absurdum. Neque necesse est tabernaculum sua aliqua excellentia dignitati Sacerdotis respondere. Alioqui dicendum foret, Sacerdotes, qui in templo *Salomonis*, immo & illo, quod *Herodes* restauravit, quæ ædificia augustissima fuere, ministrarunt, longe excellentiores fuisse *Aarone* ejusque filiis, qui in tabernaculo solubili functi sunt munere Sacerdotum.

Abso-

Absonum est laudari a Catechesi tria loca *Epistolæ ad Ebraeos*, quorum primus de innocentia & Majestate Christi, cum sit pulcherrimus, & de Divinitate Christi doceat, sine qua non posset celsior cœlis dici, ad caussam Socinianorum, quam agit Catechesis, nequidquam facit. Apostolus ait, necesse fuisse in Sacerdote nostro, qui & mereri nobis & conferre salutem posset, ut esset excelsior cœlis, h. e. rebus creatis omnibus, quarum clarissimæ sunt cœli cum suis incolis sanctis Angelis, infinitis partibus superior; nam nisi foret his major, non posset omnes ad se confugientes recipere in cœlos. Quis vero aliqua specie inde colliget, Christum Sacerdotem factum tum demum esse, cum in cœlos est sublatus, vel tum demum primario Sacerdotis munere, h. e. sacrificii oblatione functum esse? Nam Sacerdotem hodie etiam agere Christum ad dextram Patris intercedendo pro nobis, in confesso apud omnes est. Vox γενόμενος, quam videtur Catechesis ita explicare velle, ut sit Christus *Sacerdos factus*, tum cum cœlis excelsior factus est, h. e. in ascensione, (nam celsitudinem, quam natura habuisset, intelligi non posse, cum dicatur *factus* celsior cœlis,) ea inquam vox, non est, quod aliquem moretur. Utique factus est Christus secundum humanam naturam celsior cœlis, neque haberet humana natura eam dignitatem, nisi cum divina esset in eadem persona conjunctissima. Hanc vero celsitudinem Christus homo non accepit demum in sessione ad dextram Patris, quamquam tum plenissime ea uti cœpit, quemadmodum nec reliqua attributa, ut sit ἄκακος ἀμίαντος, in ea sessione accepit, sed semper ab ipso conceptionis momento habuerat, obtinuit autem per unionem personalem; Christus enim *Dominus* fuit, teste angelo, cum natus esset in oppido *David. Luc. II.* 11. Et cum *introduceretur in mundum*, non, cum rediisset ad Patrem in ascensione, jussi sunt omnes angeli Dei adorare ipsum, *Ebr. I. 6.* quod nullo modo fieri posset, nisi celsior angelis adeoque & cœlis jam tum fuisset. Poteram his acquiescere, nam

Catechesi abunde satisfactum esse confido. Sed, quoniam video doctum virum *Theodor. Akersloetum*, *Comment. ad h. l.* cujus ego versione germanica *Alrici Pleskii* utor, *p.* 596. aliqua scripsisse, quæ possent, præter opinionem, ut arbitror, auctoris eruditissimi, Socinianorum caussam juvare videri, saltem turbare animum lectoris, ostendendum, nihil esse solidi in *Akersloeti* disputatione. Recitabo primum verba, quæ huc pertinent: Καὶ ὑψηλότερος τῶν ὐρανῶν γενόμενος. Es zielet Paullus noch immer auf einen Levitischen Hohenpriester, der, wann er das Blut zu einer allgemeinen Versöhnung vergoss, und es in das Allerheiligste brachte, zu der Zeit an dem höchsten Ort des Tempels war: von Christo aber spricht er: dass er als Hoherpriester höher dann der Himmel sey. Diss zeiget an, dass er durch die Lufft und das Firmament, so die beyden ersten sichtbaren Himmel sind, gegangen, und bis in den dritten Himmel kommen ist. Als er nun dahin gefahren ist, da ist er höher als die zween sichtbare Himmel worden. ---- Diss hat auch GOtt seiner Kirchen unter diesen Worten verheissen: *Er soll zu mir nahen, und er wird mit willigem Herzen zu mir nahen. Jerem. XXX.* 21. Diss zeiget an, dass GOtt den Messiam droben in den Himmel würde kommen lassen, wie wir dann auch bey den Propheten lesen, *daß er als Priester auf seinem Thron sitzen würde. Zach. VI.* 13. Wir müssen es demnach für gewiss halten, dass diese Worte nichts anders anzeigen, als dass Christus zu seiner Zeit höher, denn der Himmel, werden würde. Das, was Christo ein solch Recht gegeben, ist nichts anders, als sein Blut gewesen, das er zur Versöhnung für die Sünde der Welt vergossen hat. Unde vir doctus acceperit, Pontifices Judaicos, cum ingressi sunt Sancta Sanctorum, supremo loco templi stetisse, immo, quid sibi his verbis velit, plane nescio. *Sancta Sanctorum*, quantum ad solum attinet, quod calcare Pontifex potuit, non erant celsiore loco posita, quam *Sancta*: neque hæc editiorem situm habe-

habebant, quam circumjecta area, cujus ambitum bis mille cubitorum fuisse *Jo. Lightfootus* docet, in *Descript. Templi Hierosolym. cap. H. Tom. I. Opp. p.* 554: sed neque hic, qui maxima cura de partibus templi egit, neque *Philo*, qui *libro III. de vita Mosis* idem argumentum tractavit, nec *Josephus, Antiquitatt. L. III. cap.* 5. 6. in descriptione tabernaculi occupatus, vel *libr. VIII: c.* 3. agens de templo, harum rerum quidquam habet, potius l. c. p. m. 263: *arcam cum solo templi aequatam* fuisse docet. Sed pone Sacerdotem celsissimo templi loco stetisse, templo saltem ejusque tecto celsior non erat, neque ea res typus Christi, qui coelis celsior futurus esset, fuit. Et profecto nec Sacerdos in templo, nec Christus, si in coelis, quod *Socinus* vult, Sacra fecisset, eminentiores physica aliqua ratione loco sacrificii fuissent. Hinc clarere puto, eum esse loci sensum, quem indicavi. Quae de tertio coelo superiori, quam aërium & sidereum sit, *Akersloetus* nobis narrat, nihil habent verisimile. Coelum, quod ingressus est Christus, versus nubes quidem elatus dum possent visu sequi discipuli, non est loco & spatio, sed conditione diversum remotumque ab nostra terra: Dextra enim Domini, ad quam consedit Christus, est ubique, alioqui falsa esset argumentatio *Davidis: Deus noster est in coelis, facere potest quicquid vult;* & contrarium potius sequeretur, ut, qui coelo clausus esset, non posset ubique, quae placerent, facere. *Jeremiae* locum, *c. XXX.* 21. *Akersloetus* prodit, se non intellexisse, cum de ascensione in coelos explicat. Nam si & ageret de Christo ad Deum Patrem appropinquante, de obsequio tamen explicandum foret, quod praestitit Patri Christus in statu exinanitionis, quod & faciunt plerique Interpretes. Mihi quidem ob summum hujus *cap. XXX.* cum sequente nexum, cujus pleraque, maxime *v.* 40. docent de *Israële & Juda secundum* carnem sermonem minime esse, sed *secundum Spiritum*, h. e. de Christiana Ecclesia e toto orbe collecta, is, qui esset e medio Christianorum futurus אדיר & מושל accessurusque lubens ad Deum, videtur

signi-

significare primos Christianæ fidei professores Principes, qualis *Constantinus M.* fuit, qua de re alias agere D. V. decrevi. *Zachar. VI.* 13. ne verosimili quidem ratione a viro docto explicatur. Templum, quod Christus, cui *germinis* nomen datum est, ædificaturus prædicitur, sane non est cœlum, sed regnum gratiæ in hac terra, in quo regno sedet Christus super Throno, non modo ut Rex, ut protegat regatque suos, sed & ut Sacerdos, ut doceat; nam & hoc Sacerdotum non ultimum munus est. Nunc redimus ad Catechesin. Ad alterum locum ex *Ep. ad Ebraeos* laudatum respondebitur sub quæstione proxima. *Cap. X.* 5. jugulat ipsorum Socinianorum thesin. Ipsi volunt Christum fecisse Sacrum in cœlo; at hic, ut adhuc omnes explicarunt, (nam ego meam opinionem de voce σῶμα in *Syntagmate Observatt. Sacr.* modeste exposui,) Apostolus Christum dicit corpus suum divinitus sibi datum, loco victimarum V. T. dedisse; quod in cruce factum esse ne dubitari quidem potest.

---

483. *Quid? annon erat Sacerdos, antequam in cœlos ascenderet, & præsertim cruci affixus hæreret?*

Non erat: Nam, ut modo audisti, aperte is Scriptor divinus testatur Ebr. VIII, 4. si in terris esset, eum ne Sacerdotem quidem futurum. 1) Præterea, cum idem auctor testetur, ipsum fratribus similem per omnia esse debuisse, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex, in iis, quæ ad Deum, perspicuum est, quamdiu fratribus similis per omnia, id est, in afflictionibus & morte non erat, tamdiu reipsa eum Pontificem nostrum misericordem

cordem non fuisse. Atque ad eum modum afflictiones & ipsa mors non erant sacrificium ipsum, verum via quædam & præparatio ad illud peragendum. 2)

Notæ:

1) *Ebr. VIII.* 4. planus est Apostoli sensus, nisi sedulitas Interpretum tenebras obduxisset. *Commate ultimo, cap. VII.* dictum fuerat, secundum *Psalm. CX.* Filium Dei constitutum esse Sacerdotem, qui & perpetuus esset Sacerdos & consummatissimus. Hic non possum *Philonis* Judæi verba tacere, quæ pulcherrima mihi visa sunt & rudera antiquæ doctrinæ, quæ olim in populo sancto valuisset. Is, *libro III. de vita Mosis, p. m.* 673. C. sic ait; postquam de significatione ornatus Pontificii verba fecisset: *Ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερώμενον τῷ τοῦ κόσμου Πατρὶ, παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ πρός τε ἀμνηστίαν ἁμαρτημάτων καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. Necessarium enim erat, ut Sacerdos supplicaturus Patri mundi, advocatum adhiberet perfectissimum ejus Filium, ad impetrandam erratorum veniam, & exhibitionem uberrimarum bonorum.* Pergit Apostolus, *cap. VIII.* 1. Hoc, quod adhuc dictis quasi coronidem imponat, esse: Pontificem nos habere, qui in cœlis ad dextram Dei consederit, ministret autem, h. e. fungatur munere Pontificis, cui Sacrorum & totius religionis cura imposita erat, in templo non manu facto, sed in Ecclesia Christiana, a Deo, non hominum opera, fabricata. Non ignoro aliquot doctissimos viros per *ἅγια* & *ἀληθινὴν σκηνὴν* intelligere cœlum triumphantium, immo ipsum illud cœlum, quo Christus venit, h. e. possessionem gloriæ divinæ, sed explicare non possunt, quo sensu *fabricatum* dici

dici possit hoc cœlum. Itaque etsi *ἅγια ἁγίων*, *in qua* Pontifex noster ingressus est, certissime cœlum illud gloriosum significant *Ebr. IX.* 12. *τὰ ἅγια* tamen sive tabernaculum, *per quod* ingressus est Christus, malim intelligi hic militantem Ecclesiam, & a Christo ipso, antequam digrederetur, præclare conditam, in qua & hodie, quamquam in cœlis ad dextram Patris sedet, immo, quia ita sedet, ut Sacerdos gubernat regitque omnia per verbum & Sacramenta, docet, monet, hortatur, solatur, ut de tutamine, quod ipsi debemus, quodque ad regium munus pertinet, nihil nunc dicamus. Quamquam igitur doctissimi viri, qui cœlum gloriosum putant voce hujus tabernaculi, per quod ivit Christus, intelligi, ineptiæ *Socini* nulla parte suffragantur, manet enim, sacrificium, h. e. primariam functionem muneris sacerdotalis in terra & in cruce factum esse; magis tamen premi Socinianos hac nostra observatione omnes videbunt, quæ & præterea e *v.* 6. sqq. luculenter probatur. Ubi *λειτουργία* antiqua non actionibus, quæ in regno gloriæ fiant, sed quæ ad regnum gratiæ N. T. pertinent, & quæ, ut ipsæ promissiones, non in substantia, sed in modis, ab Veteri Testamento differunt, opponitur. Accedimus ad *v.* 3. ubi vocula *γὰρ* attentionem meretur, & connexio non videtur facillima. Mea hæc est opinio: *θυσία* & *δῶρα* hic non sunt sacrificium propitiatorium, quod Christus semel obtulit, nempe seipsum, sed pii & fideles homines Deo Patri, ob eum ipsum, qui offert, grati & accepti. Vidimus enim agi de Sacerdotio Christi, quod in cœlo sedens apud nos in regno gratiæ præsens administrat. Huc vero pertinet pulcherrima vox *Paulli*, *Philipp. II.* 17. *Εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν. Si pro libamento offerar super hostia sacrificioque fidei vestræ*, ut *Beza* bene vertit; unde apparet, fideles perquam commode sacrificium nempe eucharisticum, quod & vox *δῶρον* significat, Deo obla-

oblatum dici posse & solere. Nunc vero clarum est, quid sibi velit τὸ γὰρ. Ita nempe cohærent omnia: Habemus & hodie Pontificem, dudum expiatorio sacrificio functum, nunc vero in Ecclesia a se constituta offerentem Deo pias animas fidelium; nam, cum unusquisque Pontifex in populo Judaico offerat aliquid, quod Deo gratum sit, omnium maxime hic verus Pontifex rem Deo gratissimam offerat necesse est. Ea enim, (nunc *v.* 4. cujus gratia hæc omnia dicta sunt, facillime exponitur,) quæ Levitici Sacerdotes offerre solent, munera, noster Pontifex non offert, immo & prohiberetur ea offerre, si hodie apud nos more ceterorum hominum viveret, cum non sit e tribu Levitica & *Aaronis* familia ortus. Hæc omnia, si semel iterumque expendantur a lectore, clara fore confido, & meliora iis, quæ meritissimus noster *Sebast. Schmidius*, consilio utique bono, sed, si omnia circumspicias, non optime scripsit: *ad h. l. p.* 826. „Hæc „dici a Christo in cœlis seu apud Deum offerri. Noster „Apostolus namque præcipue saltem respicit ad cultum, „qui in V. T. in ipso tabernaculo, & Sancto Sanctorum, „non foris, peragi debebat a Pontifice etiam maximo. „Jam Pontifex maximus nihil mactabat intra tabernaculum. Sed foris omnia mactabantur. Ubi autem ma„ctata fuerunt foris, aut præparata, tum ille in taberna„culum ingressus est, & Deo offerebat spargendo San„guinem aut suffiendo, &, si quid aliud est. Sic Chri„stus extra verum tabernaculum in terra mactatus est, in „cruce suspensus, sed ingressus postea in hoc tabernacu„lum, & nunc ad dextram Patris sedens offert Sanguinis „& quæcunque sua merita ad reconciliandum nos & expi„anda peccata nostra.„ Injuria fieret beato viro, si quis arbitraretur in mentem ipsi venisse Socinianam ineptiam de Sacrificio Christi demum in cœlis præstito; hoc enim unum vult, Christum in concilio SS. Trinitatis perpetuo proponere, quod olim præstitisset. Vicissim vero dissimulandum non videtur, incautius dicta esse, quæ vir eximius

mius habet, de Sacrificio Pontificis foris *præparato*, item de Christo, qui nunc ad dextram Patris sedens faciat aliqua ad explanda peccata nostra. Nam Pontifex Leviticus, confecto foris Sacrificio expiatorio, non præparato, intravit Sancta Sanctorum, sistere nunc se Deo jam placato ausus, spargens quidem victimæ jam oblatæ sanguinem, ne sua sanctitate fretus videretur. Et Christus non expiat hodie peccata nostra, sed expiavit dudum *αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος*.

2) Ita colligit Catechesis: Christum oportuit multa pati, ut fieret misericos & fidelis Pontifex, ergo, antequam illa omnia passus est, sustinuitque omnia, h. e. antequam est mortuus, non fuit Pontifex, sed deinceps factus est. Hunc nodum ajo esse vindice dignum, neque tamen nimis difficilem. Observandum modo, 1) Christi totam vitam in statu infirmitatis meram passionem fuisse, & errare, qui fere in extremis tantum vitæ horis, ubi quidem moles cruciatuum erupit, passum esse Christum acerbissima omnia putant. 2) Πιστὸν seu fidelem Pontificem Christum dici, similitudine quidem ab antiquo Pontifice ducta, sed non in eo, quod perhibent Sacerdotem sacramento ab legatis Synedrii adactum fuisse quotannis ante magnum festum expiationis, quo sancte promiserit, se velle fideliter officio fungi, maxime thus non imponere prunis ante ingressum, sed, cum jam esset ingressus, intra velum, quod secus fecisse aliquando narrantur Pontifices Sadducæi; tota enim hæc res multo mihi videtur fabulæ similior, quam historiæ, qua de re tamen Vener. *Deylingius, Observ. S. L. II. Obs.* 13. *p.* 143. consuli poterit: sed in eo potius, quod deceret Sacerdotem facilem esse in admittendis hominum pœnitentium sacrificiis, iisque rite obeundis, misericordia hominum peccatis onustorum ductum. Qua de re placent *Akersslooti* verba, *ad Ebr. II.* 17. *p.* 165. Ein barmhertziger und treuer Hoherpriester. Diese sind die eigne Beschaffenheit gewesen, die ein rechtschaffener

Hoher-

Hoherpriester muste an sich haben. Er muste wegen aller Sünden, Fehler und Gebrechlichkeiten, die von den Israëliten begangen wurden, mitleidig und barmhertzig seyn. Und dieses sein Mitleiden muste mit einem solchen Wunsche vereinigt werden, dass die Sünden den Israëliten vergeben werden möchten. Wann ein Jude dem Hohenpriester seine Fehler offenbahret hatte, und der Jude wollte, dass für seine Ubertretung geopfert werden solte, so muste alsobald der Hohepriester darzu willig seyn, und einem solchen bussfertigen Juden zeigen, dass er ein barmhertziger und liebreicher Hoherpriester sey. Recte hæc dicta esse non dubito; exemplum autem fidelis & misericordis animi, qualem hic requirit *Akersloatus*, habemus in *Aarone, Numer. XVI.* 47. nam graviter licet ipse offensus expiare tamen peccata populi quavis ratione & avertere iram divinam, neque infeliciter, studuit. His probe expensis, salebræ, si quæ fuerant, facile removentur. Decuit nempe Christum Pontificem futurum omnis generis afflictionibus & malis, solo peccato excepto, tentari, ut suo experimento, cujus sane in humana sua natura capax fuit, disceret dolere vicem miserorum mortalium, & implorantes ipsius intercessionem auxiliumque clementer admittere. Jam vero nihil inde sequitur, pro Socinianorum hypothesi. Præparatus utique est Christus ad pontificatum misericorditer administrandum, sed tota vita, ut sub finem vitæ inter homines actæ, præstito sacrificio, deinceps benignissimum se præberet & misericordem hominibus. Recentiores Sociniani videntur paullo cautius loqui, quam majores ipsorum, re autem nulla parte saniores sunt. Sic ajunt: „Erat quidem etiam in terris agens „& in cruce pendens Sacerdos Christus. Nam, ut jam di„ximus, preces & supplicationes obtulit Deo, & pro se „& pro nobis, seseque sanctificavit in victimam Deo, & „jus habuit intrandi in Sancta illa cœlestia: Et, si nos et„iam in hac mortali vita agentes, Reges & Sacerdotes ef„fecit Deo, quanto magis & Rex & Sacerdos ipse fuisse

dicen-

„dicendus est? quoniam tamen functio Sacerdotii Christi
„potissimum consistit in ipsius oblatione corporis & appa-
„ritione coram Deo, quæ utraque in cœlis, tanquam San-
„ctuario congruente, fieri debebat, eamque ob rem &
„corpus ejus immortalitate consummatum fuit, ut in
„æternum vivens interpellaret pro nobis: hinc auctor ad
„*Ebraos*, *cap. VIII.* 4. non dubitat dicere, Christum, si
„in terris esset, nec Sacerdotem quidem futurum fuisse &c.
Bene est, quod Christum in terris fuisse Sacerdotem agno-
scunt: Φλυαρίαις de primaria parte muneris in cœlo de-
mum exercita, abunde, ut arbitror, responsum est; ut &,
quæ sub finem hujus quæstionis, de *Psalmo II. Filius meus
es tu*, &c. frigidissime in eam sententiam disputantur,
Christum his verbis Sacerdotem factum esse, diluuntur
alibi.

---

434. Cur vero Apostolus ait, Ephes. V. 2. Christum tradidisse semetipsum victimam & oblationem Deo, in odorem suavitatis?

Primum tenendum est, nos mortem Christi ab ipsius oblatione non sejungere, immo vero constanter asserere, Christum non aliter se ipsum, quam morte ipsius interveniente, obtulisse. Tantum hoc asseveramus, oblationem ipsius non fuisse antea reipsa consummatam, nec absolutam, antequam a mortuis excitatus cœlos ascenderet. Nam & in illo sacrificio legali anniversario, quod potissimum Sacrificium Christi adumbravit, ad consummandum Sacrificium, omnino mactatæ pecudis Sanguinem in Sancta Sancto-

rum inferri oportuit, ut auctor Epistolæ ad Ebræos testatur c. IX. 7. 1) Deinde, in illo loco citato expendendum est, Apostolum non ita loqui, quod Christus se ipsum obtulerit Deo, pro nobis; nam hoc verbum tradidit non debet conjungi cum voce: oblationem, verum per se debet legi, quod Christus semetipsum tradiderit, subintellige, in mortem. Nam, eo sensu, verbum tradendi usurpat aliis in locis Scriptura, Eph. V. 15. Galat. II. 20. Rom. VIII. 32. 2) Porro, sequentia verba: Victimam & oblationem Deo, in odorem suavitatis, sunt veluti illustratio & commendatio istius operis Christi, quod semetipsum tradidisset. (Hac vero Apostolus credentes ad imitandum istud Christi factum in amando proximo cohortatur.) Quemadmodum simili loquendi genere alibi alia bona opera commendantur, ut Philipp. IV. 18. Atque ideo beneficentia & communicatio sacrificia vocantur, Ebr. XIII. 16. quibus delectatur Deus, ut etiam omnia bona opera, quæ credentes in Christum faciunt. Quæ bona opera Christianorum illis sacrificiis legalibus adumbrata fuere. 3)

Notæ:

1) Nunc victa lumine veritatis Catechesis fatetur, se mortem Christi non sejungere ab oblatione Christi, sed

sed hoc tantum velle, Christi oblationem non esse consummatam nec absolutam, antequam ascenderet; verum ita accidit ei, quod in caussa pessima accidere necesse erat, ut turpiter sibi ipse contradiceret Nam modo negarat Christum fuisse Sacerdotem, antequam ascenderet in cœlos. Quodsi nondum fuit Sacerdos, non modo absolvere non potuit oblationem, sed ne inchoare quidem, nam offerri a nemine fas est, qui non sit Sacerdos. *Socinus* anguilla magis lubricus, alio loco non *vere adeptum* Sacerdotium ait Christum ante adscensum in cœlos. Recitemus aliqua ejus verba, *L. II. c. XV. de JEsu Chr. Servat.* „Animadvertendum autem est, verba illa, *Ebr. IX.* 13. 14. „*obtulit seipsum immaculatum Deo*, non ad solam mortem „crucis referri, sed ad ingressum simul in Sancta, id est, „in ipsum cœlum, ubi nunc Christus perpetuo coram Deo „pro nobis adstat. Per Christi enim oblationem tota illa „Epistola auctor ille, ut supra monuimus, nihil aliud intelligit, quam per proprii Sanguinis fusionem Christi in „cœlo Deo factam, sui ipsius pro nobis, ut ita dicam, „præsentationem. Nam, sicut non prius Sacerdotium „suum vult eum vere adeptum fuisse, quam, cum post „mortem in cœlum, ut pro nobis coram Deo appareret, „introductus est: sic non prius perfecte eum se Deo obtulisse statuit, quam, cum se illi in cœlo præsentavit. „Relativa enim sunt Sacerdos & oblatio. Itaque ubi verus Sacerdos, ibi & vera oblatio sit, necesse est. Chri„stum autem a Scriptore illo non ante Sacerdotem vere „dici, quam post ejus in cœlum ascensum, & unicuique, „qui eam Epistolam vel semel legerit, constare potest. &c. Vident omnes non nisi dicis caussa referri mortem Christi ad ipsius Sacrificium, quoniam *vere* Sacerdotem fuisse Dominum ante mortem, resurrectionem & ascensionem in cœlos negant. At, si *vere* non fuit Sacerdos, plane non fuit; nam indigna res foret, ludi nos vocabulo. Itaque secundum *Socinum* mors Christi ad sacrificium non pertinet, quamquam non est ausa Catechesis claris rotundisque

verbis

verbis negare. Idque facile colligit lector, harum fraudum gnarus, e vocibus: *Christum non nisi interveniente morte se obtulisse.* Quid enim est *interveniente morte?* Supra etiam vidimus, secundum Socinianos, nos, non nisi *Christi morte interveniente* justificari, & nihilominus præfracte negari, satisfactum esse pro peccatis nostris illa Christi morte. Hic vero nolo repetere, quæ de immolatione, in cruce, non alibi, facta, supra disputavimus, & quæ cuivis non obstruenti aures ad veritatem audiendam sufficere possunt. Contentus sum monuisse lectorem de inconstantia, dolis, & tergiversatione Socinianorum. Sed pone mentem horum hominum esse, quam hic verba produnt, at non esse posse, si Christus tum nondum Sacerdos fuit, probavimus; pone, inquam, inchoatum esse Sacrificium Christi seu oblationem sui ipsius in morte; quale intervallum erit inchoatæ & consummatæ oblationis? Fierine potest, ut sacrificium, cœptum in statu ultimæ exinanitionis, demum absolvatur in statu exaltationis? Apage cum his nugis! *Esaias, cap. LIII.* 10. sic ait: Cum dederit anima ejus, h. e. *ipse, ascham,* sive *sacrificium pro culpa, tum semen habebit, propagabit vitam, &c.* Unde liquet, regimen Ecclesiæ, quo Christus fungitur & fungetur, ad finem mundi, sedens ad dextram Patris sui, post sacrificium factum ponendum esse.

2) Hic Catecheseos nostræ tanta est subtilitas, ut verear, ne non omnes lectores mei sufficiant capiendo acumini. *Paullus* dixerat de Christo, *Ephes. V.* 2. *Quemadmodum & Christus amavit nos, & tradidit se ipsum pro nobis oblationem & sacrificium Deo in odorem bonæ fragrantiæ.* Nemo non videt de morte vice nostra a Christo tolerata sermonem esse. At *Socini* sagacitas invenit, seorsum esse legendas voces: *tradidit,* &, *in oblationem.* Nimirum tradidit se Christus, scil. in mortem, ea vero traditio, quamquam Deo nihil est oblatum, mire tamen se probavit Deo, ut possit dici *odor bonæ fragrantiæ.* Si puditum esset *Socinum* contorsionis, talia non effutiisset.

Nam, si quis nasutorum Criticorum auderet ita interpretari *Virgilii* verba: *Aurea poma decem misi;* epistolam verbis blandis scriptam, quæ aureis pomis possit comparari, non tam misi, quam confeci, ut reddi alteri possset; is, credo, summo suo jure rideretur. *Socinus* vero sapientiæ poscit laudem, cum idem non in *Virgilii* alicujus, sed *Paulli* Apostoli verbis, conatur. *Tradidit se ipsum oblationem Deo;* sic Apostolus! Quid *Socinus? tradidit*, inquit, *se ipsum*, non, quasi vellet esse hostia, sed, quod posset ista spontanea exhibitio sui in manus hostium pro re simili hostiæ haberi. Porro, non Deo se obtulit, sed latronibus crucifixuris, quæ res Deo placuit. Sic *Socinus*. Quasi vero res obscura esset, cui vel Sacerdotes V. T. obtulerint victimas, vel ipse Christus Dominus noster summus omnium Sacerdotum oblaturus venerit, qui *Psalmo XL.* dicit: *Ecce ego venio, facturus, o Deus, voluntatem tuam.* h. e. quæ in priscis victimis & typicis desunt, completurus omnia. Hic absonum foret, quærere, cui hæc Christus præstiturus fuerit? Nempe illi, cujus & victimæ antiquæ erant. Scopus autem Apostoli initio hujus capitis longe clarissimus est; nimirum hortatur *Ephesios*, studere, ut sancta vita Deo placeant, tanquam dilecti Filii, quemadmodum ille omnium dilectissimus & unicus Dei Filius sui oblatione, non pro se, quid enim ipsi cum non peccasset foret opus? sed pro nobis facta, Deo Patri suavissimus fuit. Verbum *tradendi* eo sensu, nempe pro traditione in mortem, usurpari in Scriptura, monet Catechesis, intempestive utique. Nam hoc ipsum est, Deo se offerre, & ipsa illa liberrima actio, qua sui fecit copiam Christus, ut suffigeretur cruci, & moreretur, est oblatio expiatoria, quam volumus. Laudavit nobis Catechesis, *Ephes. V.* 25. *Galat. II.* 20. *Rom. VIII.* 32. Duo vero priora loca palam confirmant nostram doctrinam; nam, si Christus se in mortem dedidit, pro Ecclesia, pro *Paullo*, pro reliquis hominibus: fructus, & primarius quidem fructus spectare debet ad eos, pro quibus hoc fecit Christus.

ctus. At, si vera loquuntur Sociniani, vel omnis, vel præcipuus saltem fructus actionum passionumque Christi ad ipsum pertinet, cum sibi, non nobis pepererit Majestatem, gloriam, & gaudia: ad nos, præter exemplum, nihil pertinet, nisi quod addunt, juvare nos posse Christum aliqua ratione, quam quidem, qualis sit, exponere non possunt Sociniani. Ad *Rom. VIII.* 32. autem, quo loco Deus Pater Filio non pepercisse, sed pro nobis tradidisse, nempe in mortem, dicatur, facilis est responsio. Non pugnant inter se, Christum deditum esse a Patre seque dedidisse ultro. Potius summa consensio, immo unitas voluntatis in Patre & Filio inde jure colligitur. Neque sequitur: *traditio* facta est a Patre, Pater autem non fungitur Sacerdotio, nec sacrificat, ergo traditio non est oblatio, seu sacrificium. Hoc tantum sequitur, e sola voce *traditio*, non posse illico colligi actum Sacerdotii, quoniam & Patri tribuatur, sed nemo nostrum hoc colligit. Ita autem colligimus: Christus, cujus Sacerdotium tot locis Scripturæ laudatur, *tradidit se* NB. *Deo*, NB. *in odorem bonæ fragrantiæ; tradidit se victimam & oblationem;* divulsio enim horum vocabulorum res est iniquissima: ergo illa traditio est verum sacrificium.

3) Catechesis sic instituit: *Philipp. IV.* 18. *Ebr. XIII.* 16. voces: *Sacrificium*, item *odor bonæ fragrantiæ* tropicum habent sensum, & accipiuntur de beneficentia in pauperes: ergo fortasse & nostro loco, *Ephes. V.* 2. tropicum sensum obtinent, neque adeo est firma consecutio Evangelicorum ex illis vocibus ducta; nec argumentum, quo Ecclesia utitur, exceptione majus est. Nam tantam absurditatem nec in ipsis Socinianis quæsivero, ut velint *oportere* eas voces tropice intelligi *Ephes. V.* 2. quia *Philipp. IV.* ita occurrant, cum haud nesciant propriam acceptionem in libris V. T. esse satis frequentem. Cui antequam respondeamus, placet more nostro *Socinum* ipsum audire, *de JEsu Chr. Servatore, Libr. II. c. XV.* „Sensus „igitur hujus loci est, Christum ita nos dilexisse, ut se

„ipsum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde, ut „Ephesii ad singulare hoc Christi facinus imitandum „magis accendantur, per appositionem subjungitur, hanc „ipsius Christi eximiam charitatem, hoc ipsius egregium „opus, fuisse Deo oblationem & hostiam gratissimam. „Itaque non de ejus corporis oblatione, sed de oblatione „præstantissimi facti agitur. Nam, ipsum factum hosti- „am appellari posse, patet ex eo, quod scriptum est, „*Ebr. XIII.* 16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite „oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quin si- „milem prorsus loquendi modum, cum eadem appositio- „nis usitatissima figura habes ad finem *Epist. ad Philipp.* ubi „scriptum est: *Habeo autem omnia, & abundo. Repletus „sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavi- „tatis, hostiam gratam, placentem Deo.* Ex quo loco et- „iam apparet, ea verba, de quibus supra egimus: *in odo- „rem suavitatis,* quibus LXX. Interpretes reddiderunt, id, „quod in *Ebræo* est, *in odorem quietis*, nullam expiatio- „nem, nedum, ut ibi diximus, iræ placationem significare, „& propterea in illis verbis ad *Ephesios* non agi de hostia „aliqua expiatoria, ut *Hieronymus* quoque in explanatione „ejus loci optime agnovisse videtur, quamvis verbi, *tra- „didit*, sensum omnino assecutus non fuerit. Nam ibi ita „scriptum reliquit: *Quemadmodum enim ille se tradidit „pro nobis; sic & iste, pro quibus potest, lubenter occumbens, „imitabitur eum, qui oblationem & hostiam in odorem sua- „vitatis se Patri tradidit; & fiet etiam ipse oblatio & ho- „stia Deo in odorem suavitatis.„ Hieronymum Socinus* frustra in partes suas vocat, qui non actionem aliquam Christi sacrificium dicit esse, sed ipsum Christum. Et falsissimum est, quod perhibet *Socinus, ipsum factum ho- stiam appellari posse.* Frustra ad *Philipp. IV.* 18. *& Ebr. XIII.* 16. se recipit. θυσία enim his locis, in quibus tamen tropum agnoscimus, non est porrigendi actio, sed res porrecta, & munus ad se missum eo vocabulo appellat Apostolus, quod negari non debuit. Quid vero hoc rei, quod

quod *Socinus* ait: *non de ejus corporis oblatione, sed de oblatione praestantissimi facti agitur?* Apostolus ait, Christum *se ipsum*, NB. seipsum, non *factum aliquod* obtulisse. Nec venit in memoriam *Socino*, Christum in institutione *eucharistiae* discipulis dixisse: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis in mortem traditur.* Dolendum est, cum palam sit, Deum olim placatum esse illis sacrificiis, quae ריח ניחוח dicta sunt, v. g. *Genes. VIII.* 21. nam dulcissimum decretum divinum, quod ibi narratur, de placata ira divina abunde testatur: fieri tamen potuisse, ut *Socinus* e falsissima sua *Ephes. V.* 2. explicatione colligi velit, neque olim *odorem bene fragrantiae* significasse rem, quae avertisset iram divinam. Tu vero, pie lector! noli moveri nugis inanibus. De tropo vero quid sentiendum? Male actum esset de perspicuitate Scripturae, si, quod semel bisve tropice accipiendum est, vocabulum, in perpetua nos ignoratione, ubi proprius sensus obtineat, relinqueret, v. g. omnes Christianos esse *Reges*, alio profecto sensu, quam qui regnis, v. g. *Gallico, Hispanico*, imperant, nemo dubitabit. Itaque dubium fortasse erit, quid sibi velit *Petrus*, quando 1. *Ep. II.* 13. Regi vult obsequium praestari? Tantum & hic tribuo Socinianis, ut negent dubitandum esse. Ita cum nos Sacerdotes dicimur, & cum corpora nostra in obsequium Dei exhibita, *Rom. XII.* 1. tum beneficia pauperibus tributa sacrificia dicuntur, alius ea generis existimanda sunt, quam Levitica sacrificia typica, & unicum illud antitypon Sacrificium Christi. Christus enim consummavit una oblatione omnes, qui sanctificantur. Hoc vero nostris, quae Deo grati animi testandi caussa offeruntur, sacrificiis, nemo sanae mentis tribuet. Recentiores Catecheseos conditores, cum viderent *Racoviensium* commenta ad hunc locum nimis futilia esse, noluerunt ea sola repetere, sed praemiserunt & subjecerunt ex suo ingenio, sed nulla parte meliora. Initio sic instituunt: „Quamquam fateamur mortem Christi suo modo fuisse „victimam, & oblationem Deo in odorem suavitatis: hinc

„tamen non sequitur eam fuisse oblationem illam expiato-
„riam perfectam, de qua *Auctor Epistola ad Ebraeos* loqui-
„tur; cum Apostolus in his verbis respicere potuerit ad
„sacrificia, quae pacifica appellabantur, ut indicant illa ver-
„ba: *In odorem suavitatis*, quae de pacificis creberrime,
„de expiatoriis autem vix uspiam usurpantur.„ His pau-
cis respondeo: Nihil est, quod mortem Christi *suo mo-
do* victimam ait esse, quam *Paullus* in locum omnium ve-
terum victimarum, quae minime suffecerint, successisse,
propriissimeque adeo expiatoriam victimam esse vult,
Ebr. X. 5. Ad sacrificia pacifica non potuit, solum Apo-
stolus respicere, sed certissime respexit; nam omnia sacri-
ficia, nullo plane excepto, figurarunt Christi sacrificium.
Quis vero inde colliget non respectum esse ad expiatoria
sacrificia sive *pro peccatis*, cum diserte Christus dicatur
ἱλασμὸς 1. *Jo. II.* 2. *IV.* 10. & ἁμαρτία seu *Chattath*, h.
e. sacrificium pro peccato, 2. *Cor. V.* 21. & περὶ ἁμαρ-
τίας, *Rom. VIII.* 3. Inaniter autem & inverecunde ne-
gatur, *sacrificium pro peccato* apud *Mosen, in odorem sua-
vitatis* oblatum dici. Poterant contrarium vel e solo
cap. IV. Levit. discere, ubi v. 40. jubetur eodem modo
tractari sacrificium pro peccato, quo sacrificium euchari-
sticum, quod *cap. III.* 5. *in odorem suavitatis* oblatum
narratur. Idem repetitur *cap. IV.* 31. & diserte additur,
fore *odorem suavitatis*. Sub finem sic disputant Sociniani:
„Aut, si Christus ipse, in mortem se pro nobis tradens,
„oblatio & victima Deo accepta ab Apostolo dicitur; tum
„hoc de oblatione & victima, quatenus sese pro nobis
„mactandum Deo obtulit, intelligi debet, quamquam &
„oblatio ipsius Christi in coelis facta, hic intelligi queat,
„sensusque esset, Christum tradidisse se in mortem pro
„nobis, ut oblatio esset & victima Deo pro peccatis no-
„stris acceptissima.„ Quod de oblatione in coelo intelligi
posse perhibent, nihil est, nam in coelo sane non est macta-
tus. Ceterum nostra non est alia sententia, quam haec:
Chri-

Christum victimam Deo acceptam dici, quatenus se mactandum pro nobis Deo obtulit; hoc ipsum autem factum est potissimum extremis vitæ Christi diebus, & peractum sacrificium in cruce. Utinam hæc serio agnoscerent Sociniani!

---

485. Illius vero loci Scripturæ, Christum per semetipsum purgatione peccatorum facta, consedisse in dextera throni Majestatis in excelsis, quæ erit sententia? Ebr. I. 3.

Non eo loquitur autor ille ad eum modum, ac si Christus, antequam in cœlos exaltatus esset, Sacrificium suum per mortem consummasset. Verum eo, quod modus expiandi & purgandi peccata, ex quo Christus a mortuis excitatus profectus est in cœlum, & illic seipsum pro nobis Deo obtulit, perfectus & absolutus fuit, hoc est, id factum est, quo nos ad amplectendam peccatorum remissionem, quam Deus nobis obtulit, movemur. Et Christus potestatem habet nobis dandi reipsa peccatorum remissionem. Unde postmodum sequitur perpetuo ipsa peccatorum purgatio & mundatio, & a pœnis peccatorum vera liberatio. 1)

Notæ:

1) Si *purgationem peccatorum facere*, esset, movere hominem, ut amplectatur gratiam divinam, speciem haberet ea ratio explicandi, *Ebr. I.* 3. quæ placet Catechesi

nostræ. At, cum vix fieri posse videatur, ut absona ejusmodi interpretatio homini, qui integris sensibus utitur, possit in mentem venire, cadit & illa opinio, neque quidquam est certius, quam sacrificio per mortem consummato, Christum ad cœlos profectum esse. Quodsi enim quæris, qua re purgentur homines peccatores, Scriptura S. passim clamat, Sanguine Christi, agni immaculati, id fieri. Vide & expende 1. *Jo.I.* 7. *Eph.I.*7. *Ebr.IX.* 14. 1.*Petr.* *I.*2. 19. *Apoc.I.* 5. *VII.* 14. Et, si ideo Christus est purgatio peccatorum, quod constantissime & patienter obita morte nos ad amplectendam Dei gratiam movet, scire velim, cur tantopere protestatur *Paullus*, se non esse pro Corinthiis mortuum. 1.*Cor.I.* 13. Nam vitæ constantia & cruciatuum tolerantia, non ita multo post etiam tolerata pro veritate tuenda acerbissima morte, argumentum haud leve, quod nos ad amplectendum Evangelium moveat, reliquit. Denique, cum, teste Apostolo, *Ebr. IX.* 22. 23. olim fere omnia sanguine expurganda fuerint, scire velim, an & victimarum sanguis movere hominem ad sanctæ vitæ studium, item ad amplectendam Dei gratiam potuerit? Facile, qui cœcus non est, videt, hoc non esse factum, sed satisfactionem pro peccatis, victimarum sanguine haud præstitam quidem, sed præstitum iri, indicatam esse. Sanguis ergo antitypicus, id, quod ille præsignificarat, reapse attulit. Quod vero dixit Catechesis, Christum accepisse post ascensum in cœlos potestatem nobis dandi remissionem peccatorum, refellitur *Matth. IX.* 6. Nam Filius hominis etiam in terra, ante ascensum illum polluit facultate remittendi peccata.

486. Cur vero Scriptura, ubi agit de munere Christi Sacerdotali, commemorat ipsum pro nobis interpellare? Rom. VIII. 34. Ebr. VII. 25.

Cum Scriptura testatur, Christum pro nobis

nobis interpellare, non propterea fit, ac si ille preces pro nobis ad Deum proprie fundat: hoc enim simul non consistit cum perfecta ipsius potestate, quam Deus ei re ipsa concessit, & ob quam ipse Rex noster est. Verum eo fit, ut in mentibus nostris infigatur prorsus, potestatem omnem, quam Christus habeat, non ex sese habere, verum Dei Patris dono; & ita omnia opera efficere, ac si ad ea efficienda virtutem precibus intervenientibus subinde obtineret: Id vero Spiritus Sanctus propterea facit, ut prærogativa & eminentia Patris integra & inviolabilis persistat. 1)

Notæ:

1) Quam commodum est, quod monet Catechesis, preces proprie non fundi a Christo, hoc enim consistere cum perfecta ipsius potestate non posse: tam mala est altera observatio, ideo Christum pro nobis dici interpellare, ut sciamus Christum non habere potestatem ex se. Quamquam enim de Christo, ut homine considerato, hoc sit longe verissimum, vox tamen ἐντυγχάνειν, quæ & de Spiritu Sancto pro nobis intercedente legitur, *Rom. VIII.* 26. hoc minime infert. Ἐντυγχάνειν, cum significat *intercedere*, sive ad juvandum, sive ad turbandum impediendumque alterum, parum refert, utrum majoris, ejusdemve potestatis sit, an minoris dignitatis atque potestatis, is qui intercedit, quam alter, cui interceditur, & pro quo intercediture. Exempla sunt, *Act. XXV.* 24. *Rom. XI.* 2. *Sapient. VIII.* 21. *XVI.* 28. 1. *Maccab. VIII.* 32. *X.* 61. 2. *Maccab. IV.* 36. *&c.*

DE ECCLESIA CHRISTI.

487. Intellexi, quæ de regno Christi tradidisti. Expone porro, qui sit ipsius populus?

Est Ecclesia, aut coetus Christianorum: isque visibilis vel invisibilis.

CAPUT I.

DE ECCLESIA VISIBILI.

488. Quæ vero Ecclesia visibilis est?

Est coetus eorum hominum, qui doctrinam salutarem tenent & profitentur. Eaque potest considerari in genere & in specie. In genere, cum omnes coetus Christi visibiles per totum mundum dispersi pro uno Christi cœtu, vel pro una ecclesia, considerantur. In specie, cum singuli cœtus, in certis locis existentes, pro Ecclesia Christi accipiuntur.

489. Cum nunc passim omnes cœtus Ecclesiæ Christi sibi nomen vendicent, doceri velim, an sint aliqua signa, e quibus Ecclesia Christi agnosci queat?

Non multum juvat signa veræ Christi Ecclesiæ inquirere, cum tibi exposuerim, quid veram Ecclesiam constituat; nimirum salutaris doctrina, quam quicunque coetus habet & profitetur, est vera Christi Ecclesia: qui vero cœtus salutarem doctrinam non habet, nec profitetur, etiamsi nescio quæ signa proferat, atque prætendat, pro vera Ecclesia Christi haberi non potest. At tenere saluta-

rem

rem doctrinam, cum Ecclesiæ Christi sit natura, signum illius, si proprie loquaris, esse non potest, cum signum ipsum a re, cujus signum est, differre oporteat. 1)

Notæ:

1) Quamquam hæc disputatio non est maximi momenti, & in eo non improbamus Socinianos, quod signa, quæ crepari solent a Pontificiis, non requirunt, atque sufficere ajunt, doctrinæ salutaris veritatem, ad quam & sigilla, nempe sacramenta pertinent; quam veritatem utinam non repudiarent ipsi Sociniani. Tamen verbo monendum est, immerito negari, posse veritatem doctrinæ *signum* Ecclesiæ visibilis proprie dici, nec movet me ratio, quam habet Catechesis, nempe tenere salutarem doctrinam pertinere ad naturam Ecclesiæ; signum autem a re, cujus est signum, differre oportere. Quorum neutrum verum est. Nam primo, natura seu substantia Ecclesiæ non est puritas doctrinæ; constituitur enim & componitur hominibus in Christum credentibus, vel meris, si intelligas invisibilem Ecclesiam, vel mistis hypocritis, quod accidit in cœtu visibili. Itaque ad pascendam regendamque Ecclesiam summe necessaria est sana doctrina, quod nemo negat, sed non est ideo ipsa natura Ecclesiæ, quemadmodum sine salubri cibo potuque corpora physica, sine legibus salutaribus corpora politica, consistere non possunt. Neque tamen quisquam horum naturam *leges* esse dixerit, istorum, *cibum* & *potum*. Sed fac doctrinam salutarem esse ipsam naturam Ecclesiæ, seu pertinere ad Ecclesiam; cur non possit esse signum non video, v. g. cornu unicum, pes unicus, conspectus eminus vel vestigio impresso signum totius animalis esse potest soletque. Neque signum a re, cujus est signum, ita differre oportet, ut non sit ejus rei pars vel ad ejus naturam pertineat, sed

potius

notius esse debet re signata. Ita calor ignis non visi signum est in conclavi vaporato, & vicissim flamma in fornace foris conspecta caloris in vaporario, quem nondum sentimus. At calor ignisque non differunt natura. Nihil certius, quam hominem veritatis cupidum, si legere possit audireve codicem sacrum, posse inde haurire salubris doctrinæ systema, atque deinde, si vel observet ita doceri, vel non doceri ita, de veritate falsitateve, aut, si mavis, puritate & impuritate Ecclesiæ, judicium facere.

---

490. *Ergo ad cognoscendum, quæ sit vera Christi Ecclesia, satis est cognovisse salutarem doctrinam?*

Rem probe percepisti. Etenim, qui salutarem doctrinam amplectitur, jam est in ipsa Ecclesia vera. Quare nihil est, cur de notis Ecclesiæ quærat, e quibus Ecclesia agnoscatur. Salutaris porro doctrina quæ sit, e nostro sermone collocutioneque discere potuisti. 1)

Notæ:

1) Ita Catecheseos auctores sibi videntur salutarem doctrinam præclare exposuisse; & Antichristianam impietatem profligasse egregie. Sed *quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Dolenda est non modo cœcitas mentis humanæ, sed & perversitas animi, qui non vult nihil sapuisse, sed Deo alia docenti credere renuit. Fac, o Deus, qui solus corda nostra illustrare potes, ut occœcata pectora, Christi tamen Sanguine redemta, tandem agnoscant salutarem veritatem!

CAPUT

CAPUT II.

DE REGIMINE ET GUBERNATIONE ECCLESIÆ CHRISTI.

491. Quandoquidem exposueris mihi Ecclesiam Christi visibilem doctrina salutari constare, qui ordo in eadem doctrina illi præscriptus sit, doceri abs te velim.

Ordo is situs est in officiis personarum, quibus Ecclesia Christi constat, & accurata animadversione & observatione, ut singulæ personæ officiis suis fungantur.

492. Quæ vero sunt personæ, quibus Ecclesia constat?

Earum aliæ sunt, quæ præsunt, aliæ, quæ dicto sunt audientes.

493. Quæ porro præsunt?

Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, Doctores, Pastores, Episcopi, Seniores & Diaconi.

494. Quod est officium earum personarum, quos Apostolos vocas?

In mundum universum ire, & Evangelium Christi annunciare, cujus gratia a Christo & electi primum & ab eo missi fuere, unde etiam Apostoli vocati sunt. Quos etiam Christus Spiritu Sancto iis, visibilem in modum, misso, & virtutibus ingentibus armaverat. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Act. II. 4.

495.

495. Quod officium Prophetarum est?

Futura prædicere, & difficilia intellectu ad Religionem Christianam spectantia interpretari. 1. Cor. XIV.

496. Quod Evangelistarum munus?

Apostolis in annunciando Evangelio opem afferre, & illud itidem per diversas regiones spargere & plantare, quales erant Philippus, Timotheus & alii. Actor. XXI. 8. 2. Tim. IV. 5.

497. Quæ Doctorum, Pastorum, Episcoporum & Seniorum officia?

Aliis in sermone præire, ordinem in Ecclesia Domini in omnibus tueri, & pro populo Dei preces fundere. 1. Tim. V. 17. Act. VI. 4.

498. Quod autem Diaconorum munus?

Necessitatibus Ecclesiæ, præsertim pauperum, servire. Act. VI. 2. 3.

499. Num ergo hodie in Ecclesia Christi omnes hæ personæ, quas aliis præesse asseruisti, & quarum officia descripsisti, inveniuntur?

Quod attinet ad Apostolos & Prophetas, certum est, nullum amplius in Ecclesia Christi eos locum habere. Etenim caussa, ob quam illi & electi & missi a Domino fuere, desiit. Ea vero fuit, quod per eos Deus doctrinam Filii sui mundo annunciari & confirmari voluerit. Quapropter illi vocati etiam

iam fuere fundamenta Ecclesiæ Christi, a Paullo. Ephes. II. 20. Postquam igitur doctrina Christi secundum Dei consilium & patefacta & confirmata fuit abunde, iis personis, quæ eam patefacerent & confirmarent, nihil est amplius in Ecclesia loci relictum. 1)

Notæ:

1) Nihil hic observandum, præterquam *Socino*, quem hac in re non improbamus, disputandum fuisse cum *Matthæo Radecio*, homine Anti-Trinitario, *Gedanensis* civitatis Secretario primum, tum cœtus Sociniani Pastore *Smiglæ & Gedani*, qui contendebat, non esse quidquam in cœtu conventibusque publicis & instaurando Sacræ Cœnæ usu audendum, priusquam Apostolus & Propheta aliquis divinitus inspiratus præsto sit. Cui *Socinus* respondit, minime eo usque expectandum esse. Extant utriusque Epistolæ in *Socini* Epistolis, unde Lectori meo aliqua cognoscere, haud ingratum fore arbitror, ut, quid actum sit inter homines illos, constet. Sed & hoc liquebit, *indifferentismum*, qui in *Socino* non potest non esse, ut in omnibus, qui e sua ratione potius, quam e Scriptura, quam ad illam inflectunt, religionem sibi colligunt, palam prodi. *Epistol. III. ad Radec. p.* 114. *sequ.* „Nam quod quibus„dam videtur propter dissensiones magnas & multiplices, „quæ inter eos hodie vigent, qui ex Antichristianis errori„bus gravioribus emerserunt, incertum esse, quibus quis „se adjungere debeat (id quod ipse quoque satis aperte „commemoras,) & propterea ad externam aliquam Ec„clesiam erigendam, expectandum esse, donec Deus ali„quem, sive aliquos excitet, qui suæ auctoritatis mirabili „aliqua ratione fidem facientes has lites componant; hoc, „inquam, facilem habet responsionem duplici de caussa: „Primum, quia, qualescunque sint dissensiones istæ, ple-

ræque

„ræque non circa ea versantur, quæ per se ad salutem „sunt necessaria; quemadmodum jam complures animad- „verterunt, & satis ex eo demonstrari potest, quod ego in „aliis meis ad te literis scripsi. Cum enim ad æternam „salutem consequendam nihil aliud requiratur, quam, ut „Christi præcepta teneantur, dissensiones autem istæ ma- „jore ex parte ad ipsa Christi præcepta non pertineant, „sequitur, nihil necesse esse, illas componi prius, quam ex- „terna erigatur Ecclesia; nisi velimus, non satis esse ad „Christi externam Ecclesiam constituendam, si ea tenean- „tur, quæ ad externam salutem sunt necessaria. Deinde, „inde potissimum dissensiones istas oriri, quilibet facile „perspicere poterit, quod soli Dei verbo plerique non „adhærent. Nam, adhuc, præter sacras literas, nescio „quæ concilia, patres, antiquitas, maxima sunt in venera- „tione, adeo ut divinis oraculis propemodum æquentur; „cum tamen ista omnia, & si qua sunt alia ejusmodi, nul- „las vires præterea apud cordatos homines habere debe- „ant, quam ut sensus Ecclesiæ illorum temporum fidem „faciant, vel etiam non temere recedendum moneant, ab „iis dogmatis, quæ ipsa approbant. Sed sacris literis li- „cet aperte reclamantibus, quædam tamen mordicus re- „tinere velle, quia scil. ab istis approbantur, hoc nihil „aliud est, quam divinam veritatem consulto pessundare, „& ad Antichristiani regni confirmationem ingentem fe- „nestram patefacere. Legantur modo Pontificiorum scri- „pta adversus Lutheranos & Calvinianos, & satis intelli- „getur, si præter Sacras Literas istorum auctoritate sit „standum, nobis omnibus caussa cadendum esse. Sed, „quorsum isthæc mecum, inquies? Nempe, ut animad- „vertas, tot dissensiones, quæ hodie inter illos sunt, qui „Christi nomen profitentur, de Christianæ religionis de- „cretis, non quidem ex divinorum oraculorum obscurita- „te, sed potius ex eorundem contemtione quadam, dum „ab illis solis universa doctrina Christiana non petitur, na- „tas atque exortas esse; neve ex illis colligas, auctoritate

sacra-

„sacrarum literarum eas, quantum satis est, componi
„non posse : aut saltem non neges, ex ipsis divinis literis
„posse unumquemque Christianam religionem ejusque
„placita, quatenus ad hominem Christianum constituen-
„dum necesse est, recte cognoscere. Namque hoc con-
„cesso, sequitur continuo, Christi Ecclesiam ejusque ex-
„ternum statum hoc tempore instaurari & posse & de-
„bere, quemadmodum apertius postea ostendam ; li-
„bet enim prius te ad hoc concedendum quodammodo
„adigere. Etenim, nisi hoc concesseris, quomodo factum
„tuum defendes, qui de rebus ad Christianam religio-
„nem pertinentibus haud pauca asseverare audeas, contra
„quam vulgo affirmetur, ac plane contendere, jam pridem
„plenam defectionem in Ecclesia extitisse, fundamentum
„fuisse sublatum? Annon hæc ideo affirmas, quod ea ex
„sanctis litteris colligis? Igitur, te ipso teste, ex ipsis sacris
„litteris veritas Christianæ religionis percipi potest. Alio-
„qui cur non de omnibus dubitas? aut cur te saltem ali-
„is plerisque non adjungis? immo vero te ab iis sepa-
„ras? Nonne ipse & concedis & urges, hodie posse De-
„um coli & Christi nomen rite invocari, etiamsi externa
„quædam non adsint? Atqui non video, quemadmodum
„id fieri possit, nisi aliunde verus Dei cultus & Christi no-
„minis invocatio petatur. Unde vero, nisi ex ipsis divinis
„oraculis? Quamquam ad id concludendum, quod volo,
„satis est, hæc, qualia esse debeant, sciri posse, undecunque
„tandem id sciatur. Certe enim, si hoc sciri potest, po-
„test etiam externus Ecclesiæ Christi status instaurari; cum
„externa Christi Ecclesia nihil aliud sit, quam publica con-
„gregatio, seu convocatio hominum, Deum colentium,
„& Christi nomen rite invocantium. Nam, quid pro-
„hibet, quo minus ii, qui isthæc faciunt, publice etiam
„conveniant? Immo quomodo isthæc facere dici possunt,
„nisi palam aliquando congregentur? cum, ut cetera omit-
„tam, inter alia Christi præcepta, omnibus ejus discipulis
„conveniendi, quibus Deus colitur, & Christi nomen rite

,,invocatur, sit publica commemoratio ipsius Christi mor-,,tis. Ex iis, quæ huc usque disserui, satis, ni fallor, re-,,sponsum patet ad duo inter illa, quæ contra Ecclesiæ ex-,,ternæ instaurationem attulisse mihi videris, quorum al-,,terum est, eadem aut certe simili ratione instaurandam ,,esse Ecclesiam, quæ ædificata fuit: alterum vero, inter ,,tot Christiani orbis dissensiones non posse veritatem di-,,gnosci, nisi luce aliqua divinitus, ut Apostolorum tem-,,pore, illata. Prædictis autem addo expressius, ratio-,,nem, qua primum ædificata est Ecclesia, Dei & Christi ,,verbum revera fuisse, cetera omnia ad hoc confirman-,,dum pertinuisse. Itaque, cum nunc idem Dei Christi-,,que verbum habeamus, idque abunde confirmatum, im-,,mo, de quo nemo dubitat, eandem rationem instauran-,,dæ Ecclesiæ hodie revera habemus, qua primum ædifi-,,cata fuit. Jam vero ad reliqua, partim ex iis, quæ hacte-,,nus tecum per litteras disputavi, partim ex re ipsa, satis ,,patere responsio videtur. Quod enim urges, Apostolo-,,rum tempore talem fuisse externam Ecclesiam, quæ ve-,,rum esset Dei ædificium, in quo esset veritas, & extra ,,quod tenebræ tantum essent, & cœcæ nubes, quod vide-,,licet hodie, post subsecuram defectionem, nisi lux nova ,,aliqua divinitus, ac manifesto, ut ante factum est, afful-,,geat, haberi nequeat. Primum hoc non ad externæ ,,Ecclesiæ instaurationem simpliciter dissuadendam perti-,,net, sed ad ejus Ecclesiæ, quæ par Apostolicæ illi futura ,,sit; quod tamen satis refutatum est, ut arbitror, superio-,,ribus meis litteris, in quibus ostensum est, ipsas Ecclesias ,,Apostolicas, id est, ab ipsis Apostolis fundatas, errasse, ,,idque in rebus ad salutem pertinentibus, dum adhuc ii ,,viverent & earum curam haberent, qui ipsas fundaverant. ,,Nec sane, quæ de Ecclesia magnifice prædicat *Paullus*, ,,affirmans inter cetera, quod sit *columna & firmamentum* ,,*veritatis*, aut ad externam ullam Ecclesiam pertinent, aut, ,,si tamen pertinent, ita accipienda sunt, quasi *Paullus* sen-,,tiat, in aspectabili Ecclesia nullos errores esse, vel extra

aspe-

„aspectabilem Ecclesiam nullam divinam veritatem, sed „est intelligendum, quia omnis externa Ecclesia Christi „doctrinam profitebatur, Christi autem doctrina est illa „divina veritas, propterea *Paullum* Ecclesiam, id est, Chri„stum profitentium cœtus, sive externam Ecclesiam, (si „modo, ut dixi, ibi eam intelligit,) veritatis columnam & „firmamentum appellasse. Opponitur enim ibi tacite, „quemadmodum in compluribus aliis locis, apud eundem „*Paullum*, Christi disciplina in genere cunctis aliis disci„plinis. Nihil autem vetabat tunc, quemadmodum nec „hodie vetat, quominus posset quis veram Christi di„sciplinam amplecti & retinere, nec tamen ulli externæ „Ecclesiæ se adjungere, quod fortasse omnes alicujus er„roris ad salutem ipsam pertinentis, sive jure sive inju„ria, suspectas haberet.„ Aliqua hic commode dicta esse nemo bonus iverit inficias; sed, quod ipsas Apostolicas Ecclesias, dum curam earum haberent ipsi, qui fundaverant, errasse in rebus ad salutem pertinentibus, impudentissime ait, prodit pessimam *Socini* caussam. Nimirum de Divinitate Christi sanctissimum dogma, & de ejus satisfactione pro nobis præstita, aliasque cum his connexas doctrinas, indubitatas fuisse in prisca Ecclesia, redarguente conscientia negare hic non sustinet, quamquam Sociniani alias strenue negant. Hinc & fatetur, si præter Scripturam Sacram, quam quidem sibi favere falsissime opinatur, Patrum auctoritate standum sit, sibi suisque, cum quibus Lutheranos perperam conjungit, caussa cadendum esse. Nos quidem impense gaudemus, post demonstratam e Scriptura doctrinæ nostræ veritatem, testimonio antiquissimorum & sanctissimorum Ecclesiæ doctorum, in his *Clementis Romani*, quem *B. W.* in nota recentiori Catechesi, ad h. l. subjecta, de orthodoxia merito quidem laudat, sed secum in doctrina de Christo sensisse, absurdissime perhibet; gaudemus, inquam, de antiquorum Patrum consensu, qui amplior & uberior futurus fuisset, si e prima illa & genuina antiquitate plura hodie superessent.

Nos quidem caussa nos cadere, si velint Pontificii e vetustis, nec corruptis, Patribus disputare, ita inficiamur, ut tamen his non nisi testium honorem concessum velimus, demonstrationem vero petendam esse e Scriptura sola. Quo jure vero arguuntur ipsae Ecclesiae erroris in caussa salutis viventibus & observantibus iis, qui fundaverant? Tentatam subinde fuisse Ecclesiae virginis pudicitiam ab haereticis, sed ideo egressis Ecclesia, vel non admissis, novimus sane; fuisse autem expugnatam illo tempore, ut totae Ecclesiae errare dici possent, in re gravis momenti, calumnia est. Quamquam integritatem Ecclesiae e dicto illo, 1. *Tim. III.* 15. probari nolim. Quae inter coetus diversos eorum, qui cum Papatu dissentiunt, disputantur, cum negat *Socinus* pertinere ad necessaria salvandis, *latitudinarium* se esse, quod supra monui, evidenter docet. Antichristo autem se cum Lutheranis, immo magis etiam, restitisse quod gloriatur, res est indignissima, cum nemo magis gloriae Christi obstrepat, quam, qui esse nudum hominem, quamquam ceteris majorem, impie perhibet. Nullo jure se Sociniani in *Protestantibus* censeri volunt, quod & *Mennonitae* aliique arroganter postulant, quasi nostri illico essent, quicunque cum Pontificiis rem nolunt communem habere. Hinc Lector judicabit, quo loco habere velit haec *Socini* verba, *Libro de Ecclesia, Racoviae an.* 1611. *edito, p.* 47. sic scribentis: „Deus per *Lutherum* a falsis cultibus & idololatria, quae passim inter eos, „qui Christum profitebantur, fiebat, homines retraxit, „& ad ejusmodi divinarum rerum cognitionem addu„xit, quae satis esse poterat ad salutem aeternam concilian„dam; quamvis multa adhuc in doctrina ejus essent, „quae correctione indigerent, & facile a vera salutis via „infirmorum animos revocare possent, quorum corre„ctionem nondiu Deus sustulit, & per *Zvinglium* pri„mum atque *Oecolampadium* quaedam magni momenti „reformavit. Deinde per alios alia corrigere est aggres„sus, idque perpetuo usque ad nostram aetatem. Nec

porro

,,porro quiescet Spiritus hic divinus, donec veritatem iis,
,,qui oculos ad videndum aptos habuerint, omnibus prorsus humanis commentis nudatis ad conspiciendum proposuerit. Nihil autem convenientius fieri potuit, ,,quam ita sensim ad veritatis divinæ patefactionem progredi.'

500. Cur Apostolos & Prophetas fundamentum Ecclesiæ Christi vocas, cum ipse Christus sit illius fundamentum? 1. Cor. III. 11.

Alio sensu Apostoli & Prophetæ vocantur fundamentum Ecclesiæ Christi, alio ipse Christus Ecclesiæ suæ fundamentum existit. Cum enim Apostoli & Prophetæ vocantur fundamentum Ecclesiæ Christi, fit hoc respectu aliorum hominum, qui ad eandem Ecclesiam pertinent, & doctrina Prophetarum & Apostolorum prorsus nituntur. Ac tum Christus consideratur ut quiddam majus, id est, tanquam lapis angularis illius fundamenti, ut ibidem ad Ephesios scriptum est, c. II. 20. Cum vero Christus ipse fundamentum Ecclesiæ suæ vocatur, tum non solum aliorum hominum, verum etiam ipsorum Apostolorum respectu illud fit, qui Domino sunt superstructi, quemadmodum & credentes alii.

501. De Evangelistis, quid ais?

Eos pariter cum Apostolis desiisse. Nam tum, una cum Apostolis, doctrinam novam

annunciabant, quæ nunc pro vetuſtiſſima habetur.

502. De aliis autem Perſonis quid cenſes?

Cum eorum miniſteria etiam nunc perſiſtant, & ipſas perſonas permanere prorſus judico, quippe quæ illorum cauſſa conſtitutæ fuerint.

503. Qua ratione vero ad id miniſterium conſtituuntur?

Ad eum modum, ut in doctrina evangelica præſcriptum habemus.

504. Qui vero?

De Doctorum, Paſtorum, Epiſcoporum & Presbyterorum ſeu Seniorum munere & officiis ſatis abunde Paullus diſſerit, 1. Tim. III. 2, 3. 4. 5. 6. Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſum, unius uxoris maritum, vigilantem, prudentem, ornatum, hoſpitalitatem ſectantem, aptum ad docendum, non vinoſum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, verum temperantem, non pugnacem, non pecuniæ cupidum, qui domui ſuæ bene præſit, liberos habeat in ſubjectione, cum omni caſtitate. Nam, ſi propriæ domui præeſſe non noverit, quomodo Eccleſiæ Dei curam geret? Non novitium, ne inflatus incidat in judicium diaboli. Oportet autem eum & teſtimonium habere ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat & laqueum

dia

diaboli. Consimiliter ad Tit. I. 6. 7. 8. 9. Episcopus irreprehensus sit, tanquam Dei œconomus, non arrogans, non iracundus, non vinosus, non litigiosus, non turpis lucri cupidus, hospitalis, amator boni, prudens, justus, pius, temperans, tenax, fidelis sermonis secundum doctrinam, ut adhortari possit per sanam doctrinam, & contradicentes redarguere.

505. *Nonne ii, qui docent in Ecclesia & ordini tuendo & conservando invigilant, ut singulari aliqua ratione mittantur, opus habent?*

Nullo modo. Etenim, illi nunc nullam novam nec antea inauditam doctrinam afferunt. Sed apostolicam antiquitus ab omnibus exceptam tantum proponunt, inculcant, utque secundum eam vitam instituant, homines hortantur. Unde etiam Apostolus describens diserte omnia, quæ ad constituendas personas ejusmodi pertinent, nullam missionis facit mentionem. Nihilominus tamen, cum personæ ejusmodi ex præscripto Apostolicæ doctrinæ constituuntur, & his duabus rebus præstant, vitæ innocentia, & ad docendum aptitudine, propter ejusmodi constitutionem merito apud omnes auctoritatem justam invenire debent. 1)

Notæ:

1) Mirum est impugnari a Socinianis necessitatem vocationis ministrorum Ecclesiæ, cum palam sit, facultate muneris Ecclesiastici promiscue omnibus data, orituram rerum summam confusionem. Ipsi vero disciplinam ecclesiasticam apud se solos vigere jactitent, ut ex illo *suasorio libello*, quo Protestantes omnes ad se invitare volunt, liquet. Absurda est ratio, quam affert Catechesis, non doceri hodie novam doctrinam, itaque vocatione non opus habere Doctores Ecclesiæ. Nam, si hoc obtineret, licitum esset civile aliquod munus, quod vacaret, nemine jubente, occupare, si caussareris, nolle te alio modo administrare munus, quam quo usus esset prædecessor tuus, rem non esse novam. Sed videamus etiam, quid *Ostorodus* hac de re disseruerit; Unterrichtung, *cap. XLII. p.* 437. Derhalben so lassen wirs hierbey beruhen, und kommen zu der Sendung; denn die Adversarii, wie gesagt, vermeinen, dass die Lehrer jetziger Gemeinen, weil sie nicht gesandt sind, für falsche Propheten sollen gehalten werden. Was denn nun belanget, so wohl den Spruch bey dem Propheten *Jeremia*, *c. XXVII.* 21. als den bey dem Apostel, *Rom. X.* 15. sagen wir, dass keiner von denen beyden etwas zur Sache thue. Sintemal die Lehre jetziger Gemeinen, wie wir kurtz zuvor angezeigt haben, nicht sagen, dass sie Propheten sind, und sonderlicher Weise von GOtt gesandt sind, etwas neues und besonders zu verkündigen. Wie auch das, was der Apostel sagt, *Rom. X.* 15. Wie können sie predigen, wann sie nicht gesandt werden? soll verstanden werden von der Predigt des Evangelii, welche zu der Zeit neu und unerhört war, und derhalben solchs niemand predigen könnte, er müste dennn irgend einerley Weise darzu gesandt seyn. Welchs denn mit unsern Lehrern nichts zu thun hat, sintemal sie profitiren und sagen, dass sie nichts neues noch unerhörtes verkündigen, sondern das, was vor viel hundert Jahren verkündiget und von vielen

unzeh-

unzehligen Menschen vvahrhafftig erkannt und angenommen ist vvorden. Welchs denn ein jeder thun kan, vvenn er schon nicht dazu gesandt ist. Sintemal solchs nicht verboten ist, noch irgend eine Gefahr in sich hat. Ja vvas sagen vvir, solt es verboten seyn, vvelchs an ihm selber ein gutes Werck ist, und ohne Zvveiffel unter allen guten Wercken das beste? Denn vvas kan für ein besser Werck erdacht vverden, als das ist, dass man einen, vvelcher von der Wahrheit verirret ist, bekehre, und seine Seele, vvie der H. *Jacobus* sagt, *cap. V.* 20. für dem Tode bevvahre, und die Menge seiner Sünden zudecke? Das thun aber alle die, vvelche die heilsame Lehre Christi predigen. Sintemal die allein ist, vvelche unsre Seelen erhalten kan, vvie derselbe Apostel bezeuget, *cap. I. v.* 21. Und ist derhalben nicht nöthig, dass man gedencke, als vvann einer unrecht thäte, so er von sich selber, das ist, ohne Sendung, das Lehramt auf sich nimmt. Sintemal solch ein Werck aus der rechten Christlichen Lieb herkommt. Wie man auch ohne Zvveiffel solchs von dem halten soll, dass die, vvelche nach des H. *Stephani* Tod vvegen der Verfolgung hin und her zerstreuet vvaren, das Evangelium geprediget haben, *Act. VIII.* 4. vvelche gevvisslich keine Apostel vvaren, (sintemal, vvie die Historia ausdrücklich bezeuget, die Apostel zu Jerusalem geblieben,) noch von jemand ein Gebot empfangen hatten, dass sie das Evangelium verkündigen sollten. Und sonderlich haben sie solchs zu Antiochia gethan, da der HErr auch ihr Werck mit seinem Seegen vvunderlich bestätigt hat. *Act. XI.* 19. Unter diesen Zerstreueten vvar auch Philippus, auf vvelches Predigt Samaria ist bekehret vvorden, *Act. VIII.* 15. vvelcher kein Apostel vvar. Iedoch ist er hernach vvegen Verkündigung des Evangelii ein Evangelist genennet vvorden. *Act. XXI.* 8. Also auch Apollos, von vvelchem man nicht sagen kan, dass er sey gesandt gevvesen, hat aus einem Eifer die Christliche Wahrheit geprediget, die er doch selber noch nicht recht vvuste, bis dass ihm

Aquila und Priscilla den Weg des HErrn besser erkläreten. Es sey aber fern, dass solchs jemand an ihm getadelt hätte; ja vielmehr hat ihn die Gemeine zu Epheso andern Gemeinen commendiret, dass sie ihn aufnahmen. Welcher auch hernach viel gearbeitet, dass er mit den Aposteln fast gleich gerechnet vvird, ob er vvohl nicht gesandt vvar. Aus vvelchen Exempeln man klärlich sehen kan, dass die Worte Paulli, vvie vverden sie aber predigen, vvenn sie nicht gesandt vverden; ob sie vvohl sonsten, vvie sie auch gevvisslich sollen, von der neuen Predigt des Evangelii verstanden vverden, jedoch einer Restriction bedürffen, und auch aus ihnen keinerley Wege könne durchaus geschlossen vverden, dass zur Predigt des Evangelii, von Anfang der Sendung nothvvendig erfordert sey. Ist derhalben nicht nöthig, dass, so jemand jetziger Zeit das Evangelium prediget, ja vvenn ers schon nicht durchaus verstünde, (gleichvvie auch Apollos von Anfang,) er gesandt sey, vielvveniger aber, dass er seine Sendung bevveisen müsse: Sondern vielmehr die, vvelche lehren, dass jetzt keine Kirche sey, oder seyn könne, sind schuldig, dass sie ihre Sendung mit Wundervvercken bevveisen. Sintemal sie etvvas neues, und das zuvor nie gehört, verkündigen, und das noch mehr, vveil sie ihre Sache gemeinlich aus den allerdunckelsten Sprüchen der H. Schrifft, sonderlich aus der Offenbarung Joh. bevveisen vvollen, vvelche denn so und so können verstanden vverden, und, vvie oben vermeldt, damit sie recht ausgelegt vverden, solch eines Auslegers bedürffen, vvelcher von GOtt sonderlich dazu ervvecket sey. So nun die Adversarii sagen vvollten, dass die jetzigen Lehrer der Gemeinen nicht allein predigen, sondern auch tauffen, und das Nachtmahl des HErrn administriren und verrichten, vvelchs ohne sonderliche Vocation und Sendung nicht geschehen könne: geben vvir zur Antvvort, dass solchs nicht könne bevviesen vverden, nemlich, dass niemand die Sache thun könne, er sey denn dazu beruffen und gesandt. Sintemal, da

Chri-

Christus sein Nachtmahl eingesetzt hat, von dem nichts gesagt, sondern den Seinen allein geboten, solchs hernach zu thun. Welchs denn, dass es alle Glaubigen insgemein, und nicht allein die Apostel angehe, ist klärlich zu ersehen, aus dem, vvas der Apostel von des HErrn Nachtmahl geschrieben hat, 1. *Cor. XI.* Man vvolle aber vviederum lesen, diss besser zu verstehen, vvas vvir oben, nemlich *cap. XXXVIII.* von dem, vvie man des HErrn Nachtmahl begehen soll, gedifferirt und gesagt haben. Ex his, ab *Osterodo* verbose disputatis intelligimus, quæ sit Socinianorum mens de vocatione ministrorum Ecclesiæ. Qui si hoc tantum vellent, non esse expectandam vocationem ab Episcopo aliquo Pontificio, sed posse & debere Christianum, qui agnovit veritatem publice oppressam, eam communicare cum altero, atque hunc vicissim cum aliis; in constituendo autem vel jam constituto cœtu munere doctoris publici & administratoris Sacramentorum neminem fungi debere, nisi cui id munus ab iis, quorum interest, h. e. Ecclesiæ membris, demandatum sit; non esset, quod nos diceremus contra. Sed quando liberum volunt omnibus esse, accedere, nemine licet vocante, ad ministerium ecclesiasticum, apostolicæ praxi certissime adversantur. Quid enim opus fuisset ecclesiis de doctoribus seu presbyteris prospicere, *Tit. I. 5.* si cuique arripere licet, ubi se arbitretur dignum esse, illud ministerium? Sed nec apparet, cur a Spiritu S. dicantur Presbyteri seu Episcopi constituti in Ephesina Ecclesia, quos nemo præ ceteris vocasset, &, qui sibi sumsissent ipsi munus: *Act. XX.* 17. 28. nec, qua ratione *Ebr. XIII.* 17. graviter admoneantur Christiani, obsequi Presbyteris & Antistitibus suis, si non auctoritate divina, quam *Paulus* non sibi solum, sed & reliquis eodem munere fungentibus, vindicat, 1. *Cor. IV.* 1. constituti essent, sed id modo agerent, quod cuivis alteri, si velit, pariter liceret agere. Argumentum, quod utitur *Ostorodus*, *exponere Evangelium*, quod de publico docendi munere, ut status controversiæ

postu-

postulat, nunc accipimus, *esse summum beneficium, itaque posse, quicunque velit, hoc, quemadmodum & reliqua beneficia, erogare;* quoniam nimium probat, nihil probat. Nam, si valet, mulieribus quoque licebit ministerio verbi publico fungi, quod *Rom. XIV.* 34. graviter prohibetur. Porro *jus dicere*, tametsi sit egregium beneficium, non licebit nisi magistratibus legitimis. De *Act. VIII.* 4. falsus est *Ostorodus;* nam nec publicum munus intelligi potest, cum illis locis, quo concesserunt dissipati Christiani, nondum essent coetus sacri, qui instituti sunt deinde. Et facile est ad intelligendum, eos potissimum fugatos esse, quos hostes Evangelii in docendo noverant præ ceteris strenuos esse, h. e. septuaginta Christi discipulos, quamquam providentia divina effecit, ut aliquot Apostoli possent Hierosolymis tuti manere. Fuisse & alios non ex isto LXX. numero, facile largior, qui *Act. XI.* 19. Evangelium sancto zelo, ut Christianos omnes, qui & spirituales Sacerdotes sunt, decet, nunciarunt, quibuscunque potuerunt, sed non in constituta aliqua Ecclesia, tanquam publici doctores; de his enim paullo post prospexerunt Apostoli Antiochensibus Christianis, misso *Barnaba, v.* 22. qui adscivit *Paullum, v.* 25. quos nemo negabit rite fuisse & divinitus vocatos. *Apollos* autem, cujus historia *Act. XVIII.* legitur, præterquam, quod secundum *v.* 25. erat ζέων τῷ πνεύματι, quod de extraordinaria vi Spiritus Sancti, qua actus esset, intelligi potest, publicum doctorem certe non egit. Tametsi in Synagoga exposuit Evangelium. Nam licuit in Synagogis Judæorum, privato homini, cui fecisset Archi-Synagogus dicendi facultatem, surgere & verba facere. *Act. XIII.* 15.

---

506. *Quid vero de illis verbis apostolicis dicis: ut prædicabunt, nisi mittantur? Rom. X. 15.*

Id, quod in his verbis non loquatur Apo-

stolus

ſtolus de quavis prædicatione, verum de prædicatione novæ duntaxat & inauditæ doctrinæ, qualis prædicatio fuit apoſtolica, & aliorum, qui ipſorum adjutores in eodem opere fuerant, quæ omnino miſſionem requirebat. Cum vero doctorum horum temporum ejusmodi non ſit prædicatio, ut paullo ante docuimus, ejusmodi miſſio ad eam minime eſt neceſſaria. 1)

Notæ:

1) Falſum eſt, quod perhibet Catecheſis, Apoſtolos novam doctrinam prædicaſſe veteribus incognitam, quamquam perſonam Meſſiæ, ſcil. JEſu Nazareni, adhuc nondum noverant. Contrarium diſcere poſſunt Sociniani ex *Act. XXVI.* 22. ubi *Paullus* graviter proteſtatur, ſe nihil nunciare, quod non futurum prædixiſſent Moſes & ceteri Prophetæ. Sed, ſi ponas etiam nova omnia fuiſſe, quæ docuerunt Apoſtoli, non ideo injuſſu Domini, & quorum intereſt, in publicum munus involare cuiquam licet.

567. *Diaconos vero qui creare oportet?*

Ea de re Paullus ad Timoth. 1. Tim. III. 8. 9. 10. Diaconi ſimiliter graves, non bilingues, non vino multo deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in pura conſcientia. Et hi probentur prius, deinde miniſtrent, exiſtentes ſine reprehenſione &c. Et infra v. 12. 13. Sint unius uxoris mariti, liberis bene præſidentes, & propriis domibus. Etenim, qui bene miniſtraverint, gradum

dum sibi ipsis bonum acquirunt, & multam libertatem in fide, quæ est in Christo JEsu. 1)

Notæ:

1) Hoc ipsum dictum docere debebat Socinianos, non posse sibi aliquem ministerium ecclesiasticum sumere. Quid enim significaret: *probentur prius?* si vel inconsultis reliquis involare liceret? Porro in hac superioribusque quæstionibus observandum, aliud quæsitum, aliud responsum, esse. Quærebat Catechesis, qua ratione sint creandi Presbyteri Diaconique? Hic secundum ipsorum Socinianorum hypothesin, a nobis profligatam, respondendum fuerat, non esse opus creandis Presbyteris & Diaconis, posse illas partes sibi vindicare, qui velleat, idoneique sibi viderentur. Sed respondit Catechesis, quod plane non ad rem est, nempe *quales* sint creandi Presbyteri & Diaconi. Hunc errorem emendarunt recentiores.

508. *Exposuisti personas, quæ præsunt; exponas etiam ea, quæ ad auditores pertinent?*

Auditorum vel juniorum 1) officium est, ut dicto audientes sint eorum, qui præsunt, in his omnibus, quæ e verbo Dei præscribunt; de quo in Epistola ad Ebræos, c. XIII. 17. legimus: Obedite ducibus vestris & subjacete. Etenim illi vigilant pro animabus vestris, ut illi, qui rationem reddituri sunt, ut cum gaudio id faciant, & non gementes. Ut, cum eis, qui docent, in omni bono communicent, & duplici honore dignos censeant, ut adversus

sus eos accusationem, nisi in duobus aut tribus testibus, non admittant. Galat. VI. 6. 1. Tim. V. 17. 1. Thessal. V. 12. 13. 1. Tim. V. 19.

Notæ:

1) Nemo dixerit, cur *auditores & juniores* pro iisdem habeantur. Sed hunc locum contra Socinianos negantes vocationis necessitatem militare jam supra dixi.

CAPUT III.

DE DISCIPLINA ECCLESIÆ CHRISTI.

509. ***Exposuisti mihi officia personarum, quibus Ecclesia Christi constat: expone porro rationem, qua eadem officia conservantur.***

Ea ratio partim omnibus incumbit, partim iis tantum, qui præsunt, personis.

510. ***Qui vero omnibus incumbit?***

Ad eum modum, uti descripta est, Ebr. III. 12. 13. Videte fratres, ne in quoquam vestrum sit cor malum incredulitatis, ut discedat a Deo vivo: verum adhortamini alios alii singulis diebus, usque quo hodie nominatur, ne quis ex vobis obduretur deceptione peccati. Et infra, Ebr. X. 24. Observemus alii alios, in provocationem charitatis & bonorum operum: non deserentes congregationem nostram ipsorum, sicut mos est quibusdam; sed admonentes, & tanto magis, quanto magis

magis videritis appropinquantem diem. Et rursus inferius, cap. XII. 15. Contemplantes, ne quis deficiat a gratia Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per eum inquinentur multi. Et Apostolus Paullus ait: 1. Thess. V. 11. Admonete vos mutuo, & ædificate alius alium. Et infra v. 14. Rogamus vos fratres, adhortamini inordinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, longanimes estote erga omnes.

511. At vero cum iis, qui ordinis hujus contemtores sunt, ut agendum?

Duplici ratione, nam aut privatim castigandi sunt, aut publice.

512. Qui privatim castigandi sunt?

Quemadmodum Christus docuit, Matth. XVIII. 15. 16. 17. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si non audierit, assume tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum testium vel trium stet omne verbum. Si autem neglexerit eos, dic Ecclesiæ.

513. Cur ad eum modum castigandi sunt?

Propterea, quia, ut ex hoc loco videre est, in nos privatim peccent. Atque eandem ob caussam, de quovis privato delicto, sive in Deum, sive in alios, designato, idem statu-

endum

endum eſt. Id enim & æquitas ipſa ſuadet, & charitas Chriſtiana prorſus exigit.

514. Qui publice ſunt caſtigandi?

Aut verbis & oratione, aut facto.

515. Qui verbis & oratione?

Ad eum modum, ut ab omnibus redarguantur publice in Chriſti Eccleſia. De quo ad Timoth. 1. Ep. V. 20. Peccantes argue coram omnibus, ut & ceteri timorem habeant. Et ad Corinth. 2. Ep. II. 6. Sufficit tali increpatio ejusmodi, quæ facta eſt a multis.

516. Qui autem facto?

Cum aut Societatem ejus vitamus, & cibum cum eo capere recuſamus, licet eum adhuc pro inimico non ducamus, ſed tanquam fratrem admoneamus. Aut, cum eum ex Eccleſia Chriſti eliminamus, nec amplius pro fratre agnoſcimus, ſed pro alieno prorſus habemus.

517. Ubi ea de re ſcriptum eſt?

De priore ratione ad Corinthios, 1. Ep. V. 11. Si quis frater cognominatus ſit ſcortator, aut avarus aut idololatra, aut obtrectator, aut ebrioſus, aut raptor, ne cum eo manducetis. Deinde ad Theſſal. 2. Ep. III. 6. Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut vos ſubducatis ab omni fratre, inordinate ambulante, & non ſe-

cundum traditionem, quam accepistis a nobis. Et infra, v. 10. Etenim cum eramus apud vos, hoc denunciavimus vobis, ut, qui laborare nollet, non manducaret. Et infra, v. 14. 15. Si quis non auscultat verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut pudefiat. Neque pro inimico ducite, sed admonete ut fratrem. De posteriore vero itidem ad Corinth. v. 13. ubi ait: Tollite malum ex vobis. Et apud Matthæum, c. XVIII. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.

518. Cur vero ejusmodi castigatio servatur in Christi Ecclesia?

Ut transgressor sanetur & in viam revocetur, alii vero metu percellantur & ab immorigeris non corrumpantur, nec inficiantur, atque ut offensio e cœtu Christi removeatur, verbum Domini male non audiat, atque ad eum modum nomen Domini & ipsius gloria non prophanetur. 2. Thess. III. 14. 1. Tim. V. 20. 1. Cor. V. 6. 7.

519. Quod periculum imminet ejusmodi hominibus?

Id quod e cœtu Christi, ac proinde e regno ipsius exclusis, nihil supersit amplius, quam exitium; cum hæc excommunicatio nihil aliud sit, nisi illud ligamentum, de quo Chri-

Christus apud Matth. XVIII. 18. Am
Amen, dico vobis, quæcunque ligaver
super terram, erunt ligata & in coelis;
quæcunque solveritis super terram, sol
erunt in cœlis.

520. *Quæ est ligandi & solvendi potestas, quam habet Ecclesia?*

Est declaratio & denunciatio secundu
Dei verbum, qui sit dignus, qui non, ut sit
Christi Ecclesia.

521. *Quæ ratio est ordinem in Ecclesia conserva illa, quæ iis, qui præsunt, potissimum incumbit?*

Non solum illa officia studiosius serv
tenentur, quæ singulorum sunt, quam cet
omnes; verum alios ad eadem illa servan
subinde exsuscitare, Ecclesiam inspicere, s
gulos observare, & tempestive ac intem
stive instare, arguere, increpare, cum om
lenitate & doctrina, ut ad Timoth. habet
2. Ep. IV. 2. Cum ejusmodi tamen cautio
id agere debent, quam adhibendam Apos
lus docet. Seniorem ne increpaveris, v
rum tanquam Patrem admone; juniores ta
quam fratres; seniores mulieres, ut matr
juniores, ut sorores, cum omni castita
1. Tim. V. 1. 2.

CAPUT IV.

DE ECCLESIA CHRISTI INVISIBILI.

522. *Quæ Ecclesia est invisibilis?*

Sunt ii, qui Christo confidunt, & illi obtemperant, proptereaque illius corpus existunt.

523. *Cur vero eum hominum cœtum invisibilem vocas?*

Idcirco, quod hominum oculis expositus non sit. Nec enim quisquam hujus cœtus membrum existit, nisi qui Spiritum Christi habet. Cum Apostolus apertissime testetur Rom. VIII. 9. eum, qui Spiritum Christi non habeat, non esse ipsius. Præterea nemo hujus cœtus membrum esse potest, nisi veram in Christum fidem habeat. Etenim per fidem in corpus Christi inserimur, & fide in eo consistimus: Spiritus vero Christi & vera in ipsum fides videri a nobis oculis carneis nullo modo possunt, cum id utrumque in intimo cordis secessu lateat, & absconditum sit; nam & Spiritus Christi in corda mittitur, & corde creditur ad justitiam, Rom. II. 19. 20. Gal. IV. 6. Rom. V. 10.

524. Nonne ex exterioribus factis agnosci potest, qui sit Ecclesiæ Christi membrum?

Ex factis exterioribus cuivis promtum agnoscere, qui non sit membrum Eccle Christi, id est, qui Spiritum ejus non habe & fidem veram. Etenim Apostolus ait: C V. 19. Manifesta esse opera carnis. Ver ex exterioribus factis difficulter cognosci test, ubi sit Christi Spiritus & vera fides. Fa enim exteriora facta, quæ ex corde sinc non proficiscuntur, eam speciem referre p sunt, quam habent, quæ e corde recto p deunt. Breviter: Potest quis animo ma induere speciem externam hominis pro Verum in homine probo secus est, qui nu quam hominis improbi speciem præ se fe laborat.

525. Percepi jam omnia, quæ ad Dei Christique n tiam pertinent. Expone porro, si quid ad noti tiam viæ hujus salutaris præterea pertineat.


Jam omnia tibi abunde exposita su Tuum est, ut iis probe perceptis atque c gnitis, ea menti infigas, & secundum eor præscriptum vitam instituas. Deus vero t ad eam rem opem afferat, cui, quod col cutionem nostram nobis absolvere felici

 cc


concesserit, sit laus & gloria per JEsum Christum in perpetuum. Amen!

Notæ:

Ego vero DEUM precor, ut nos in sua veritate clementissime regat, ab Sociniana ceterisque pestibus Ecclesiam suam defendat, & per CHRISTUM, cui sit gloria in secula, nos tueatur, Amen.



INDEX



INDEX I.

DICTORUM SCRIPTURÆ S. EXPLICATORUM ET ILLUSTRATORUM.

ejusd.

NDEX II.

M ET AUCTORUM.

Ignat.

Wagen-

INDEX III.

VOCUM EBRÆARUM.

INDEX IV.

VOCUM GRÆCARUM.

διὰ

)o(

)o(